
IO · STEPH
D·G
GNESNE · PRIMAS

CORNUCOPIÆ CONCIONUM SACRARUM, & MORALIUM FORMATARUM,

Auctore R. P. F. CAROLO VAN HORN,
S.T.D. Ord. Eremit. S.P. Augustini Conventus Gandav. Religiosi.

PARS PRIMA;

SUPRA CUNCTAS FERIAS & DOMINICAS TOTIUS QUADRAGESIMÆ, NEC NON LUCTUOSAM CHRISTI DOMINI PASSIONEM.

CUM TRIPLICI INDICE,

I. CONCIONUM ET EVANGELIORUM quæ tractantur,
II. CONCIONATORIO, in omnes Anni DOMINICAS, quibus contenti Discursus sine addito ad longum applicantur;
III. RERUM MEMORABILIUM & Curiositatum quæ memorantur.

OPUS ELABORATUM, VARIIS CONCEPTIBUS PRÆDICABILIBUS, DILUCIDIS SACRÆ SCRIPTURÆ *locorum explicationibus, sacrâ ac profanâ historiâ, SS. PP. Authoritatibus mirè refertum, facili methodo concinnatum.*

ATQUE ADEO

OMNIBUS PAROCHIS, AC CONCIONATORIBUS, PRÆSERTIM PLURIBUS IMPEDITIS apprimè utile ac necessarium.

Adjungitur quoque ad faciliorem methodum concionandi totius libri Synopsis, in qua adjuncta reperiet Lector objecta & materias, de quibus quælibet Concio præcisè tractat, & quibus DOMINICIS & FESTIS totius ANNI, facili negotio appropriari possit.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HERMANNUM DEMEN, sub signo Monocerotis. Anno M.DC.LXXVI.
Superiorum permissu, & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis speciali.

A D L E C T O R E M.

Candide Lector, demiraris fortassis præsens Opusculum in lucem præter expectationem tuam prodiisse, eò quòd in Mariali meo tractatu pollicitus sim, huic secundùm de singularibus Deiparæ Mariæ prærogativis, & raris præeminentiis annectere. Fateor, mihi mens fuit promissa persolvere: boni tamen, æquique precor consulas, quod quàm plurimorum consilio, persuasione, & importunâ satis adhortatione à proposito meo distractus, ad materiam maximè disparatam me converterim. Urgebat namque quorumdam authoritas, nec aliquorum solidæ rationes, atque plausibilia instare non cessabant motiva. Asserebant hunc Tractatum verbi divini præconibus fore utiliorem, accommodatiorem, & muneri imposito magis deservientem. Quoniam unius anni spatio longè plura in Ecclesia Festivalia, & Dominicalia occurrunt Evangelia, quàm Mariales Festivitates. Accedit, quòd illa materia dumtaxat laudes Reginæ cælorum contineat, & ad ejus devotionem excitet: verùm hæc Christianæ perfectionis compendium in se comprehendit, docens illam regulam, *Declina à malo, & fac bonum.* Virtutum nimirum splendorem commendando, populumque ad illas allicindo, & vitiorum enormitatem proponendo, & divinæ vindictæ comminatione illum ab eorum perpetratione deterrendo. Quare spero præsentem lucubrationem, & laborem meum non tantum Concionatoribus utilem futurum, verùm etiam quàm maximum plebi emolumentum pariturum. Ac proinde firmiter confido, quòd hoc Opus altero vobis non erit ingratius. Quare ut contentum illius quàm brevissimè pandam, accelero. Habes hîc benevole Lector, Conciones Formatas suprà Dominicarum & Feriarum Quadragesimæ Evangelia. In Synopsi in fine adjuncta reperies objecta & materias, de quibus quælibet præcisè tractat, & quibus Dominicis & Festis totius anni facili negotio appropriari possit; ad quod Themata ex Evangeliis erui. In primo Indice tanguntur Argumenta & Evangelia quæ tractantur. In 2. & Concionatorio Indice integrum Dominicale per totum annum tibi suggeritur, & tali quidem modo, ut ne verbulum (si velis) de tuo superaddere necesse sit. Pro qualibet namque Dominica Thema ex occurrenti Evangelio desumptum apposui, ad quod Lectorem per formale proœmium deduco. Introductionem insinuo, confirmationem & epilogum subministro. In tertio Indice præcipuæ annotantur curiositates, & objecta magis notabilia indigitantur.

Fateor, Sabbatha pertransivi, quoniam iis ordinariè Concionator vacat. Quòd si tamen quis eo die etiam Dei Verbum ad populum habere teneatur, in ejus commodum in Synopsi materias ex Evangeliis Sabbathinalibus elicui, & laudibus Divæ Virginis (quia ille dies ipsi sacer habetur) applicui. In quo Lectores ad Mariale meum remitto.

Hæc sunt benigne Lector, quæ præmittenda habui, ut tenerum hunc fœtum tibi utcumque commendarem. Quòd si ille nævum, aut sorditiem aliquam attractam contineat, benevolentiâ tuâ deterge, & ingenii mei imbecillitati impone. Ne patiatur itaque rogo tenellus iste fomenti penuriam, eum benignè fove, ne illum, quem promisi, & modò favente Deo, & permittente sanitate, editurum promitto, in sinu vestro deponere deterreat. Vale, & fave.

INDEX
CONCIONUM, THEMATUM,
ET
EVANGELIORUM,
Quæ in hoc Opere Quadragesimali continentur.

FERIA

FACUL-

FACULTAS
ADMODUM R. PATRIS MAGISTRI
PROVINCIALIS.

VIsâ approbatione, & commendatione eorum, quibus commissa fuit cura Legendi Quadragesimale Concionum compositarum à R. Patre M. CAROLO VAN HOORN, S. Theol. Doctore, Ordinis Eremitarum S. Augustini presbytero, permittimus, ut præli beneficio in lucem publicam emittatur; ea propter concedentes eam, quam dare possumus facultatem. Datum Bruxellis apud S. Apolloniam die 31. Januarii 1665.

F. JOANNES PAPTISTA DE PERNE Ord. Erem S. Augustini per Belgium Prior Provincialis.

HOc à me revisum Quadragesimale R. ac Exim. P. CAROLI VAN HOORN S. Theol. Doctoris Ord. Erem. S. Augustini in tantum sacræ fidei, & bonis moribus non officit, ut quantò quisque satius in ejus lectione operam conficit, tantò sanè satius per ejus opem in fide, & moribus proficit: & in quantum in hoc suo fœtu author sit scriba doctus, similis patri familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera *(si quidem lector periculum facere satagas) quantò sagacius id bono tuo lucubrator addisces, tanto verius Authoris laudi propalator accedes. Sic & Authoris operi faveo, & lectoris operæ voveo. Bruxellis apud S. Apolloniam hac 28. Ianuarii Anno* 1665.

F. ANGELUS VANDEN DRIESSCHE S. T. Doctor & Professor.

APPROBATIONES.

COnciones Quadragesimales, & ad laudem D. Virginis ab Adm. Rev. & Eximio CAROLO VAN HOORN Ord. Erem. S. P. Augustini S. Theol. Doctore concinnatas, quæ nihil Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium continent, & non sine applausu & fructu ante annos aliquot lucem viderunt, dignissimas censeo, quæ ad communem legentium & audientium utilitatem typis recudantur. Datum Coloniæ apud S. Augustinum Anno 1670. die 3. Septembris.

F. IOANNES SCHVVEITZER Ord. Erem. S P Augustini S. Theol. Doctor & Professor, Vicarius Provincialis.

LEgi *Quadragesimale* uti & *Mariale* Adm. Rev. ac Eximii P. *Caroli van Hoorn.* S. Theol. Doctoris Ordinis Eremitarum S Augustini, ac in utroque *Cornucopiam* inveni, mirâ rerum pulcherrimarum varietate, ingeniosis conceptibus artificiosè illustratâ, ac Sanctorum Patrum testimoniis solidè firmatâ, refertam, concinno insuper ordine ita digestam, ut facilem omnibus sui exhibeat copiam ac usum; idque absque ullo doctrinæ nævo ac nota contra fidem aut bonos mores: Quapropter è re Præconum verbi divini ac laudum Marianarum futurum existimo, ut iteratò uterque liber typis evulgetur, ne plures eorum abundantia deficiat, ac in illorum *Cornucopia* plurimi sentiant inopiam. Coloniæ in nostro Conventu Carmelitarum die 4. Septembris Anno 1670.

F. AMBROSIUS à S. GODEFRIDO S. Theol. Lector ordinarius.

CENSURA ORDINARII.

OPus Concionum Quadragesimalium, & in laudem B. M. V. ab Adm. Rev. & Eximio P. Carolo van Hoorn *ex Ordine Eremit. S. P. Augustini S. Theologiæ Doctore, egregie concinnatum; ac alibi jam revisum, approbatum & impressum; Coloniensibus typis, plurimorum ejusdem B. V. Cultorum bono, jure merito in lucem prodit publicam. Coloniæ 4, Septembris* 1670.

JOANNES FRANCKEN SIERSTORFF, D, Gymn Laur. Regens, librorum Censor Ordinarius.

PRIVILE-

PRIVILEGIUM
CÆSAREUM.

LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum IMPERATOR semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVittembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cùm devota Nobis grata Catharina Brassart Vidua demissisimè Nobis exposuerit, se Caroli ab Hoorn, Ordinis S. Augustini Eremitarum Conciones in 4. typis excudendas dare constituisse, vereri autem debere, ne (quod fieri assolet) aliorum fraude vel invidia easdem recudentium impendii ac laboris sui fructu sperato frustretur: ideoque humillimè supplicarit, ut indemnitati suæ Privilegio Nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur: Nos ejusmodi precibus, ut æquissimis benignè annuerimus. Mandantes proinde omnibus ac singulis Typographis, alijsque quibuscunque rem & negotiationem librariam quovis modo exercentibus districtè atque sub pœna decem marcarum auri puri, amissionisque exemplorum seriò inhibentes, ne quisquam eorum præfatas Conciones intra decem annorum spacium à prima editionis die numerandorum, intra Sacri Imperii Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, præter prædictam Brassart Viduam & citra ejusdem consensum, eodem aut alio typo, integrè aut pro parte recudere, invehere, vel alio recudendum dare, venundare, aut clam vel palam distrahere præsumat, quatenus comminatam decem marcarum auri puri pœnam, ex semisse Cameræ nostræ Imperiali, & pro reliquo parti læsæ irremissibiliter pendendam incurrere, & omnibus exemplaribus quocunque loco repertis (quorum sibi vel propria authoritate, vel Magistratus loci auxilio vindicandorum dictæ Brassart Viduæ, ejusque hæredibus vigore præsentium jus fasque sit) privari noluerit: Dummodò tamen memoratus liber hujusce privilegii nostri Cæsarei tenorem pro publica notitia atque cautela in fronte impressum exhibeat: & quaterna ad minimum ejusdem exemplaria ad Cancellariam Imperialem Aulicam transmittantur. Mandamus ergo Universis nostris Sacrique Imperii Regnorumque ac Provinciarum nostrarum hæreditariarum subditis ac fidelibus dilectis, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionisque fuerint, præsertim verò locorum Magistratibus Ecclesiasticis & sæcularibus, ne quenquam huic nostro Cæsareo Privilegio impunè contravenire patiantur, quin transgressores supradictis pœnis alijsque modis idoneis coerceant, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum: quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ die decima octava Februarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo, Regnorum nostrorum Romani duodecimo, Hungariæ decimo quinto; Bohemiæ verò decimo quarto &c.

LEOPOLDUS m.p.

(L.S.)

Ut

Leopoldus Guillielmus Comes in Kinigsegg.

Ad mandatum Sac. Cæsar. Majestatis proprium
Christoph. Beßer.

FERIA

FERIA QUARTA.

In die cinerum.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.
ait Eccleſia.

MEmoriâ dignum antiqui hiſtoriographi, & nominatim inter eos, ſanè non infimus doctiſſimus Plutarchus, ſtrenuiſſimi iſtius belli ducis, infeſtiſſimi Romanorum hoſtis Sertorii referunt ſtratagema, quo populum Characitanum ſibi rebellem ſubjugavit. Hic, cùm ſuffultus Hiſpanicis armis, exiguâque Luſitaniæ tum temporis barbarâ militiâ auctus, ut ferociſſimus leo confeſtim non ſingulari animi ſagacitate, non ſolitâ mentis prudentiâ & raræ conſtantiæ exemplo diverſos hoſtiliter aggreſſus eſt exercitus: de quo Plutarchus:

Plutarch. in vita Sertorii.

Potentibus proſtratis hoſtibus, adverſæ, inquam partis duces, Cottam in freto ad mellariam Naumachiam vicit. Didium Beticæ præfectum ad Betim flumen ſuperavit, Domitium & Lugium alterius Hiſpaniæ præfectum fudit, Toranium alium ducem à Metello miſſum cum copiis delevit, ipſumque cladibus affecit. Paulò poſt ad ſummam animi redactus fuit anguſtiam, cernens victricibus armis juxta flumen Tagon ſupra ingentem, excelſumque collem à Characitanis herculeas erigi columnas, *non plus ultrà*. Fateor non verebatur invictus Sertorius hoſtis copias, nec illius ullatenus militaris artis pertimeſcebat peritiam, verùm turmis ſuis formidabilem exhorreſcebat acceſſum, *utpote qui, antra & ſpeluncas multas ſeptentrionibus obverſas haberet.* Aſt qui rebellibus ſitus firmo videbatur munimini, luctuoſæ ruinæ deſerviit occaſioni. Etenim Sertorius tot honorificis intumeſcens victoriis, amplioriſque gloriæ cupidus, atque anxiè veritus, ne famæ ſuæ ſplendor à tam abjecta hac plebe ignominioſa fortaſſis nebulâ obfuſcaretur, diu noctuque armis, ſimul ſtratagemati ſtuduit, collem expugnandi. Verùm in vanum. Sed tandem, quod eum vis militaris non docuerat, fortuna adblandiens demonſtravit. Contigit (ut affirmat Plutarchus) quod Sertorius *iratus, ſe tamquam victum, à barbaris contemni, ſive ne fugiſſe videretur, ſummo mane ſpeculatum loci ejus naturam ivit. Quē cum inacceſſum videret, minitans tantùm barbaris, oberrabat. Interim conſpicit à terra verſum eos magnam vim pulveris à vento incitari.* Quo viſo, mox ipſe *militibus mandavit ut ex rara iſta & cineri ſimili terra è regione collis aggerem comportarent. Quo factum eſt, ut, quoniam ab ea parte aerem ſpelunca accipiebat, quæ vento patebat, ſtatim barbarorum oculis caligo offunderetur, ſtatimq; ſperandi facultas præfocaretur aſpero aere cum multo pulvere faucibus attracto, itaq; cum poſt biduum id ægrè tuliſſent, Sertorio ſeſe dediderunt, non tantùm ei virium apponentes, quantùm gloriæ, quod quos armis capere nequiſſet, prudentiâ expugnaſſet.* Hoc ſtratagema demiratus Val. Max. ait. *Sertorius quos armis vincere non potuit, cinere devicit.*

Val. Max.

Haud diſſimiliter meo judicio (ſalvo meliori) in militia chriſtiana contra protervum & obſtinatū in ſceleribus hominem animoſa noſtra belligerax Amazona, S. Mater Eccleſia, etenim hæc ingemiſcens univerſum mundum à puero uſque ad ſenem deteſtandis hiſce diebus bacchanalibus luxuriantē conſpiciens, perterrita enormibus criminibus, verita juſtum offenſi miſericordis Dei furorem, omni nititur conatu & induſtria, ut tanquam pia mater fulmini divinæ juſtitiæ obviet, atq; omnipotentis iram à ſuis avertat. Cumq; illum, non niſi per pœnitentiam deliniri optimè cognoſcat: quid agit: Ecce apprimè edocta acerbiſſimam Chriſti Domini paſſionem, fortiſſimum ad obduratum peccatoris animum emolliendum fore Achillem, omnium auribus & oculis exponit myſterioſum illud evangelium. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum.* Inſuper addit indulgentias, preces, ver-

Matt. 20. 18. & 19.

bumque divinum in tanta peccata demandat deprædicari invectivum, omnesque exerit vires, ut insanientem hominem à vano luxu, & inanibus mundi illecebris avellat, atque ad sanam mentem deducat. Verùm frustrà. Quò igitur sese vertet pia mater tantâ solicitudine suorum saluti intenta? Ecce adinstar alterius Sertorii ad cinerem confugit. *Vt peccatorem, quem prædictis armis vincere non potuit, cinere devincat.* Clamatque *memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris:* Et rectè, mortis namque memoria ultimus piæ Bellonæ est aries, quo impius debellari queat. Quod in præsenti discursu mens est ostendere, ubi ante Deiparam pro Spiritus sancti impetrandâ gratiâ salutatione salutaverimus angelicâ dicentes.

AVE MARIA.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Rom. 5. 12. SAnctus Pater N. Aug. sagacibus ingenii sui oculis perlustrans illa Apostoli verba *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum & per peccatum mors.* Explicato, mortem non è peccato, ut effectus à causa solet, exortam fuisse,
Gen. 2. 28. verùm tamquam pœnam immanasse: *In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris:* Subtilem (ut solet) instituit quæstionem: cur benignus dominus mortem, & non quamcumque aliam peccato decreverit pœnam? Fortè inquit Augustinus ut inde suam manifestiùs iram, aut in peccato majorem demonstraret displicentiam atque illius gravitatem? Nihil horum ait Augustinus: erras, erras homo, si pœnam mortis nudam divinæ justitiæ imagineris vindictam: quoniam ego asseveranter attestor, quod in hoc divino decreto miri-
Ps. 144. 9. ficè Davidici illius dicti: *Suavis dominus universis, & misericordia ejus super omnia opera ejus*
Habac. 3. 2. (id est in omnibus operibus ejus) & prophetæ Habac. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis,*
Aug. lib. 13. de civit. Dei cap. 4. illuxerit veritas, dicoque mortem, non tam severam peccati pœnam, quàm providam illius miserentis Dei exstitisse medelam. Audite quæso divina divini Doctoris verba. *O ineffabilem Dei misericordiam! Ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutum: mortui sunt illi, quia peccaverunt, non peccant isti, quia moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut veniretur in pœnam, tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vita constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.* Deus enim per primam Adæ transgressionem humanam naturam exitiali cernens concupiscentiæ, & ad malum promptitudinis infectam veneno, tanquam spiritualis medicus, subitò de salutari excogitavit antidoto: cumque potentius morte in divina non adinveniret officina, eam peccati statuit pœnam, simulque & certam illius effecit medicinam.

Ex quo salubrem eruit doctrinam, ac christianam deducit instructionem, quam omnium cordibus firmiter conatur insculpere aureis hisce verbis: *Ergo homo utatur pœnâ suâ, & bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo.* Et rationem hujus allegat: *Quia nihil hominem sic revocat à peccato, quemadmodum jugis mortis recordatio.* Nec mirum; quoniam mors *transiit in arma virtutis.* Serm. 21. de tempore. Libro 2. contra Marcel. Quæ, quàm sint efficacia ad infestum animæ nostræ hostem, id est peccatum debellandum, operæ pretium est ad amussim indagare potentiora quædam, quibus benignus Deus ad se attrahere impios peccatores conatur, remedia, eaque diametraliter morti opponere: *opposita enim juxta se posita,* ut ait Philosophus, *magis elucescunt.* Indubitatum est apud SS. PP. tribulationem magnâ, hominem in stricta divinorum mandatorum observantiâ conservandi, pollère virtute; idque satis apertè insinuat propheta David hominum deplorans ruinam, simul & fatalem omnis enormis casus originem: *Quia non sunt flagellati, tenuit eos superbia.* Psal. 72. 6. Et Psalmo 114. confitetur sese his vinculis ad Deum fuisse reductum: *Tribulationem inveni.* Sed quid deinde ò David! percepisti emolumenti? Audi, quid respondeat: *Et nomen Domini invocavi.* Psal. 114. v. 3. O sancta, ò utilis homini in via Domini recalcitranti afflictio! cedat tamen hæc victoriæ palmam mortis memoriæ, quandoquidem non humano, sed divino illa ei adscribatur eloquio.

Propheta Job, rudi Dei tactus manu, in tam adversa toleranda fortuna invictam suam constantiam, atque exactæ conformem divino beneplacito voluntatem audacter profitetur dicens: *Non peccavi,* Iob 17. 2. cujus miraculosum quasi ut manifestet eventum, subjungit: *& in amaritudinibus moratur oculus meus.* Ac si Job exclamaret, quomodo possibile est, quòd ego contra Dominum peccassem, quod eum blasphemassem, rectamque mandatorum ejus semitam deseruissem, quandoquidem in amaritudinibus moratus sit oculus meus. Etenim, pauco tempore elapso, copioso ditabar grege, armentis abundabam quàm

quàm plurimis, florenti filiorum, non sine summo animi oblectamento latus meum stipabatur turbâ. Sed ecce nunc, quocumque oculus meus vergat, in amaritudinibus moratur, meque cunctis prospicit spoliatum. Imò quod durius torquet, squallore & macie exæsum, ac ulceribus contemplatur refertum, *& tamen non peccavi.* Verùm enimverò ô sanctissime Propheta, & invicte in humana militia athleta! Dic nobis obsecro tuis in communi stadio commilitonibus quodnam tuum subsidium? Quod impenetrabile scutum? Quæ arma, quibus tam aspera infelicis fortunæ retudisti jacula?

Jobi genuinum forsitan capiemus responsum ex certa quadam naturæ, quam solertissimus naturalista Solinus de Basilisco commemorat, proprietate. Dicit eum vivum esse tam venenosæ naturæ, ut hominem visu occidat, mortuum verò, si ejus corpus in aere suspendatur, omnia è putrida educta materia absumat animalcula. Ah! quid est aliud mors, quàm verus Basiliscus, qui omnem quoad corpus enecat hominem? Vis ô homo & fœtida, quæ ex appetitu tuo inordinato, & ex depravatæ naturæ quandoque generantur concupiscentia, peccatorum absorbere animalcula? Hunc suspende Basiliscum, cordi tuo firmiter perpetuam imprime mortis memoriam, & in æternum non peccabis. Hoc basilisco tutatus, his armis munitus, hoc telo instructus, hoc scuto coopertus, contra omnem fortunæ casum, diabolique insultum gloriosus victor evasit propheta Job, ut
Iob 17.1. ipsemet attestatur. *Spiritus meus attenuabitur, dies mei abbreviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Et hinc non peccavi.* Hunc conceptum, non è phantastico ingenio, sed è celebri ac vero sanctorum Patrum eruo pædagogio. Audi si lu-
Greg. lib. 3. moral. bet, S. Greg. dicentem: *Perfecta vita est mortis meditatio, quam cum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt, unde Iob, quia cogitabat de sepulchro, aptè subjungit, non peccavi.* Rationem reddit ulteriorem Damianus. *Nec mirum, quod Iob non peccavit, quia non est vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum.* Optimè itaque August. *Pœna vitiorum transit in arma virtutis.* Prudenterque utitur hoc die Ecclesia contra peccatum antidoto: *memento homo, &c.*

Nec minor, quàm jam allegato, hominem in peccatis inveterato convertendi, remedio tum à sacra Scriptura, tum à S S. P.P. attribuitur po-
ad Hebr. 4. 12. tentia verbo divino. *Vivus est enim,* inquit Apostolus, *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus.* Et sanctus Bernard. *Verbum Dei multas operatur utilitates in cordibus nostris.* Nihilominus tamen hoc victoriæ bravium memoriæ mortis concedat necesse est. Pro quo efficaciter probando non abs re fore æstimo, sedulò perscrutari mysteriosum ac divinum Christi Domini cum ægrotis, miraculosè sanatis, & resuscitatis (qui omnes secundùm Aug. peccatores repræsentant) agendi modum. Homini cuidam, ut narrat Joannes, qui 38. annis juxta probaticam piscinam languerat, pristinam restituit sanitatem. Sed adverte, cum melioris admonet vitæ: *Iam* Ioan. 5.4[illegible].
sanus factus es: jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Liberat è manibus Pharisæorum, & à morte miseram adulteram, confundens judices, proprias iniquitates in eorum memoriam revocando his verbis: *Qui sine peccato* Ioan. 8.7.
est vestrum, primum in illam lapidem mittat. Et ecce huic quoque salutarem de vita emendanda dat correptionem: *Vade, & jam noli amplius pec-* vers. 11.
care. Hocque Jesum in quàm plurimis ægrotis fuisse practicatum, perspicuè constat vel iis, qui sacram Scripturam à limine dumtaxat salutarunt. Verùm modò adverte, quomodo sese cum resuscitatis gesserit Christus. Ecce, ut refert Evangelista Marcus, ad vitam revocat defunctam archisynagogi filiam: *Et tenens manum puellæ,* ait illi: Marci 14.
Talitha Cumi tibi dico surge. Et confestim surrexit 41.
& ambulabat. Rursùs vitam restituit unico mœstæ illius viduæ filio in civitate Naim: *Adolescens* Lucæ 7.
tibi dico surge. Denuò resuscitat quatriduanum & 14.
fœtidum Lazarum. *Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus.*

Sed quod hic notatu necessarium est, nullam sacra Scriptura facit morum emendationis mentionem. Nudè namque ait Christus. *Sinite* Ioan. 11.
eum abire. Verùm quid hic latet mysterii? O pie 44.
Domine! Hi tres mortui, tres secundùm animam mortuos repræsentant peccatores, & quidem Lazarus iniquitatibus immersum, peccatis obduratum, & sceleribus fætidum, ut divinè attestatur
S. P. N. Aug. *Tertius mortuus est Lazarus, ge-* Aug. in Ioan.
nus mortis horrenda, & magna consuetudo appel-
latur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi con- tract. 49.
suetudinem facere. Qui peccat, & continuò corrigitur, citò reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudini. Qui autem peccare consueverit, sepultus est, & bene de illo dicitur, jam fœtet. Cur itaque eum non increpas? Cur non adhortaris, ut pravam peccandi deserat consuetudinem, & ad meliorem

vitæ transeat frugem? Cur ei efficaci divinâ tuâ doctrinâ non inculcas fugienda esse impiorum consortia, atque cunctas peccandi evitandas occasiones? Sed simpliciter ais: *Sinite eum abire?* Revoca quæso Domine abeuntem, quò enim curret, nisi ad stratam & cognitam malitiæ viam? Quò tendet, nisi ad consueta deliciarum atque voluptatum loca? non inquit Christus, nec mica talis subest discriminis: *Sinite eum abire.*

Pro plenaria jam tactæ difficultatis enodatione operæ pretium erit mysteriosum quemdam actum, quem sacra commemorat historia in mentem revocare.

Quarto regum cap. 5.

Naaman princeps militiæ regis Syriæ, jam à propheta Elisæo leprâ mundatus, ad Syriam reversurus, in gratiarum actionem ipsi munera quàm plurima obtulit, quibus ab illo constanter spretis, tandem hoc unicum expostulavit:

vers. 18.

Hoc solum est, ut depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ignoscat mihi Dominus pro hac re, qui dixit ei, vade in pace. De hoc tam prompto Elisæi in reditum consensu obstupescit Sanctus Hieronymus, exclamatque ad Prophetam, quid agis sanctissime vir? Ecce, jam tantùm recenter Naaman ad veri Dei cultum & fidem conversus, vix ceremoniis, ritu atque legibus Mosaicis imbutus est, & tam facilè ei in Syriam, regnum idolis refertum, ad aulam iniquitate idololatriæ depravatam reditum permittis? *Vade in pace.*

Hieron in hunc locum.

Sanè quàm maximè verendum est, ne pravo idololatrarum aulicorum exemplo ad pristinam assuetæ vitæ revertatur normam & in idololatriam reincidat. Si respondeas Elisæe, suam Naaman in fide satis superque promisisse constantiam:

vers. 17.

Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, nec victimam Diis alienis nisi Domino: Nec satisfacis. Nonne enim omnis planè peccandi rescindenda est occasio? Nonne pravorum consortium depravationis imminens est periculum? Hoc clarè attestatus est Ethnicus Philosophus Aristippus, qui indagantibus Græcis, quid in moribus observatu foret difficillimum, respondit: *Virum probum inter improbos probitatem servare.* Ergo debebas ipsi instanter

Eccl. 3. 27.

periculosum in Syriam dissuadere reditum. *Qui enim amat periculum, in illo peribit,* ait Sapiens. Deinde cur ad minus ipsi in fide perseverantiam non inculcas? Cur Scyllas & Charybdes, in quas facillimè impingere posset, non exponis? Sed sine ulla replica dicis, *vade in pace?* Hoc tam altum Elisæi silentium suo nequaquam caret mysterio, nec morali doctrinâ inquit Hieron. *In tam gravibus peccandi periculis ipsum non admonuit, sed simpliciter dixit, vade in pace, significans, nec quidem in præsenti periculo catechesi opus esse.*

Hieron. in hunc locum.

Sed cur ô Hieronyme? quid quæso fortitudinis? Quid contra cuncta discrimina in Naaman solidi Elisæus contemplatur subsidii? Ah respondet sanctus Doctor, ipse secum transportat arma virtutis. Attende, quid immediatè ante Naaman à Propheta expostularat: *Obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra.* Ecce nuper idololatra, nunc fidelis, secum defert terram & cinerem, id est vivam mortis imaginem, ac proinde reincidivæ non subest periculum. His enim virtutis armis cuncta invictus perfringeret obstacula.

Quod luculenter confirmat piissimus ille Rex Judæ Josias. Is namque zelotes veri Dei cultus, in idololatras Israelitas plurimum excandescens *contrivit*, inquit Scriptura, *statuas, & succidit lucos.*

Quarto regum 23. 14.

Sed ratus nec hoc fecisse sufficere, ut gentem hanc, tantopere falsorum deorum cultui addictam, à tam abominando & enormi crimine potenter avelleret.

vers. 16.

Replevit loca eorum ossibus mortuorum. Nec hic substitit Rex, sed, ut post subditur: *Conversus Iosias vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte, misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare:* Ut scilicet Israelitæ cineris & mortis reminiscentes illius terrore concuterentur, atque his potentibus armis idololatriam debellarent. Quia, ut ait Damianus: *Non est vitio diversorium in quo versatur mente sepulchrum.*

Ex hoc modo illucescit ratio, cur Christus mortuis resuscitatis nullam de sanctioris vitæ instituendæ normâ dederit admonitionem, ne quidem Lazaro, vivo indurati peccatoris exemplari: etenim edocti erant in schola mortis, de qua ait divinus Plato: *Summa Philosophia omnium sapientum est mortis meditatio.* Hinc Democritus Philosophus sepulchris continuò inhabitans testatur, sese plus in iis sapientiæ didicisse, quàm in cunctis totius Græciæ academiis. Instructione itaque Christi opus non erat, ideoque tantùm dicit: *Sinite eum abire.* Et rectè inquit Bern. *Non ad se redivivum hominem petit duci, sed liberam abeundi tradit facultatem: sinite eum abire; sciebat enim hominem mortis memoriâ septum non perditum iri.* Cui adstipulatur S. P. N. Aug. dicens. *Quia pro Domino loquebatur mortis memoria,* quæ potentissima contra cuncta peccata subministrat virtutis arma. Ita ut idem audeat dicere:

Nihil

Aug. lib. quæst. super, Iosue q. 9. *Nihil sic homines revocat à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Propheta Job sermonem instituens de peccatore in iniquitatibus obdurato, peccatis immerso, ac fallaci voluptatum ac illecebrarum fuco obcæcato, anxiè & cunctanter pro tàm intricato malo, & usque ad ossa serpenti veneno, salutiferum undequaque investigat remedium. Et sanè non immeritò, quia si credere fas sit Bernardo, vix ullum morbo tàm periculoso obviare potest antidotum. *Bern. lib. 1. de consideratione.* *Cor durum,* inquit, *ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis obduratur, flagellis non eruditur, & ut breviter cuncta horribilis mali complectar: ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Hinc ait divus Thomas à Villanova: *Sermone de Dominica septuagesima.* *Peccatores obstinati & obdurati non nisi miraculosè salvantur.* Audite Jobi verba: *Quis arguet coram eo viam ejus, & quæ fecit, quis reddet ei?* Ac si diceret, Ah bone Deus? Quis est iste, qui peccatorem ferreâ libidinum & sensualium delectationum catenâ arctissimè constrictum, piâ atque fraternâ correptione dissolvet? Quis est, qui penetranti verbi divini gladio cor, in iniquitate contumax, conscindet? Quis pectus petrâ ipsâ durius emolliet? Quis est, qui ei ausus erit peccati turpitudinem, simul & gravitatem ob oculos ponere? Quis est, qui eum precibus, blanditiis, minis, aut inferni horrore à pravâ consuetudine ad meliorem vitæ frugem reducet? Heu, Heu! Exclamat sapiens, frustrà, frustrà cuncta tentantur remedia: *Prov. 11.* *Quia,* inquit, *impius, cùm in profundum venerit peccatorum contemnit:* Scilicet Deum, ejusque leges, ut rectè annotat Liranus *contemnit supplicia, contemnit correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam,* Cujus genuinam rationem annectit Cæsarius: *De multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione, absque ulla reverentiâ, peccatorum frana laxantur.* Ac proinde similem peccatorem arguens, quàm optimè poterit cum Ezechiele exclamare: *Ezechielis 24. 12.* *Multo labore sudatum est, & non exivit de eâ nimia rubigo ejus, nec per ignem.* Nullum itaque ô Job? tàm exitiali animæ veneno medicinale adinveniri potest pharmacum? Nulla spes tali superest salutis? Imò, imò inquit restat, sed unica. *Iob. 21. 32.* *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Ille, ille vivâ mortis tandem resipiscet reminiscentiâ, qui neutiquam sanâ vivorum flecti poterat disciplinâ. Ille docebitur in scholâ sepulchri, qui academiam abhorrebat veri Dei. Ille evigilabit à peccatis in tenebris mortis, qui altâ lethargiâ laborabat in splendore virtutis. Ille qui aliis armis devinci nequit, facilè cinere, id est mortis memoriâ, succumbet. Undè auctor catenæ Græcæ suprà illud Job. *Ipse ad sepulchrum ducetur,* ait: *Si aliqua ratione hujusmodi* (scilicet peccatores obcæcati,) *ut ad sanam mentem redeant, adduci possint, maximè id efficiet mortis consideratio.*

Id ipsum non obscurè sanè demonstrat propheta David, dum ipse nimiam perscrutans depravati sui sæculi in peccando insolentiam, Dominum querulâ voce interpellat: *Vsquequò Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* Scilicet in sua iniquitate. *Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injustitiam.* An non vides, ô piissime & misericors Domine! Quod impii divinas tuas pessumdent leges, quod tua pedibus conculcent mandata? Ecce electam tuam plebem iniqui opprimunt: *Populum tuum Domine humiliaverunt:* Ecce manus eorum innocentium sanguine plenæ sunt: *Viduam, & advenam interfecerunt.* Imò eò processerunt proterviæ ac temeritatis, ut divinam tuam denegent providentiam: *Dixerunt non videbit Dominus.* *Psalm. 93. 3. 4. 5. 6. 7. 13.* Quousque Domine tantas exercebunt impietates? Quousque rursùs repeto, tua conculcabunt audacter mandata? Quousque suis inhærebunt pertinaciter nequitiis? Audite, quid respondeat propheta: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Ad quod divinè doctissimus Hugo: *Donec ingrediatur peccator sepulchrum, id est cogitet de morte.* Unde ait *Iob. 3. 17.* Job. *Ibi impii cessaverunt à tumultu.* Augustinus legit, *ibi deposuerunt impii furorem suum.* Bene itaque dicit sanctus Doctor, quod mortis recordatio sint arma virtutis.

Verùm modò, ne nimium prolixi simus (quamvis tamen id, non tantùm materiæ fæcunditas, sed quàm maximè excusare debeat utilitas) ad tertium & ultimum, contrà peccatum transeamus remedium. S.S.P.P. præter jam commemorata peccatorem inveteratum à consueta erroris via divertendi, & ad rectam, rationique & divinæ legi consentaneam vitæ normam alliciendi, indubitanter adstruunt exactam acerbissimæ Christi Domini passionis contemplationem. Audite pro multis horum coriphæum Augustinum: *ut à peccatis sanemur* inquit, *Christum crucifixum intueamur, quomodo enim, qui intuebantur serpentem æneum, non peribant morsibus serpentum; sic, qui intuentur fide Christi mortem, curantur morsibus peccatorum.* Verùm enimverò ausim dicere passio-

passionis memoriam morti victoriæ attribuere debere palmam.

Quod, ut ad oculum perspiciatis, mentem vestram mecum ad quoddam, suâ sanè nequaquam carens energiâ, sublevate mysterium. Annotate curiosè, quod omnia passionis instrumenta per diversas universi mundi plagas divinâ providentiâ sint dispersa. Etenim Romæ reperitur Christi Domini tunica inconsutilis, Innocentio octavo à Bajazete Turcarum Sultano in donum transmissa. Columna, cui Salvator mundi alligatus, diris flagris dilaniatus est, ibidem in ecclesia sanctæ Praxedis. Patisiis notabilis spineæ coronæ pars, quæ sanctissimum Christi caput crudeliter terebravit. Mediolani clavus, qui sacratissimos illius pedes aut manus severè perforavit: item & Trevitis. Crux autem, in qua Dominus tribus horis pro mundi salute pependit, & moriens chirographum primorum parentum peccati delevit, in varias partes divisa, per quàmplurima terræ loca distributa est. Et discurre de cæteris; idque indubiè eo fine, ut Christi fideles horum instrumentorum intuitu acerbissimarum, quas innocens Christus æterni Patris unigenitus filius pro homine, reo & peccatore voluntariè pertulit, pœnarum memores, debito gratitudinis ad illius amorem allicerentur, & ab eo, de novo peccatis suis multò crudelius crucifigendo, deterrerentur. Verùm quod hic animadversione dignum est, quod pius Dominus Turcis, infidelibus & Idololatris tumulum, in quo sacrosanctum ejus Corpus reconditum fuit, tanquam testamentum reliquerit. Meritò enim quisquam justas de hoc deponere posset querelas, atque ad eum exclamare, ô pie Jesu! cur Barbaros & inimicos tàm pretioso ditas, & fideles & amicos tuos privas thesauro? cur monumentum tuum, cui (ut arbitrantur quàmplurimi S. S. P P.) totius corporis tui vestigia visibilia impressisti, Christianis non concedis, ut salutari tanti redemptionis mysterii reminiscentiâ ex ejus conspectu reviviscente, ad pietatem commoti, sese totaliter divino devoveant obsequio.

Nec dicat aliquis, id nequaquàm mirum fore; cum enim sepulchrum Christi, utpote lapidibus excisum non exiguæ foret machinæ, non tàm facilè, ut alia passionis instrumenta, transportari poterat. Id namque mihi nullatenus satisfacit. Poterat enim omnipotens Dominus divinâ sua virtute illud ad quemdam Christianitatis locum deferre: sicut per Angelos Sacrosanctam illam domunculam, in qua Verbum caro factum est Loretæ collocari demandavit. Poterat inquam, ut palatii iniqui judicis Pilati gradus, è quibus scala Sancta, quam usque in hunc diem genibus flexis summa cum veneratione Romæ Christiani ascendunt, erecta est, transtulit: Sepulchrum quoque Romam transportare. Quare itaque tantum Ecclesiæ electæ suæ sponsæ denegavit ornamentum? Profectò hoc suo neutiquàm carere autumo mysterio.

Ad quod penetrandum, operæ pretium est meminisci certæ medicorum methodi, quâ in infirmis curandis utuntur. Eorum Coriphæus & Princeps Hypocrates præcipit, sedulò attendendam esse morbi gravitatem, qualitatem, durationem, pulsum, infirmi constitutionem &c. Unde inquit, si pulsus levem indicet infirmitatem, levia, si verò gravem & radicatam, efficaciora adhibenda sunt medicamina. Verùm, si febris in tantùm ingravescat, ut suo ardore omne humidum radicale fermè absumpserit, miserque ægrotus ad summam, & extremam redactus sit necessitatem, imò vix ulla supersit spes salutis, extremis remediis opus est, juxtà vulgare axioma: *extremis extrema remedia adhibenda sunt.* Haud aliter divinus & cælestis ille Medicus Christus suos, in mundo versantes, spiritualiter curat infirmos. Penetranti suo intuitu cunctas totius universi perlustrat regiones, variosque comperit languidos & ægrotos. Accedit Christianos & catholicos, pulsum tangit, & ecce in iis reperit plurima futuræ convalescentiæ indicia, scilicet veram Christi fidem, spem, aliquasque adhuc charitatis scintillas, ideoque ipsis leviter infirmis levia suppeditat medicamenta, ipsisque aliquod pium passionis suæ ob oculos statuit instrumentum, ut ejus conspectu ad Deum per veram pœnitentiam convertantur, sicque à noxio animæ languore totaliter liberentur. Verùm ubi extremam Ethnicorum, idololatrarum Turcarum conspicit infirmitatem, & in iis non reperit pulsum fidei, sed cuncta, imminentis æternæ mortis intuetur signa, videtur mihi exclamare cum Hypocrate, *extremis extrema remedia adhibenda sunt.* Sed quodnam extremum pro tàm radicato malo remedium? Ah nullum, nisi eorum oculis exponere Christi Domini sepulchrum teste Bernardo: *inter Sancta ac desiderabilia passionis Domini motiva, sepulchrum tenet quodammodo Principatum, & devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requiescit, quam ubi vivus con-*

conversatus est: & subdit, *quia amplius movet ad pietatem mortis, quam vita recordatio.* Hinc est, quòd pius Dominus sepulchrum suum infidelibus reliquerit, quia illud secum apportat arma virtutis contrà idololatriam perquàm efficacia. Quod succinctè comprobat Propheta David: *reminiscentur* nimirùm mortis, *& convertentur ad Dominum omnes fines terræ.* Psalm. 21. vers. 28.

Magni apud fabulosos Poëtas æstimata fuit commentitia illa ardens teda, qua hydram lernæam septem capitum post grave & periculosum prælium devicit Hercules. Nec minoris habita fuit Orphæi insignis musici lira ipsi à Patre Apolline (ut effingunt veteres) in dotem tradita, qua saxa & inanimata suo sono atque harmoniaco concentu ad se trahebat. Plurimùm quoque ab iis celebratus fuit Neptuni Oceani Domini tridens, quo intumescentes maris undas pro suo libitu compescebat. Verùm enimverò ausim dicere, cedant hæc fictitia fabulantium arma veris Christianorum virtutis armis, scilicet mortis memoriæ; etenim hac tanquam Neptuni tridente turgidi irascibilis concupiscentiæ motus refrænantur. Hac tanquàm Orphæi lira saxea obduratorum peccatorum corda ad Deum efficaciter trahuntur. Hac, non ut Herculis teda, sed ad instar acutæ falcis, infernalis Hydræ, peccati inquam septem capita demetuntur, & septem peccata capitalia penitus devincuntur. Quod, ut luculentius appareat, perplacet per singula breviter discurrere.

Et ecce primum in arenam descendit tanquam omnium Princeps & coriphæus, imò & origo malorum superbia teste Sapiente: *initium omnis peccati est superbia.* Videamus itaque an infestum hoc Hydræ peccati caput mortis falce non rescindatur. Narratur in sacra Historia, quòd Saul, cùm ad deperditas asinas quærendas a Patre suo Cis missus erat, postquàm plurimos agros & prata perambulasset, inciderit in manus Prophetæ Samuelis, qui divino instinctu illum in Regem Israël unxit: *tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum, & ait illi: ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem & liberabis populum suum de manibus inimicorum suorum.* Verùm, Saule tantâ rei novitate perculso, & obstupefacto, tantæque omnimodè diffidente fortunæ, in luculentum veritatis testimonium subjunxit: *Et hoc tibi signum, quia unxit te Dominus in Principem: cùm abieris à me, invenies duos viros juxtà sepulchrum Rachel in finibus Benjamim, dicentque tibi, inventa sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas.* Saul fortunato nuntio gavisus, velociter ad Rachaelis tendit sepulchrũ, & invento, ut Propheta prædixerat signo, ecce (quod stupendum) ipse sese abscondit, volens humeris suis tàm fastuosum ac superbum discutere statum. Ut patet ex *vers.* 21. *Quæsierunt ergò eum, & non est inventus, ecce absconditus est domi.* Sed undè tanta Sauli regni administrandi incussa formido? Undè tanta dominandi aversio? Ah Christiani, Saul fœtidum inspexerat Rachaelis sepulchrum, intuitus fuerat vilia ejus cadaveris ossa, consideraverat attentâ mente pulcherrimum illud corpus redactum in tetrum cinerem: sicque secum ratiocinabatur. Ergò ista est Rachel, cujus pulchritudo tanta fuit, & aspectus tàm amabilis, ut 14. annorum promeruerit servitutem? Ubi modò faciei decor? ubi vultus venustas? ubi columbini illi oculi? Ubi corallinus labiorum color? Ubi tuæ modò, ô Rachel! divitiæ? Ah quid hoc? Hiccine est finis pulchritudinis, divitiarum & potestatis? Hiccine est omnis carnis Epilogus? Apage regnum, apage sceptrum & corona: cuncta mihi superba vilescunt, dum mortis memor, induor armis humilitatis. Audite, quàm divinè id explicet Doctissimus Hugo: *Quid mirum? si ad Rachaelis intuitum sepulchri, omnis dignitatis fastum depresserit Saul, cum nulla sit humanæ mentis excogitatio sic per superbiam elata, quæ ad mortis recordationem non devicta funditus evanescat.* Et ob hanc rationem, inquit Mendoza, Samuel Saulem ad sepulchrum mittit, *coronam tibi obtuli, ad sepulchrum perge, cui te fastus regius non eripiet, sed includet.*

Eccl. c. 10. vers. 15.

I. Regum cap. 10. v. 1. 2.

vers. 21.

vers. 22.

Et hinc est, quod ii facillimè in superbiam labantur, in quorum mente non versatur sepulchrum. *Quia non est* inquit Psalmista, *respectus morti eorum: ideo tenuit eos superbia.* Imò & ulterius malum illud serpit, intimusque cancer ille corrodit: *Operti sunt iniquitate, & impietate suâ.* Vade itaque ô superbe, ad sepulchrum, qui gloria intumescens teipsum non capis, qui arrecto collo ad instar pavonis altitudinis tuæ plumas considerans, inflaris: respice tumulum, & ut pavo pedes intuitus, plumas, sic tu omnem fastum facilè dimittes, Vade, vade, ô ambitiose! ad sepulchrum, qui per fas & nefas ad altiorem insatiabiliter continuò ascendere conaris dignitatis gradum, qui nullius satagis, nisi tui ipsius elationis: hîc inquit Job, *confringes tumentes fluctus tuos.* Itote, itote ô superbæ & vanæ mulieres! quæ fucatâ faciei pulchritudine, vultus lepore, inani linguæ eloquentia inflatæ, præsumptioneque turgentes execrabili, vos

Psal. 72. vers. 4.

c. 38. v. 11.

vos quasi deas terrestres arbitramini, ad sepulchrum. Sequamini vos invitantem sanctum Chrysostomum divinis hisce verbis: *Egrediamur ad sepulchra obsecro & videamus mysteria, videamus dilapsam naturam, ossa corrosa, corpora putrefacta. Considera ibi quis sapiens, quis prudens, quis illic Rex, & quis privatus? ubi pulchritudo adolescentiæ, ubi gratiosus ille aspectus? ubi oculi speciosi? ubi elegans nasus! ubi flagrantia labia? nonne omnia pulvis? omnia vermis, nonne omnia putredo & fætor?*

Rem prima fronte satis miram ad præsens institutum non incongruam dicit sapiens, loquens de
Eccl.c.49. vers.18. Patriarcha Joseph: *Ossa illius visitata sunt, & post mortem Prophetaverunt.* Verùm quomodò? ubi enim Prophetiæ? ubi Prognosticationes? quid ossa Joseph Prophetisant? quid Prognosticant? ah vultis scire ô Christiani quid? superbe ingentem tuam dementiam, dum nimio fastu inflatis: vanam tuam irrident ambitionem, inanem tuam explodunt gloriam. Tuam ô fæmina, contemnunt venustatem, qua tu te beatam & felicem autumas. Illa tuas ô dives, floccipendunt divitias, quibus tantopere inhias: dum ostendit nil superesse, nisi putredinem & fætorem. Visita itaque ô homo, mortuorum ossa, & hæc tibi prophetabunt omne quod in mundo est, nil fore, nisi meram vanitatem.

Verùm ulterius ostendamus memoriam mortis potentissima esse humilitatis arma, acutissimamque falcem, quâ superbiæ caput, infestæ Hydræ id est peccato, præscinditur. Pro quo minimè prætereunda est subtilis quædam & ingeniosa divi Chrysologi speculatio. Is namque maturè ponderans ingentem diaboli arrogantiam, ruinæ illius scaturiginem, signanter duo, diametraliter quasi opposita, advertit sacræ scripturæ loca: unum diabolum superbum, alterum humilem repræsentantem Matth. cap. 4. illius intolerabilem commemorat insolentiam atque elationem, dum à proprio
vers. 8. creatore in deserto exigit adorari dicens: *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Totum contrarium in regione Gerasenorum contigisse narrat Evangelista Marc. cap. 5. ubi dæmoniacus Jesu
vers. 6. obviam cucurrit eum adoraturus: *videns autem Iesum à longè cucurrit, & adoravit eum.* De hoc sum-
Chrysol Ierem. 17. mopere admiratus Chrysol. exclamat: *Quid est diabole, quem trinâ tentatione provocabas ad lapsum, quem promissione regni, ut te adoraret subdolus ambiebas, nunc tremens & miserandus prolaberis & adoras?* quæ est ista tam subitanea metamorphosis? undè tanta humilitatis indicia? ah rationem rectè
vers. 5. allegat Evangelista: *semper die & nocte in monumentis erat.* Ad quod pergit Chrysologus: *ecce, qui honores omnes regni promittebat & gloriæ fætidis corruptione cadaverum reperitur in tumulis:* & mortis memor, qui superbia intumescebat, humiliter sese antè Domini pedes prostravit. Tanta itaque concludo, tàmque efficacia hujus recordationis sunt arma, ut diabolus ipse (si inflexibilem modò ad malum non haberet voluntatem) iis suam superbiam debellaret.

Hoc ipsum non obscurè enituit in obdurato Ægypti rege Pharaone. Etenim hic, tot tantisque à Moyse Israelitarum duce ostensis prodigiis, admonitus, tot plagis compulsus, ut populum Israeliticum de Domini mandato liberum dimitteret, unico & vero Deo in deserto sacrificaturum, insolenti fastu turgidus Moysi dicenti: *hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto:* respondebat, *quis iste Do-* *Ex. cap. 5. v.1. v.2.*
minus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? nescio Dominum & Israel non dimittam. Cui sententiæ tàm immobiliter inhæsit, ut nullatenus ab ea divelli potuerit. Sed quis obsecro ille Hercules, qui induratum Pharaonis animum confregit? Ah! non nisi mortis intuitus. Etenim, cum ipse omnium primogenitorum inspexisset internecionem (ut testatur Scriptura: *factum est autem in noctis medio percussit Deus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere*) hujus horrore perterritus tandem resipuit, *surrexit nocte & omnes servi ejus cunctaque Ægyptus: non enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.* Dixitque ad Moysen & Aaron: *surgite* *Exod.c.12. v. 31.*
egredimini à populo meo vos & filii Israel. Ite immolate Domino sicut scitis. Ecce Deus ipse superbum & elatum Pharaonem, quem tot portentis & miraculis vincere non potuit, morte devicit, ô Mors vera humilitatis arma.

Refertur à Celeberrimo Historiographo Herodoto, quemdam Philosophum Alexandro Magno pretiosum obtulisse lapidem tanti ponderis, quantumvis foret parvus, ut in bilance positus, quodcumque pondus, non tantùm adæquaret, verum etiam superaret. Ast, si ei pusillum duntaxat cineris superponebatur, pluma ipsa reddebatur levior. Quo viso, Alexander cunctos totius imperii sui convocari jussit Philosophos, ut ab iis sciscitaretur, quid hoc naturæ portentum innueret; inter quos quidam audacter respondit; *hic lapis cor tuum est, ô Alexander: tanti ponderis, ut unico mundo satiari nequeat. Sed si illud pulvere paulisper conspersum*

consergeres, atque de morte cogitares, à tanta ambitione desisteres. Hoc ipsum ô superbe? tibi, quod Alexandro meritò imprudens ille Philosophus [illegible] elatum nutris, properari potest. Ecquid enim cor elatum nutris, tantoque ambitionis aggravas onere, ut nullo dignitatis ac eminentiæ gradu quiescat, sed cõtinuò ad Herculeas honoris & fastus anhelet columnas, clametque adinstar alterius Caroli Quinti *plus ultra?* sed obsecro illud cinere asperge, sequere Agatoclem figuli filium, qui Rex creatus in mensa indies aureis & argenteis vasis fictilia commisceri demandavit, ne pristini status, suæque originis immemor, regia dignitate superbiret; tu namque homo verè filius figuli es, ut attestatur Propheta Job: *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* Et rursus: *memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Reminiscere itaque in omni planè occasione peccandi, ut Agatocles, conditionis & status tui, *memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quia hic tibi solida & insuperabilia suppeditat humilitatis arma. Hinc Lacedæmoniorum Rex Pausanias gloria & superbia tumidus à Simonide Philosopho petiit, ut ab eo salutare ac præclarum quoddam dogma edoceretur, quo probam vitam institueret, rectosque mores componeret. Qui categoricè & absque ullis ambagibus respondit: *Cogita te moriturum.* Solon Alexandri fastum, atque animi elationem refrænaturus, aureis litteris Templi Delphici foribus hanc insculpi jussit sententiam: *nosce te ipsum Alexander.* Ac si diceret, ô invictissime Monarcha! De tot tantisque raris de hostibus reportatis victoriis tantopere gloriaris, de tam ampla imperii tui te jactitas dilatatione, hæc profectò vana sunt, caduca & peritura, sed *nosce te ipsum.* Perpende quid sis, & altum facillimè dimittes fastum.

Iob cap 10. v. 8. & 9.

Illam ipsam Solonis sententiam, ô Christiane? Non Templi Delphici frontispicio, verùm intimis cordis tui penetralibus impressam vellem, *nosce te ipsum,* desiderarémque, ut indies te ipsum interrogares, quid es? quod tam socorditer negligas. Liceat mihi petere, ô homo quid es? hic mihi respondet Rex sum Potentissimus, iste, Princeps exemptus, nulliusque jurisdictioni subditus: ille potens divitiis, alter in supremo dignitatis gradu constitutus. Hæc fæmina respondet, ego pulchra sum, alia, ego nobilissima familia oriunda, & sic de cæteris. O Insane homuncio? nil planè ad quæsitum respondes. Non peto quis aut qualis sis, non tuas indago qualitates, sed tuam rogo quidditatem & essentiam, quid es?

Pro hac enodanda quæstione veteres effinxêre Poëtæ Minervam cunctas congregari jussisse scientias, ut quid homo esset definerent. Dialectica respondit, *homo est breve quoddam enthymema: etenim pro antecedenti habet ortum, & pro consequenti occasum.* Astrologia, *homo est mutabilis ut luna,* quæ sola inter omnes planetas crescit & decrescit. Physica, *homo est compositum Constans animâ rationali & corpore.* Logica *homo est animal rationale.* Tandem Mathematica suum quoque protulit judicium: *homo est quasi figura Sphærica, cui mox Minerva victoriæ palmam adscripsit;* quia sicut hæc in idem, in quo incepit, punctum definit; ita homo esse suum è terra recipiens: *formavit Deus hominem de limo terræ,* tandem in terram desinit, quia pulvis est & in pulverem convertetur. Dum itaque ô homo? à te petitur, quid es? quidditativè respondere oportet: cinis & pulvis sum, & non qualitativè: qualitates enim dumtaxat accidentia sunt à subjecto facilè removibilia, nec hominem ab homine essentialiter diversificant. Docent Thomistæ in corruptione naturali fieri resolutionem usque ad materiam primam, omniaque prorsus accidentia, quæ in composito præexstiterant penitus destrui (quidquid sit de hac Physica quæstione, istiusque opinionis veritate, de qua hic institutum non est disputare) verè in hominis corruptione moraliter assero fieri resolutionem usque ad materiam primam. Omnes enim divitiæ, honores, pulchritudo, nobilitas, fortitudo, staturæ proceritas, scientia, doctrina &c. evanescunt, & in fumum abeunt & sola restat materia, cunctis tàm principibus, magnatibus & nobilibus, quàm plebæis similis, utpote ejusdem planè speciei, & non nisi individuatione, quæ nullam essentiæ confert perfectionem, ab invicem diversificata. Hinc subtile quoddam ingenium à socio, dum simul cæmeterium pertransirent, instanter rogatum, ut illi acutum Epitaphium inscriberet, dixit, *mors inæqualium æqualitas.* O pulchrum dictum: paucisque plura complectens! verè mors *inæqualium æqualitas.* Ipsa enim divitem & pauperem, nobilem & ignobilem, doctum & indoctum, Dominum & servum efficit omninò æquales. Unde Diogenes dum hominum cranea in cæmeterio commensuraretur, interrogatus, quid hoc prætenderet, respondit, indago quis hic fuerit dives vel pauper, nobilis vel ignobilis, plebæus vel Princeps. Cui alter: frustrà laboras Dio-

Gen. c. 2. vers. 7.

genes, mors namque cunctos pares & similes efficit. Hoc perpende ô homo! hoc cogita ô dives! ô ambitiose! & non tàm facilè pauperem & humilem spernes, ubi te cunctis parem brevi futurum prævideris.

Nec illam profectò horum armorum virtutem ignoravit cæca gentilitas. Etenim ethnici sedulò mortis imaginem populi oculis exponebant, ut hac deterritus ad rectam vitæ rationem instituendam compelleretur. Hinc famosus ille Lacedæmoniorum legislator Lycurgus, ut nobis attestatur Doctissimus Plutarchus, lege sanxierat, ut mortuorum cæmeterium in media civitate exstrueretur, ut mortis memoria civibus, eam obambulantibus inculcaretur. Ideòque, ut commemorat Aug. pagani & infideles quàmplurimi sepulchra juxtà urbium portas constituebant. *Ut egredientes & ingredientes,* inquit, *mortis admonerentur, & sic ad Deos converterentur.* Cui concinnè adstipulatur Chrysostomus: *ut tibi jugis sit memoria mortis, antè civitatis ingressum sepulchra vides, ut priusquam amplitudinem & divitias civitatis consideres, agnoscas omnium illarum finem.* Imò & idem Lycurgus, teste rursus Plut: juxtà deorum aras mortuos sepeliri mandarat, ut templa intrantibus mortis memoria refricaretur. Hinc Persæ, ut narrat Herodotus, defunctos domi sepeliebant, ut superstites sortis suæ indesinenter redderentur memores. Idcircò & apud priscos Romanos (ut testatur Alex. ab Alex.) invaluit consuetudo mortuos in domibus suis sepeliendi: *quum à prima origine intrà suas quisque ædes defossa cadavera haberet. Unde Lares in singulis ædibus colendi religio pervasit.* Ob eandem rationem Turcarum Sultanus in defuncti parentis locum succedens, antequam sceptro & coronâ insigniretur, tenebatur cum tota aula sepulchrum Job, quod est Constantinopoli, visitare, ut ex illius intuitu novæ gloriæ & fastus elatio, non tantum diminueretur, sed & totaliter exstingueretur. Apud Romanos etiam laudabilis vigebat consuetudo, nimirum ut currui triumphantis præco insideret, qui illius gloriæ tumorem depressurus, sæpe sæpius ei hæc verba intonaret: *respice ad eos, qui te præcesserunt, & memento te esse moriturum.* Quin imò de Romanis asserit Claudius Paradinus, eos juxtà triumphantem artificiosum statuisse sculptorem, diversos manibus imperatori coronato ostentantem lapides, qui ei continuò in auribus hæc verba inflaret: *elige, ô imperator ex his saxis, ex quibus ipse tibi tumulum à me fabricari velis.* Sibi enim ipsis firmissimè persuadebant, ut alter Damianus: *quod non esset vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum.* Unde concludit universaliter hic Doctor: *si superbia inflat, sepulchrum ad mentem redeat: necessariò illic rigidæ cervicis tumorem premimus.* Mors itaque arma virtutis. Memento ergò homo, quia pulvis es.

Plut. in Apoph.

Aug. serm. ad Fratres in eremo.

Chrys. to. 3. homilia ult. de spiritu sancto.

De Scytis veteres commemorant Historiæ, quod dum cruentum quoddam prælium cum Dario committerent, adeò fuerint consternati, ut usque ad extremum Asiæ confugerint & cum à Darii militibus, eos celeriter insectantibus, interrogarentur, ubi tandem subsisterent, bellumque viriliter resumerent? responderunt: *se neq; urbes, neque agros, pro quibus dimicent, habere. Cæterum, cum ad parentum suorum monumentum pervenerint, scituros demùm, quo modo Scytæ præliari consuevissent.* Si itaque Scytæ, ut vires novas præliandi reciperent, ad mortuorum suorum sepulchra pergebant, sic & nos, cum contrà diabolum infestissimum humani generis hostem dimicamus ad defunctorum tendamus monumenta, non tantùm novas vires à memoria mortis, verùm etiam invincibilia virtutis arma indubiè mutuaturi.

Horum efficaciæ non ignarus dæmon, omnem planè conatum adhibet, omnique utitur industriâ, ut tetrum mortis spectrum hominum oculis subducat. Ecce Adamo ligni scientiæ boni & mali fructus sub pœna mortis vetatur, mox ipse sese opponit, fallacesque ei persuadet fore minas: *nequaquam moriemini:* imò non tantùm longævam ipsi vitam, verùm etiam Deo propriam pollicetur divinitatem: *eritis sicut dii.* Hinc Græcis cadavera mortuorum comburere, & cineres in aërem spargere persuasit. Item & Ægyptios instigavit, ut procul & remotè ab urbe defunctos inhumarent, ne mortis recordatione vitiis abstinerent. Undè commune inoluit adagium: *oblivioni traditus sum, quasi unus ex mortuis Ægyptiis.* Si ergò Christus horribilem mortis hominum oculis, tanquàm fortissima arma opponat imaginem, juxtà Habac: *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Sed ubi? sequitur, *ante faciem ejus ibit mors:* confestim eam dœmon conatur occultare. Subdit enim scriptura; *& egredietur diabolus ante pedes ejus.* Sed nec hìc subsistit, sed *stetit,* & brachia pedesque, ne mors conspiciatur, undequàque extendit: *& mensus est terram.*

Gen. c. 3. vers. 4. vers. 5.

Ad hoc ipsum solidè confirmandum non adeò absonum est in memoriam revocare sacram, quam Scriptura nobis primo Regum narrat, historiam. Ge-

Hab. c. 3. v. 4. & 5.

Gethæi, captâ Arcâ Israël, sentientes nimiùm manus Domini & veri Israelitarum Dei duritiem, uti
c.5. v.7. & viri Azotii, qui palam dixerunt: *non maneat Ar-*
1. Regum *ca Dei Israel super nos: quoniam dura est manus*
c.5. v.9. *ejus super nos.* De consilio seniorum: *circumduxerunt Arcam Dei Israel.* Sed adverte quid accidérit. *Illis autem circumducentibus eam, fiebant manus Domini per singulas civitates interfectionis magna nimis.* Hoc portento & insolito prodigio timore atterriti Acamoritæ, Arcam Domini Dei Israel à se dimittere decreverunt. Modum autem
c. 6. v.10. peculiariter annotat textus cap. 6. *Fecerunt ergo illi*
& 12. *hoc modo: & tollentes duas vaccas quæ habebant vitulos, junxerunt ad plaustrum.* Hunc Scripturæ locum attentè ponderans Origenes, duo præcipuè notatu reperit digna. Primum, quod vaccæ, quamvis vitulos haberent lactantes, jugum plaustri, cui Arca Domini imposita erat, absque notabili mugitu contra naturalem instinctum subierint. Et secundum: *ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Betsames. Et itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes: & non declinaverunt ad dexteram, neque ad sinistram.* Et is hoc maximè admiratur. Quis enim inquit, vaccarum in viam incognitam & neutiquam assuetam ad Israelitas exstitit director, ita ut, ne quidem declinarint ad dexteram aut sinistram? & respondet, id dæmonem ipsum effecisse, hocque, ut terror mortis ab illis idololatris removeretur. Ait enim Scriptura: *& fiebat pavor mor-*
cap.5. v.12 *tis in singulis urbibus:* Audite præfati Doctoris verba: *quis ergò in his, si diligenter inspiciat de vaccarum in directum conductione, non credit diabolicâ operatione quâdam ministratum.* Verebantur enim infernales spiritus, ne gentiles illi mortis spectaculo ad veri Dei cultum converterentur.

Duo itaque sunt animarum nostrarum venatores, Christus & diabolus: ille retia mortis, hic illius oblivionis tendit laqueum. Ille clamat per ecclesiam sponsam suam: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris:* hic, *nequaquam moriemini.* Indiesque in voluptatibus atque mundi illecebris juventutem, imò & senectutem fovens, plurimos fallaciter pollicetur annos. Ille in militia Christiana mortis erigit vexillum, hic in mundana Epicuræa schola insigne quasi permansuræ exponit voluptatis trophæum. Sed heu! an plures asseclas habet Christus, an diabolus? Litem hanc dirimet succin-
Eucher. in ctis verbis sanctus Eucherius: *quid istud, quæ-*
Epist. par. *so? Quid istud est? nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem.* Casus sanè, quia periculosus, deplorabilis. Ubi namque valida à quopiam abjiciuntur virtutis arma, nonne is facilè succumbet viribus erroris? ô Christiane resipisce, mente revolve exitum vitæ tuæ, & attende ad hodiernum, quod mater tua Ecclesia tibi hodierno die proponit, documentum: *memento homo quia pulvis es.*

Nunc satis fusè de primario Hydræ capite, nimirum superbia actum est. Tempus est, ut ad secundum, scilicet avaritiam transeamus, vitiorum sentinam, legum subvertricem, omnis mali fontem, justitiæ pessumdatricem, cujus insigne elogium Sapiens exprimit his verbis: *avaro autem* Eccl. c.10.
nihil est scelestius. Nonne & de hac indubitatam verf. 9.
mors reportat victoriam? ad hoc mecum ô audi- Exod. c.12.
tores! curiosè annotate, quod narratur Exodi cap. 12. Ægyptii nimio, ob universalem primogenitorum ab homine usque ad jumenta stragem, pavore perculsi, Israelitas ad iter quantocius assumendum instigarunt. *Urgebantque Ægyptii po-* verf. 33.
pulum de terra exire velociter, dicentes: omnes moriemur. Verùm quod hîc nullatenus alto premendum est silentio, antequam ex Ægypto discederent: *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & au-* verf. 36.
rea vestemque plurimam: quæ sine ulla prorsus contradictione iis commodarunt. De hoc facto Abul.
summopere obstupefactus doctissimus Abulen- quæst. 21.
sis, inquirit rationem, cur Ægyptii, jam Israeli- Exod.
tas recedere cernentes, mutuata vasa aurea & argentea non repetierint, quos tamen execrando habebant odio. Sed è contra divitiarum suarum immemores, illos ad celeriter pergendum impulerint? advertit hic Deum per Angelum præcedenti nocte cuncta per totam Ægyptum primogenita occidisse: *Nec erat domus, in qua non jaceret* verf. 30.
mortuus. Nil itaque mirum, si horrendo mortis spectro deterriti thesauros suos floccipenderint. Audite Abulensem: *filiorum dolore, & propria mortis timore Ægyptii tenebantur, ut videntes Hebræos cum vasis aureis & argenteis, & vestibus recedentes, eos tenere non curarint, sed potiùs ipsi eos ad velociter fugiendum incitarunt, dicentes: omnes moriemur.* Unde bene S. Eugenius aureæ inscribens Eug. ho-
Damiani sententiæ dicenti: *non est vitio* (& sic nec mil. in E-
avaritiæ) *diversorium, in quo versatur mente sepul-* vang.
chrum, ait, *facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum.*

Pulchram hujus habemus confirmationem ex cap. 13. & 23. Gen. in primo loco Deus Abrahæ infinitas quasi promittit divitias, amplam-

que

c.13.v 14. que agrorum possessionem: *Leva oculos tuos, & c.23.v 4. vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & meri- Gen.c.13. diem, ad orientem & occidentem, omnem terram, vers. 14. quam conspicis tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum.* In secundo vero, immemor omnium bonorum ac possessionum, ait Abraham: *Advena* Gen.c.23. *sum & peregrinus.* Vatablus loco *advena*, legit: *pau-* vers. 4. *per sum, & peregrinus.* Imò cap. 22. facta est repromissio tam promptæ Abrahæ obedientiæ in unigenito Deo offerendo, *benedicentur in semine tuo* Gen.c.22. *omnes gentes terræ.* Sed quid dicis ô Abraham? ecce vers. 18. tot bonis temporalibus, tamque amplo, a Domino dotatis dominio, & tu te advenam, pauperem, & egenum deprædicas? hujus mysterii enodatio claGen.c.23. rissimè ex ipso eruitur textu Gen. cap. 23. *Venitque* v.3.v.4. *Abraham, ut plangeret, & fleret eam* (scilicet Saram) *cumque surrexisset de officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: advena sum & peregrinus.* Ecce Abraham maturè in dilecta sua uxore Sara formidabilem mortis contemplatus fuerat effigiem, cujus intuitu commotus, detestans cunctas mundi divitias, cunctas agrorum perituras possessiones vilipendere ingenuè edoctus, signanter exclamavit, *advena sum & peregrinus.*

O infames usurarii! ô injusti alienorum bonorum possessores! si vos injustum nimium lucrum, & iniquum in prata & villas Dominium juxtà mortis constitueretis imaginem, quid in ea intueremini, nisi peregrini & advenæ vitam? quid ibi addisceretis, nisi filios vestros exaltando, atque per fas & nefas ditando, advenas relinquere in periculo, vos autem ipsos incolas æterno dedicare barathro? de quo divinissimè Salvianus, *ô infelix! quid curas de filio superstite, & teipsum in æternitate negligis? Cur tibi potiùs, quàm filiis, non succuris? Cur animam tuam perdis, ut terram & lutum lucreris? cogitas quàm bene alii post te vivant; non cogitas, quàm male ipse moriaris. Immoderata relicta filiis facultas, parentum est perpetua mendicitas. Ac per hoc nulli parentibus magis noxii, quam filii nimis amati. Dum illi patriis bonis affluunt, parentes sempiternè cruciantur. Propinqua vestra pignora esse vobis, & conjunctissima certum est, Sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo conjunctior, quàm vos ipsi. Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros, sed tantùm secundo gradu à vobis. Ita illos diligite, ut vos ipsos odisse vereamini:* Hanc hanc ô Christiani, non imitatores pauperis Christi, sed divitis epulonis sequaces avari, intimis vestris penetralibus imprimite sententiam, & indubiè clamabitis cum patriarcha Abraham *advena sum,* & non nisi, in hoc mundo *peregrinus,* sequamini itaque numquam satis laudatum Publii Fabii factum, de quo narrat famosissimus Historiographus Plut. Illum, devicto hoste, urbem Roma- *Plut. in* nam ingressurum, commandasse, ut undequaque *Fabio.* currui suo triumphali ardentes imponerentur candelæ, rogatumque, cur insolita præ aliis triumphatoribus uteretur ceremonia, respondisse: *ut morte* (nimirum candelarum conspiciendo exstinctionem) *mortem in memoriam revocem.* Et hic quidem erat idololatra. Quid ergò agemus Christiani, de quorum vita, ad Fabii actum alludens, pulchrè disserit Alexandrinus: *Quemadmodum statuæ ceræ ad ignem paulatim defluunt, & deficiunt: sic & consumitur vita nostra.*

Nunc urget nos ad tertium Lernæi serpentis caput præsens transgredi institutum, scilicet iram; contra quam profectò nec difficilius invictam mortis memoriæ ostendere possumus victoriam. Cujus evidentem Patriarcha Joseph subministrat probam. De quo sacra commemorat Historia, quod fratres suos, qui in Ægyptum frumentum empturi venerant, barbaræ reminiscens venditionis, & tam exiguæ fraternæ charitatis, durius tractarit Gen. cap. 24. *Quasi ad alie-* Gen.c.42. *nos durius loquebatur, interrogans eos: unde veni-* vers. 7. *stis?* cumque respondèrent, sese ex annonæ penuria alimentum quærere, rursus torvis oculis, & mordaci lingua replicuit: *Exploratores estis: ut* vers. 9. *videatis infirmiora terræ venistis.* Verumtamen attendite, & audite, quomodo tantillus illius in fumum abierit furor. Ah! intellecto, quamvis, non tantùm incerto, sed etiam falso de propria morte rumore, *minimus cum patre est, alius non* vers.13. *est super, qui in senectute illius natus est, cujus uterinus Frater mortuus est.* Et verbis Ruben audi- vers. 22. tis: *Numquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum: & non audivistis me? en sanguis ejus exquiritur.* Dicit sacer textus, *avertitque se parumper,* vers. 24. *& flevit.* Imò tandem apertè se declarans exclamavit: *Ego sum Frater vester, quem vendidistis in Æ-* Gen.c.45. *gyptum. Nolite pavere.* Ac si diceret: cedat ira, vers. 4. abigatur furor, & pavor mortis pariter vestrum adimat pavorem. Sic succinctè hoc explicat Philo Judæus: *Audiens Iudam Fratrem suum de se loquentem, tamquam de mortuo, statim odium contra fratres suos deposuit.* Ecce mors *arma virtutum. Memento itaque, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Nec ad prætactum institutum confirmandum nullatenus deficiunt, tum scripturalia, tum christiana,

stiana, & politica etiam æthnicorum testimonia. Prima in medium adducit regius Psalmista David 1. Reg. cap. 26. qui, dum infestissimum suum *1. Reg. c. 26. v. 8. & 9.* hostem dormientem in suis reperisset manibus Saulem, etiam consulenti & persuadenti Abisai vindictam : *Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas, nunc ergo perfodiam lanceâ in terra semel, & secundò opus non erit.* Mansuetè respondit: *ne interficias eum* O clementissime David! quid te à sanguine hostis tui, & quidem potentissimi manus tuas edocuit reservare innoxias? Ecce te in colle Hachila cum tribus virorum electorum de Israel millibus ad mortem quærit, & tu propriæ vitæ prodigus, alienæ tam benignè parcis? dic obsecro, quodnam tantum tuæ benevolentiæ motivum? Hoc nobis innotescit ex aurei oris sententia: *Intuitus dormientis inimici faciem, hinc maximè sumpsit animum fortem, & philosophicum, cum enim videret illum dormientem, nec quidquam posse facere, sic locutus est cum animo suo; ubi nunc furor ille? Vbi tot insidiæ? ubi illa malitia? omnia illa abierunt, perieruntque, & adspiciebat illum dormientem ac de morte communi philosophabatur.* Quod & constanter confitetur opusculo decimo sexto cap. 35. *Si fortassis efferas animum, dirige potius oculos ad sepulchrum, mox enim omnis amaritudo deponitur, dum, quò furor hominum vergat, mens provida contempletur.* David itaque studens in schola mortis, ab effusione etiam rei abstinuit sanguinis.

Rursus hujus evidentem adducit confirmationem Theatrum vitæ humanæ tom. 2. lib. 3. Ubi *tom. 2. l. 3.* refertur Dominum quemdam adeò in servum delinquentem excanduisse, ut eum trucidaturus gladio in pago, non longè ab urbe distante, sit insecutus? cumque ipse currendo vix aliquid viæ lucraretur, in templum quoddam confugit, id securum opinatus vitæ suæ asylum. Verùm enimverò, dum illum furibundum insequentem conspexit, ad sepulchralem (in quo ossa defunctorum Domini Patris, avi, abavi, tritavi, &c. requiescebant) tetendit locum: ibique impavidè subsistens, torvo vultu ei hæc dixit verba: *Siste hic furibunde, depone hic impie furorem tuum.* Et ecce, tanquam mansuetissimus agnus, obmutuit, famuloque ex animo, ossium & mortis memor, pepercit, juxta Jobi Prophetiam: *Iob c. 38. vers. 11.* *Et dixi huc usque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos* Quia non potest iræ esse diversorium, in quo mente versatur sepulchrum.

Gen. c. 4. Hoc ipsum egregiè corroborat cap. 4. Gen. in persona impii Cain & Fratricidæ. Is, crudeliter occiso Fratre Abele, in tam abominandi sceleris pœnam à divino judice maledictione percussus, ac exilio à Patria mulctatus: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram.* *v. 11. & 12.* Ex hoc miram elicit consequentiam: *omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Ad quod pius Dominus, qui cum iratus fuerit, etiam misericordiæ recordatur: *nequaquam ita fiet.* Sed ego in brachio forti, & in manu potenti tantum avertam nefas. Verùm *vers. 15.* quomodo? Scriptura ait, *posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.*

Hic curiosè indagant sacræ Scripturæ interpretes, quale fuerit illud signum tam efficax, tam potens, ut iratum hominem in Fratricidam ab homicidio deterreret. Omissis variis opinionibus, quas in hunc locum recenset Doctissimus à Lapide, S. Ambrosii adhæreo Doctrinæ, constanter asserentis Deum fronti Caini impressisse litteram quamdam hæbraici alphabeti nominatam *Thau*, quæ contra homicidium infallibile est antidotum. Asserti sui fundamentum eruit ex cap. 9. Ezech. Ubi *Ezech. c. 9 vers. 9.* Deus in vindictam idololatriæ filiorum Israel severam demandat Angelis punitionem. *Percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem: parvulum, & mulieres interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Ecce, inquit Ambrosius, Thau efficacissimum contra mortem est præservativum. Verùm dic obsecro, ô magne Doctor! unde litteræ istæ tanta indita virtus & potentia! audite quid respondeat. Thau viva est mortis imago; quia, sicut illa est ultima alphabeti hæbraici littera: sic mors finis humanæ *Ambr. l. 2. de Cain & Abel.* vitæ, & ultima rerum linea: *Thau sanè ultima littera hebraici alphabeti, sicque verissima mortis imago & figura, quia sicut hæc est finis alphabeti, sic mors est finis vitæ humanæ.* Unde finaliter concludit Deum potentiora, contra iram, quàm mortis non adinvenisse arma. Quoniam, ut rectè ait Aug. mors *arma virtutum*, & Damianus: *non est vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum.* Hæc igitur avidè arripite ô vindicativi! hoc salutare signum Thau sitibundi & sanguini proximi inhianti cordi tuo, ô furibunde! imprime. Disce disce in mortis conspectu tumentes iræ tuæ componere fluctus. Sequere Damiani consi-

consilium : *si fortassis efferas animum, dirige protinus oculos ad sepulchrum.*

Sed videor audire quempiam replicantem, Cainum, non obstante signo *Thau*, à Lamech fuisse occisum : itaque hoc non est contra mortem scutum tam efficaciter defensivum. Imbecillitatem hujus replicæ paucis declarat doctissimus Abulensis : *Lamech non cognoscebat, quem occidebat, cum cæcutiens esset, imò non videbat, quia Cain stabat inter fruteta.* Quo Ambrosius suam firmius corroborat opinionem; si enim Cain hoc signo insignitum vidisset Lamech, neutiquam eum occid sset. *Non poterat Cain,* inquit, *nisi à cæco vel cæcutiente interfici, ubi enim apparet imago mortis, non potest peccati esse commercium.* Quo considerato, S. P. N. Aug. ad vos exclamat, ô Christiani! divinis hisce verbis : *eja ergo fideles Christi, considerate quid fuimus, animadvertite cum quo venimus , prospicite quid jam sumus. Attendite quid post erimus. Quia terra es & in terram ibis* Cui succinctè concinit S. Hier. *Homo terra in partu, terra ante partum, terra post interitum.* Nec hanc salutarem Doctrinam SS. PP. tantummodò & Christiani lumine fidei illustrati, verùm etiam cæci & politici hominibus inculcant pagani, ut apertè testatur Plut. qui de Chilone Lacedæmoniensi narrat, quod inter cæteras ad probitatem & morum civilitatem retinendam necessarias sententias, æri hanc jusserit insculpi, *quisque cognoscat se ipsum.* Cicero lib. 1. de tusculis commemorat, illud ipsum præceptum, tanquam cuilibet quàm maximè congruum, à Deo sapientiæ Apolline emanasse. Unde ait Juvenalis: *E cælo descendit nosce te ipsum.* Macrobius super somnium Scipionis differens, asserit cuidam ab oraculo Delphico sciscitanti, quâ methodo ad æternam pervenire securè posset felicitatem, responsum fuisse *cognosce te ipsum esse mortalem.* Quod luculenter confirmat Philosophus Zenophon, Cræsi referens verba in hunc modum *Petii per legatum ab oraculo Apollinis, quid me oporteat facere ad feliciter moriendum. Responsum accepi, si te ipsum cognoscas, ô Cræse mortalem, felix ex hoc mundo discedes.* Hinc Seneca omnem explodebat scientiam sui ipsius ignorantiæ conjunctam libro de liberis studiis : *Fatuum est studere divisionibus terrarum, & se nescire metiri.* Et Epist. 88. *metiri geometra docet, latifundia potius doceat, quomodo metiar, quantum homini sit satis. Quid mihi prodest asellum scire in partes dividere, si nescio me ipsum cognoscere?* Et concludit : *Si artifex es, metire hominis animum, dic quàm magnus sit, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea, quid tibi prodest, si quod in vita rectum, ignoras.* Manet itaque juxta communem omnium hominum consensum inconcussa asserti divi Aug. veritas : mortem potentissima fore virtutum arma.

Plut. l. 7. cap. 32. cic. l. 1. de tusculis.

Iuvenalis satyr. 11.

Macr. l. 1. c. 11.

Lib. de lib. studiis. Epist. 88.

Progrediamur nunc ad quartum Lernæi colubris caput : nimirum libidinem, de qua etiamnum gloriosam mors reportat victoriam, atque salutare contra pestiferum hoc venenum subministrat antidotum. Pro quo annotandum est caput 34. Deut. Ubi narratur, Deum ipsum mortuum Moysis corpus inhumasse. Verùm quæ terra digna reperiri potest tam sanctum & pretiosum tanti Domini Prophetæ thesaurum in suo gremio recipiendi? Ah! terra idololatria infecta : *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, sepeliitque eum in valle terræ Moab,* in qua ab incolis idololatris solemni ritu, summoque cultu adorabatur impudicum idolum Dagon, quod Moabitis pro cujuscumque libidine omnem lasciviam indiscriminatim permittebat, ut notat S. Hieronymus : *Sepulchrum ejus positum est in valli Moab contra domum idoli, quod propria libidini consecratur.* Sed quid hic latet mysterii : Cur, ô bone Deus! corpus tam castum, tam mundum, pollutæ & immundæ tradis humo? respondet Damianus, Deum id fecisse, ut Moabitæ infamem libidinis Deum veneraturi, transeuntes Moysis sepulchrum, ejus intuitu mortis memores, ab omni luxuria deterrerentur. *Sepelivit eum Dominus contra Dagon, id est, contra carnalem concupiscentiam, non est enim libidini diversorium, in quo versatur mente sepulchrum.* Cui divinè adstipulatur Bern. *Si te luxuria tentat, si te libido ad peccatum incitat, objice tibi memoriam mortis.* Et indubiè his armis munitus victor evades.

Damian. Epist. 117.

Bern. ser. 7. de tentatione.

Idipsum pulcherrimè confirmat mirabilis Patriarchæ Noe actus, quem commemorat Moyses Barcephas. Is instantis jam diluvii non ignarus, divino afflatus spiritu, antequam Arcam cum universa familia ingrederetur, ad sepulchrum Adami perrexit, assumpsitque secum ossa illius, quatenus horum consideratione filiorum suorum libido (quod vitium universalem mundi causarat ruinam) coerceretur, teste Scriptura: *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est,* diluvio verò transacto , cuilibet simul cum terræ hæreditate ossium partem tradidit: *Post siccatum autem à diluvio terrarum orbem, illa inter suos liberos simul cum orbe distribuit,* inquit Bercephas, ut continuâ mortis reminiscentiâ à

tom. 1. bibli PP.

Gen. c. 6. v. 2. & 3.

luxuria,

luxuria, atque carnali concupiscentia, quæ in tantùm divinam provocarat justitiam, ut universali diluvio universum mundum castigarit, abstinerent. Etenim *non est vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum.*

Nec horum armorum potentiam in alia tria infernalis hydræ capita, gulam nimirum, invidiam, & acediam comprobare, ullatenus erit difficile. Dum enim diabolus Evam ad gulam, & ad vetiti ligni fructum deglutiendum pelliceret, mox ab ea

Gen. c. 3. vers. 4.

mortis memoriam removit: *Nequaquam morte moriemini.* Quia, ut ait Isidorus: *Numquam de vetito pomo comedissent, si de morte sua cogitassent.* Pro-

Isiod. l. 17. de eth.

inde hujus reminiscens Psalmista regius, aquam sibi à militibus è cisterna Bethleem allatam quam-

1. Paral. c. 11. v. 19.

vis ardenti siti oppressus, attingere recusavit: *Absit, ut in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem virorum istorum bibam, qui in periculo vitæ maximo tulerunt eam mihi.* Ad quod ait S. Ambrosius: *Suavitatem bibendi aquam David habere non poterat, quæ de proposito mortis horrore constabat.* Hinc Ægyptii in sumptuosis suis conviviis craneum mortui scutellæ impositum, cui hæc insculpta legebantur verba: *In hoc intuens bibe, manduca, & oblectare,* convivarum oculis exponebant; ut scilicet eos temperantiæ admonerent.

Invidia quoque acutos mortis experitur aculeos. Pro quo subtiliter annotat Chrysost. Cùr Christus Dominus in monte Thabor tempore gloriosæ suæ transfigurationis de accessu acerbæ suæ mortis, & passionis loquebatur discipulis? & respondet, ut eos, qui forsitan ob nimium Christi splendorem, & majestatem ad invidiam concitandi erant, ab hoc crimine mortis reminiscentiâ averteret. *Ne tanti,* inquit, *luminis claritate invidia discipulos in ipsum concitaret: idcirco de morte transfiguratus loquebatur.* Cui consonat S. P. N. Augustinus: *de morte & passione sua Dominus locutus est in monte, ne discipulorum animi invidiâ commoti contra ipsum murmurarent.* Hinc quoque ipse cer-

Matth. c. 26. v. 10. 11.

nens discipulorum invidiam ob unguenti pretiosi effusionem (ut patet cap. 26. Matt.) dicentium, *ut quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multis & dari pauperibus.* Hoc salutiferum iis præbuit antidotum, mortis scilicet memoriam: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit,* ut inquit Chrysostomus, *eos vel saltem mortis recordatione à malo deterreret.*

Nec de iis armis ultimum Lernææ hydræ triumphat caput, neque unquam reportat victoriam: verùm devictum succumbit. Narratur Cant. cap. 1. sponsum dilectam suam accessisse sponsam, eique dixisse: *Aperi mihi soror mea sponsa.* Et ipsam

Cant. c. 2. vers. 3.

pigram respondisse, *expoliavi me, quomodo induar illa: lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* nihilominus, non obstante hâc repulsâ, subjungit: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Verumtamen quod-

vers. 5. & 6.

nam tam efficax fuit sponsæ immutandæ voluntatis motivum? audite quid dicat: *Manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ,* sed quid myrrha valet? Ah inquit Nissenus: sponsus est Christus, sponsa Christiani anima. Ipse amore sponsæ inescatus, ad interius cordis pulsat ostium per internas ac prævenientes auxiliatrices gratias; ast obturatas inveniens aures, ad ultimum tendit remedium: scilicet ad mortis memoriam. *Myrrha symbolum esse mortis, nullus est qui ambigat. Præclarè ergo ait sponsa, quia manus meæ distillaverunt myrrham, scilicet mortem, surrexi: anima enim à morte per mortem resurgit. Nam si non moriatur, semper manet in morte, & moriendo vitam consequitur, omni mortalitate depositâ ait Niss.*

Quod cum ita sit, ô auditores! quis adhuc vestrûm est, qui conditionem propriam non intuetur, mortisque arma contra omne prorsus peccatum victoriosa non assumat, atque recogitet, in quacumque constitutus sublimitate, responsum celeberrimi Philosophi Zenephon, rogati à quodam, lignum manu continente, quantum fumi, si igne consumeretur, ex eo exiret. *Pondera* inquit, *cineres, postea quod deest, fumus est* Vis scire, ô homo! quanti ponderis quanti valeas, intuêre cineres, & videbis quid sis. Cætera non nisi fumus, divitiæ, honor, pulchritudo, nobilitas, potentia ac mundi deliciæ. Finio quemlibet exhortando ad crebram mortis memoriam verbis Augustini. *Ergo utatur homo pœnâ suâ, & bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo,* ut eo in æternum in cælis triumphare queat, quod cunctis, & mihi concedat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

***

FERIA

FERIA QUINTA.

Post diem Cinerum.

Accessit ad eum centurio rogans eum & dicens : Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. cap. 8.

DUm fixè mentis in præsens Evangelium conjicio oculos, tot profundis in eo contentis obcæcor mysteriis, ut quodnam hodierni discursus arripiam objectum, vix ipse videam. Ac proinde cogor cum sancto Chrysostomo exclamare, hoc ipsum ruminante : *Quid primum miremur in Centurione, humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem? Humilitatem, quia in domo Christum suscipere dignum se esse non æstimavit, fidem autem, quia credidit eum posse, quod petiit. Sapientiam, quia divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante prospexit : bonitatem autem, quia pro salute servi sic sollicitè festinabat.*

Chrys. 4. 2. hom. 21. in c. 8. Matth.

Verùm ex hoc labyrintho, sicut Theseus Ariadnæ industriâ, ita magni illius Africani luminis S. P. N. Augustini educar operâ, qui me divinis suis verbis ad admirabilem Centurionis erga paralyticum servum exagerandam instigat charitatem : *Omnia bona nostra, unum opus est charitatis.* Et apertius alibi eam omnium virtutum fatetur fore compendium. *Hæc est charitas, sine qua nihil tibi prodest, quidcumque habueris, quam si solam habeas, tibi sufficit. Habere autem omnia Sacramenta & malus esse potes, habere autem charitatem & malus esse non potes.* Hinc idem constanter asserit in una charitatis amplitudine contineri quamdam Logicam, Physicam ac Metaphysicam. Et optimè, inquit Doctissimus Westonius: *Quia Logica est, quatenus omnia credit*, ut ait Apostolus : *Quatenus oculo quodam sua objecta amanda discernit, ac interea, quemdam ordinem rectè constituit. Physica existit, dum omnia refert in Deum, tanquam ultimum finem, dum in ipsis naturæ operibus Deum amat, & exosculatur. Metaphysica reperitur, quando à sensibus & rebus præsentibus tota avulsa æterna, Deum nempe, Angelos, atque beatos, veluti brachiis suis stringit arctissimè. Patiens hæc est, benigna est, omnis denique ex sententia Apostoli virtus est.* Quocirca quam plurimi ingeniosi politici charitatem proximi supremo totius cælestis firmamenti planetæ soli comparatunt; quia, sicut ille suos indifferenter ad omnes totius mundi angulos diffundit radios, sic ipsa æquali intuitu cunctos aspicit homines ex propria naturæ suæ exigentia. *Exigit enim*, inquit Cassiodorus, *amor proximi, idem velle, idem nolle, idem diligere idem appetere, & omnibus secundum Deum in mutuis utilitatibus consentire.* Insuper divina hæc virtus quàm plurimis solis gaudet proprietatibus. Quia sicut sol in nobilitate cunctis astris præeminet, sic & charitas omni virtuti, ut satis evidenter insinuat Chrysost. *Nihil æquale est charitati : maxima omnium est charitas.* Præterea, quemadmodum sol mirabiliter cuncta astra in causalitate antecellit (quid quid enim in mundo producitur, mediante solis influxu & virtute causatur) pariter & cuncta opera bona à charitate promanant, ut confitetur Chrysost. *Quippe qui certè sciat charitatem ipsam caput esse bonorum omnium & radicem, & fontem, & parentem.* Quoniam, illa in Apostolis excitavit sanctimoniam, martyribus invictam impressit constantiam atque fortitudinem, monachis vivificum virtutis spiritum, virginibus puritatem, ita, ut cuncti possint meritò exclamare, *charitas urget nos.* Deinde, sicut sol cuncta sublunaria vivificat, sic etiamnum charitas spiritualem cunctis operibus subministrat vitam : nimirum esse meritorium : & quemadmodum si sol evanesceret, aut destitueretur, similiter, deficiente charitate, majores obscurantur virtutum stellæ : nempe spes & fides. Unde ait Apostolus *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, & cymbalum tinniens. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et tandem, sicut universæ mundi machinæ sol est perutilis, sic

Aug. t. 1. in Epist. Ioan.

Aug. de lau. charitatis.

1. Cor. c. 13

Westonus l. 9. de moribus Chr. c. 4. n. 18.

Chrys. t. 3. hom. 4. in acta Apost. cap. 19.

Chrys. t. 5. hom. 1. contra anomæos.

1. Cor. c. 13. vers. 1. & 2.

sic charitas animæ nostræ spirituales confert fructus, juxta infallibile Petri testimonium: *Charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Quod cùm ita sit, operæ pretium est, in præsenti de mutuæ dilectionis præstantia & efficacia verba facere. Verùm, antequam id aggrediamur, suppetias expostulemus à Spiritu sancto, per sanctissimæ Dei Genitricis intercessionem, salutantes eam Angelicis verbis, Ave gratiâ plena.

Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

QUantæ virtutis, dignitatis, eminentiæ, atque efficaciæ sit charitas, omnium virtutum regina, evidenter ex diversis colligi potest capitibus. Ex ejus nimirum origine, essentia, proprietatibus atque effectibus; imò quàm maxime ex divina in eam Dei nostri, (qui nil nisi bonum amat,) complacentia. Primaria illius origo, & mirificus fons est ipsissima Veritas Deus, uti juxta mentem divi Ambrosii, non obscurè cunctis intelligentibus, in prima mundi creatione innotescere potest. Vix enim potentiam suam cæli & terræ productioni applicuerat; & ecce mox pro solido tantæ machinæ fulcimento constituit charitatem.

Gen. c. 1. v. 1. & 2.

In principio creavit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas. Qui Doctor per spiritum interpretatur charitatem, utpote judicans illa etiamnum inanimata Creatoris authoris naturæ opera ad sui conservationem apprimè indigêre. Verumtamen id ipsum magis inquit elucescit in rationalis creaturæ, hominis scilicet creatione; etenim ait Scriptura:

Gen. c. 2. v. 4.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo. Ast cùm sciret eum sine igne charitatis, sine fomento amoris remansurum truncum, & insensibile quasi cadaver, (non tam de vita corporali, quàm de spirituali tracto) confestim ei inspiravit spiraculum vitæ, nempe charitatis.

vers. 7.

Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Sed quod spiraculum rogat Ambrosius? & respondet: *Non tantùm spiraculum vitæ, quæ est anima, sed & spiraculum vitæ, quæ est charitas.* Immediatè itaque & particulariter à divina promanat manu. Hinc nos ab Apostolo Joanne sedulò & prægnanter admonemur:

1. Ioan. c. 4 v. 8.

Charissimi, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est.

Si autem illius anatomizare desideremus essentiam, nec subtilis ingenii cultro, nec maturi incisionis judicio opus est; quandoquidem infallibilis Veritas dicat: *Deus charitas est.* Quapropter non dubitat, non veretur audacter asserere Augustinus: *Si Deus benefacere desineret, Deus esse desineret;* ac proinde mallet omnia divinæ essentiæ deperdere attributa, aut, ut melius dicam, (quoniam hoc impossibile est) illorum occultare efficaciam, atque suspendere effectus, quàm suam non exercere benevolentiam & mansuetudinem: quia charitas & ex ipso, & ipse est.

1. Ioan. c. 4 v. 16.

Hujus asserti non adeò procul quæsitas reperio probas. Illud enim quam clarissimè comprobat ipsemet Spiritus S. Gen. cap. 3. Ubi refertur, Deum post primam Protoplasti Adami culpam (neglectâ quasi suâ immensitate,) mirabiliter ob infinitam suam bonitatem justam compescuisse iram. Vindictam namque delicti differens, ille, qui neutiquam de loco ad locum transire nequit, sed omnia ambit, deambulare denuntiatur, & qui cuncta intimè perscrutatur, ignorantiæ quasi taxatur:

Gen. c. 3. v. 8. & 9.

Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi: vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es? idque dumtaxat, ut prolixius reo pœnitentiæ impertiretur tempus, teste Augustino:

Aug. in hunc locũ.

Adam ubi es? non est vox ignorantis, sed ad misericordiam provocantis. Rursus Gen. cap. 18. Deus abominandis Sodomæ & Gomorrhæ iniquitatibus ad justam provocatus indignationem & furorem,

Gen. c. 18. v. 20. & 21.

Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, vindictam cohibens, gravitatem, qualitatem atque circumstantias delicti (quod directè infinitæ illius repugnat sapientiæ) quasi examinaturus exclamat: *Descendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Denuò Exod. cap. 32. detestandâ populi Israëlitici idololatriâ, & stultâ vituli aurei adoratione ad iracundiam concitatus, ille, cujus potestati nemo potest resistere, cogitur benignitatis memor, omnipotentiæ quodammodò suæ immemor, ad famulum suum Moysem vociferari:

Exod. c. 32 v. 10.

Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Ecce cuncta divinæ essentiæ attributa misericors celat Dominus, ut superabundans tantummodò elucescat misericordia.

Quod egregiè comprobat mysteriosa, quam

Propheta Isaias habuit, visio registrata, cap. 6. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excel-* Isa. cap. 6. v. 1. & 2.
sum & elevatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.

De hac alarum dispositione, quam suo nullatenus autumat carere mysterio S. Bernardus obstupefactus, quid hîc per caput & pedes intelligatur, curiosè interrogat? & respondet, caput Dei nostri repræsentare infinitam ejus sapientiam, quia illud proprium illius est receptaculum. Per pedes autem justitiam, quia isti instrumentum sunt currendi ad vindictam. Vult itaque benignus Dominus, ut à Seraphim obtegatur sapientia, ne hominum peccata quasi agnoscat: ut obveletur justitia, ne ad vindictam prodeat, solumque mandat pectus patere, sedem nimirum amoris, & tabernaculum charitatis, ut cuilibet intuenti Deus misericordiæ appareat. *Latet justitia*, inquit, *latet sapientia, sola patent viscera misericordiæ.* Unde cum Augustino possumus exclamare: *Amor Majestati oculos clausit.* Aut cum Lycurgo: *O amor, quàm potens es, qui omnium offuscas Majestatem!*

Verùm modò stupendam charitatis demonstremus excellentiam ex raris illius effectibus. Primum & maximum ex illis verbis Apostoli: *Ambulare in charitate*, elicit Chrysostomus; nimirum Deo assimilationem (participativè, non essentialiter intelligo) dicens: *Ideoque, cùm dixisset: imitatores mei estote: continuò de charitate disseruit, quia hæc præcipua virtus homines Deo proximos facit.* Et in fine prosequitur: *Non adulterabis, non occides. Et si quod aliud mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut te ipsum: quia & initium & finis ex bono animo dilectio est universa.* Et tandem concludit: *Possideo charitatem, & perfectam adipisceris coronam.* Christus Apostolos suos injuriam ei à Samaritanis illatam vindicare volentes, acriter reprehendit, ut testatur
Luc. c. 9. v. 54. & 55. Evangelista Lucas: *Domine, vis dicimus, ignis descendat de cælo & consumat illos: & conversus increpavit eos, dicens: Nescitis, cujus spiritus estis:* ac si diceret, ô dilecti discipuli! non reminiscimini, quomodo Deus creaverit hominem de limo terræ, illumque vivificaverit. Ecce, inspiravit ei spiraculum vitæ, spiraculum charitatis, sine quo mor-
1. Ioan. c. 9. 8. 14. tuus est. *Qui enim non diligit*, ait Joannes, *manet in morte*: ipse ad Creatoris sui productus est similitudinem, & per consequens ejusdem cum eo spiritus: sed qualis Dei est spiritus? profectò, non nisi charitatis & dilectionis, *Deus charitas est.* Itaque vos, ô discipuli, proni ad vindictam, spiritum non possidetis clementiæ & charitatis. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Luc. c. 6. v. 36.
Hinc dum Christus, veros & fideles (qui & interna, quod solius Dei est, cognoscit,) requirens discipulos, dumtaxat signum atque indicium solidæ erga proximum expostulavit charitatis: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis.* Ioan. c. 13. v. 35.
Quæ Scripturæ verba masticans aureum os Chrysostomus, auream hanc instituit interrogationem: *In quo? non in eo, ut mortuos resuscitent, ut leprosos purgent, aut dæmonia expellant.* Et correspondentem subjungens responsionem: *Minimè*, inquit, *sed illa missa faciens, omnia in hoc uno dicit, omnes cognoscent, quia discipuli mei estis, si charitatem ad invicem habueritis.* Chrys. t. 3. hom. 40. in Acta Apost. c. 19.
Et paulò infra: *Quapropter non signis, sed à charitate suos cognoscit discipulos: hæc enim, si adest, nulla pars deest divinæ Philosophiæ, sed integerrima, perfectissimaque virtutis ratio habetur.* Cui accinit mellifluus Doctor, dicens: *Charitas est lex vitæ, disciplina morum, pax convenientium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, præceptorum consummatio, virtutum virtus.* Bern. opusc. de charit. c. 21.
Cùm itaque auctor virtutis ipsaque sit perfectio essentialis, concludo, illum non adinvenisse efficacius participativæ divinæ essentiæ assimilationis instrumentum, quàm sinceræ proximi charitatis indicium.

Hinc, dum Christus Apostolos derelicturus, & ex hoc mundo ascensurus ad Patrem, de suo condendo deliberaret testamento, quid iis in tantum dilectis legaret, charitatem reliquit, nil eâ pretiosius in toto suo reperiens thesauro: *Mandatum do vobis, ut diligatis invicem.* Ad quod Oleaster: Ioan. c. 13. vers. 34.
Quod cùm relinqueret, melius non haberet, reliquit mutuam dilectionem. Oleast. in c. 27. Gen.
Quod testamentum rursus lynceis inspiciens oculis Chrysostomus, in hæc cogitur erumpere verba: *Quæ major hæreditas, quàm vinculum charitatis? ideoque bene dono, ait Christus, vobis ut diligatis invicem: ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimam charitatem.* Chryost. serm. 162.

Sed heu! quanto cum planctu, quanta cum detestatione S. Doctor Chrysostomus deplorat luctuosam charitatis proximi ruinam, (quam adhuc apertiùs in depravato hoc experimur ævo) dicens: *Nunc autem periclitatur charitas, nomen enim ejus reliquum est, opus minimè: sed divisi sumus.* Chrysost. hom. 4. in Act. Apost. cap. 19.
Et sanè bene ait, periclitatur; ausim fermè & ego dicere,

cere, periit & evanuit. Ubi enim, ô vindicative! charitas tua, qui tam pertinaciter proximi tui inhias sanguini? Ubi tua, ô avare! qui nudos vides, nec cooperis? sitibundos cernis, nec potum præbes? famelicos intueris, nec micam panis, adinstar impii divitis epulonis, iis erogas! Ubi tua, ô inique Judex! qui falsam usurpans stateram, innocentes condemnas, viduas & pupillos, donis & muneribus corruptus, injustè opprimis? Ah, ah, periit, evanuit Charitas! Sed unde, ô homo, tanta tua oritur dementia? sanè, non nisi ex crassâ hujus virtutis efficaciæ ignorantia. Nonne, si in membro aliquo corporis sentis vulnus, illi omni cum diligentia salutare quæris emplastrum? Omninò. Anima tua gravi peccati vulnere sauciata est, & nescis, charitatem erga proximum unicum illi fore antidotum? Non audis clamantem Apostolum
1. Pet. c. 4. vers. 8. Petrum: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Bernardus legit, *annihilat*, id est, totaliter destruit *multitudinem peccatorum.* Quem locum
Hilar. in hunc locũ. Psal 86. vers. 4. considerans S. Hilarius, non veretur dicere, eam apud supremum Judicem fidelissimam esse advocatam: *Charitas plurimorum peccatorum tegit malitiam, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum est patrona.*

Hujus evidentem probam haud difficilè est eruere ex Psalmo Davidis, cap. 86. *Memor ero*, inquit, *Rahab & Babylonis scientium me.* Alii legunt, *cognoscentium me.* Quod hic difficultatem parit, est, quomodo Rahab omninò infidelis, & idolorum cultrix, veri Dei aliquam potuerit habere notitiam? Pro hoc oportet annotare id, quod
Josue c. 2. vers. 1. narratur Josue c. 2. Hic Israëlitarum agens ducem, duos exploratores misit ad terram & urbẽ Jericho, *Qui pergentes*, inquit textus, *ingressi sunt domum mulieris & quieverunt apud eam.* De quo admonitus Rex Jericho: *Misit ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam, exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt.* Sed ecce Rahab misericordiâ & compassione mota, anxiis insigne charitatis
vers. 4. exhibuit obsequium: *Tollens mulier viros abscon-*
vers. 5. *dit, & ait: Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam, unde essent: cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt: persequimini citò, & comprehendetis eos.* Ob hunc charitatis actum Deus memor fuit Rahab, quoniam, quantumvis idololatriæ cultu obcæcata, Deum, *qui charitas est*, Israëlitas occultans, aliqualiter cognoverat, illique veri Dei cultus ignorantiâ dimissâ, quàm plurima impertitus est beneficia, *quia charitas annihilat multitudinem peccatorum.*

Verùm inquiramus modò quæ? Josue cap. 6. Josue c. 6. v. 21.
refertur, quomodo ipse de mandato Dei fortissimam sub Israëlitici populi potestate redegerit civitatem Jericho, eamque succenderit, ac cunctos illius ad internecionem deleverit incolas *Cœperunt civitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem.* Attamen strictissimè Rahab meretrici illius familiæ parci mandavit. *Sic*, inquit, *civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino. Sola Rahab meretrix vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt.* Sed cur obsecro tot hominum millia, totque parvuli innocentes, qui contra Dominum numquam personaliter deliquerant, igne & gladio perire jubet Josue, & solam eripit meretricem Rahab? An forsitan Deus, qui ipsa est puritas per essentiam, impudicarum mulierum est amans, ut Rahab soli parcendum judicet! Quid hîc quæso latet mysterii, & quæ tam particularis beneficii causa? Ecce, id ex ipsomet innotescit textu; dum enim dixisset Josue, *sola Rahab meretrix* vers. 17.
vivat. Mox subjunxit, *abscondit enim nuntios, quos direximus.* Ac si diceret: Fateor Rahab ob suam infidelitatem, impudicitiam, aliaque quàm plurima delicta, divinam promeruit ultionem: sed ecce, opera fecit charitatis: exploratores in pace recipiens, eosque ab ira Jerichuntinorum conservans. Vivat itaque Rahab: *Quia charitas annihilat multitudinem peccatorum*: Et hanc rationem comprobat Apostolus Gentium epistola ad He-
bræos: *Fide*, inquit, *Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* Deinde in remunerationem hujus præclari actus, divinâ gratiâ ad veram conversa est fidem, sicque & Epist. ad Hebraeos, c. 11. v. 31.
æternam evasit ruinam, quod apertè ex jam citatis Apostoli constat verbis, & ex eo quoque, quod ipsa inter populum Israëliticum (qui idololatras à sua repellebat societate,) fuerit commorata. *Rahab*
verò meretricem, & domum patris ejus, & omnia, vers. 25.
quæ habebant, fecit Iosue vivere, & habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem, eò quòd absconderit nuntios quos miserat, ut explorarent Iericho. Imò in tantum Omnipotens sibi in hoc charitatis complacuit actu, ut propter illum Rahab Christi elegerit pro-genitricem, quæ prærogativa tanta est, ut Hebrææ mulieres steriles acerbè suum deflerent statum, eò quòd partem in Messiæ partu, ne meditatè quidem, essent recepturæ.

Matt. c. 1. v. 5. v. 16.

Patet hoc ex Christi genealogia, quam nobis exhibet Evangelista Matth. cap. 1. *Salomon autem genuit Booz de Rahab*, & descendendo tandem pervenit ad Christum: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Concludo itaque ex jam dictis, charitatem erga proximum efficacissimum, non tantùm contra temporalem mortem, verumtamen & spiritualem fore antidotum: è contrà illius defectus certissimum perditionis præsagium.

Iac. Epist. cath. 2. v. 13, 14. & 15.

Quod satis apertè comprobatur ex divi Apostoli Jacobi dicto: *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Cujus rationem annectens, prosequitur: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? si autem frater & soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Supra quem locum maturè se reflectens Chrysostomus, auream ore aureo profert sententiam, eâ (scilicet charitate) *unâ absente, cætera vobis nullum fructum afferre, nullam præstare possunt utilitatem.*

Chrysost. hom. 1. contra Amonaos.

Cui apprimè adstipulatur antiquissimus Pater Origenes, considerans miraculosam atque particularem Loth è flammis Sodomæ ereptionē, communisque stragis evasionem: dum curiosè indagat, quid, & quæ opera illi tantum præstiterint beneficium, & eum singulari gratiâ reddiderint dignum? Hujus profectò ipsam tantummodò charitatem confitetur fore auctricem, cunctos salutaris condiens sale admonitionis: *Audite hoc, qui peregrinis clauditis domum, audite hoc, qui hospitem velut hostem vitatis: Loth in Sodomis erat, alia ejus benè gesta non legimus, hospitalitas sola memoratur. Veneruntq; duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis, adoravitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, ut diverterent ad eum.* Optimè sanè cum Origine ad depravati hujus sæculi avaros & immisericordes exclamare possum, audite hoc: *Loth evadit ignes, evadit incendia ob hoc solum, quòd domum suam patefecit hospitibus.* Audite hoc, qui pauperum obliti, eos non ad fores vestras invitatis, multò minus illos intrare cōpellitis, verùm etiam ejulatu & tristi voce charitatem vestram ob Dei amorem expostulantes, crudeliter repellitis. Attendite, attendite, qui scrinia conservatis pecuniis plena, ad mundi voluptates assequendas, obulum verò negatis egenti. Loth ob unicum actum dumtaxat charitatis à flammis Sodomæ reservatur, & vos à pœnis æternis præsumitis absq; actu liberari charitatis? Erratis igitur, ô insani! *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

Orig. hom. de filiabus Loth.

Ulteriùs, dum charitatis potentiam attentè intueor, ad ejus deprædicanda elogia ausim dicere, Deum adeò in ea delectari, ut etiam in loco, ubi illa exercetur, judicium quantumvis justum, suspendat, & suam pietatis impertiatur gratiam. Ah! quàm insigniter hoc nobis insinuat Evangelista Joannes, dum narrat adulteræ culpam, & non subticet Christi Domini indulgentiam. Accusatur à Scribis & Pharisæis delicti adulterii: *Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Et confestim debitam tanto peccato adjungunt pœnam: *In lege autem Moysis mandavit nobis Deus hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Quid autem scripserit, non indicat sacra Scriptura. Unde ex illis verbis variæ SS. PP. eruuntur opiniones. Aliqui enim autumant, Christū iniquum Pharisæorū arguisse judicium, dum forsitan conniventes, muneribus (ut modò plerumque contingit) placati, relicto reo adultero, pauperem ad justitiæ tribunal trahunt mulierem: *Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat.* Alii arbitrantur, Christum, scribendo in terra, cuncta Pharisæorum designasse peccata, & quidem in terra, ut tam eos, quàm cunctos admoneret evitandæ detractionis Christianos, ac peccata proximi non æri (quod permanens est) sed pulveri, ostenderet esse imprimenda, ut minimo vento evanescere queant. Rationes has non reprobo, verùm intactas relinquo, de iis fortè infrà tractaturus, & aliam cogor adducere ex his Scripturæ verbis: *Et iterum se inclinans scribebat in terra.* Sed quid rursus scribebat Christus? Profectò juxta S. Ambrosium non nisi veram ostentabat charitatis imaginem, quia in templo existebat, & rectè juxta gazophylacium, ubi demonstrabatur ex eleemosynarum distributione charitatis fervor ergà pauperes: *Nec judicium, inquit, in templo Dei positus exercet, sicut scriptum est infrà, hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio.* Et pergit, *quid est gazophylacium? collatio pauperū fidelium sumptus, requies egenorum.* Ecce, in quo loco regnat charitas, divina

Ioan. 8. 4.

Ambros. epist. 76. Ioan. 8. 7.

cohi-

cohibetur severitas. Felix ergò familia, in qua sincera proximi reperitur amicitia! Hinc divinè ait Chrysostomus: *Charitas pro quibuscumq; voluerit, facilè munus gratia impetrabit, vincula peccatorum ipsa dissolvit.* O charitas! non immeritò tibi illud, quod S. Bernardus orationi attribuit, appropriare possum elogium: *Tua est potentia, tuum est regnum, vincis invincibilem, ligas omnipotentem.* Nimirum, quia *annihilat multitudinem peccatorum.*

Chrys. in Mat. ser. 9.

Bern. de S. M. Magd.

Antequam præsenti discursui coronidem imponam, ad firmiter stabiliendam virtutis hujus efficaciam, absonum non erit succinctè duo sacra Scripturæ loca apparenter repugnantia enucleare: Patriarcha Jacob jam morti proximus, filios suos convocavit, ut quibusdam paternam impertiretur benedictionem, & quosdam defectuum atque errorum admoneret. Cùm autem à primogenito ordiretur, in hæc verba prorupit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Ecce Ruben, quia commaculaverat stratum patris sui, maledictione percutitur. Deut. cap. 33. Israëlitarum dux Moyses, vestigia Jacob secutus, immediatè ante mortem duodecim tribubus Israël benedixit: & incipiens quoque à primogenito Ruben, ait: *Vivat Ruben, & non moriatur.* Hîc obstupesco cum Theodoreto: Jacob ob infame incestus crimē Ruben maledicit: Moyses ei benedicit: Clamat Jacob: *Ruben non crescas:* intonat Moyses: *Vivat Ruben, & non moriatur.* quis hìc obsecro manifestam non videt repugnantiam? Potestne Propheta Prophetæ contradicere? hoc asserere, impium est ac blasphemum. Altum ergò sub his locis latet mysterium. Pro quo discooperiendo operæ pretium est, lepidam in mentem revocare fabulam, simul & veram historiam: Plebeus quidam, nomine Leander, matrimonio junctus nobilissimæ matronæ Faustinæ, quodam tempore quorumdam nobilium se ingessit consortio, qui indignati ob vilem ipsius ortum & ignobilitatem, eum à suo repulêre conventu. Hic tantâ affectus injuriâ, memor de arboribus fabulæ, illam ingenioso emblemate vindicare studuit. Fabula hæc est, quam narrat Isidorus. Arbores certo tempore inter sese convenerunt, ut de nobilitate, & præeminentia decertarent: quam ob rem quælibet suo ornata fructu prodiit. Oliva sese ob dulcissimum suum, quem producit fructum, super cæteras extollebat. Malus punica pulcherrimum simul ac saluberrimum fructum, scilicet malogranata ad suam elevandam nobilitatem ostentabat. Persicus, pyrus, palma, morus, cinnamomum, therebintus, nux, prunus, juniperus: in summa, quælibet de suo sese jactitabat fructu. Verùm primatum præ cæteris ficus ob suam prætendebat fertilitatem, eò quòd arbor bifera esset, & bis in anno suavissimos produceret fructus. Vitis sese de nobilissimo suo jactitabat liquore, qui lætificat hominum corda. Tandem in medium prosiliit ulmus, quam cùm cæteræ arbores infructiferam cernerent, confestim tanquam indignam suo consortio ejecerunt, ignique condemnarunt. Hac injuriâ offensa ulmus, sese nitidè depingi curavit, sustentantem vitem, adjunctâ ingeniosâ hâc epigraphe: *Abundantissima omnium.* Atque suam causam his verbis peregit: ô arbores, ecce, nisi ego vitem ramis meis sustinerem, ipsa supra terram inclinata serperet, nec pulcherrimos hos, quibus eam onustam intuemini, produceret botros: ego itaque *abundantissima omnium,* quia ipsa meam supplet sterilitatem. Hâc usus est Leander fabulâ, ex ea ingeniosum hoc conficiens emblema, artificiosè sese delineari curavit, ab una parte amplectentem uxorem Faustinam: ab altera, ulmum conjunctam viti: & infrà hanc addidit Epigraphen: *Supplet amica.* Sicque confusi recesserunt nobiles. Jus enim vigebat, quòd magnæ familiæ matronæ viris plebeis splendorem nobilitatis conferrent.

Gen. 49. v. 3. & 4.

Deut. 33. v. 6.

Ex hoc modò prætacta facilè enodabitur difficultas. Jacob, dum maledixit primogenitum Ruben, illum ut incestuosum considerabat, ideoque clamat: *Non crescas, &c.* Verùm, dum Moyses ait, *Vivat Ruben, & non moriatur,* eum charitate munitum, & misericordiæ splendore contemplatur coruscantem, atque excellentis charitatis ipsius erga Joseph actus memor, suam elargitur benedictionem. Etenim quando alii fratres in innocentem Joseph irâ stimulati, dicebant *Occidamus eū,* ait Scriptura: *Audiens hoc Ruben, nitebatur eum liberare de manibus eorū.* Audite Didonum in catena græca, *Non poterat Iacob non maledicere intemperanti filio, ad posteros deterrendos, debuit autem Moyses illū criminis culpâ liberare, quia Ioseph pepercerat.* Meritò itaque poterat Moyses ad Jacob exclamare: O Sanctissime Patriarcha! Fateor maledictionis tuæ fulmine, ob tam enorme crimē, dignus est Ruben, sed ecce, onustus est charitate: itaq; *vivat Ruben,* quia defectum hunc ipsa supplet, *annihilat enim multitudinē peccatorum.* Totum hoc clarè videtur attingere S. Gregorius: *Dicens*

Gregor. hom. 10. in Matth.

proprium fructum ulmus non habet, tamen portare fructum cum vite solet, & abundantius aliis. Sic & saculares viri, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant, supplet amica: dum enim pauperes, donis spiritualibus plenos, suâ largitate sustentant, quid aliud faciunt, nisi tanquam vitem cùm fructibus amicam charitatem portare. Cùm itaque nos, ô Christiani? cùm Jeremia exclamare cogamur: *Vide Domine & considera, quoniam factus sum vilis,* id est facti spiritualibus operibus vacui, contemplemur sedulò pulchertimam hanc amicam charitatem, non tantùm omnes defectus supplentem, verùm etiam annihilantem. Cui proinde appositè potest appropriari illud Psalmistæ, *qua habitare facit sterilem in domo,* nimirùm æternæ beatitudinis. Hinc Gregorius stupendos rarosque charitatis perpendens effectus: cunctos, ut eam arctè amplectamur, divinis his admonet verbis: *Charitatis & pietatis miracula amate: qua tantò securiora sunt, quantò & occultiora, de quibus apud Deum, eò major fit retributio, quò apud homines major est gloria.* Verùmtamen, quæ sunt, ô Gregori? charitatis miracula? Audite, quid respondeat: *Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur, qua à duobus praceptis incipit, sed se ad innumera extendit: quia juxtà dictum Sapientis Prov. cap. 10. universa delicta operit charitas;* Sed charitatis miracula, opera, & effectus luculentiùs honorifico hoc Augustinus exponit encomio: *In charitate pauper est dives: sine charitate omnis dives est pauper. Hac in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat. In duris passionibus fortis est: in bonis operibus hilaris est, in temporalibus ditissima, inter falsos sapientissima: in Abel per sacrificium lata: in Noe per diluvium secura: in Abraha peregrinatione fidelissima: in Moyse inter injurias levissima: in David tribulationibus mitissima: libera in Paulo ad urguendum: humilis in Petro ad obediendum. Humana in Christianis ad confitendum: divina in Christo ad ignoscendum. Quid dicam de charitate? Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ipsa enim est anima literarum, Prphetia virtus, sacramentorum salus, sapientia stabilimentum, fidei fructus, divitia pauperum* (& quod cuncta superat, subnectit) *vita morientium.* Undè, si ego interrogarer, quid dicis de charitate? Responderem eam fore Arcam Domini, Arcam fœderis, Arcam ab æterna morte præservatricem. Quapropter benignus Dominus hanc portantem eo modo tractat, sicut sapientissimus Rex Salomon sacerdotem Abiathar. Ille in Adoniam, Joab, & Abiathar acriter, sed justè stomachatus, Adoniam fratrem, Joab belli ducem, tot victoriis præclarum, ad mortem condemnat, verùmtamen Abiathar ejusdem criminis reo, misericorditer parcit: Sic namque ad eum ait: *Equidem vir mortis es, sed hodie non te interficiam.* Sed liceat mihi hnic replicare sententiæ, & à te petere, ô Rex! Cur Fratri tàm sævus, & Abiathar adeò ex ftis benignus? audite quid respondeat: *Quia tulisti Arcam Domini.* Sic inquam cùm homine, quantumcumque peccatore, si hanc Arcam portet charitatis, sese gerit Deus: clamatque ad te, ô sacrilegé! ô vindicative! ô luxuriose! ô invide! ô superbe! ô peccator! vir mortis es, & diro meo fulmine percuti promeruisti: *Sed quia tulisti Arcam Domini, non te interficiam*: quia exercuisti opera charitatis, manum cohibeo, quia illa *operit multitudinem peccatorum.* Hinc ait S. Hieronymus: *Non memini me legisse aliquem malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Eja itaque Christiane, ad hanc Arcam confuge, hanc amplectere amicam, quæ tua supplet peccata. Quilibet rogat *moriatur anima mea morte justorum;* ecce hæc *vita morientium*, peccatorum asylum, ac unicum reorum refugium. Ad hanc ergò (rursùs repeto) recurre, ut per hanc in æternum, cùm eo, qui *charitas est* regnare valeas, quod mihi & tibi concedat Dominus Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

Marginal notes: *Trenorum c. 1. v. 11.* — *Psal. 112. v. 5.* — *Greg. in suo pastorali.* — *Greg. l. 1. mor.* — *Proverb. c. 10. v. 12.* — *3. Regum c. 2. v. 26.*

❧(o)❧

FERIA

FERIA SEXTA
Quadrageſimæ.

Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros. Matth. cap. 5.

QUando laudabilem, quam hodiernum nobis pandit Evangelium, contemplor legem, mihi videtur Chriſtum ad inſtar cæleſtis medici ad medenda animæ vulnera, Hypocratis corporalis medici uſum fuiſſe regulâ: *Contraria contrariis curantur.* Ecce, mundus & pernicioſa diaboli ſchola rigoroſiſſimè docet in inimicos vindictam. Paradiſus verò & ſalutare Chriſti gymnaſium benignam iis exhibendam demandat veniam, mundus inimici extollit odiũ: Chriſtus pius & clemens exaltat charitatem: iſte clamat cum ſtoicis & Epicuræis, ut inquam hominum cordi firmiter imprimat vindictæ politicam, *amare amicum, & inimicum exhorreſcere naturæ eſt conveniens*, è contra hic, ut illam radicitus evellat, clamat: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.*

Verumtamen quàm plurimi contrà hoc præceptum Chriſto refractarii replicant, dicentes: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire illum?* Ergò inquiunt: teneorne eum amore proſequi, qui me inſatiabili odio inſectatur? eum beneficiis prævenire, qui ſitibundus meo inhiat ſanguini? debeone amicabiliter illum amplecti, qui me torvo vultu averſatur? ſic Chriſtiana lex mandat ô Chriſtiani! *Ego autem dico vobis &c.* O lex dura reclamat homo, iniqua, ipſique repugnans naturæ! ratio vindictam exigit, experientia comprobat, ipſaquemet natura. Docent plurimi, & ſanè non infimi Philoſophi, occiſum cadaver in violenti aggreſſoris atque inimici præſentia è vulnere ſanguinem emittere, quaſi hic homicidii perpetrati foret teſtis, ſimul & vindictæ advocatus. Quis, ſi veteres perluſtraverit hiſtorias, ignorat, ſanguinem Julii Cæſaris contrà perfidos homicidas Brutum & Caſſium, eorumque aſſeclas juſtam indies articulatâ voce, demandaſſe ultionem? quis Thebanorum annalium gnarus denegabit radicatum duorum Fratrum Etheoclis & Polinicis odium, dum cineres amborum corporum, eidem impoſito tum buſto, ſeſe invicem non ſupportarunt, ejectis unius ad Orientem, alterius ad Occidentem, cunctis ſtupentibus Thebarum incolis & clamante præ admiratione eorum ſorore Antigonâ: *Vivunt odia improba vivunt.* Quod idem ex græco refert Auſonius: *Nec ſtygiis lucis ineunt ſua fœdera Fratres.* Quis non admiratur ſtupendum naturæ prodigium, quòd pòſt luctuoſam populi Agathoni & Agathæi ſtragem contigit, nimirum, quod ſanguis cæſorum in terram effuſus antiqui tenax odii inimicorum ſanguini dedignatus fuerit commiſcêri? ſi itaque natura ipſa tantopere contrà ſeverum hoc reluctetur præceptum: quomodo cor humanum ſeſe illi tàm facilè ſubjiciet? profectò *durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire illū? ego autem dico vobis &c.* Huic querelæ S. P. N. Auguſtinus videtur adhibere favorem, exclamans: *In omnibus mandatis nihil mirabilius & difficilius eſt, quàm, ut ſuos quiſque inimicos diligat.* Verùm ſeſe divinè explicat. Fateor, inquit magnus hic Doctor ingenuè, primo intuitu ſimile præceptum legi naturali apparet repugnare, adeòque nodum hunc arbitror attigiſſe Pſalmiſtam Pſalmo 16. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Verùmtamen, quandoquidem omnis Dei lex, teſte Matt. obſervatu ſit facilis, *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quomodo dura & amara, judicatur? præcipuè ubi Joannes quoq; dicit: *& mandata ejus gravia non ſunt.* Audite quid reſpōdeat: *utrumque verum eſt, gravia ſunt timori, & levia amori*, amanti namque Deum creatorem, ſimul ac redemptorem nihil eſt difficilè. Patri ſuo pius concinit Filius, S. Thomas à Villa Nova: *Homini carnali, mundano, vitioſo, ac præterea fragili, debili, & infirmo graviſſima apparent; non quia in ſe gravia ſunt, ſed quia ipſe non habet vires, ad portandum ea.* Et alibi prolixiùs teſte eodem Thomâ Auguſtinus: *Multa præcepta Domini ſuâ imbecillitate, & non ſanctorum viribus æſtimantes putant eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt; & dicunt ſufficere non odiſſe inimicum. Cæterum* diligi-

Ioan. c. 6. verſ. 16.

Auſon. Epig. 136.

Pſal. 16. v. 4.

Matt. 11. v. 30.

Ioan. c. 5. verſ. 3.

Aug l. de nat. & gra. c. 9.

Thomas à Villa Nova feria 6. ante 1. Dom. quadrageſ.

præcipi,quam humana natura patiatur. Dicunt enim: quomodo possum diligere illum, qui ex animo me odit? qui famam meam denigrat? qui sanguinem meum sitit & mortem? meorum operum criminatorem, reprehensorem, convitiatorem, mearum virtutum detractorem? sed audite quid subnectat: *quàm benè congruit illis illud Poeticum, noctua phæbaum visu non sustinet orbem, hoc Iovis armigero quoque computat esse negatum; sic quod ipsi non valent, omnibus reputant impossibilia.*

Verùm, ut detestanda hæc ab excæcata Christianorum mente removeatur dementia, sicque & lex levis fiat; tria vel quatuor pro hujus actus declaranda eminentia efficacissima producam argumenta. Primum, quod condonare receptas ab inimico injurias actus sit gloriosissimus, non humanas dumtaxat, sed & divinas includens perfectiones. Secundum, spectandam esse supremam legislatoris, qui Christus est, authoritatem, *ego autem dico vobis &c.* Tertium, quod ipsemet Christus ad amussim, & strictissimè, cunctis præbens exemplum, propriam legem adimplerit. Quartum, quod condonare inimico, misericordiæ divinæ, & peccatorum nostrorum remissionis sit origo: è contra vindicta ejusdem obturatio. Quod priusquam ostendere aggrediar, unanimiter divinam per sanctissimam virginem Mariam imploremus gratiam dicentes: *Ave gratia plena.*

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros Matth. cap. 5.

QUandoquidem iniqua illa diaboli schola, vindictæ congruæ plausibiliter subministrans rationem, tot malè edocuerit discipulos, quorum cordibus ac animis sub falsa virtutis larva iniquam ultionis inimicorum impressit politicam, sustinens actum charitatis, & condonationis non esse, nisi hominis socordis, hebetis ingenii, inanimositatis ridiculæ constantiæ, & nobili gravique viro indignum, hunc ego nobilem, probum, Christianæ mentis indicium atque immotæ patientiæ testimonium, tùm ex profanis ethnicorum Historiis, tùm ex sacra dilucidè demonstrare exordior Scriptura.

Pericles Atheniensium dux potentissimus, à plebæo & vili cive variis lacessitus injuriis, vindicativâ quamtumvis polleret potentiâ, eas flocci pendens, solo naturæ lumine ductus, suis famulis dixit, teste Plut. *Ite & hunc familiarissimum meum in domum suam reducite.* Ob quem eminentem actum à tota Republicâ hoc honorifico insignitus est encomio, *princeps bonus.* Nec immeritò, inquit Themistocles, *quia apud virum bonum citò moritur iracundia: si magnanimus fueris, numquam judicabis tibi injuriam fieri.* Hinc Seneca hanc præter cunctas principum dominantium necessarias extollens virtutes, constanter ait: *Nihil ex omnibus magis decet principem, quam clementia, magni enim animi proprium est placidum esse tranquillumque, offensas & injurias remittere, muliebre enim est itigare, & moram suæ iræ gerere.* Quapropter ipse volens ostendere quantas coruscanti Alexandri gloriæ ac Majestati vindicativum in Calisthenem scelus obtrusisset nebulas: in mordacia hæc prorupit verba: *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit, occidit Persarum millia multa, opponetur & Calisthenem. Quoties dixeris, quia omnia Oceano tenus vicit, dicetur sed & Calisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum, principumque exempla transierit, ex iis, quæ fecit, nihil tam magnum erit, quàm scelus Calisthenis.* Proindè Adrianus Imperator in quemdam justissimè stomachatus, regiæ suæ admonitus dignitatis, quam dedecet vindicta, & cui omninò quadrat clementia, ei osculum pacis per famulos misit, veniamque ultrà concessit, secutus Theodeadi vestigia, dicens, ut ait Cassiodorus: *Mutavimus cum dignitate propositum, & quod antè justè, & strictè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus;* ne scilicet gloriam suam imperialem ultionis fæce ac sorde commacularet. Hinc Philippus Macedo, teste Plutarcho, consulentes, ut acerbè rebelles Athenienses, jam debellatos tractaret, *absurdè sentire dixit, quia tot tantâque gloria causâ agentem ac tolerantem, juberent gloriæ theatrum convertere.* Et ideò quoque cantat Ovidius: *quò quisque est major, magis est placabilis ira, & faciles motus mens generosa capit.* Quintus Curtius narrat Julium Cæsarem pòst insignem de inimicis reportatam victoriam cunctis captivis desideratam misericorditer impertiisse libertatem. Quo intellecto, quidam illius familiaris aulicus dixit: *Absque comparatione hesternâ gloriosior hodiernâ effeceris victoria.* Phocionis militarium reipublicæ Atheniensis copiarum supremus dux jam innocenter, ut celeberrimus commemorat Historiographus Elianus & Plut. ad mortem condemnatus, dum ei fatalis intoxicatus scypus exhauriendus præberetur, num aliquid dictum filio vellet interrogatus, ad instar Christiani (imò quod

Seneca l. de clement.

Sen. l. de ira cap. ultimo.

Cassiodor. l. 10. variar. vari.

Ovidius. Curius l. 4. Historiar.

Elianus l. 12. de variis hist. Plut. in vitam Phocionis

quod pudet fateri, plusquàm christianè) respon-
dit: *Mando hoc ei, ut obliviscatur potus hujus, quem nunc ab Atheniensibus mihi propinatum innocens ebibo.* Cùm intereà temporis filius, ultimũ
dilecto Patri amplexum daturus, festinanter ac-
curreret: divinâ eum hâc erudiit doctrinâ: *Ego,
mi fili, te obnixè rogo, ne quid, ob injuriam mihi
nunc factam, Atheniensibus malè velis, qui in-
sontem condemnarunt.* Imò eò usque invicta ani-
mi ipsius progressa est constantia, adeò stupenda
exstitit mentis & vultus serenitas, ut conquerenti
illi, qui exitialem potum præpararat, sibi nondum
satisfactum esse: subridens ejus pretium persolve-
rit. Ob quem præclarum actum summopere ob-
stupefactus præfatus auctor exclamat: *Si cui non
videbitur Phocionis animus extollendus, eum ego
à magnarum, & præclararum rerum meditatione
alienum puto.*

Rursus, & quidem ab irrefragabili ecclesiæ Do-
ctore Augustino admiranda Julii Cæsaris exalta-
tur clementia; qui, dum captivo Catonis filio,
benignus exstiterat; intellecto, illius patrem, infe-
stissimum quantumvis inimicum, propriá manu
sibi mortêm intulisse, vehementer indoluit, & ge-
mebundus exclamavit: *Quid ergo est, nisi quod fi
lium, quem tantùm amavit, huic parci à Cæsare
& speravit, & voluit, tantum gloriæ Cæsaris ipsius,
ne ab illo sibi etiam parceretur, invidit, haud vide-
tur, ut nos aliquid mitius dicamus, erubuit.* Ecce Aug. l. 1.
omnem gloriam in condonationis actu pius Cæ- de civitate
sar collocabat. Nec mirùm, quia, ut rectè de hujus Dei c. 23.
excellentia ratiocinationem concludit encomia- Sen. loco
sticam Seneca: hæc hominem sublimat? *Sola sub* citato.
*limis & excelsa virtus est, nec quidquam mag-
num est, nisi quod simul est placidum.* Ubi estis
nunc veneno vindictæ intoxicati depravati hujus
sæculi sequaces, atque diabolici magistri incauti
scholares: ecce vos confundunt, docent, admo-
nent, exhortantur fide Christianá imbutos, cæci
gentiles ratione dumtaxat naturali illuminati.
Vos acriter arguunt supremam actui benignitatis
attribuentes nobilitatem, cui vos pertinaciter per-
fidam ignominiæ inuritis notam.

Verùm, ut vestra hac in re manifestiùs innotes-
cat dementia: prolixiùs supereminentem illius
dilucidemus gloriam, atque nobilitatem 1. Reg. c. 1. Regum
24. mirabilem sacra Scriptura commemorat even- cap. 14.
tum: David à facie irati, furentis & obstinatè inse-
quentis regis Saulis fugiens, cognito, illius festi-
nantem militem celeriter appropinquare, in spe-
lunca Engaddi sese abdidit, quam ingressus est
Saul *ut purgaret ventrem.* Quâ nacti occasione Vers. 4.
servi David, illum ad vindictam instigarunt ac ju-
stam iram: *Et dixerunt servi David ad eum. Ecce
dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam* Vers. 5.
tibi inimicum tuum, etiam cùm libera vindicandi
potestate, *ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.*
Verumtamen magnificam præclaræ mansuetudi-
nis virtutis, vili & ignominioso vindictæ actui
postponens gloriam: animum suum ab ira cohi-
buit. *Surrexit ergo David & præscidit oram chla-* Vers. 5.
*mydis Saul silenter. Dixitque ad viros suos: propi-
tius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domi-
no meo.* Cumque jam, exonerato ventre, Saul cæp-
to itinere pergeret, David illicò surrexit, *egressus
de spelunca,* clamavit pòst tergum Saul dicens: *Ec-
ce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Do-
minus in manu mea, in spelunca: & cogitavi, ut
occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Et in sig- Vers. 11.
num, ac evidens veritatis testimonium subjunxit:
*Quin potius Pater mi vide, & cognosce oram chla-
mydis tuæ in manu mea: quoniam, cùm præscide-* Vers. 12.
*rem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere
manum meam in te.* Quo audito, Saul summopere Vers. 18.
obstupefactus, *levavit vocem suam, & flevit, di-
xitque ad David: justior tu es, quàm ego: tu enim
tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.
Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quo-
modo tradiderit me Dominus in manum tuam, &
non occideris me.* Et paulò pòst regnum Davidi
prognosticat: *Et nunc scio, quod certissimè regna-
turus sis super Israel, & habiturus in manu tua
regnum Israel.* Hic hæret os aureum S. Chrysost.
nec scintillam fundati expiscari valens præsagii Vers. 21.
exclamat ad Saul: *Dic mihi obsecro, undè hæc lo-
queris? quæ signa, quæ regalis Majestatis in Davi-
de indicia? ipse se canem mortuum confitetur, &
pulicem, quem persequeris Rex Israel? quem perse-
queris? canem mortuum persequeris, & pulicem u-
num.* Et tu ei regiam prædicis dignitatem? *Nunc* Chrysost.
scio &c. Unde quæso ista loqueris? deindè penes te hom. de
sunt exercitus tui, penes te sunt pecuniæ tuæ, arma David. &
& civitates, equi & milites, universa vis, appa- Saule.
*ratus regius. Hic contrà desertus & nudus, nec civi-
tatem, nec domum habens. Undè ergo ista loqueris?*

Pro enodatione hujus difficultatis operæ pre-
tium est admirabilem boni latronis, in cruce pen-
dentis, petitionem in mentem revocare. Hic fixo
intuitu infami trabi affixum benedictum con-
templans Christum, toto corpore sauciatum, illi
hunc offert libellum supplicem: *Domine memen* Luc. c. 23.
to mei, cùm veneris in regnum tuum. De quo quo- v. 42.

que obstupefactus Rupertus latronem interrogat his verbis: *Dic mihi regnum petens, quid vidisti, unde istud petas quod enim conspicuum est, clavos & crucem cernis.* Ac si diceret ô felix latro! quid quæso regalis in misero hoc crucifixo intueris Majestatis? Ubi ejus thronus? an forsitan dura crux, cui crudeliter est inclavatus? ubi sceptrum? ubi purpura? ubi regia corona? Ah! pro sceptro cernuntur clavi, pro purpura, non nisi undique dilaceratum apparet corpus, in quo à planta pedis usque ad verticem non est sanitas. Ecce loco aureæ, benedicto ejus capiti pungentissima è spinis composita est corona, non quæ illud honorat, sed severè terebrat, *quid ergo vidisti, unde istud petas?* audite qùid ad hoc respondeat præfatus author: Christus intonaverat, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, pro inimicis suis veniam petierat, ac propriis crucifixoribus indulgentiam expostularat, è quo actu illud latro eruebat argumentum: condonare inimicis regium est, hic crucifixus, non tantùm inimicis condonat, sed etiam gratiam à Patre rogat: Ergo est Rex. Ideòque ait: *Domine memento mei, &c.* Et benè, *rectè enim,* inquit, *eum, qui pro crucifixoribus rogat, Deum fatetur & regem.*

Nunc elucescit ratio quàm solido cùm fundamento Saul Davidem regem futurum præsagierit. *Nunc scio, quod certissimè regnaturus sis super Israel.* Ecce enim ipse sine ulla prorsus divinæ Majestatis offensione, mortem Saul inferre poterat, teste Scriptura: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, quod placuerit in oculis tuis.* Idque factu erat facillimum, ut per se patet. Et tamen inimico etiam capitali, & in flagranti persecutionis delicto comperto benignè parcit. Ah! quàmplurimi in inimicum excandescentes, ei externè apparent condonare; quia vel opportuna deest occasio, vel valida potentia: verùm in Davide nihil omninò remanet obstaculi; & tamen suam à vindicta retrahit manum. Quem actum condonandi maturè ponderans Isiodorus exclamat: *Magna est virtus si non lædas, à quo læsus es, magna fortitudo, si læsus remittas, magna est gloria, si cui potuisti nocêre, parcas.* Cernens itaque Saul hoc magnificum & regium opus, rectè Davidi prognosticat regnum, *nunc scio, &c.* Regium est enim condonare injurias: imò hoc opus omnem planè apportat gloriam

Attendite auditores de admiranda Davidis contra Goliath Chrysostomum differentem victoria, quam huic illius longè postponit actui: *Hæc est gloriosa victoria; egressus est enim exultans magis, quàm cum Goliath dejecisset, & Barbari caput amputasset; siquidē hæc illâ magnificentior erat victoriâ, hæc gloriosius trophæum.* Et cur? tandem aureis aureum os concludit verbis: *Qui enim læsus inimicis parcit, jam gloriæ coronam habet in capite:* ob quam causam Evangelista Matthæus Christi describens genealogiam, binam regiæ Majestatis (cæteris prætermissis) Davidi imponit coronam,
eumque bis regio honorat titulo. *Iesse genuit Da-* Matth. c.
vid Regem, David autem Rex genuit Salomonem; 1. v. 3.
quia nimirum Sauli persecutori, & filio pepercerat rebelli, clamans: *Servate mihi puerum Absolon.* 2. Regum
Unde ipsemet à Domino misericordiam expostu- c. 18. v. 15.
laturus ait: *Memento Domine David & omnis
mansuetudinis ejus.* Et meritò: ipse enim stirpis Psal. 131.
inimici sui Saulis superstites (rarum sanè mansue- v. 1.
tudinis exemplum) accersiri mandavit, non ad vindictam sed ad impertiendam misericordiam, ut patet ex 2. Reg. c. 18. *Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei?* Et invento Miphiboseth ait: *Ne timeas: quia faciam in te misericordiam & restituam tibi omnes agros Saul Patris tui & tu comedes panes in mensa mea semper:* de quo admiratus Chrysost. exclamat: *Quid illius mensâ sanctius, quam cingebant filii hostis inquam occidere conati, in qua tam multæ abundant benedictiones.* Cui consonat Damianus: *Magnum quidē & ultra hominem est asperitatē verborum, & verberum non pati tantùm, sed & non reddere. Illud verò majus est, & divinum quoddam sapit, bene facere iis, qui oderunt vos.*

Verùm cùm modo mentio Christi inciderit genealogiæ: recordor curiosæ, quàm super illam habet Rupertus, animadversionis. Matthæus exacte, tam regiam, quàm sacerdotalem enarrare in- Matth. c. 1
cipiens progeniem, exorditur his verbis: *Liber ge-* v. 1.
nerationis Iesu Christi Filii David, Filii Abraham. In quo turpiter primo intuitu divinum errasse apparet genealogistam; cum Abraham, qui tam multis centenis annis David antecessit, postponat. Quod directè justæ & bonæ repugnat genealogiæ (ut cuique est notum) unde debuisset eam incepisse ab Abraham: *Liber generationis Iesu Christi, Filii Abraham.* Evangelistæ verò errorem imponere, blasphemum est, quandoquidem id ipsum confirmet Apost. *Qui factus est ei ex semine* Rom. c. 1.
David. Sed quid quæso hîc latet mysterii? illud v. 3.
detegemus ex Abrahæ & Davidis vitæ discussione. Abraham vir fuit hospitalitate laudandus, & obe-

obedientiâ præclatus. Utpote, qui in tantùm divino sine cunctatione obtemperavit præcepto, ut etiam unigenitum suum Filium, quem diligebat Isaac, Domino immolare fuerit paratus. David verò totus charitate fervidus, amore plenus, mansuetudine excellens, inimicisque injurias remittens, qui actus adeò divinæ complacuêre Majestati, ut immediatâ (saltem juxta titulum) ante Abraham justum & obedientem, donari promeruerit paternitate. Sic apposité censet Rupertus inquiens: *Ratio docet, majoris meriti fuisse pepercisse inimicis propter Deũ, quàm non pepercisse unigenito propter Deum, hoc fecit David inimico infestissimo regi, quærenti animam suam. Ob hanc causam maximè juratum illi arbitramur, quod semen vel caro ejus assumenda esset in Filium Dei, quia maximè causa ista facit esse Filios Dei.* Juxta irrefragabilem ipsiusmet Christi doctrinam: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est, ut Filii Patris vestri sitis.* Id ipsum rursus egregiè comprobat alius ejusdem Psalmistæ locus Ps. enim 109 ait: *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Qui sanè non minorem prætactâ, videtur parere difficultatem; *eò enim donec* juxta ethymologiam Christum, extremo finito judicio, sessione à dextris Patris privandum indicat, quod falsum est. Illud exemplo dilucido: si Petrus Joanni, inito contractu, spondeat victum & amictum, vel certam pecuniarum annuatim persolvere summam, sub hac clausula: donec ad annum trigesimum pervenerit, eo tempore exspirato, Petri erga Joannem cessat obligatio. Pariformiter, si Christus tantùm sedeat, donec universaliter de cunctis ejus inimicis rigorosa sit vindicta: sequitur, &c. Quid itaque hâc loquendi methodo innuit Spiritus S.? hunc nodum dissolvit Doctissimus Rupertus dicens: cum hic intendere significare, tum finiendam esse illam gloriam accidentalem, quâ inimicis peccatoribus condonando, ac pro iis adinstar advocati juxta Apostolum interpellando fruebatur. *Benè, inquit, donec addit David, quia Christus post inimicorum vindictam, gloriam perdet, quæ in inimicorũ dilectione consistit.* Concludo itaque honorificum & gloriosum fore suo ignoscere hosti, cui conclusioni non tantùm subscribit Statius hisce verbis: *Nil gloriosius atque nobilius, quàm offensam in dilectionem commutare.* Verùm etiam ipsimet vindicativi suo damno, & æterno illuminati supplicio ad invicem, sed serius, & frustra clamantes: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem eorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

Luc. c. 6. v. 36.

Psal. 109. v. 1.

Sapientia cap. 5. vers. 4. c. 5.

Audistis credo, ô Christiani! actum condonationis & charitatis erga inimicum existere gloriosum, imò & certum futuri Dominii regniq; præsagium. Vultis nunc dignoscere, an in æternum in beatitudinis monarchia cum Deo (ad quod omnes anhelamus, suspiramus, collimamus) sitis regnaturi? intrate intima cordis vestri penetralia, pulsate ad ostium conscientiæ vestræ, examinate, si animum rancores, odia, inimicitiæ & iniqua vindictæ non possideant desideria; quod si non, securè dicite: nunc scimus, quia regnaturi sumus, nam ut rectè ait S. Bonaventura. *Nulla virtus certior est divinæ dilectionis, & prædestinationis indicium, sicut in injuriis patientiam habere.* Si secus, manifestum reprobationis, æternæq; damnationis præsagium. Utrique dicti mei membro clarissimè adstipulatur clarissimum illud ecclesiæ sydus Augustinus dicens: *Qui enim talem charitatem habet, ut amicos & inimicos diligat, illius cælestis Ierusalem portas apertas merebitur intrare, qui autem non vult habere hanc charitatem, ex omni parte clausas portas inveniet.* Jejunet enim homo usque ad maceriem, elargiatur eleemosinam ad paupertatem, patiatur succensam Laurentii craticulam, acutum Pauli gladium, duram Petri & Andreæ Apostolorum crucem, & reservet dirum in corde contra proximum odium & vindictam: *Clausas cæli portas inveniet.*

Elianus lib. 2. de animalibus commemorat, aquilam ex naturæ instinctu miro uti modo, ut inter pullos legitimos & illegitimos discernat. Eos adhuc implumes radiis solis exponit, quod si fixis oculis eum intueantur, tanquam legitimos fovet, & diligit. Quod si illos claudant, tanquam spurios è nido in terram dejicit. Idem attestantur Plinius & Augustinus. O Christiane! vis dignoscere an sis ex Dei electis & prædestinatis? soli justitiæ Christo te oppone, perscrutare cor tuum, & vide, an ab ejus mandatis non devies, ac declines. Utere infallibili primæ veritatis trutinâ: *In hoc cognoscetis omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.*

Elian. l. 2. de animal. cap. 26.

Plin. l. 10. cap. 3.

Aug. t. 9. tract. 36. in Iohan.

Hoc horribilis quædam (quam narrat S. Gregorius) stabilit historia, & hanc sui tempore pontificatus contigisse affirmat. Quidam nobilis (nomen tacet, ne fortè aliqua familiæ igno-

Greg. lib. mora.

miniæ inureretur nota) evidentissima in cunctis demonstrarat humilitatis, hospitalitatis, atque omnium (ut paucis dicam) virtutum specimen dederat. At sub fallaci amicitiæ larva contra quemdam inimicum, externam desiderabat vindictam, & impos capescendæ occasionis, radicatum usque ad mortem prosecutus est odium, sicque obiit; funeralia facta, & exequiæ celebratæ solemnes. Pontifex Gregorius in sacello, quod modò in vaticano Romæ videtur, ab ipso fundato, & exstructo, gratitudini satisfacturus, atque pro anima defuncti deprecaturus, pontificali ritu altare adiit, in eo incruentum sanguinis & corporis Domini sacrificium oblaturus. Incepit juxta laudabiles Romanæ Ecclesiæ ceremonias missam; ubi autem ad memento pervenit dicens: *Parce Domine animæ huic*, repentè reclamantem audiit vocem, *non parcam*. Hæsit non tantùm & obstupuit, sed sudore plenus, nimioque timore percussus, quid hac in re agendum foret penes se tacitè deliberavit. Constantia vicit pavorem, & ingemiscens lachrymis commixtam edidit, & reiteravit submissè vocem: *Parce Domine animæ huic*: cui denuò fatalis correspondit echo, *non parcam*. Tandem, quamvis plusquam antè attonitus, audacior factus, à Domino severæ exegit rationem sententiæ: & ecce vox de cælo dilapsa: *Non parcam, quia non pepercit*. Ne itaque ô Christiani! simili subjiciamini judicio, parcite inimico, obedite Christi præcepto, *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*. *Quia judicium ei sine misericordia, qui non fecerit misericordiam*. Nec mirùm, quia tu ipse vindicative tuam in te ipsum fers sententiam, ut rectè notat Leo super hæc Lucæ verba: dimitte, & dimittetur. *Quid hac justitia benignius? quid hac retributione clementius? ubi sententia judicaturi, in potestate est judicandi. Ne, dum negas Fratri misericordiam, claudas Patri indulgentiam*. Sed de hoc latius infra, ubi, quartum inimici dilectionis discutiemus motivum.

Modò ad secundum primi accedamus membrum, & ostendamus actum illum etiam divinas comprehendere prærogativas. Pro fundamento mirificam arripio Cypriani sententiam, *divina*, inquit, *est generositas inimicis condonare injurias*. Unde Christum nunquam manifestiora Deitatis ostendisse judicat testimonia, quàm, dum in cruce pendens, pro suis ad Patrem exoravit crucifixoribus. Etenim (ut narrat Matthæus) perpetratis insignibus miraculis: odiosis & scommaticis à Judæis honorabatur titulis, *seductor ille adhuc vivens dixit, post tres dies resurgam*. & cap. 11. *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*. Rursus Lucæ cap. 11. *In Belsebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. At ubi inimicis misericors condonavit Dominus: *Pater ignosce illis*, eum filium Dei esse, quàm plurimi cum Centurione confessi sunt. *Verè filius Dei erat iste*. Et sanè ex aliis signis (quamvis præstantiora & evidentiora antea demonstrasset) dignoscere poterant Christum verum Dei fore Filium, ut ex terræ motu, ex solaris luminis obfuscatione, petrarum scissione, &c. Verumtamen, dum eum adeò afflictum audiêre vociferantem, *ignosce*: divinæ ejus subscripserunt filiationi. Et rectè, quia, ut inquit Chrysostomus. *Nihil facit hominem ita Deo similem, sicut inimicis esse placabilem*.

Cyprian. lib. 3. de zelo.

Matth. c. 27. v. 63.

Matth. c. 11. v. 19.

Luca 11. v. 15.

Matth. c. 27. v. 54.

Chrysost. hom. de Davide & Saule.

Non absona præsenti instituto de bino Christi adventu, utriusq; diversitate institui posset quæstio: nimirum, cur Christus, dum in primo mundum ingreditur, Filius æterni Patris agnoscitur, ut fatetur Evangelista Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. E contra in secundo adventu, dum in Majestate, & splendore universum judicaturus apparet mundum, non honorifico Filii Dei, verùm vili, & abjecto filii hominis insignitur titulo, teste Matthæo: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majestate*. Quod videtur rectæ rationi repugnans; Tum enim maximè, quando in gloria, & qualitate justi judicis prodit, filiationis divinæ elogio condecorari debebat Ratio huic difficultati reddenda, non adeò apparet facilis, quia nimiùm mysteriosa. Pro nunc, quàm plurimis relictis, supra duo hæc loca interpretationibus, adhæreo divo Cypriano, qui ingeniosè annotans in secundo adventu Christum venturum vindicativum, & omnia delicta discussurum, ei titulum Filii Dei non audet adscribere; verùm ubi è cælo descendit peccatorum culpam persoluturus, charitatisque memor, inimicis insignia portat pacis, illicò Dei Filius nuncupatur. *Si enim*, inquit Apostolus: *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus*.

Ioan. c. 3. v. 16.

Matth. c. 24. v. 30.

Huic veritati & alia adstipulantur Scripturæ loca. Matth. cap. 3. Manifestè declaratur æternum Patrem Christum unigenitum suum in baptismate, simul & dilectum pronuntiasse Filium: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Verùm, dum ipse in cruce medius inter

Matth. c. 3 v. 17.

duos

duos latrones pendet, dum rapidis intolerabilium tormentorum obruitur fluctibus, dum à cunctis derelictus, in furentium Judæorum versatur manibus, atque omni humano destituitur subsidio, æternùm pro juvamine interpellat Patrem, exclamans: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me:* Matth. 27. v. 46.
non exauditur, quantumvis his verbis videatur dicere: O Pater cælestis, tu me tuum bis pronuntiasti dilectum fore Filium: Ubi nunc quæso amoris tui indicium? Ubi paterni affectus signum? Ubi dilectionis testimonium? Ah! me inclavatum, diris flagellis flagellatum, pungentibus spinis coronatum, crucisque trabi affixum cernis, nec me Filium suum proclamas? O dura sors! ecce densissimis Divinitas mea obfuscatur tribulationum nebulis. Et non Deus, verùm etiam nec homo appareo, *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ps. 21. v. 7.
Nunc, nunc divinâ tuâ opus est declaratione: nunc de cælo vox intonans me tuum manifestet Filium. Sed heu! Frustra conqueror: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Altum hoc æterni Patris silentium profundum indubiè continet mysterium. Verùm quod illud detegit doctissimus Tertullianus, dicens: *Tum satis omnibus cruci adstantibus divinam Christi innotuisse filiationem, quando in crucifixores benignus, ipse pro iis veniam ad Patrem, clamans, ignosce illis, &c.* Tertull. l. de patient. cap. 3.
Quia virtus condonandi inimicis prorsus est divina, ac proinde vox cælestis Christum Deum fore denuntians planè, frustranea censebatur. *Hinc maximè Deum & Dominum*, inquit, *agnoscere debuisti, quia ad hanc patientiam hucusque nullus hominum penetravit.*

Nec huic præclaro actui SS. PP. tantùm divinam adscripsêre perfectionem, sed etiam gentiles solâ ratione ducti. Testantur enim veteres delirantium idololatrarum annales, Lycurgum Lacedæmoniorum legislatorem Apollinis templum ingressum, his versibus ab oraculo fuisse honoratum:

Tu mea nunc in opima gradum fers templa Lycurge,
Chara Iovis soboles, cælique tenentibus axem:
Tene Deum dubito, an mortalem dicere fas sit?
Sed divum magè dicendum te credo Lycurge.

Quod mirificum Themistius admiratur elogium, indagat, quid tantæ excellentiæ & virtutis oraculum in Lycurgo intuitum fuerit, ut ei illud adscripserit: *Cur Deum*, inquit, *eum potius ô Apollo appellas? an quòd celeberrimas victorias princeps ille reportarit?* Et respondet: *Miti ac pacato adeò ingenio fuit, ut eum, qui ipsi in concione oculum eripuerat, cùm lapidibus obruere vellent Lacedæmonii, servarit, & à supplicio vindicarit.* Ecce diabolus ipse, qui per oraculum loquebatur, etiam clementiæ & injuriarum condonationi ipsam attribuit divinitatem.

Haud dissimilem reverentiam quodam tempore Ephestioni intimo Alexandri Magni amico Jovem exhibuisse refert Herodotus: huic enim eo, quo cuidam hosti insignem remiserat offensam die, templum Jovis visitanti, ipsemet assurrexit, eique proprium suum thronum obtulit, dicens: *Nunc Ephestio æqualis, & similis Deo factus es, ideoque thronus Iovis tibi convenit.* Nec idipsum diffitetur Seneca, sed apertissimè adstipulatur in epistola ad Marcellum Imperatorem: *Domuisti*, inquit, *gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles: sed tamen ea vicisti, quæ naturam & conditionem, ut vinci possent, habeant. Verùm animum vincere, & iracundiam cohibere, hoc qui fecerit, non solùm cum summis viris comparabo, sed simillimum Deo existimo.*

Adeste, adeste hîc ô mundani! ô animi vindicativi! accurrite ad Ethnicorum scholam, & vel in ea Christianam discite clementiam. Penetrate ô zelosi mundani honoris amatores! nobilem injuriarum remissionem, & in ea, tanquam in crystallino speculo, mirificam contemplemini honestatem. Attendite, quàm fallaci in diaboli Academia imbuti sitis politicâ, plus Epicuræâ, quàm Christianâ, dum inconsideranter imaginamini condonare inimico, certum ignaviæ & socordiæ esse signum, ac manifestum pusillanimitatis indicium, & actum honori omnimodè nocivum, & vituperandum. Erratis, erratis, ô fatui! potestne ille, qui verax est & justus, cunctis mandatum injungere famæ suæ contrarium? Neutiquam sanè; clamat enim per Sapientem: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri & magni.* Eccl. 41. 15.
Et Proverb. cap. 5. *Ne des alienis honorem tuum.* Prov. 5. 9.
Deus autem non nisi honorificum mandat. Unde ait Salomon: *Memoria justi cum laudibus, nomen autem impiorum peribit.* Prov. 10. v. 7.
Sed heu! quàm paucis, qui etiam tenacis honoris auditi ambiunt zelatores, bonæ famæ student, & nomini! dic mihi proterve adolescens, estne honorificum virgines stuprare & cor-

corrumpere? aliorum conjuges non tantùm appetere, sed blanditiis & subdolis incitamentis solicitare: viduas pervertere? gloriosumne est, ô concubinarie! domi concubinam alere, ut cum ea pro tuo beneplacito, & carnali desiderio luxurieris cum familiæ opprobrio, amicorum cordolio, ac non parvo Reipublicæ scandalo? Estne magnificum, ô inique Judex, pro donis & muneribus justitiam vendere, pupillos, & viduas opprimere, proximi sanguinem ad ebrietatem exsugere? Estne laude dignum, ô Advocati, iniquæ patrocinari causæ? Et tandem estne honorificum, ô Procurator, lites in longum protrahere, proximum bonis denudare, teque iis impavidè vestire? Ah! si quid honoris ac laudis hujuscemodi actus secum conferrent, eos tanto studio, tantâque curâ perpetrans non conaretur celare. Hi ergo Christiane sunt, qui tuæ maximè officiunt famæ & gloriæ, in illos ulciscendum, illis bellum intentandum; ipsi enim capitales tui sunt inimici, teste S. Thoma à Villa Nova, dicente: *Ego tibi ostendam veros inimicos, quos oderis, quos destruas,* (*Conc. feriæ 6. ante Dom. 1. Quadr.*) *quibus omnia, quæ in Psalmis legeris, impreceris, dæmones, peccata tua, & vitia; hæc sunt, quæ te perdunt, quæ te destruunt, quæ tibi gehennam parant. Contra hos inimicos ora, ut perdat & destruat eos Dominus, & tu, quantum vales, destrue illos. Sed & caro est, quam tu tantùm diligis, maximus inimicus tuus est. hanc castiga, hanc subjice, hanc doma, & malè tracta, donec eam in servitutem redigas. Quid fratrem & proximum tuum odis, atque persequeris? ô stulte, non est ille inimicus tuus, sed proximus.* Eja itaque, in veros inimicos classicum sona, ô Christiane! arripe luxuriosè telum continentiæ, fœdam tuam transfige libidinem. Assume arma honoris concubinarie, & prosterne, aut, ut meliùs dicam, dilue infamem scandali & ignominiæ notam. Vos judices, & justitiæ ministri, bilancem arripite æquitatis, & juxta justam unumquemque absque ulla personarum exceptione, dijudicate rationem: ultores estote inimicorum animæ vestræ, peccatorum inquam, & cum proximo, quamvis inimico, pangite non tantùm inducias, sed etiam stabilia sinceræ amicitiæ fœdera, atque obedite solidæ Christi doctrinæ, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Progrediamur nunc ad secundum condonationis motivum, & legislatoris authoritatem, quam apud cunctas gentes & politicos tanti æstimatum volebat consuetudo, ut ejus mandato nefas fuerit contravenire, eratque legis solitum editæ fulcrum, & magnum ad illius observantiam incitamentum. Hinc Lycurgus, ut leges Lacedæmoniis persuaderet suaves, & observatu necessarias, illas sese ab Apolline Delphico accepisse asserebat. Numa Pompilius legum suarum (ut observarentur) Romanis auctricem proclamari jussit deam Ageriam. Zelanius, devictis Barbaris leges condens, sibi illas à dea sapientiæ Minerva dictatas dicebat. Et Minos suas à Jove Cretensibus traditas. Unde cuncti exactam legum satisfactionem ex auctoritate legislatorum metiebantur. Nec sanè id ratum habuêre Ethnici soli, sed & ipse Propheta Isaias; hic enim populum Israëliticum Domini promissis cernens incredulum, atque divino mandato quantocies rebellem, ut eum ad legitimos obedientiæ adduceret limites, hoc unicum inculcavit in Dei persona: *Attendite ad me popule* (*Isa. 51. 14.*) *meus, & tribus mea me audite, quia à me exiet lex:* nimirum, qui sum omnium dominator Dominus, & omnium legum director: attenti itaque estote, *quia à me exiet lex.* Dictum sanè, quod in hominibus, & præcipuè Christianis locum habet. Quoniam, si tanti valuerit apud discipulos magistri sui Pythagoræ authoritas, ut hi de illius doctrinæ fundamentis interrogati, nihil aliud responderint, nisi *Pythagoras dixit*: ad quod Cicero ait: *Tantum opinio præjudicata poterat, ut sine etiam ratione valeret authoritas*: (*Cicero de nat. deorū.*) quanti deberet à Christianis æstimari Christi authoritas? Ah utinam Pythagorica, simul & Christianâ imbuti homines doctrinâ, ab aliis ad vindictam incitati, & tantæ clementiæ rationem reddendam interrogati, adinstar illius discipulorum omnem in contrarium dissolverent replicam, dicentes: *Christus dixit, ego autem dico vobis.*

Contra præfatam doctrinam non levem audire videor instantiam: scilicet, quomodo possibile sit hanc legem Christi observare, *Ego autem dico vobis.* Et illam, quam Deus per Moysem populo tradidit Israëlitico: *Diliges Dominum Deum* (*Deut. 6.*) *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Hanc difficultatem ingeniosè, ut solet, tangit Africanum illud Ecclesiæ sydus Augustinus considerans Christi ad Juris periti interrogationem responsū: *Quod est mandatum magnum in lege? Diliges, &c.* (*Aug. t. 10. serm. 2. de diversis, c. 4. & 5.*) *Si lex*, inquit, *dicit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: quid remanet de corde tuo, unde diligas te ipsum & proximum? quid de anima tua? quid*

de

&c mente tua? qui enim totum petit, nihil tibi relinquit. Totum sibi exigit. Si nihil mihi remansit, unde diligam me, qui ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente jubeor diligere eum, qui fecit me, quomodo secundo præcepto jubeor diligere proximum, tanquam meipsum? hunc nodum apposité quadam similitudine dissolvemus.

In confesso est, tum apud mercatores, tum peregrinantes litterarum cambialium usus, & resignationis debitorum, quibus legitimè subsignatis, debetur fides & satisfactio ab eo, cui traduntur; v. g. receptor generalis vectigalium, ac regiorum tributorum, Regi suo ex iis debet centum millia aureorum; accedit ad Regem creditor, cui parem ipse tenetur pecuniarum persolvere summam, petitque debiti extinctionem. Rex obligationi suæ volens satisfacere, chartam manu arripit, & scriptâ consignatione & subsignatâ, illum ad suum receptorem, ab eo summam debitam accepturum remittit. Hoc posito: rogo, an receptor jure & veridicè huic creditori possit dicere, amice, nulla mihi tecum commercia, imò nec notitia, ego tibi nihil debeo. Insulsè sanè, quia is attendere non debet ad personam rogantis, verùm Regis demandantis, cujus apprime novit sigillum & chirographum. Hic est casus noster: Deus supremus omnium Rex, cui ob innumera, tum creationis, tum redemptionis beneficia, totum nostrum debemus amorem, & cor, ex illo debito partem consignat iis, qui te oderunt, partem te persequentibus & inimicis, partem tibi ipsi, & proximo. Consignationis scedulam ipse distribuit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et tu, ô Christiane! eò ausus es progredi temeritatis, ut debitum recuses, rogantemque inimicum charitatis sibi partem assignatam, audacter repellas? ô insane! aspice Regis tui, & Creditoris tui chirographum; noli attendere ad qualitatem petentis, sed regium intuêre mandatum, *Ego autem dico vobis.* Et audi, quid dicat Joannes, *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Ex hoc nunc dilucidè patet, quomodo Deum ex toto corde diligentes, etiam proximum amare valeamus; tum enim etiam ipsum ex tota mente amamus, cùm partem amoris proximo & inimico ab ipso assignatam, ob ejus mandatum alacriter persolvimus: *Attendite itaque ad me popule meus, & tribus mea me audite, quia à me exiet lex: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

1. Ioan. 4. v. 21.

Plinius sedulus rerum naturalium indagator, mirabilem corvi enarrat astutiam. Hic totaliter famelicus, viso cervo in pascuis, aut campestribus pascente, tam suavi inhians prædæ, grataque illius vesci desiderans carne, in arenosa via sæpe sæpius sese volutat, sicque alas suas arena onerat. Quo facto, ad cervum se pascentem, & doli ignarum volitat, capitique illius insidens, cervicem rostro fortiter pungit; cervus inopinatis puncturis perterritus, caput elevat, oculos vertit ad pungentem: tum callidus corvus alas expandit, arenam excutit, sicque miserum cervum excæcat. Interea morsus continuat, quibus plurimùm divexatus cervus, velocem cursum instituit, tandem huc & illuc se convertens, in præcipitium cadit, manetque corvo grata præda. O infelix animal! unde tantum tibi advenit damnum? Unde tua ruina & clades? Ah! non nisi, quia pungentem corvum respexisti. Id ipsum tibi non rarò contigit, ô vindicative! pungeris injuriis, lacesseris contumeliis, & illicò oculos ad pungentem reflectis, cernis hominem esse, ideòque te ad vindictam paras; ecce pulvis iracundiæ & furoris mentis oculos excæcat, & sic in horrendum inferni delaberis præcipitium, & præda manes astuto corvo diabolo. O miser homo! unde tantum infortunium? unde tam infelix casus? Ah! ad hominem attendisti, & Deum neglexisti. Ad eum respicere debebas, qui tibi sanum donat per Sapientem consilium: *Deprime cor tuum, & sustine.* Si itaque prudenter, ô homo! lubricas hujus mundi perambulare semitas expetas, noli pungentem considerare hominem, sed præcipientem aspice Deum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Numquam annotastis dictum Salomonis: *Sapientis oculi in capite.* Sed quid hoc? an fortè stulti oculi in dorso, aut brachio sunt. Vult dicere, quòd Sapiens in omni adversitate, & statu sese reflectat ad caput, id est, ad Deum: dum ergo injuriis impeteris, adinstar Sapientis oculos ad caput attolle, & venerare legem imponentis Christi: *Ego autem dico vobis, &c.*

Eccl. 2. 2.

Idem 21. 4

Stupeo, dum audio Philosophum Zenophon laudantem Regem Darium, eò quòd magnis muneribus singularem militis sui Crisantis recompensarit obedientiam. Is, ut refert Statius, ense stricto, jam jam feralem mortis ictum hosti illaturus, audiens Regem tympanorum sono omnem militem à pugna revocare, illicò manum cohibuit, exclamans: *Melius est Imperatori parêre, quàm hostem interficere.* Stupeo, inquam, imò, ut melius

lius dicam, dum Crisantis ethnici obedientiam,
& Christiani hominis contemplor pertinaciam,
obmutesco. Ecce summus Imperator Christus
Rom. 12. te revocat à pugna & vindicta: *Mihi vindicta, &*
v. 19. *ego retribuam. ego autem dico vobis, diligite ini-*
micos vestros, & tu è contra ultionem in inimi-
cum petis. Ipse clamat, ignosce, & tu dicis, vin-
dica, ô cæce! aperi tandem mentis oculos, & re-
ctam Christianæ vitæ ingredere semitam: imi-
tare Crisantis miram in obsequendo Dario Regi
promptitudinem; & dum appetitus irascibilis te
in furorem exagitat, intona cum illo: *Melius est*
Imperatori Christo parêre, quàm hostem interfice-
re, ipse enim ait: *Ego autem dico vobis, diligite i-*
nimicos vestros.

Nec proposito absonum judico, idolorum La-
ban per Rachaëlem ablationis meminisci, ob
quod factum adeò in Jacob excanduit, ut eum
velociter (ut ait Scriptura) sit insecutus: *Assumptis*
Gen. 31. *fratribus suis, persecutus est eum diebus septem.*
v. 33. Cùmque in eum, in monte Galaad comprehen-
sum, rigorosam vindictam sumere meditaretur,
divino monitu deterritus, ab omni ira abstinuit.
Viditque in somnis dicentem sibi, cave; ne quid-
V. 24. *quam asperè loquaris contra Iacob.* Unde Laban
V. 25. illum aggressus, querelis suis depositis, clementiæ
suæ adducit rationem, dicens: *Et nunc quidem*
V. 29. *valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus*
Patris vestri heri dixit mihi, cave, ne loquaris
contra Iacob quidquam duriùs. O mira res! ô stu-
pendum mysterium! Laban incogniti Dei reve-
rentiam, aliorum Deorum cultor, & veri Dei Ja-
cob ignarus, reveritus, mandatum veneratur, & à
vindicta coërcetur: & tu ô Christiane! qui de tali
tibi gloriaris nomine, Christum verum Deum au-
dis intonantem: *Ego autem dico vobis, diligite ini-*
micos vestros, & protervè, divino spreto mandato,
in inimicum ultionem capescere non erubescis?
Audi, quid de te sentiat Cyprianus: *Christianus*
nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus, prout
valet, coæquatur. Audi, quid de te dicat August.
Deprehenderis & detegeris Christiane, quando a-
liud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud
demonstras in opere. Sanè ô vindicative! servum
Christi te protestaris, & irrisoris Christi juxta Au-
gustinum nomen promereris: *Ille non est*, inquit,
Christi servus, sed subsannator & irrisor, qui ejus
se servum dicit, & cui servire dissimulat. Eja ita-
que Christiane, vindictam execrare, & status tui,
nominisque Christiani memor, clementiam vene-
rare. Clama instar Laban, dum liberâ in inimicum
ulciscendi potiris potentiâ: nunc quidem valet
manus mea reddere tibi malum, sed Deus noster,
dux noster Christus, sub cujus vexillo milito, om-
nem mihi inhibuit vindictam, *Ego autem dico vo-*
bis, diligite inimicos vestros. Imò & hanc doctri-
nam cruci affixus, publicè mihi & cunctis incul-
cavit, ad Patrem clamans: *Ignosce illis*, teste Augu-
stino, *Pro te misit ipsam vocem, ut ab omnibus au-*
diretur: nam potuit pro illis orare in silentio, sed tu August. de
non haberes exemplum. Dic itaque, hunc honoro, Symbolo, l.
hunc sequor, ideoque tibi injurias receptas re- 4. cap. 1.
mitto, & ex animo condono.

Ad hoc te instigat sancta Rachaëlis, patris ido-
la auferentis, intentio. Cur enim, inquit Jose-
phus, libro de Judæorum antiquitatibus, creditis
illa ablata? an fortè, ut diis idololatricum exhibe-
ret honorem? hoc minimè suspicandum; Jacob
enim ex veri Dei reverentia, tale exemplo suo à
mente uxoris depulerat & abegerat deliramentum.
Quid ergo sibi vult hæc idolorum Laban ablatio?
Ah! non nisi, ut Rachael patrem insequentem &
vindicativum, deorum intuitu clandestinæ reces-
sionis indulgentiæ commoneret; etenim noverat
Rachel, quanta apud eum illorum vigeret authori-
tas & reverentia: sic Josephus: *Sigilla Deorum suo-*
rum ferebat Rachel, non quòd Deos coleret, quo-
rum contemptum didicerat à marito, sed ut, si fortè
pater fugientes assequeretur, quò fugeret, veniam
impetraret. Sed tu, ô Christiane! Christum indies
crucifixum cernis, & per veraces verbi divini audis
proclamari præcones ejus mandatum: *Ego autem*
dico vobis, diligite inimicos vestros, nec abhorres à
vindicta? respondes, *durus est hic sermo.* Replico
ego cum Booz dicente ad Ruth: *Intinge bucellam* Ruth. 2.
aceto, & te ad montem invito Calvariæ, in quo 14.
tuus Creator simul & Redemptor clamavit, *Pater*
ignosce illis. Et cum Augustino te admoneo: *Quid* Aug. ser. 2.
vis vindicare? vide pendentem, & tibi de ligno, de diver-
tanquam de tribunali præcipientem: vide penden- sis.
tem, & tibi languenti de suo sanguine medicamen-
tum facientem: vide pendentem, si vindicari vis:
audi precantem, pater ignosce illis. Et ne quispiam
injuriis provocatus, subdolam non demandatæ à
reo veniæ adducat rationem Aug. pergit: *Hic jam* Pro feria
attende magistrum tuum, & Dominum, non in ca- 6. ante
thedris sedentem, sed in ligno pendentem, circum- Dom. 1.
spectis undique turbis inimicorum, & dicentem, Quadrag.
Pater ignosce, &c. Vide magistrū, audi invitatorē,
numquid tunc Dominus Christus pro rogantibus
rogavit, & non potiùs pro insultantibus & interfi-
cientibus? Quapropter tibi, ô Christiane, benè illa

Exodi

Exodi proponere possem verba, *inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Hanc rationem tangit S. Thomas à Villa Nova dicens: *Quanta quotidiè facimus pro amicis, quot à nobis alienatos & invisos, orantibus amicis, in nostram gratiam recipimus, ut illis placeamus? ô homo! facis hoc pro amato, & non facies pro Deo?* Verùm, si vos SS. PP. & scripturæ non moveant testimonia, præclara vos trahant Ethnicorum exempla. Narrat Plutarchus Aristidem injustè ad exilium condemnatum, dum urbe excederet, manus ad cœlum elevasse, atque Deos rogasse, ne justa eorum vindicta suprà Rempubl. inundaret, sicque ob illius miseriam revocari cogeretur. Socrates rogatus ab Alcibiade, cur Xantippam uxorem exosam, vafram atque molestam domo non ejiceret, divinè respondit: *ut domi injuriis lacessitus, deforis illas discam perpeti.*

Exodi cap. 25. v. 40.

August. de Symbolo, l. 4. cap. 1.

Plut. in vita Aristidis.

Trasibilus Atheniensium dux, & triginta tyrannorum Spartæ devictor legem sancivit, ut quilibet injurias receptas oblivisceretur, quæ ad amussim ob illius reverentiam (ut testatur Valerius Maximus) observata est. Et Deus noster mandat nobis inimici dilectionem, & nos non obsequemur? Cicero narrat de Themistocle, quod Simonides eum memoriam voluerit edocere artificialem, cui respondit: *sese malle discere artem obliviscendi, quàm reminiscendi. Quia injuriarum recordor invitus, quorum oblivisci vellem.* Et addidit, *sese malle memoriam perdere, quàm augere.* Darius, intellecto, civitatem Sardam (ut narrat Herodotus) ab Atheniensibus fuisse combustam, arcum arripuit, & ex eo sagittam in aerem ejaculatus est exclamans: *O Iupiter, fac, ne vindictam sumam in Athenienses.* Quam ob rem ter de die se clementiæ admoneri jussit: *Here memento Atheniensium.* O utinam tu Christiane idem faceres, & dum tibi vindicandi suppeditatur occasio, clamares & intonares, memento Evangelii Christique dicti: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Actus enim iste generosus est & magnatibus dignus, ut Plinius his versibus attestatur:

Val. Max. l. 4. c. 1.

Cic. l. 4. de quæst. academicis.

Parcere subjectis scit nobilis ira Leonis
Tu quoque fac simile quisquis regnabis in orbe.

Baronius etiam refert de Diogene Imperatore Romano & Constantinopolitano, quod vivus captivus ab Assa Ægypti Sultano quodam tempore interrogatus, an ipse Assam, si infelix fortuna suæ victoriæ invida fuisset, & in Diogenis manus incidisset tam benevolè & amicè tractaret; torvis oculis acerboque vultu responderit, sese ex totis ingenii sui viribus crudelissimum excogitaturum mortis genus, quo eum plecteret. Cui Assa: *At ego Sultanus tuam certè non imitabor crudelitatem, quandoquidem vestrum audio Christum præcipientem, ut parcatis inimicis vestris.* Implicitè Judicans, Christiani nominis indignum, qui Christi leges contemneret. Nam ut ait Damianus: *qui diri odii feritate percutitur, meritò inter infideles nominatur.*

Tom. 10. ann. 1071

Tetigi modò tertium quoque condonationis motivum, quod quamvis certum, veruntamen judico, præcipuè in negotio tam gravi parumper hic dilatandum. Christus Lucæ cap. 22. priusquam spinosum illud passionis suæ iter hilari animo ingrederetur, discipulos suos sibi de armis providendis admonuit: *qui non habet gladium, vendat tunicam suam & emat gladium.* Et tamen dum eo zelosus domini sui defensor utebatur, atque servo principis sacerdotis auriculam amputabat Petrus, dignâ à Christo reprehensione est castigatus: *converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ad quod S. Chrysost. ait *O domine! cur jubes emere gladium, quem vetas promi?* & in persona Christi respondet: *ut sit parata defensio, non ultio necessaria, ut videar vindicare potuisse, sed noluisse:* & si Christus (ut latiùs patebit ex infra dicendis) dux noster, suos ad veram deducens patriam, improbet vindictam, & delicti approbet veniam; quis illius obsistet voluntati, nisi qui, ut noctua tenebras amat & lucem odit, nec clamantem audit salvatorem: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Sane indignum est christianum esse, imò & tali gaudere nomine, & Christum non sequi. Contra hoc acriter insurgit Aug. divinâ hâc sententiâ: *Christiani nomen frustrà sortitur, qui illum minimè imitatur, quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum! sed si christianum te esse delectat, quæ christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen christiani assume.*

Luc. cap. 22. v. 36.

Chrysost. in hunc locum.

Sed quæ christianitatis opera? profectò, non nisi Christi nobis indigitata sequi vestigia ac exempla, qui totâ vitâ (& maximè in acerba sua passione) quàm plurima mansuetudinis & amoris, etiam erga suos crucifixores demonstravit indicia. Ergo nos ea sequi oportet. Verùm hujus sylogismi minorem latiùs probemus.

Pro quo curiosè advertit Chrys. mysteriosum Christi

Luc. c. 22. Christi Domini in horto Gethsemani sudorem: *& factus est sudor ejus. sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram,* petitque quare Salvator, non tam in prima, ac in secunda, quàm in tertia oratione pretiosum effuderit sanguinem, & non nisi, quam, dum dixerat ad patrem cœlestem, *fiat voluntas tua.* Et respondet, quia tunc infamis proditor Judas in procinctu erat sanguinem justi & innocentis magistri impio osculo tradendi, æternus pater per Angelum ei exequendam ab ipsomet latam legem, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros* repræsentavit, & ad perfidum discipulum amplectendum est adhortatus, ideoque clamat Christus: *fiat voluntas tua.* Et ut suum amorem erga fœdifragum opere exhiberet, copiosum cruorem per pores emisit, eo tacite quasi Judam alloquens: O ingrate, tu magistri tui ardenti animo inhias sanguini, ecce nec flagra, flagella, lanceam, clavos aut vulnera expecto, sed promptus ultrò eum inusitato modo tibi offero, & adhuc te amici titulo honoro: *amice ad quid venisti?* amicitiæque osculum trado. O mira Christi clementia! ô Domini benignitas!

Mat. c. 26 vers. 50. Ad idem propositum enucleatim totum S. Bern. considerat crucifixum Jesum, cunctaque corporis ejus attentè contemplatur membra atque singulas perscrutatur plagas: & ecce manus & pedes acutis clavis cernit perforatos, caput pungentibus spinis terebratum, lanceâ latus apertum, totumque corpus diris dilaceratum flagris, & undequaque sauciatum, juxta Isaiæ vaticinium: Isa cap. 1. vers. 6. *à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Verùm dum curiosè linguam intuetur, eam intactam comperit & ab omni damno immunem; ob quod obstupefactus ad perfidos Judæos clamat: O crudeles tigrides! O voraces innocentis Christi leones! inaudita in totum benefactoris, universi creatoris & redemptoris corpus impia vestra desævit crudelitas, & cur obsecro illa tam benignè linguæ parcit, quæ evangelicâ disseminata doctrinâ, vestram destruxit synagogam, mores incusavit & vitam? Quæ (ut unico absolvam verbo) immortalis in illum odii manifestum fuit incitamentum? Sic attestatur Sapiens ex propriis vestris verbis: Sap. c. 2. vers. 12. *circumveniamus ergò justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Quare ergò, rursus rogito, illam linguam venenosam, serpentina pejorem, vobis execrabilem atque exitialem ardenti ferro non perforastis? ah! an forsitan vestræ hoc attribuendum clementiæ? id sanè nullam minimæ veritatis continet scintillam; apertè enim repugnat obstinatum in crucifixum odium; cum etiam in linguam volueritis incrudescere, ut narrat Evang. Matth. cap. 27. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Verius cum Bernardo arbitror divino id contigisse consilio, cui nec rabidi quidem ullatenus potuêre resistere Hebræi juxta illud Sap. Mat. c. 27. vers. 34. *Non est consilium contra Dominum.* Sed ô bone Jesu! tu, qui cuncta corporis tui membra iniquæ perfidorum Judæorum sævitiæ ultrò offers, cur solam linguam indemnem retinere desideras? de te enim ait Matth. *Et cum gustasset noluit bibere.* Prov. c. 21 vers. 30. O mysterium! O prodigium! dorsum flagris donas, manus & pedes clavis, totum cruci corpus, pectus Longini lanceæ concedis, & cur solam linguam reservas; rursus repeto, O absconditum mysterium? illud nobis pandit paucis verbis mellifluus Doctor; *In eo non remansit, nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret, & magister disciplinam populo commendaret, clamans pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et tu ô homo? linguam acuis mordacem, manusq; armas in vindictam? absit, absit.

S. Bern. ô Christe? è vulneribus tuis mirificum fateor pietatis & benignitatis exsuxit liquorem, & tamen nec tuâ contentor condonatione, quando veraciter clamasti, *Pater ignosce, &c.* etenim mora condonandi & veniæ dumtaxat oblatio, mercedis videtur aliqualis diminutio. Dic mihi Christe, quare ab execrabili discipulo fraudulenter proditus, non clamas, *Pater ignosce ei, quia non scit quid facit?* an tibi sufficiebat externo osculo verum tui amoris erga inimicum præbere indicium, eique dicere *amice ad quid venisti?* ad Annam per torrentem Cedron violenter es pertractus, de domo Annæ ad Caipham deductus, post ad iniquum judicem Pilatum, & te clamantem non audio, *Pater ignosce.* Flagellaris, colaphisaris, purpurâ induetis. & spineâ ad instar regis insignitis coronâ, imperterriti Romani milites pedes transfigunt & manus, & necdum audio, *Pater ignosce.* Quare tam diu Domine siles, & trabi crucis affixus, confestim clamas: *Pater ignosce?*

Ex hoc quæsito, illiusque dissolutione Christianum, omnibusque imitandum facilè deducere spero documentum. Matth. cap. 5. mandatum dedit Christus: *Si autem offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet* Mat. c. 5. v. 23. 24.

aliquid

aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari primo fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ah! benignus Dominus legis suæ continuò memor, in altari crucis cruentum illud pro universi mundi redemptione cœlesti patri oblaturus holocaustum, (ubi Judam osculatus fuisset, cæterasque quas scriptura refert injurias tacitus & patiens pertulisset) nefandam cruci inclavatus blasphemantium audiens nequitiam, *si filius Dei es descende nunc de cruce,* cum eos amplexu amicitiæ non posset prævenire, voce delictorũ ipsorum indulgentiam à patre expostulavit. Et hoc, ut tibi, ô homo! singulare ostenderet condonandi & patiendi exemplum. Nec illud te commovet ô Christiane? sane vel unica, sed aurea S. Thomæ à Villa nova maximè te confundit sententia. Sic enim ad te ait: *numquid Christianus es? nonne hanc scholam sequeris? respice magistrum tuum & ducem tuum, & vide quanta bona fecit inimicis suis. Pendebat in cruce cruentus, plagatus & laceratus ab eis, quibus tanta præstiterat beneficia, audit patienter insultatores suos, & Patrem orat dimitte; & tu coram eo petis vindictam? quâ fronte? quo vultu? & quid obsecro simile tu passus es ab inimicis tuis? Christiane respice in faciem Christi tui.* Et infra: *si ergò es de schola Christi, cur non sequeris professorem? cur condiscipulos non imitaris? non legis, quia omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Non legisti in Apostolo, quia in hoc positi sumus?*

Mat.c.17. vers.34.

Prov.c.21 vers.30.

Loco citato

Cum modò de his Christi verbis *Pater ignosce, &c.* inciderit mentio, recordor non contemnendæ S. Anselmi speculationis; is namque sese reflectens suprà tò *illis* rogitat: *qui sunt hi Domine, quibus ignoscendum est, & cur tam obscurè loqueris?* cur nomen eorum, pro quibus rogas, alto premis silentio? ad hoc acutè S. Irenæus stupendum illud annotat, quod in triumphali Christi in Jerusalem ingressu contigit prodigium; nimirùm, quod pueri lactantes, loquelæ incapaces, veri Messiæ magnificentiæ articulatis vocibus clamarint: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis,* quod fuerat vaticinatus Psalmista, *ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem, ut destruas inimicum & ultorem.* Sed hic indagat Irenæus, cur Christus, Pharisæis hoc factum admirantibus, prædictum scripturæ truncârit locum: *numquam,* inquit, *legistis: ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? & cur non prosequitur, ut destruas inimicum?* & respondet: *quia non inveniebatur vocabulum istud inimici in sacro sapientiæ illo thesauro, ideo finem facit ante finem.* Et hæc genuina est ratio, cur tantùm dicat *illis,* quia si eos nominasset, coactus fuisset *inimici* uti vocabulo, inquit Anselmus: *si nominare eos debebat, ignosce illis meis inimicis, meis crucifixoribus dicere debebat, sed hoc non patitur amor.*

Matt.c.21 vers.9.
Psalm.8. vers.3.

Sed dicet aliquis; cur ergò Christus non addidit tò amicis? tunc enim longè manifestiùs clementiæ atq; benignitatis demonstrasset indicium. Nodum hunc facillimè è quodam Sostratis tragici Poëtæ dissolvemus responso. Is in actu primo in theatrum deducit personam regiam mirabiliter sauciatam, petiturque ab ea, quis tantam ausus fuerit exercere crudelitatem? sed audi, quid respondeat: *nescio.* Illa ipsa in tertio redit actu, iterumque de eadem interrogata injuria ait, *nunc rectè recordor, nunc liberè dicam, amans amantem liberè percussit.* Id ipsum contigit Christo Domino; ipse enim amore quasi inebriatus & lætus, quia redemptio humana jam jam instabat, & brevi suâ morte erat adimplenda, amici nominis non reminiscitur! verùm post victor & gloriosus, cælos ascendens, interrogatus à cœlestibus incolis, *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* nunc ejus memor vocabuli, respondet: *his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

Zach.c.13. vers.6.

Sed quandoquidem in monte Calvariæ versemur, & Christum crucifixum contemplemur, operæ pretium est, mysteriosam pectoris dominici post mortem considerare apertionem, cujus rationem indagat Bern. Hisce verbis: *cur vulneras cor jam diu ante vulneratum?* & respondet: *ut per vulnus visibile, vulnus invisibile videretur.* Ecce Christus agit ad instar zelosi cujusdam amatæ suæ proci, qui in tutando ejus honore, graviter sauciatus, effigiem suam cruentatam depictam illi transmisit cum epigraphe ingeniosa, *deforis, sicut & intus,* hâc indicans internum animi sui affectum operibus correspondere. Sic inquam Christus, quoniam clamarat *ignosce &c.* ut toti mundo ostenderet, quod esset intus sicut & deforis, & quod ex animo crucifixoribus condonasset, pectus aperiri mandat, & cor omni rancore vacuum exhibet, sic divinè censet Bonaventura: *pro nimio sui amoris fervore voluit lanceâ latus aperiri, ut demonstraret, quod totum sanguinem tradiderit, ne ultrà choleræ materia superesset.*

Mat.c.5. v.23.24.

Hoc attentè mentis suæ oculis S. Cyprianus inspiciens mysterium, curiosè inquirit; cur

ex eo vulnere effluxerit sanguis & aqua ? & omissis variis rationibus ad nostrum institutum dicit, tam Pilatum, quàm crucifixores Christi Domini necis fuisse authores; illum aquâ manus lavando, eum innocentem declarando, & tamen cruci tradendo: hos verò ejus sanguinem effundendo. Ut itaque pius Dominus ostenderet sese utrique condonare, in sinceri animi testimonium, aquam & sanguinem è latere profluere fecit: *sanguinem & aquam emisit*, inquit, *duas cædes, alteram judicantis, alteram verò clamantium, sanguis ejus super nos & super filios nostros, ut ostenderet se utrique condonare.*

Et hæc, O vindicative! dum mente contemplaris & auribus percipis, inimico veniam negas, & vindictam tibi reservas? accede, accede proterve ad montem Calvariæ, veram amoris & charitatis fornacem: veni, veni, ne moram protrahas ad luctuosum hoc theatrum? *& vide nunc*, inquit Bern. *opera Domini, qui posuit prodigia super terram, flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium dolorum immemor, ignosce ait illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et hoc unicum exemplar præ oculis habere necesse est, illudque imitari inquit Augustin. *non dedignetur, quod fecit Christus, facere christianus.*

Bern. serm de pass.

Aug. serm. 223. de temp.

Nunc ultimum condonandi motivum aggrediamur, pro quo manifestiùs dignoscendo, diametraliter semel spirituale vindictæ damnum, clementiæ opponamus emolumento. Quod non arduum erit luci exhibere. Patet illud luculenter ex 1. Reg. cap. 25. v. 18. ubi sacra enarrat historia, quod Abigail, intellecta à quodam familiæ suæ puero justâ Davidis regis in deserto commorantis & præ fame pereuntis iracundiâ, ob insulsum Nabal mariti sui exortâ responsum; furorem aggredientis extimescens, illum dilinitura de monte, annonam secum vehens descenderit: *festinavit ergo Abigail & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata pollentæ, & centum ligaturas uvæ passæ, & ducentas massas caricarum & posuit super asinos.* Cumque illa Davidis copias armis instructas, atque furentes eminus intuebatur, confestim ex asino desiliit, sicque regem allocuta est: *ne ponat oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultia est cum eo.* Et ut fortiùs excandescentem Davidis animum refocillaret, actum mansuetudinis divinâ dignum fore asserit benedictione: *quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* E contra verò illi vindictæ proponit malitiam: *Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* Rursusque post exaratum ultionis detrimentum, mox benignitatis subnectit præmium: *si enim surrexit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum.* Qua salutari iratus Rex mansuetus redditus admonitione, Deo de tanto immensas gratias agit beneficio: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie; ne irem in sanguinem, & ulciscerer de manu mea.* Imò, intellectâ decem post dies Nabal morte, exultavit & gavisus est, se Domino judici, & justè injurias suorum vindicanti reliquisse ultionem, dicens: *Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, & servum suum custodivit à malo.* Sed à quo malo. ô Rex Propheta? illud abundè satis exaggerat in regno successor & legitimus hæres illius filius Salomon: *qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit, Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? ipse cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo, quis exorabit pro delictis eorum?*

Eccl. c. 28. Vers. 1:2. 3.4.5.

Ad exitiale hoc animæ detrimentum sese reflectens S. Augustinus, Christianum quotidie dominicam recitantem orationem apertè confundit divinis hisce verbis: *ideò ergò, quia oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba, dimitte debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sed heu inquit, *quam callent, suo pater noster; audi me & discute te, quia vel de paucis prodis, qui sciunt veraciter orare, orationem dominicam veraciter dicere, Domine dimitte mihi, sicut & ego, non fallaciter, non fictè* (annotate hoc ficti condonatores, externè inimico ostendentes amicitiam & in corde hostilem foventes vindictam) *ex corde verò fac, ut & in te verum fiat. Si enim, qui te læsit, qui in te peccavit, petit à te veniam & ignoscis: jam potes securus dicere, dimitte &c. nam, si resistis roganti, contemneris, clausisti contra pulsantē portam, clausam invenies, cum pulsaveris.* Huic considerationi Africani syderis Augustini aureum os auream annectit sententiam, dicens: *terri-*

Aug. serm. 7. de temp.

Chryſo. de eucha. ſer. ſuper dimitte.

terribile eſt myſterium hoc, & ſic fermè ad Deum clamat, qui hoc dicit: dimiſi, Domine dimitte: ſolvi, ſolve: ignovi, ignoſce: ſi non ſolvi proximo, neque tu mea ſolvas: ſi non dimiſi, neque tu dimitte: ſi invaſi, invade: ſi durus fui, durus eſto: in quâ menſura metior proximo, eâdem metiaris mihi. Quali ergò, tu vindicative, mala opera tua & delicta opinaris expendenda trutina? an forte fallaci, an miti & miſericordi? erras. Et ſi SS. PP. jam citatorum non admittis ſententiam, & tuam pertinaciter ſuſtines acrimoniam: nos non omittemus ulteriorèm tibi rectam inculcare viam, & ſolidam tibi Spiritus ſancti demonſtrare ſemitam. Attende attende, audi auribus non ſurdis, concipe ingenio non obcæcato, memoria capeſce tenaci, & obſerva evangelica iſta

Matt. c. 6. V. 14. 15.

Matthæi verba: *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet peccata veſtra.* Nunc elige aut uri aut dimittere.

Coronidem huic diſcurſui libenter imponerem, niſi reclamantes dictis meis audire viderer, & rursùs condonationis actui affictam infamiæ obtrudi notam. Quam, quamtumvis ſatis diluerim, perplacet tamen illos politicos aliquâ hiſtoriolâ apertè confundere, quam Siciliæ referunt annales. Regno iſti præerat tempore perſecutionis Decii Imperatoris impius Quintilianus, qui formoſiſſimæ cujuſdam virginis nomine Agathæ (cujus martyrium & feſtum quintâ Februarii univerſa celebrat Eccleſia) amore ardenter incenſus, eam nunc blanditiis, nunc lenociniis, nunc minis ad connubium conatus fuit allicere. Verum omni deperditâ operà, tandem Agatham fœminæ vafræ Aphrodiſiæ depravandam tradidit. Intellectâque paulò poſt immobili illius ab Aphrodiſia conſtantia, Chriſtianiſmi accuſatur, & vi falſis Decii diis à prætore thura offerre compellitur. Sed incaſſum, quo viſo, Quintilianus eam (ſeveritate depoſita) donis muneribus atque delitiis tentavit pervertere, hortatuſque eſt, ut Cæſari & regni legibus obtemperaret, niſi crudeliſſimam vellet ſubire mortem, adjecta quoque Chriſtianiſmi ſequelæ his verbis ignominia: *nonne te pudet nobili genere natam, humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere?* (contumelia ſanè, quam ævi noſtri in condonandis inimicis Chriſti ſequacibus inſani depingunt politici) cui animoſe reſpondit Agatha: *multo præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus, regum opibus & ſuperbiâ.* Sed hoc dicto, fingens ſeſe torvo prætoris vultu conturbatam, miniſque & ſuppliciis deterritam, ei planè arridens dixit: ô Quintiliane! dic obſecro, quæ numina veneratur Cæſar, quibus me immolare deſideras? cumque quamplurima numeraret, inter cætera Jovem, Mercurium, & Venerem conſtituit. Ad quod illa: ecce contentor, his tribus thura dabo in magnifico tuo palatio. Quintilianus replicavit: nugaris ô Agatha: dii noſtri hic non : ſed in templis degunt. Inſtabat ipſa; quid ni tu hic Jovem repræſentes? & te adorabo. Quintilianus ſtatim Jovis thronum, dignitatem, & majeſtatem recuſavit pro ratione allegans, Jovem adulterum & incæſtuoſum fuiſſe, ipſique à cunctis veteribus ſtupra, adulteria, raptus & latrocinia adſcripta fore: & tu Agatha me Jovi ſimilem æſtimas?

Dic ergò Quintiliane inquit Agatha, formoſum habes filium, bonæque indolis juvenem, quid ni & ipſum pro Mercurio poſſim venerari? at replicat, nec tali munere filius fungetur; latronum enim, furum, uſurariorum, atque alienorum bonorum uſurpatorum cenſetur Deus & protector; Quintilianus meus juſtitiæ & æquitatis eſt amans: alium tibi Mercurium quære, ô Agatha! eià itaque ait ipſa, negotium paucis expediamus: ego uxorem tuam tanquam Venerem colam. Ad quod ſtomachatus in virginem prætor, an forſitan uxorem meam fœminæ laſcivæ, luxurioſæ & deæ voluptatum atque deliciarum Veneri comparandam arbitraris? mea caſta eſt, pudica & munda: ac proinde nullatenus illi infamis numinis thronus convenit. Tùm excandeſcens Agatha, auream, imò & divinam in Quintiliani confuſionem protulit ſententiam; dicens: *pudeat te ô Prætor me cogere eos deos adorare, de quorum actibus tu ipſe verecundaris.*

Quid vobis videtur ô Auditores de tam prægnanti juvenculæ puellæ argumento? poteſtne veſtrum aliquis illi obluctari? nonne omnium calculo infallibile judicatur? indubiè profectò. Illud ipſum ô vindicativi! in vos formo, qui præclarum condonationis & manſuetudinis actum ignominiæ atque infamiæ notis denigratis: omnis qui condonat inimicis eſt infamis; atqui Chriſtus condonavit inimicis, ergò eſt infamis. Major veſtra eſt, eamque confirmatis (ut vidimus ſupra) minor ex ore ipſiuſmet veritatis progreditur: *pater ignoſce illis*, ergò Chriſtus eſt infamis. Modò ſubſumo: vos Chriſtiani Chriſtum colitis & veneramini: ergò infamem, talemque de cujus actibus verecundamini. Juſte itaque ad vos, ad inſtar Agathæ ad Quintilianum, poſſum exclamare; pu-

deat, pudeat vos, illum Deum, illum Christum adorate, cujus actiones, ut infames, detestamini. Aut Christiani nomen & religionem abdicate, aut illius imitemini mores. Nunquid enim opti-

Epist. 146. mè ait Petrus Blesensis: *quod docuit Deum, dedecet Dei servum*? & ingeniosius Aug. in persona Chri-

Aug. de verb. Dom. in c. 18. Matt sti divina hæc profert verba: *si ego prior dimisi, dimitte vel posteà, invenis patrem, imitare patrem Si enim imitari non vis, exhæreditari disponis.* Et in

August. in Psalm. 68. Psalmum 68. *Dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Beelsebub; dictus est insanus, tu dedignaris serve audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis?* ubi tamen & Deum audis imperantem, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Alexander morti vicinus, fatumque se cogi subire prospiciens, convocatos aulicos, prævia brevi, sed nervosa, de unione & concordia habitâ oratiunculâ, instanter est exhortatus, ne regnum, & monarchiam dividerent Verùm, eo mortuo, regis spreto mandato, sub tò exorta sunt dissidia, & decreta est imperii Alexandri partitio. Quod intelligens quidam zelosus aulicus, ad cubiculum, in quo illius cadaver jacebat, velociter cucurrit, illudque humeris imponens, in medio rixantium projecit, dicens: *Alexander regni integritatem, & pacem commendavit, hunc gladio primò dividite, & tunc regnum dividere licebit.* O Christiane! divisionem amas? vindicare desideras? ecce crucifixum hunc divide, ipse enim pacem & concordiam commendavit, *ego autem dico vobis &c.* In hunc pugionem stringe, in hunc ensem evagina, in hunc furorem exerce: ipse ipse est, qui tibi dilectionem commendat, priùs ergò in eum vindicandum & tunc in hoste:. Hoc est ipsius testamentum, quod continuò præ oculis statuere debes.

Fratres Joseph, mortuo patre, veriti, ne modò ipse iniquam venditionem ulcisceretur, nullum efficacius, eum ab ira avertendi, adinvenêre remedium, quàm ei ultimam patris de condonando exponere voluntatem. Sic namque ait scriptura, *quo mortuo, timentes fratres ejus, & mutuò colloquentes, ne memor fortè sit injuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus, mandaverunt ei dicentes: pater tuus præcipit nobis, antequàm moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum.* Quod audiens Joseph, consolatus est eos, & blandè & leniter allocutus, *Gen. c. 50. Vers. 15. 16. 17. 21.* omnemque ex animo offensam remisit. O Christiane ergo hodiè ad te, injuriis à proximo lacessitum, opprobriis gravatum &c. legatione fungor, pater noster moriens in duro crucis lecto præcepit mihi, ut hæc tibi verbis illius dicerem: mando tibi, ô homo! ut obliviscaris sceleris, offensæ, & injuriarum fratris tui Eia itaque adinstar mitis Joseph, ultimæ tui patris Christi obtempera voluntati, condona, remitte, ut tuis remissis delictis, in æternum cum tuo legislatore & patre æternâ frui merearis beatitudine, quam mihi & omnibus vobis concedat pater &c. Amen.

DOMINICA PRIMA

Quadragesimæ.

Ductus est Iesus à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo. Matth. cap. 4.

Mirabile præmium, stupendum certamen inter Christum & diabolum nobis in hodierno evangelio enarrat Evangelista Matth. incœptum in deserto, continuatum suprà pinnaculum templi, finitum in vertice montis excelsi. Quod adeò minutè, & ad amussim describit, ut non tantùm insidiosos infernalis hostis in Christum insultus, verùm etiam ipsamet arma & tela, quibus ipse invictum, & divinum illum athletam prosternere conatus est, exactè tetigerit. Quod absque dubio suo non caruisse autumandum est mysterio, etenim, si juxta SS. PP, omnis Christi actio, Christianæ militiæ extiterit in-

rit instructioni, ac conservationi: me mino-
rem crudeli huic duello fas est attribuere energiam.
Primus assultus; primaque diaboli arma Epu-
lonis fuêre, & ad gulam incitamenta: *si filius*
Matt. c. 4. *Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*. Hanc dia-
Vers. 3. boli versutiam illudit S. Chrysolog. utpotè, qui
divinitatis ejus atque potentiæ ignarus, tale re-
quirebat miraculum. Ut enim suaviter ad jejunii
interruptionem alliceret, astutiori uti oportebat
methodo. Unde ad eum clamat: *miser, malus*
esse vis, sed non potes, tentare cupis, sed nescis, esu-
rienti tenera offerre debebas, non dura. Secundus,
quem rursùs irridet Chrysol. & meritò, in pri-
ma stupidè communis Philosophiæ impingit
principia. Aristot. enim docet levia sursùm ten-
dere, gravia vero deorsum; undè ignis inter e-
lementa supremum, ut omnium levissimum, ter-
ra autem omnium gravissimum, obtinet locum.
Quo itaque fundamento ignarus dæmon potest
Vers. 4. dicere: *si filius Dei es, mitte te deorsùm*, qui ig-
nis consumens est. *O dementia*, inquit, *erras ô*
diabole! nec tentare nosti, cadere non potest Deus:
convenientiùs diceres, ascende ad cœlum, cum sit ho-
minis utique ad ima cadere.
Vers. 7. Ad primum insultum respondet Christus: *non*
in sole pane vivit homo, sed de omni verbo, quod
procedit de ore Dei. Ad secundum *scriptum est, non*
tentabis Dominum Deum tuum; binâ jam per-
culsus repulsâ diabolus, totum inferni arsinale
perlustrat, sedulòque perscrutatur, quodnam
validissimum foret telum, quænam potentissi-
ma arma humanum cor transfigendi, hominem
devincendi, & ad casum deducendi. Et eccè ubi
arma conspicit divitiarum, bonorumque tempo-
ralium, avidæ cupiditatis, ea lætabundus arri-
pit, & resumpto animo, adauctus (ut credebar)
viribus, rursùs in certamen prodit, de gloriosâ
in Christum victoriâ securus, eumque in summi
montis vertice collocatum, novis arreptis aggre-
Vers. 8. ditur armis: *Ostendit illi omnia regna mundi, &*
gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si
cadens adoraveris me. O fortissimus insultus! ô
feralis ictus! *hæc omnia tibi dabo*, quis tam acuto
jaculo non succumbet? quis illud retundet? hoc
invictus athleta fecit Christus: *vade*, inquit, *sa-*
tana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum ado-
rabis, & illi soli servies. Quo fulmine ictum in in-
ferni barathrum dejecit. O mirabilis victoria! si
enim, quò vis armorum hostilium sit fortior, cò
ipsa sit gloriosior, hæc sanè ex illâ ratione non exi-
guum gloriæ sortitur augmentum. De hoc enim
diaboli *insultu* sic loquitur S. Chrysostomus: *sce-* Chrysost.
leratus iste pecuniarum cupiditatem postremo loco po- cap. 13. in
nit, extremum hoc reservans, quasi, quod omnium Matth.
validissimum esse judicavit. Hac itaque occasione
hodierno die exitialis hujus teli malitiam vobis
præ oculis ponam, ut temporalium divitiarum
fallaci cupiditate inescati, aurique splendore ob-
cæcati, illius perfidia percepta, illuminentur &
contrà illud vitium acriter se armandum animen-
tur, Verùm cum de fortissimo animæ nostræ ho-
ste sermocinationem nostram instituamus, ne-
cesse est, etiam animi fortitudinem, linguæ robur
& Spiritus sancti gratiam per Mariæ Virginis im-
plorare intercessionem dicentes. Ave gratia ple-
na &c.

Ductus est Iesus à spiritu in desertum, ut tentaretur
à diabolo Matth. 4.

SAnctus Chrysolog. sanguineis lachrymis perfi-
dos depravati ævi sui mores amarè deplorans,
& impium vivendi modum contemplans, viso-
que, perniciosum, atque exitiale malitiæ vene-
num, universum mundum infecisse, ac semen
nequitiæ undequaque esse dispersum: imò, &
in florido Christianæ Ecclesiæ horto, radices je-
cisse: cogitur fateri nunc maximè verificari Da-
vidicam sententiam: *omnes declinaverunt, si-* Psalm. 13.
mul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, Vers. 3.
non est usque ad unum. Sancta itaque curiositate
hic S. Doctor perniciosam tanti mali inquirit sen-
tinam, petitque, quodnam tàm exitiale venenum
sit, quod cunctos odoriferos diversarum virtu-
tum flores exsiccavit? quænam tàm potentia
infernalis hostis arma, quorum vi & efficacia pro-
strata est æquitas, & erecta iniquitas? ah inquit,
petitioni meæ apprimè satisfacit Propheta Isaias:
repleta est terra auro & argento. Sed quid inde ma-
li ô Propheta? *& repleta est terra idolis* *Id est*
peccatis, inquit Gregor. quod audiens Chrysol. Isaias c. 2.
totus in damnosum hoc virus stomachatus, infami Vers. 7.
illud insectatur sarcasmo: *Omnium malorum*
radix auri cupiditas. mater transgressionis, ma-
teria nocendi, seditionis origo, fovea scandalo-
lorum. Verùm & adhuc infamioris notæ eam
incusat Valerius Max. dicens: *nihil est malorum,* Val. Max.
quod cupiditas auri non concipiat, aut parturiat,
aut pascat, aut nutriat. Ex hoc fonte enim vide-
mus pullulare odiorum causas, hinc evenire crimi-
num

num pœnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Ex quo tritum illud invaluit adagium, *pecuniæ obediunt omnia.* Sit fas nefasve, justum aut injustum, æquum vel iniquum, pecuniæ omnia obediunt, & obtemperant tribunalia, omnisque protsùs suum illi servitium addicit hominum status. Unde, si modernum sæculum intueretur Urbanus VIII. indubiè numismatis excusi anno 25. Jubilæi tempore, deleri juberet Epigraphen. Is namque summam Romæ Christiani populi undique magno cum concursu eò confluentis, devotionem, ardorem, & extremum fidei zelum annotans, numismati insculpi curavit in circumferentia hæc verba (ab una enim parte Christus triumphans, ab altera Petrus cum clavibus regnans cernebatur) *Christus vincit, Christus regnat, Christus triumphat*; cogeretur enim secundùm veritatem ad oculum patentem, ei mandare imprimi (mutatâ etiam numismatis figurâ) *aurum vincit, aurum regnat, aurum triumphat.* Quia pecuniæ obediunt omnia.

Verùm antequam ulteriùs de auri potentia pergam disserere: instituto nostro non absonum judico aliquid lepidi vobis enarrare, quod in antiquis me recordor legisse historiis, authore Doct. Æliano, qui asserit apud Ægyptios in publica Academia, quodam tempore acriter decertatum fuisse, quid in mundo (sicut & tempore Darii) foret omnium potentissimum. Cumque variis propositis rebus, adductisque à quolibet, pro sua opinione rationibus, aurum judicum calculo potentiæ palmam reportasset, duo ingeniosi, & celebres Philosophi assurrexerunt, petieruntque, ut sibi licitum esset decertare, quis eorum meliùs ac acutiùs hieroglyphicè vim auri exprimeret, & sese ambo præsentium judicio acquieturos spoponderunt. Dato utrique consensu, quilibet omnes ingenii sui exeruit vires, ut sibi victoriæ palma posset obtingere. Primus artificiosè depingi curaverat emblema, in quo erat horologium, infra quod bursam apertam, auro plenam delineari fecerat, supra quam diametraliter oppositus horologii index visebatur, illam quasi indigitans cum dicto, *hic siste.* Emblema suum ingeniosâ nobilitarat epigraphe *tecum quiesco.* Alter verò emblema non minùs ingeniosum protulit, in quo depictum erat *Heliotropium*, flos, qui continuò ex naturali instinctu cursum solaris syderis sequitur. Superiùs verò splendidissimum illud apparebat astrum, cujus radii circumcirca nummis aureis erant cooperti; apposito supra acuto dicto, *tecum moveor.* Quo viso, judices, quandoquidem quies & motus diametraliter sibi invicem opponantur, quid de certantium acumine sentirent, nesciebant. Sed ambobus bene consideratis, quidam amborum demiratus ingenium, licentiam ab iis expostulavit, ut in unius & alterius laudem, utriusque emblemati Epigraphem addere posset. Quo concesso, scripsit *in moto & quiete vis auri.* Et sanè satis ingeniosè; quia per aurum omnia moventur, & per aurum cuncta quiescunt. Quod non difficile erit tum ex S. Scriptura, SS. PP. historiis, tum ex moderno reipublicæ regimine manifestè ostendere.

Genes. cap. 37. nota unicuique de Joseph narratur historia de inextinguibili filiorum Jacob in
proprium fratrem odio, quod adeò accrevisse asserit Scriptura, ut ad insanam iracundiam, & impiam instigati vindictam, innocenti mortem in-
ferre cogitarint. *Qui cum vidissent eum procul, an-* verſ. 18.
tequam accederet ad eos, cogitaverunt eum occidere, 19. & 20.
& loquebantur mutuo: ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque fera pessima devoravit eum. Abominando tamen obstante Ruben fratricidio, de ipsius
consilio tunicâ polymitâ spoliatus, in cisternam, verſ. 23.
non habentem aquam, vivus injectus est. *Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicâ talari & polymitâ: miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non continebat aquam.* Cujus subitò obliti, sese luxui & voluptatibus dederunt. Ut non obscurè indicat Propheta Amos: *Bi-* Amos c. 6.
bentes vinum in phialis & optimo unguento delibuti, v. 6.
& nihil patiebantur super contritionem Ioseph. O sæva crudelitas? ubi ô immanes fratres, tigride pejores, fraternus amor? ubi proximi dilectio? ubi Dei offensa, & patris dolor? famelici & infallibiliter fame morituri obliviscimini, & bibentes in
phialis infamiter vos ingurgitatis. O iniquitas! ve- Gen. c. 37.
rùm, dùm *viderunt Ismaelitas viatores venire de* v. 25.
Galaad, & camelos eorum, portantes aromata, & resinam & stacten in Ægyptum. Et Judam audie-
runt dicentem: *Quid nobis prodest, si occiderimus* verſ. 26.
fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius? melius est, ut venundetur Ismaelitis, & manus nostra non polluatur: frater enim & caro nostra est. Ecce ubi ante ad implacabilem vindictam commoti, lucrum ex fratris venditione proventurum prospiciunt, ubi gratus auri & emolumenti insonuit sermo, furor cessit, & quasi in fumum evanuit, *acquieverunt*, inquit Scriptura, *fratres sermo-*
nibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiato- verſ. 28.
ribus,

*ribus, extrahentes eum de cisternâ, vindiderunt
eum Israelitis viginti aureis.* Ecce quam bene vim
auri primus declararit Philosophus, *tecum quiesco.*
Sed cur ô Leone ferociores! omnem in fratrem &
sanguinem vestrum iram totaliter non deponitis!
cur eum ad mœstum patrem, canum & senem non
deducitis? sed heu! heu! (quod promiscuè pii in hoc
depravato ævo deplorāt viri) splendor auri mentis
eorum oculos obfuscarat. In hujus dicti testem
in voco S. Chrysol. dicentem : *Proprii lucri cupi-*
S. Chrysol. *ditas, cacavit mentes, ut non offensam Dei, non pa-
tris sancti dolorem, non proprii sanguinis sensus memi-
nisse permiserit.* Bene itaque Chrysost. *cupiditas o-
mnium malorum radix.*

Mirum narratur factum Act. cap. 16. Paulus
Act. c. 16. hospes invitatur cum Sylla à quadam muliere no-
v. 15. bili civitatis Theatynenorum, non tantùm instan-
tibus precibus, verùm etiam civili quasi coactio-
ne : *Si judicasti me fidelem Deo esse, introite domum
meam, & manete.* Interea temporis, quo Pau-
lus cum collega apud eam morabatur inquit Scri-
vers. 16. ptura: *Factum est, euntibus nobis ad orationem,
puellam quamdam habentem spiritum pythonem ob-
viare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Domi-
nis suis.* Quæ intrinsecùs divino tacta instinctu,
secuta Paulum, suæ miseriæ aliquod expetebat
subsidium. Cujus misertus Apost. *Conversus spi-*
vers. 18. *ritui dixit, præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab
eâ & exiit eadem horâ.* Magnum sanè ô Paule!
præstitisti beneficiū, sed ubi gratitudo parentum,
ubi remuneratio! sane, non nisi iniqua accusatio,
& quidem sub subdoli iniquitatis pallio, præte-
vers. 21. xatâ Romanæ curiæ in Judæos authoritate: *Hi
homines conturbant civitatem nostram, cum
sint Iudæi & annuntiant quem non licet nobis suscipe-
re, neq facere, cum simus Romani.* Sed adhuc tolera-
bile est iniquè accusari (multa enim dicuntur de
subjecto, quæ non sunt, & sæpè sæpiùs quidam fa-
ctum quoddam sini stro interpretantur sensu) sed
tantus in eos concitatus est furor, ut Scriptura di-
vers. 22. cat : *Et cucurrit plebs adversus eos : & magistra-*
23. *tus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi, &
cum multas plagas imposuissent, miserunt eos in car-
cerem.* Verùm curiosus sum, quinam in Paulum
& Syllam insurrexerint testes ? quinam iis tam
crudelem intentarint litem ? respondeat scriptu-
ra, cujus testimonium infallibile est, quæ apertè
asseverat fuisse aurum & mundanum interesse.
*Videntes enim Domini ejus, quia exivit spes quæstus
eorum, apprehendentes Paulum & Syllam perduxe-
runt in forum ad principes,* Dum quiescebant
cum auro, puellæ exoptabant integram sanitatem,
quam, cum non sine proprio detrimento atque
lucri deperditione (ipsa enim ut pituissa plurima
occulta manifestans, magno Dominis suis erat
emolumento) à Paulo impertitam cernebant,
indignâ in eum rabie exarsere, & vi auri com-
moti, totam plebem commovêre ; ideoque po-
terant subscribere emblematico Secundi dicto; *te-
cum moveor.* Sed nec ergo miror Philippenses
isto coinquinatos fuisse vitio (quoniam bene di-
xit Seneca : *Mala exempla pravos mores inducunt)*
quandoquidem ipsi quamplurima in sacra Scri-
ptura repererint. Prodeat primogenitus Adæ fi-
lius Cain sæculi testis Gen. cap. 4. hic ob enorme Gen. cap.
fratricidium à paternâ domo à Deo exilio mul- 4. v. 14.
ctatur : *Vagus & profugus eris super terram.* Ob
quam pœnam graviter indoluit. Sed quæ obse-
cro doloris ejus causa? quodnam mœstitiæ moti-
vum? an forsitan summi boni offensa ? an justus
parentum, ob deperditam filium luctus! an æ-
ternæ gehennæ horror ? minimè inquit Rupèr-
tus ; sed maledictum dumtaxat interesse, & bo-
norum temporalium jactura. Ecce quid ad sen-
tentiam latam replicet : *Ecce ejicis me hodie à fa-
cie terræ.* Ac si diceret, ô Domine! fateor execran-
dum commisi scelus ; verùm : illudne tam rigoro-
sam promeruit punitionem, ut rectè hodie exu-
lare cogar? summo cum labore terram colui, a-
gros fructificavi, quàm plurimos campos aravi,
eosque spe abundantis messis semine ditavi, & ho-
die me ejicis à facie terræ? maturescit frumentum,
virescunt prata, pomaria florent, vireta amplum
ex nunc promittunt lucrum, & hodie me ejicis?
hoc unicum me torquet. Permitte itaque, ut
messem exspectem, quia cum eâ *quiesco.* Quâ
factâ, discessum & exilium flocci-pendo, quia
& cum eadem *moveor.* Unde de eo ait Rupert. Rupertus
Hodie ejicis me à facie terræ, non enim reputat Deum l. 2. in Ge-
iratum : sed timet, ne sibi ulteriùs agriculari liceat. nesim.
Cui apprimè concinit Philo Judæus: *Quasi dice-
ret,* inquit, *si non præbes mihi bona terrena, si non
datur frui voluptatibus, nec virtutem quidem desi-
dero, si non impetiris humana bona, divina quoque
tibi habeto.* Mira sanè Caini cæcitas, execrabilis
dementia. Non ambigo, quin eam quilibet
condemnet, atque abominetur, & meritò, Sed
heu ! quot moderno tempore proprio sese con-
fundunt judicio ? quot sunt Caini, qui deper-
ditam per iniquitates suas divinam, & per conse-
quens acquisitam animæ mortem, ne vel unicâ
quidem deplorant lachrymulâ ? imò quot sunt

qui vix spiritualem ad instar Caini considerant ruinam, modò temporalem obtineant benedictionem. Quam, si perdant, si bona eorum diripiantur, ecce cum auro moventur ad planctum & ejulatum: ecce subitò ex oculis copiosi scaturiunt lachrymarum fontes, caput in parietem impingunt, capillos evellunt, manibus & pedibus internum animi ostentant cruciatum, & nolunt consolari, quia non sunt. O cæci & miseri Caini: quid corporis negotiorum diligenter satagitis, & animæ curam turpiter negligitis? audite quantùm in vestram S. Thomas à Villa Nova stomachetur ac debacchetur dementiam aureis hisce verbis: *Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia, de equo in stabulo, & teipsum solum negligis? teipsum tam vilem æstimas, ut non digneris de te curam habere? ô anima misera! quid extra te vagaris effusa & divisa per mundum, à te alienata & exul? Recollige te, redi ad te, habita tecum, non sis sicut oculus, qui, cum omnia videt, seipsum non videt.*

Thomas à Villa Nova.

Chrysost.

De iis quoque ait Chrysost. *Corpora amant: animam contemnunt, valere se desiderant in hoc sæculo, & non curant quid passuri sint in alio.*

Gen. c. 25. v. 29. 30. 31. 32. 33. 34.

Esau, ut narratur Gen. cap. 25. à venatione lassus, & famelicus domum rediens, Jacob fratrem suum coquentem pulmentum reperiens: *Ad eum ait, da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum, cui Iacob, vende mihi primogenita tua. Ille respondit: en morior, quid mihi proderunt primogenita mea? ait Iacob, jura ergò mihi. Iuravit ei Esau, & vendidit primogenita, & sic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit parvi-pendens, quod primogenita sua vendidisset.* O stulte & insane! tam vili pretio primogenita tua æstimas, ut pro pulmento vendas? illa inæstimabilis sunt valoris, illud nullius. Quid igitur agis imprudens? sed eheu! quot sunt Christiani in hoc ævo, qui primogenita sua, id est cœlestem paradisum, & pretiosam suam animam, sanguine Christi redemptam, vili vendunt pretio, & carò æternum emunt supplicium. Hi pro brevi & momentanea quadam voluptate, illi pro honorifico statu, isti pro tantillo auri & argenti, parvi pendentes, quod æternam perdant beatitudinem, & æternam lucrentur mortem. O insane! cape stateram, pone in bilance voluptatem, honorem, divitias, omniaque mundi bona, & respice obsecro, quid sint: attende, quid dicat Sapiens. *Superinduxi animo cogitationem, super hac omnia illa, & inveni in eis tria hæc, vanitatem, afflictionem, consummationem.* Pone modò cœlestem gloriam in altera bilance, & quid in ea reperies? profectò soliditatem, consolationem, æternitatem. O miser! quid ergo pro tantilla re jam jam peritura, inæstimabilia vendis primogenita in æternum duratura? audi quomodo ii, qui simili cæcitate perculsi fuère, & in vita fallaci mundanorum bonorum & divitiarum amore inescati, hanc deplorent (seu eheu frustra) dementiam. *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergò erravimus à via veritatis, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam enim Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis: transierunt omnia illa velut umbra: talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Hunc miserorum planctum, hoc inane damnatorum lamentum intimis cordis tui, ô Christiane! imprime penetralibus, & dum carnali concupiscentiâ ad fœdos & voluptuosos concitaris luxuriæ jactus, dum ad summos inani gloriâ & ambitione instigaris gradus, dum splendore auri ad injustitiam & jus pervertendum alliceris, dic quid proderunt mihi hæc: ecce sicut umbra transibunt; dic cum Christo, vade satana, vade munde, tibi meum abdico servitium: scriptum est enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* sicque cunctas indubitanter diaboli evades techas.

Sap. cap. 5. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 14.

Verùm redeamus ad auri potentiam, illiusque cupiditatis malitiam parumper prolixiùs demonstremus. Ausim asserere, eam tantam esse, ut etiam in Christum ipsum attentarit insurgere, & Judam Apostolum ad proprium perfidis Judæis tradendum magistrum impulerit. Etenim hic potentibus auri armis devictus, ejusque amore excæcatus, minoris Domini sui sanguinem, quàm unguentum à Magdalena effusum æstimans, furibundâ totaliter accensus irâ, abiit ad principes sacerdotum, & ait illis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam. At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Quo lucro inescatus perfidus Judas, Deum suum tradere absolutè statuit. *Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.* O fallax judicium! ô impie mercator? unguentum Magdalenæ trecentis argenteis æstimas, & Deum ac hominum Christum, mundi creatorem, & conservatorem non pluris, quàm triginta aureorum

Matth. c. 26. v. 15. 16.

rum facis? pro nummo tam vili eum, cujus pretium, ut infinitum, à nullo comprehendi potest, juratis illius hostibus tradis? verè sordidâ mentis tuæ oculi obcæcati sunt avaritiâ, ut apertè testatur D. Paulinus dicens: *Suo ipsius damnando judicio, quo triginta argenteis vendidit eum, quem mulier (ut ipse taxaverat) unxit trecentis. Sed in hoc perversus, quod ipsum vili æstimans Dominum, unguentum istud carè æstimavit.* Sed eheu? quot sunt Christiani Judæ similes. Imò pejores, qui indies Christum pro abjecto bonorum temporalium lucro vendunt, & crucifigunt juxta illud Apostoli: *Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei.* Quot sunt inquam, qui Christi legem, & mandatum vilipendunt, dum de divitiis accumulandis agitur, & interesse mundanum colludit? quot sunt, qui ob perituras opes quodlibet passim scelus committere non verentur? audi quodnam de auro inhiantibus Euseb. reddat testimonium: *Pro divitiis*, inquit, *diu noctuque vigilant, angustiantur, laborant, & per fraudes, rapinas, furta, proditiones, perjuria, homicidia, & his similia, divitias coacervare non cessant.* Ecce ad omnem cum auro indiscriminatim homo movetur iniquitatem. Ideóque, quilibet talis dicere potest, *tecum moveor.* Quam perfidiam exaggerans S. Thomas à Villa Nova ingemiscens exclamat: *Quàm parvi te facimus, qui pro nummo te tradimus, Iudam accusamus, & idem quotidie facimus.*

D. Paulinus.

Ad Hebræos c. 5. v. 6.

O ineffabilem vim auri! quàm ingeniosum sanè dictum, *in motu & quiete vis auri?* Ah! quàm disertè August. illam demonstrat divinis hisce verbis: *Exclamas in mari exagitatus tempestate, ô mercator! Deus libera me, non audis respondentem Deum quære? nisi te? ac si diceret ô homo! si tam ardua adire juberem pericula, si tam difficilia aggredi cogerem itinera:* eheu divino meo, tamquam equus & mulus repugnans præcepto, mox similium operum impossibilitatem obtruderes, cur itaque tibi modò in vitæ discrimine constituto opitularer, quandoquidem non miserim te? & pergit Aug. *Avaritia te ad Indos misit ad reportandum aurum. Laboras in missione avaritiæ, cui obedisti, ipsa liberet te. Ipsa est, quæ te ad motum instigat, pigritia dicit dormi, avaritia dicit surge. Pigritia dicit noli pati frigus, avaritia dicit tolera in mari etiam tempestates: illa dicit quiesce, illa non sinit quiescere.* Et sic ejus vi tractus succumbis, exclamasque, *tecum moveor.* O prompta hominis erga aurum obedientia! hoc clamat ô Judex quiesce, noli pro æquitate & publico bono in magnates insurgere, sile, ne arguas: & mox ais *tecum quiesco*, veritus, ne officio deturberis, aurique lucrum deperdas. Clamat aurum curre homo ad Indias Orientales & Occidentales, noli tumentis furibundas extimescere undas maris, ne pavorem tibi incutiant venti, ne te deterreat frigus & æstus. Hæc nulla sunt, curre, modò diteris, sufficit. Et ecce respondes *tecum moveor.* At ubi tua, mihi ait Christus, tot titulis debita, ô Christiane obedientia? ego clamo, ut quiescas à vindicta, *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros:* è contra animus tuus insatiabiliter ad ultionem movetur. Ego clamo, move te ad opera pietatis, tàm corporalia, quam spiritualia, occurre indigenti, estote misericordes, quia pater vester misericors est. Et tu indies pauperibus portam occludis charitatis. Ego clamo ad instar Davidis, serva mihi puerum meum Absolon, serva mihi animam tuam pretioso meo sanguine redemptam. Verùm, ô refractarie! loco, quod cum Davide vias mandatorum meorum curreres, vias peccatorum atque iniquitatis eligis, animamque tuam, quam ego in acerba mea passione & morte tàm justo emi pretio, imò infinito, tu injustè vili vendis, *Vnusquisque*, inquit August. *peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* O cæca Christiani dementia! ô fallax splendentis auri fascinatio! cum eo totus mundus movetur, pariter & quiescit.

Sap. cap. 3. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 14.

Matth. c. 26. v. 15. 16.

August. de temp. serm. 196.

Augustin. epistol. ad Rom.

Ad hujus veneni efficaciam articulatim anathomizandam, à proposito devium non erit, curiosè annotare, quid sibi velit trina civitatis Luzæ nominis immutatio. Quod non casu factum fuisse indubiè credendum. Etenim, ut August. asserit, nominum propriorum in scriptura immutatio suum conferebat mysterium. Gen. cap. 28. Jacob (receptâ amplâ in somnis à Deo benedictione: *terrã tibi dabo, in quâ dormis, & semini tuo. Et erit semẽ tuum quasi pulvis terræ, & ero custos tuus &c.* Et mox subjungit scriptura: *cumque evigilasset Jacob de somno ait: verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Et post inquit: *locus iste, non est aliud, nisi domus Dei & porta cœli*, ecce, peractis mysteriosis quibusdam cæremoniis; nomen loci in aliud commutat: *Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luza appellabatur.* Tertio Regum perfida impii regis Jeroboam exactè narratur vita; is juvenum quorumdam aulicorum adulatorum insanũ secutus consiliũ, permissa cum rege Roboam regni Israelitici divisione, posteà veritus, ne totus Israel ei adhæreret, horrenda meditatus est consilia, atque abomi-

Gen. c. 28. Vers. 13. 14. 15. Vers. 16. 17. Vers. 19.

3.Reg.c.12 Vers.26. 27.28. abominanda in Deum suum perpetravit scelera. Audite, quid dicat scriptura: *Dixitque Jeroboam in corde suo: numquid revertitur regnum ad domum David? si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificia, in domum Domini in Jerusalem, & convertetur cor populi ejus ad Dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et cogitato consilio* (ut tanto scilicet detrimento obviaret) *fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite ultrà ascendere Jerusalem: ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Sed quem quæso tàm infami idololatriæ assignavit locum? heu! heu! ipsammet domum Dei; *posuitque unum in Bethel.*
Vers.29. O perverse! ô impie, ô sacrilege! in eo ausus es loco fana, altaria, idola extruere, sacrificia offerre &c. qui nuncupatur Domus Dei, & benedictionis gazophylacium? ô nefande rex! quodnam te ad tàm enormia motivum instigavit crimina? ah! responsum tuum nullo verisimilis justitiæ rationis palliare poteris tegmine. Illud enim claré detegit scriptura: *convertetur cor populi ejus ad Dominum suum Roboam regem.* Ecce te ad nefandum scelus insana regni impulit cupiditas, & fallacis auri aviditas. At non impunè hoc perpetraveris
3 Reg. c.3. Vers.2. nefas. *Ecce filius nascetur domui David Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt.* Verùm, quod
Osea c.4. Vers.15. ad nostrum institutum attinet, operæ pretium est annotare, quod Propheta Osæas de hac horribili mentionem faciens idololatria, nomen loci immutet cap.4. in Bethaven: *numquid non dixi vobis: nolite ascendere in Bethaven.* Sed quid hic ô Propheta latet mysterii? cur & nunc rursus Bethel in Bethaven mutas? videor me eum audire respondentem: hic locus Bethel meritò nuncupatur domus Dei, & porta cœli; verùm nunc, ubi exitiali Domini, pecuniæ, aurique cupiditatis veneno est infectus, non amplius Bethel, sed Bethaven, id est domus iniquitatis, non amplius porta cæli, sed inferni appelletur.

Hoc idem contigit mundo; dum interesse exulabat, dum invisa cunctis reipublicæ rectoribus erat auri cupiditas, ingrata munerum oblatio, mundus Dei domus erat, in eo vigebat justitia tam commutativa, quàm distributiva, mutua in republica resplendebat charitas, cuique, pauperi & diviti, nobili & ignobili, externo & consanguineo absque personarum exemptione suum administrabatur jus: sed ubi reipublicæ præfectis, judicibus, & ministris splendor auri gratus affulsit, ubi donorum munerumque blanda visa est largitio, non amplius Bethel, domus Dei, sed Bethaven, domus iniquitatis ad oculum apparet; quoniam non amplius justitiæ habetur ratio, omnia enim cum auro moventur.

Et, ut hanc veritatem aliquatenus dilucidem, interrogo quidnam maximè exulem faciat justitiam distributivam. Nonne aurum? ubi nunc officiorum justæ distributiones? ubi irreprehensibiles selectorum virorum ad publica munia electiones? proh dolor! evanuêre, aut in abstruso alibi per potentiam reginæ pecuniæ mundi angulo miseræ relegatæ latitant. Dolendum sanè depravatum interesse vitium à tanto tempore jam nominati Jeroboam ad nostrum irrepsisse, de quo, auro obcæcato, ait scriptura: *post hæc non est reversus* (id est post tot admonitiones, tot minas, atque diversas Vers.33.
per Prophetam increpationes) *Jeroboam à sua via pessima, sed contrario, fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum.* Sed quid, rursus repeto, ad tantam impium regem deduxit impietatem? ah! denuo respondeo: regina mundi, auri cupiditas. *Quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum.*

Dixi damnosum hoc venenum in Christianis irrepsisse republicis: & nonne cum veritate? nonne de novissimis assumi præ oculis videmus ecclesiæ Principes, purpuratos Cardinales, Antistites, Præpositos, Decanos Canonicos, quid ni dicam ad hujuscemodi munus sæpe sæpius ineptos, quàm plurimis capacissimis & dignissimis relictis? nonne & idipsum in conciliis, tum privatis, tum publicis, in magistratibus, tribunalibus, promiscuè fieri cernimus? juris gnarus modò vilipenditur, ignarus admittitur, in juris peritia expertus vituperatur, inexpertus laudatur, sicque indies officiorum collatorum judicio rana minerva putatur. Sed undè illorum tàm cæcus amor, & tàm iniquus contrà justitiam distributivam affectus? ah! qui implent manus eorum, fiunt de novissimis primi. Ambis itaque ô nobilis, summum alicujus territorii vel civitatis prætoriatum? imple manum, & fies prætor. Desideratne quispiam primarium aliquem consulatum, scabinatum, & quodcumque in urbe officium? crumenam hauriat, & ad optatum finem perveniet. Cuncta enim nunc reginæ obediunt pecuniæ, & homo ad motum auri, sive recta, sive obliqua sese cæcè movetur via. Hoc optimè noverat satyricus Horatius, dum ait: *omnis enim res, virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris divitiis parent:* Satyr.3.

parent: quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam & rex & quidquid velet.

Sed, ut iniquus in prætacto negotio, clariùs ævi moderni, atque depravatæ politiæ innotescat agendi modus; eum pulchræ cujusdam fabulæ luce dilucidemus. Ovid. fingit Atlantem regis Jasii filiam à diis tantâ in currendo dotatam fuisse celeritate, ut cunctis percurreret. Hujus tam præclari doni Atlans aliquot nobilibus celerius currendi, periculum facere obtulit, eâ conditione, ut victus mortis pœnam lueret, victor verò conjugii sui præmium obtineret. Initus rursus designatusque curriculi terminus, sed multis ab ea devictis, Hippomenes tandem animosus prodiit. Qui experientiâ edoctus, sese in currendo Atlanti imparem fore, ingenioso hoc usus est in cursu stratagemate. Extra curriculi stadium poma aurea hinc inde in terram dejecit. Illa auri cupiditate allecta, ea colligendo, cursum interrupit, & sic Hippomenes præcurrit & vicit. Haud dissimiliter modò agitur: omnes prætendentes avidè currunt ad bravium officii & dignitatis, cunctique poma aurea ferunt; sed qui plura, sit asinus, vel equus, tardus ingenii vel velox, accipit bravium.

Exod.c.18. vers.21. Quod, quàm damnosum sit reipublicæ, specialiter Jethro indicat Moysi, mandatum donans: *Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore.* Hoc ipsum fabula Phaetontis apprimè confirmat; de quo commentatur Ovid. quod, dum à patre instantibus precibus ægrè facultatem impetrasset, una die solis currum dirigendi, ipse aurigæ artis imperitus, deflectentibus equis, cum curru ignito in terram deciderit, sicque totum orbem igne accenderit; ita & ignari rectores rempublicam ad ima præcipitant, communia bona dissipant, civitatis æraria consumunt, & illam in ruinâ agitant. Quod si vos electores reipublicæ, ad justitiam distributivam conservandam, evidens non incitet periculum; deterreat saltem in vos lata rigorosa Dei sententia. *Et propter hanc causam peccavit domus Ieroboam, eversa est & deleta est de superficie terræ.* 3.Reg.c.13 vers.34. Cogita, quid de tuo judicio, de tua ad publica munia electione supremus quandoque judicaturus sit judex.

Verùm, si nec Dei mandatum, nec reipublicæ damnum, nec tui quidquam in te, obdurate Christiane! valeat perditio: moveat te gentilium Romanorum exemplum. Trebellius narrat in gestis Romanorum, dum ageretur de eligendo primario consule, omnium consensu, totiusque reipublicæ applausu in consulem assumptum fuisse Valerianum. Cujus unanimis fundamentalem electionis subnectit rationem: *Quia Valerianus omnibus melior, Valerianus modestus, prudens, gravis, tyrannorum hostis, & vitiorum multò magis* Hinc apud Romanos duo ædificata erant templa, unum honoris, alterum virtutis, & nisi per hoc quispiam honoris templum ingredi poterat, quo ipsi innuere contendebant, honoris atque dignitatis gradum solam fore virtutem. Unde & Arist. indubitanter asserebat. *Pravos facere Dominos non est securum, quia ipsi magis indigent custodia aliorum, quàm possent alios custodire.* Arist. lib. polit. c. 6. Ecce Ethnici ipsi solo naturæ lumine ducti, ad amussim justitiæ distributivæ, tanquàm reipublicæ cardini & columnæ studuerunt; & vos Christiani eam flocci penditis? hoc malum perniciosum amarè deplorabat Sapiens: *Est malum, quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens à facie principis positum: stultum in dignitate sublimi & divites* (scilicet virtute eminentes & capacitate) *sedere deorsum. Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.* Eccl. c. 10. v. 5. 6. 7. Et hoc idem, ô sapiens! in præsenti nostro sæpe sæpius contingit ævo. Videmus namque ignaros in altum sublimatos, capaces depressos in imum, virtute pauperes honoratos, divites capacitate contemptos; cernimus asinos sedere in magistratu, in conciliis, in tribunalibus, & præfectos politico regimini ineptos; principes autem in scientia & politia quàm optimè instructos, super terram ambulare neglectos. Sed qui hæc in pulpito intonaret, nonne idipsum timere deberet, quod sibi contigisse attestatur Apostolus: *Inimicus factus sum vobis, verum dicens?* indubiè: quoniam omnes contra fas & nefas cum auro moventur.

Videamus tamen semel, an pestiferum hoc venenum non suavius tractet justitiam commutativam: perscrutemur accuratè, an infernalis hæc bellua aurum virulentis suis dentibus hanc, sicut & distributivam, tam crudeliter ausa sit corrodere? examinemus, an quoque cum eo, contra illam mundus quiescat & moveatur? pro quo non absonum erit in mentem revocare ingeniosum hieroglyphicum, quo Ægyptii cunctas, judici, superiori, advocato, procuratori, & cujuscumque tribunalis rectori necessarias apprimè exprimebant qualitates. Narrat Diodorus Siculus eos artificiosè depinxisse hominem, undequaque multis circumdatum libris, pectus ex pretioso lapide Zaphyro

confectum erat. In collo portabat insigne numisma, cui insculpta cernebatur pulchra virginis imago: hæc habebat oculos clausos, cum dicto, *veritas*. Per libros indicabant judicem debere esse maximè literatum. Ignarus namque judicat sicut cœcus de coloribus. Ex Zaphyri proprietatibus, qui, utpotè coloris cœlestis, cujus subjectum est firmamentum (quod nullas juxtà Philosophos peregrinas patitur impressiones) numquam nec in lumine, nec in tenebris, in relucendo mutatur, deducebant, judicem non posse commoveri, nec parentelæ, nec amicitiæ, nec nobilitatis, nec auri & argenti lumine. Veritatem in collo gestabat, quia ipsius est nudam & exactam facti veritatem sedulò indagare juxta legem: *Iudex debet omninò inquirere veritatem.* Tandem oculos clausos tenebat, ut ostendatur judicem, non ad personam, sed ad delictum vel causam debere attendere. O divinum æqui judicis Prototypon! ô pulchra effigies & imago judiciariæ potestatis perfecta! ad hunc cunctos moderni ævi spectandam convoco judices, ut in eas, tanquàm in crystallino speculo conscientiæ propriæ conspiciant faciem, & videant, si simile adhuc reperiatur prototypum. Sed heu heu! periit, *non est, qui faciat bonum* (nimirùm judicium) *quia omnes ait Apost. Quæ sua sunt quærunt, non quæ Ie u Christi.* Ad Philip. c. 2. v. 13. Sordidum aurum totam hanc formosam defœdavit effigiem. Etenim inprimis illud, libros corrosit, dum ignaros ad tribunalia admitti, capaces ab iis arceri curavit. Judicis pectus alio sanè monili, quàm Zaphyro, sed purissimo auro, adamante, aliisque lapidibus, qui, ut luceat, lumen exigit, & pyropo, qui absolutè tenebras desiderat, nunc adornatur: ut diversum justitiæ recipere queat colorem. Sic est, sic est, ô Judices iniqui! patet ad oculum. Si rumor de nefando à quopiam perpetrato spargatur scelere, judex subito tetram rigorosæ justitiæ assumit faciem, protestaturque in sana republica, facta tam nociva, scandala publica parturientia, neutiquàm fore toleranda. Quocirca ad justitiæ partes movetur. Verum vultis scire quo medio velox tam zelosi judicis sistatur motus? auro, donis & muneribus. Quoniam si ejus manus splendenti hâc pinguedine optimè unguantur, si ejus oculis aurum affulgeat, mox gratiori colore factum obvelare quasi, vel obtegere studet. Dicitque judicium temerarium judici infamiæ notam inurere, ac proindè facti circumstantias minutim adverti debere; sicque qui primò zelosus Judex reum per plateas currendo ad suppli-cium summo cum rumore quærebat, dissimulat, tacet, causamque, quàm possit egregiè palliat, diversisque vivis justitiæ coloribus (sed utinam non umbraticis!) depingit, sicque misera veritas, imaginis Ægyptiacæ certa & solida basis, evertitur, & dictum *veritas*, misere expungitur. Hinc apposite Propheta David tales judices rotæ comparat, Psalm. 76. *Vox tonitrui tui in rota.* id est, Psalm. 76 vers. 19. quod Dei mandatum à quolibet observandum judicibus, tanquàm tonitru in populo, commandetur. Nonne enim unquàm annotastis curruum & rhedarum rotas, si non bene sint impinguatæ & inunctæ, magnum per plateas excitare strepitum? Si secùs: ecce dulciùs currus protrahitur, & vix rumor auditur; sic etiam Judices depravati hujus sæculi adinstar rotæ sunt: si siccæ sunt manus, nec oleo auri inunctæ, sub larva justitiæ in delicta præparat vindictæ apparatum; verùm, si hoc pretioso unguento impinguantur, suavius proceditur, hocque negotium dulcoratur. Et ita ii confiteri tenentur, suprà allegatam de auri potentia epigraphen: *tecum quiesco.*

Psalm. 2. vers. 9. Aliam sane doctrinam tibi, ô injuste Judex! proponit Propheta David. Ipse enim de Messia Christo mentionem faciens ait: *Reges eos in virga ferrea*, quod tamen, attentâ inauditâ Christi Domini mansuetudine, vix in eo locum habere potest. Quare Doctiss. Cajetanus per virgam ferream judicium intelligit. Idque ideò, quia in eo non tanta est, sicut in alia materia flexibilitas. Huic recte concinit S. Remigius, *tu reges eos in virga ferrea, id est, inflexibili justitia, non in hac justitia, quæ facilè mutatur* (nimirùm auro & argento) *quia quod semel est justum apud Deum, numquam erit injustum, vel quod injustum, numquam erit justum.* Cui quoque magnum illud Ecclesiæ lumen adstipulatur August. *In virga ferrea, id est inflexibili justitia.* Et ideo subjungit Propheta: *Erudimini, qui judicatis terram.* Quæ verba bene perponderans famosiss. scriptor Bellarm. ait: *Hortatur judices, ut corrigant judicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant, deindè hortatur, ut pravum reprehendant affectum.* Et Philo Judæus idem docet, *bonum judicem personas, quæ judicantur, non animadvertere, sed solum negotiorum sinceram nudamque notitiam considerare.*

Verùm curiosum est hic per transennam annotare, cur judicium virgæ assimiletur? numquam advertistis, ô Auditores! quomodò piscatores fragili arundine piscantes, dum parvum piscem

piscem hamo affixum detinent, facili cum negotio eum ad terram, etiam sine aliqua quasi virgæ flexibilitate trahant? Si verò magnus adhæreat, non tantùm virga piscatoria incurvatur, verum etiam sæpè sæpius rumpitur, piscisque liber evadit. Ita modò fit in judiciis & tribunalibus; etenim, si judex pauperem, debilem, imbellem, vel abjectum hamo teneat justitiæ, ah miser iste quàm facilè trahitur ad pœnam, & ad decretum deducitur supplicium! quod si verò magnus quidam princeps, dives & potens hamo æquitatis implicetur (mediante maledicti auri pondere confestim confringitur) & ingens iniquitatis omnisque sceleris balena supplicium evadit.

Unde verè possumus dicere nunc leges politicas nil esse, nisi aranearum telas. Sicut enim illæ dumtaxat muscas & minuta animalcula apprehendere possunt, & per aves aliaque grandiora animalia penitùs destruuntur: ita lex justitiæ, non nisi parvos capit, magnis immunibus omnium impuritatum, fraudum atque scelerum reis pœnæ, relictis. Quod optimè testantur Solon & Anaxerces: *Leges aranearum telis*, inquiunt, *similes sunt, in quibus, non nisi infirmiora animalia hærent, validiora prorumpunt: ita leges humiles ac tenues constringunt, à potentioribus autem impunè violantur.* Hi namque aves sunt magnarum alarum, auro onustarum, illi non nisi leves & steriles alas portant. Hinc quoque fit (& non ratò, utinam numquam!) quod potentibus suis alis justitiam quasi contegant, simulque levia animalcula in aerem, imò & in patibulum propellant.

Numquàm consideràstis, quæ modò in curiis judicialibus vigeat politia? justitia (volebam dicere) optima sanè, quia judices accommodatè judicando, quietem & motum observant. Quæ duo ad rectè administrandam justitiam doctissimus Aristides omninò judicabat esse necessaria. Quietem, ut maturè ponderatis ponderandis, quæstio non temerariè determinetur. Motum, ut re examinatâ, ad sententiam procedatur. Etenim, si misella quædam & paupercula vidua diviti & potenti bonorum alienorum injusto usurpatori litem annis & annis intentârit, judicemque sæpe sæpius, etiam cum lachrymis & ejulatu pro sententia, juxtà omnem æquitatem ferendam, interpellârit: quid quæso responsi? ecce, inquit, muliercula, negotium adhuc nimis præmaturum est, & quiete opus, multa restant consideranda, & ita de die in diem, de anno in annum defertur determinatio, & labore labori superaddito, sumptui sumptus accumulatur. Unde rectè sibi misera potest appropriare illud Psalmistæ: *& labores mei locustæ.* Quia scilicet omnem meam substantiam devorârunt. *Psal. 77. vers. 46.* Sed quæ obsecro tantæ quietis origo? Heu! heu! Vix edissere audeo, aurum, aurum. Hoc unguento cum unctæ sint judicis manus, lis splendido hoc minerali obtecta, unco appenditur, cum dicto, *tecum quiesco.* Quod si quis finem litis prætendat, eadem utatur materiâ, & indubiè ad motum judicem (qui etiamnum & in eo sibi pro tempore complacet) concitabit, atque ipse confestim clamabit, *tecum moveor.* Quia in *quiete & motu vis auri.*

O impudentes judices! ô iniquæ pupillorum & viduarum substantiæ sanguisugæ! attendite, attendite obsecro in visceribus Christi ad illum locum Davidicum: *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* *Psal. 81.* In quo doctissimus Cajetanus summam reperit difficultatem. Quomodo enim Deus, qui solus & unus est, alios Deos dijudicare potest? Aliqui hic per Deos, justos intelligunt, juxtà illud: *Dii estis & filii excelsi omnes.* *Psal. 81. vers. 6.* Alii Angelos interpretantur, qui in sacra scriptura sæpissimè Dii nuncupantur. Verùm, quidquid de his sit sententiis, mihi magis arridet Cajet. explicatio, quam eruit ex textu hæbraico, qui per Deos *judices* intelligit. Habetur enim *Heloim*, quod nomen *judicē* significat. Et huic opinioni asseveranter adhæret Bellar. *Stetit in synagoga Deorum: synagoga Deorum nil aliud est, quàm conventus judicum à Deo constitutorum, quibus etiam deorum nomen impertivit, quia communicavit illis authoritatem judicandi.* Sed hic signanter advertendum ad *tò medio Stetit* Deus in medio. Cur enim potiùs medium, quàm angularem, vel lateralem sibi eligit locum? *In medio autem Deos dijudicat.* Sane magnum satis hoc vocabulum continere videtur mysterium, quod ex Mathesi facilè colligemus. Juxtà mathematicos infallibilis est regula, punctum aut centrū circuli æqualiter distare à qualibet parte circumferentiæ: Ita ut à medio circuli omnes lineæ ad quodlibet circumferentiæ punctum futuræ sint æquales. Deus, dum judices dijudicaturus venit, sese sistit in medio, nec ad dexteram, nec ad sinistram deflectens, cunctis pariter, & ad æqualem distantiam est vicinus. *In medio quiest,* inquit Remigius, *æqualiter à se circumstantibus videtur, & quia Deus communis est omnibus, nullius personæ exceptor, rectè in medio positus*

positus dicitur, quia ab eo unicuique quod suum est tribuitur. Vult itaque Deus per hunc judicialem locum cunctis efficaciter inculcare judicibus, ut in judiciariis tribunalibus sese in medio constituant, neque delinent potiùs ad partem divitis, quàm pauperis, nobilis, quàm ignobilis, sublimati, quàm non sublimati &c. sed sese contineant quasi in æquilibrio & indifferentes sententiam pronuntiaturos. Quod egregiè monet S. Basil. dicens: *adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille dives, hic hospes, alius domesticus, si judicaveris ad inæqualia videns, divitem, sublimem, pauperem & humilem: abominabilis es Deo juxtà illud proverbium: qui justificat impium, & condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* O impie, O perverse judex! ecce Deus tibi mandat, ut in medio te colloces, ut pariformiter unicuique debitam administres justitiam & tu protervè ad injustam inclinaris partem? Seu heu! quid miserum judicem tantoperè incurvat? En rectus & immobilis consistebat, sed ab altera parte grave ejus humeris auri pondus imponitur, & sic ad motum juxtà emblematicum dictum *tecum moveor*, injustum pertrahitur. Aurum namque vi coactivâ gaudet, ut disertè & succinctè testatur Fabricius, qui Cineæ Æpirotarum regis legato magnam auri abundantiam dono offerenti, abnuens respondit: *Se malle aurum habentibus imperare, quàm aurum habere.*

Basil hom. 21.

Prov. c. 17. v. 15.

Antequàm huic discursui coronidem imponam, obsecro vos quotquot estis (omnes enim non taxo) iniqui judices adeste, adeste, contemplemini Ethnicorum vitam, & inspicite antiquorum Philosophorum invincibilem constantiam, quâ incorruptam ex solo rationis naturalis dictamine tutati sunt justitiam; ut saltem vel ex eorum exemplis & pudore ad injustitiam dijudicandam accendamini. Rex Alcemenes, ut narrat Plutarchus, dum ei Mysenorum legati quamplurima pretiosa dona offerrent, ea summa cum indignatione respuit & animosè recusavit. Rogatus verò, cur tam rara monilia adeò flocci penderet, viriliter respondit: *Si recepissem, pacem cum legibus non haberem.* Ac si diceret, O Miseri! scitote, quod auri & donorum receptio, legum & justitiæ sit subversio. Quem actum extollens hic celeberrimus scriptor exclamat: *O mentem rege dignam! quæ magno & obvio lucro legum authoritatem anteposuit.*

Plut.

Beantes Judex, dum in reum quemdam mortis ferre cogeretur sententiam, amarè flevit, cumque ei replicaretur, quid stultè fles? Quid tuum ad lachrymas commovet animum? Ecce absolutè in tua potestate est condemnatum absolvere reum. Dimitte itaque eum & lachrymari desiste. Respondit teste Strobio: *Necessarium quidem est naturâ condolere, à lege autem & justitiæ regulis decedere, perniciosum est.* De Aristide Atheniensi refert Plutarchus, nominato per antonomasiam justo, quod ipse ad judiciis munus evectus: ab omni injustitia mirabiliter fuerit deterritus. Audite ejus verba: *Abhorruit ab omni factione & amicitia, ne adigeretur ad aliquid faciendum, quod justum non esset, aut cogeretur abstinere ab eo, quod judicasset reipublicæ convenire.* Rutilius Romæ interpellatus ab intrinseco & maximè familiari amico, ut in gratiam sui justum immutaret judicium: animosè respondit: *Hoc justum judicem dedecet.* Ad quod alter, ad infamem repulsam excandescens: *Quid ergo mihi cum tua amicitia?* cui rursus Rutilius: *Quid mihi opus est tuâ amicitiâ, si me urgere cupis, ut in leges justitiæ tui causâ peccem?* Ecce quanto zelo, quantâ constantiâ gentiles ab omni corruptione immunes, politicas conservârint leges, rectè judicantes, jus ipsum naturale inviolabilem pro communi reipublicæ bono exigere æquitatem. Et vos O Christiani judices! dum Deum vestrum auditis clamantem: *Quod justum est judicate*; adhuc ausi estis promiscuè, ob miserum auri nummum justitiam pervertere? Desistite, desistite, tempus est, inquit David *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Ad quod Bellarm. *Porrò sumere faciem peccatorum in judicio, nil aliud est, nisi talem sententiam ferre; non qualem justitia exigit: sed qualem amicus, vel benefactor requirit &c. & hoc idem est respicere in faciem hominis, & non in justitia.* Verùm elegantiùs & nervosiùs illa verba exponit S. Hieronym. *Quando venerit,* inquit, *ad vos judicium, non consideratis judicium, sed personas eorum, qui causas habent, ac si dicat, si venerit pauper habens negotium justum, & venerit dives habens negotium nequam, vos personam accipitis non negotium.* Quod quàm iniquum sit, in præsenti discursu me abundè demonstrasse autumo.

Strobius serm. 44.

Iob cap. 6. vers. 29.

Psal. 81.

Hieron in hunc loc.

Finio cum pulchri cujusdam actus famosi illius pictoris Parthasii commemoratione. Refertur inter cætera insignia hujus artificis opera in civitate Rhodana artificiosissimum depictum fuisse Satyrum columnæ altæ impositum, in cujus capite adeò rectè delineatam posuerat perdicem, ut ar-

ut artificiosâ illius vivacitate cæteræ aves deceptæ, circumvolitando eam suo cantu honorarent. Cumque Parrhasius animadverteret populum magis ad aviculas, earumque concentum, quàm ad artificium attendere, a senatu licentiam petiit illam demoliendi. Sicque tàm rarâ respublica privata est imagine. Hoc idem contingit indies auri-cupidis, mundanis, divitibus &c. ipsi enim magis ad vanitates, peritura hujus sæculi bona aurique accumulationem intendentes, quàm ad æterna & cælestia, sese beatos & felices deprædicant. Et proh dolor! cæci non vident, sese æternam, & veram deperdituros beatitudinem. Audite itaque Davidem clamantem: *Filii hominum usquequo* *gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis* *mendacium?* Quid auro fallaci & mendaci inhias homo? Quid tanto cum labore terrenas quæris congregare divitias? Divitiæ nil, nisi mendacium, quæ suum decipiunt possessorem! *Væ divitiis*, ait Godefridus, *quæ non solùm pereunt, sed suum perire faciunt amatorem. Sequere itaque, ô Christiane! verum aurum scilicet Christum, de quo sponsa, caput ejus aurum optimum.* Cum hoc quiesce, cum hoc te move. Quiesce in iis, quæ tibi inhibet, movete in iis quæ tibi facienda commandat, ut salutari hâc quiete & motu ad cœlestem movere possis beatitudinem, in eaque in æternùm quiescere, quam vobis & mihi concedat benignus Deus. Amen.

Psalm. 4. vers. 3.

FERIA SECUNDA.

Post Dominicam primam quadragesimæ.

Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.
Matth. cap. 25.

PRæsenti maturè inspecto evangelio, mirâque super affluente consideratâ illius disserendi materiâ, in labyrintho me comperi difficultatum, sanè non exiguarum. Dubius enim dudum hæsi, à quo hodiernum discursum exordirer. Etenim, si ab una parte oculos mentis ad inæstimabilem illam, quam benignus Dominus electis suis & amicis pollicetur, reflectam mercedem, cogor cum Doctorum Doctore S.P.N. Aug. exclamare. *Quod præparavit Deus diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur. Acquiri potest, æstimari non potest.* Sicque illius amplitudinem, magnitudinem, quid ni & dicam immensitatem mens erat parumper explicare. Ast, dum etiam ab altera vile, abjectum, atque inane tantæ gloriæ impar apprehendo pretium, ob mirificæ divinæ benignitatis excessum, sanè admirabilem, quodammodò in extasim raptus cum Bernardino & Chrysostomo confiteor: *Pro nihilo gloriam sempiternam adepti sunt.* Quid dicis ô Chrysost.? Pro nihilo ergo tantus, tamque pretiosus acquiritur thesaurus? quanti obsecro emitur? Respondet: *Da panem, & suscipe paradisum: parva da, & maxima suscipe.*

Bernard. Sen. serm. de pauperibus. Chrysost. serm. 41.

Hoc ipsum clarissimè docet in hodierno Evangelio Matthæus. Ecce Christum mortuorum & vivorum supremum judicem ad universale inducit judicium, justum præmium bonis, condignum supplicium malis operibus distributurum, eumque tàm magnificam cælestis gloriæ mercedem charitati ergà proximum, atque eleemosynæ adscribere declarat. *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me &c. reputat enim,* inquit Chrysol. *Benignus Deus sibi id donari, quod pauperi indigenti misericorditer elargitur; amore pauperis Deus regnum suum vendit, ut emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium.*

Matt. cap. 25. v. 34. 35. 36.

Chrysol. serm. 122.

Imò Africanum illud sydus Augustinus, sedulò perpensis præfatis Evangelistæ verbis, apertè sustinet, Deum ex rigorosa justitia, & vi contractus initi, operi charitativo gloriam suam debere, *Domine*, inquit, *redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* Undè optimè potest vobis improperari, ô socordes Christiani! regnum cœlorum intrà vos est, & illud arripere recusatis? S. Patri August. divinè conci-

concinit Chrysol. dicens: *Da pauperi terram, ut accipias cœlum, da nummum, ut accipias regnum, da micam, ut accipias totum.* Et urgens immisericordes, exclamat: *quis excusare poterit non ementem?*

Qui itaque desiderat horrendum Dei impunè evadere judicium, largam ad severum justitiæ tribunal pro patrona secum deferat eleemosynam. Huic enim magnificum hoc S. Eucumenius adscribit elogium: *Gloriatur enim misericordia adversùs judicium: siquidem misericordes misericordiam consequentur:* (*Tobiæ c. 4. vers. 11.*) Quod enim ex 4. Tobiæ hausisse autmo: *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.* Hinc & Propheta David hominem beatum deprædicat, qui hoc opere gloriâ æternâ potiri satagit. (*Psal. 40. vers. 2.*) *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala,* id est, in tremendo stricti judicii die, *liberabit eum Dominus.* Sepositâ ergò beatitudinis essentialis excellentiâ & præstantiâ (de qua fortasse infrà) modò animus est illius pretium indagare, simul & ostendere stupendam eleemosynæ efficaciam, ut quilibet ejus amore inescatus, inæstimabilem hanc margaritam sibi in æternùm comparare queat. Pro quo ad effectum deducendo unanimiter rogitemus Spiritus Sancti gratiam, per genitricis Dei assistentiam, cantantes ei angelicum canticum, Ave gratia plena.

(*Thomas à Villa-nova de S. Mart. serm. 2.*) S. Thomas à Villa-nova assumptum pro themate præsentis discursus locum studens articulatim anatomizare, nimiâ obrutus difficultate, dumtaxat in admirationem rapitur, cur Christus in majestuoso supremæ jurisdictionis tribunali nullius mentionem faciet operis boni, nisi eleemosynæ & charitatis? *Cur obsecro Domine,* inquit, *non orationes, non jejunia, lachrymas, disciplinas, & opera misericordiæ spiritualia commemoras; Sed solas eleemosynas, & pauperum suffragia?* Ad quod divinè respondit Chrysol. (*Chrysol. serm. 42.*) *de crimine non postulabit causas, nec de bono opere, cui de misericordia causa constabit; quia misericordiam solam coram se vult fieri, qui solius est misericordiæ remunerator & testis.* Et rursùs alibi: (*Serm. 14.*) *Quod Abel passus sit: quod servavit mandatum Noe: quod Abraham fidem suscepit: quod Moyses legem tulit: quod Petrus crucem resupinus ascendit: Deus tacet, & hoc solùm clamat quod comedit pauper. In cœlo prima est esurientium annona, primò stipendia pauperis tractantur in cœlo.* Hujus rationem aureo ore, profectò subtilem, subnectit Chrysost. *Quia misericordiam nescit divinus ignis exurere, faciat ergò misericordiam, qui vult gehennæ incendia superare.* Etenim, nisi hæc pro reo & peccatore patrocinatura, in severo justitiæ tribunali compareat, infallibilis à Judice æternæ damnationis expectanda est sententia: *Peribunt, peribunt, qui Christum non aluerunt.* Ite itaque in ignem æternum. (*Ezech. c. 16. v. 49.*) Et hinc Propheta Ezechiel, omissis quamplurimis Sodomitarum enormibus sceleribus, quibus divinam justitiam incessanter ad justam provocârant vindictam, tamquàm maximum dumtaxat recenset immisericordiam, & sævam in miseros pauperes duritiem. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas, & abundantia, & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* O mirifica Eleemosynæ prærogativa!

Hujus virtutis excellentiam atque potentiam sedulò inspiciens Pater Pauperum Augustin. suos de rectâ instituendâ vitæ normâ adhortaturus, hanc unicam, tamquam securam cœlestis paradisi clavem iis donat divinis hisce verbis: *Rogo vos, ut cogitetis, quod ait ipse Dominus noster Iesus Christus in fine sæculi, cum venerit ad judicium: congregaturum se omnes gentes in conspectu suo, & divisurum homines in duas partes &c. qui erunt à dextris audient: venite benedicti patris mei, à sinistris: ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Nunc urget: *quare causas, vel tantæ mercedis, vel tanti supplicii, percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare istis non dicit, castè enim vixistis? nulli fraudem fecistis? non dicet hæc: sed tantum percipite regnum, quia esurivi & dedistis mihi manducare.* Pergitque ulterius S. Doctor: *quantùm hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc solùm Dominus nominavit? posset dicere ob luxuriam, superbiam, invidiam, iram, &c. ite in ignem æternum; sed nihil horum, sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.* O res mira & stupenda! imò in tantùm, ut S. August. (*August. serm. 50. de temp.*) cogatur exclamare: *Video vos moveri, sicut moveor, quàm grande hoc peccatum est? quando cætera tacuit, & hoc solùm Dominus nominavit.* Undè, si ipsimet damnati interrogentur, cur ad æternos condemnati sint cruciatus, fatebuntur quidem sese talem ob luxuriam, superbiam justè recepisse sententiam: verumtamen ego iis ausim replicare: *Non indè, undè putatis.* Non dicet vobis ite in ignem æternum, quia carnalibus animum vestrum dedicastis desideriis, quia vindictam in hostem exercuistis, quia aliena rapuistis &c. *Sed quia esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Quoniam si misericordia & charitas in die illa mala affulgeret, à summa peccatorem liberaret angustiâ, &

munda-

mundatum ab omni peccati mortalis noxa, in æterna sua reciperet tabernacula, quia (ut vidimus suprà concione 2.) *charitas annihilat multitudinem peccatorum.*

Thomas à Villa-nova conc de S. Mat.

Ex his miris effectibus, irrefragabilem S. Thomas à Villa-nova non veretur educere consequentiam: nimirum eleemosynam efficacissimum fore contra cujuscumque peccati venenum antidotum. Audite ejus verba: *Quàm validum adversus peccata remedium, quàm efficax, & salubris peccatorum nostrorum medicina pietas in proximos eleemosyna sit: non unico, sed pluribus scripturæ testimoniis corroborabimus. In Ecclesiastico sicut ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis. In Apostolorum principe: charitas operit multitudinem peccatorum. Sed quod suprà omnia me movet, cum Dominus, adversùs pharisæos gentem pestiferam & subdolam durius invehens, proclamasset: væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum, væ vobis hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: væ vobis, qui decimatis mentum & anetum &c. væ vobis, qui similes estis sepùlchris dealbatis &c. post tam acerbam reprehensionem & terribilem invectivam, quis hujusmodi hominibus damnatissimis ullum salutis locum relictum putaret? His tamen hominibus perditissimis post omnia consilium præbet. Verumtamen inquit, quod superest, quod vobis reliquum est unicum, & salubre remedium, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Ob quod in excessu obstupefactus, in summam tantæ virtutis exurgens laudem exclamat: *Quid huic testimonio ampliùs in eleemosynarum commendationem addi potest? si hos emundare potest eleemosyna, quos non potest? si istis in pietate remedium, quibus non?* Ecce eleemosyna annihilat multitudinem peccatorum. O excellens effectus! ô mirifica operatio! sanè tam mirabilis, ut citatus Doctor ulterius de eâ rarum deprædicet encomium succinctis, sed nervosis verbis: *Quantus in eleemosyna fructus, & quàm ampla est repromissio pietatis? quanta bona? quot lucra? in die mala liberabit eum à damnatione, in vita præsenti custodiet à peccato, vivificabit nunc gratiâ, & postmodum beatificabit,* & infrà: *Quid super pecunias tuas doles? cum ex omnibus quæ habes, illud solummodo securè possideas quod dedisti, nam extrà fortunam est, quidquid pauperibus erogatur.* Hinc S. Ludov. Rex Franciæ, aulicis nimiam ejus in pauperes liberalitatem reprobantibus, blandè arridens respondit: *Multò satiùs hæc in pauperes se insumere, quàm in luxum. Hâc enim ratione opes, regnumque stabiliri.* Et Amadæus Subaudiæ dux cuidam sese de pulchris, quos ad venandum alebat canibus, glorianti dixit, magnam pauperum ostentans multitudinem. *Hi canes mei sunt, quos quotidiè alo, quibus me cœlestem gloriam venari spero.*

Eccl. c. 3.

1. Pet. c. 4.

Luca 16.

Matt. c. 9.

Ad Heb. cap. 13.

Sed potestnè fieri, ut dum similes pietatis Christianus perpendit effectus, adhuc misericordiæ oblitus, pecuniis inescatus, egeno durus existat, illumque à portâ suâ summâ cum acrimoniâ abigat, vacuumque à se dimittat contrà absolutum Dei mandatum, quod promulgat Sapiens: *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam, ne dimittas eum vacuum?* Sed utinam, tot, & tam multi non invenirentur, qui peregrinis claudunt domum, hospitem, ut hostem vitant, pauperique famelico panis denegant fragmentum! sanè pro iis quærendis nobis opus non est Diogenis lucernâ; promiscuè enim similes miseri obvios habent egeni, qui indies vacuo ventre cum sanguineis lachrymis totalem pietatis deplorant labefactationem, imò & extinctionem. Sed O homo in proximum indigum crudelis! cur non induis viscera pietatis? cur in teipsum incessanter sævire pergis? Dic quæso, quis umquam carnem suam odio habuit? Nonne tu, ô dives, ô potens, ô opulente? tunc ex animo exoptas tibi à Deo condonati delicta, & æterna anhelas potiri gloriâ? indubiè. Verùm à recto tramite deflectis: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas eleemosynis pauperum.* Imprime, ô Christiane! nisi tibi crudelis persistas, intimis cordis tui penetralibus auream magni eleemosynarii Sancti Thomæ à Villa Nova doctrinam, qui divinis hisce verbis contra te arguit. *Dic obsecro mihi, ô peccator! quod prædium utiliùs mercari pecuniâ tuâ aut quam aliam supellectilem divitiis tuis salubrius & commodius emere tibi poteris, quàm tua delicta, pro quibus utique, si ea in hac vita non redemeris, ardoribus sempiternis post modicum tradendus es sine dubio: redime ergo auro & argento tuo peccata tua; imò potiùs redime teipsum à dira & perpetua servitute,* Scilicet æterno supplicio. Et adductâ similitudine, instantiùs te improbum urget. *cogita ergò* inquit, *nunc si quempiam ex hujus sæculi divitibus captivum crudelis Turca in platea civitatis exiguo venderet, & uxor ejus & filii, quibus amplissimas divitias reliquisset, redimere contemnerent amore pecuniæ, quàm justè indignaretur, quàm detestaretur eos, qui suis eum pecuniis, à tam acerba servitute redi-*

Eccl. c. 29. vers. 12.

Dan. c. 4. vers. 24.

August. serm. 50. de temp.

redimere noluissent. O homo! & nunc tu verè crudelior es in teipsum, quem non à Turca, sed à diabolo, non à carcere, sed à gehennâ, non à momentaneo supplicio, sed ab æterno incendio, non quidem toto auro & argento tuo, sed domus tuæ furfuribus redimere negligis. Et pergit ulteriùs: *eleemosynam istam non tàm pauperi, quàm animæ tuæ confers, teipsum induis, teipsum pascis.*

Certè explodendam cunctis hanc insaniam manifestè satis demonstrat infamis quinque virginum fatuarum à nuptiis repulsa. Curiosum est enim parumper perscrutari, cur illæ virgines, quæ cum prudentibus ad nuptiale convivium admittendæ advenerant, non fuerint intromissæ? cum enim pudicitiæ candore fuerint renitentes, injustum videtur sponsi responsum, *amen amen dico vobis, nescio vos* Pro hac difficultate enodanda, operæ-pretium est curiosè cum S. P. nostro August. annotare illum locum canticorum cap. 4.

Cant. c. 4. vers. 9.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, Ecce sponsus, id est Christus inquit August. omninò sibi complacet in oculis sponsæ, id est animæ, eorumque pulchritudine sese amoris laqueis irretiri apertè confitetur. Sed undè quæso tanta oculorum efficacia? Respondet sponsus: *oculi tui columbarum.*

Cant. c. 1. vers. 14.

Verùmne in oculo columbæ tanta enitet gratia, tanta vivacitas, ut Christus tantam in eo percipiat complacentiam? Quare sponsæ oculos falconis, aquilæ, aut alterius cujusdam præstantioris alitis oculis non assimilat? Profectò hoc suo nequaquam caret mysterio. Quod nobis innotescat ex cap. 8. Gen. ubi refertur, Patriarcham Noë, peracto diluvio, ut sciret, an aquæ usque ad siccum diminutæ forent super terram, emisisse columbam, *Quæ venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Ecce columba ad arcam reversura in cunctarum arborum ramos suos conjicit oculos, quasi indagans, & quinam convenientius in placati divini furoris testimonium deservire posset, præ cæteris ramum olivæ, qui est verissimum charitatis symbolum secum portavit; quo facto inquit August. mysticè docetur, nullum prorsus hominem divinæ iræ diluvium evasurum, atque beatam illam arcam cœlestem paradisum intraturum, nisi secum deferat ramum olivæ, id est opera charitatis, sine quibus cuncti labores nullius æstimantur, juxta solidum Augustini judicium dicentis: *Habere omnia Sacramenta, & malus esse quis potest: habere autem charitatem, & malus esse non potest.* Complacet enim sibi Christus, in oculo columbæ, oculo pietatis, qui intelligit super egenum & pauperem, in oculo, qui sibi in vasto hujus mundi horto decerpit olivæ ramum, hoc est, colligit opera charitatis. Defectu hujus rami quinque Virgines à nuptiis exclusæ sunt. Ait enim scriptura *non sumpserunt oleum secum,* id est non attulerunt opera charitatis, sine quibus aliæ virtutes in oculis Dei vilescunt. Adeò itaque necessaria est pietas, ut Chrysost. audeat protestari: *Impossibile enim, impossibile, inquam est, etsi innumera facias bona, sine eleemosyna cœlestis regni vel vestibulum quidem attingere.* Quia nimirum *misericordiam solùm coràm se vult fieri, qui solius misericordiæ est remunerator.*

Gen. c. 8. vers. 11.

August. de laud. Euch.

Hoc ipsum perquàm egregiè videtur confirmare mysteriosum Salomonis templi Domini ædificium, ejusque apparatus. De quo signanter notat scriptura, quod tam oraculi, quàm templi portæ confectæ fuerint ex ligno olivæ: *Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum* &c. v. 33. *Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum.* Sed cur rectè sapientissimus rex illo, & non codiino ligno in portis conficiendis usus est? Olivæ lignum pietatis & misericordiæ Hieroglyphicum habetur, portas itaque oraculi & templi Domini ex illius ligno exstruendo, innuere vult Spiritus Sanctus, neminem sibi aditum cælestis templi Jerusalem comparaturum, nisi per portas transeat olivæ, id est mediantibus operibus pietatis: *Quia hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Et ideò rectè ait Chrysostom. *Impossibile est* &c. Nec mirum, quia teneris ô dives! non tantum ex charitate, verùm etiam ex justitia pauperibus subvenire, teste Thoma à Villa-nova: *Data tibi sunt eâ conditione, ut qui abundaveris, indigentium suppleat necessitatem, & si non suppleat, raptor est & homicida. Si non pavisti, occidisti: Si non dedisti, rapuisti.* Cui rapinæ nunquam Dominus veniam impertitur. Credoque illorum esse peccatum, de quo Joannes ait: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut oret quis.* Quem scripturæ locum, quantumvis plurimis aliter sciam explicari, in pauperum favorem jam jam asseveranter dico, impietatem & immisericordiam quasi esse irremissibilem, non tantùm D. Chrysost. innixus sententiæ, *impossibile est* &c. (non quod dicam absolutè esse impossibile, sed ad extremum difficile) verùm & irrefragabili Spiritus S. suffultus testimonio, Amos cap. 1. quod satis apertè declarat benignum Dominum cunctis

3. Reg. c. 6. vers. 31.

Psal. 117. vers. 20.

Thom. à Villa-nova loco citato.

1. Epist. Ioan c. 5. vers. 16.

cunctis peccatis, quantumque enormibus, facilè misericordiam elargiri, excepto impietatis scelere, quod infallibiliter punit. Ecce cum miseri Hebræi in Babyloniam captivi deducebantur, ex iis quàm plurimi, ut sese à tyrannica eximerent servitute ad sylvas vicinas civitati Gazæ confugerunt, cujus habitatores, loco quod omni annonâ destitutos, famelicosque fratres benignè in suam tutelam atque protectionem reciperent, & pane saturarent; eos, omnis charitatis atque pietatis immemores, Idumæis, Babyloniis immanioribus in mancipia vendiderunt; ob quam abominandam impietatem adeò excanduit Deus, & in tantùm ejus furor exarsit, ut protestatus sit per prophetam sese ad miserandum fore inflexibilem. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum: eò quòd transtulerint captivitatem perfectam, & concluserint in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ & devorabit ædes ejus.* Quia judicium ei sine misericordia, qui non fecerit misericordiam.

Amos c. 1. vers. 6.

Id rursus firmiùs stabiliunt duo alia Scripturæ loca. Primus registratur Deuter. cap. 23. Deus summoperè in Ammonites, & Moabites iratus gravissimam iis infligit pœnam, ingressum in templum inhibens. *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem, non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.* O severa sententia! O durum judicium! sed unde quæso O benigne Deus! tantus in Ammonites & Moabites furor? Quod scelus tam enorme, quod adeò tuam provocavit justitiam, ut omnem exueris misericordiam? audite; quid subjungat Scriptura v. 4. *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via.* Ecce intoleranda impietatis atque immisericordiæ perfidia suavem divinæ misericordiæ, obstruit frontem, & divinam excitat iracundiam. Quia ergo illi benignitatis fraternæ obliti, famelicos Israelitas saturare neglexerunt, à Domini Ecclesia arcentur, atque æterna maledictione percutiuntur. Sic sic ô divites! scitote pro certo, si pauperes & fame enecatos pane vestro sublevare contempseritis, non intrabitis cœlestem Jerusalem in æternum, quia *impossibile est*, &c.

Deut. c. 23, v. 34.

Secundus locus habetur 2. Reg. cap. 5. *cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Qui nec sua videtur carêre difficultate, justè namque peti posset, O piissime Domine! quid miseri cæci & claudi mali commisêre, quod à templo tuo arceantur? nonne naturæ defectus tanto homini esse valet detrimento? Ecce patienter, ut plurimum suam patiuntur calamitatem, unde & tuam promereri deberent benevolentiam, & tu iniquè, ut apparet, illos à sanctuario tuo repellis? O misera cæci & claudi fortuna! O iniqua sors! ah Christiani! terribiles hæ minæ in claudum & cæcum à justissimo judice exaggeratæ, *cæcus & claudus non intrabunt in templum Domini.* Non literaliter, sed mysticè explicandæ sunt. Etenim sub rudi litteræ cortice interna latet mystici sensus medulla. Templum Domini cœlestis regni est Symbolum, è quo comminatur Dominus sese claudum & cæcum exclusurum. Sed heu! rursus repeto, O detestanda cæcorum & claudorum conditio! nullus ergo eorum æternâ potietur beatitudine? Nonne Isaac, cujus caligaverunt oculi, nonne Jacob, qui post luctam cum angelo initam, claudicavit, nonne Nicolaus Tollent. diabolicâ rabie claudus effectus, æternum adepti sunt regnum? Non est, qui inficias eat. Quomodo itaque dicitur *cæcus &c.* Imò imò O Christiani! cæci & claudi non intrabunt in Dei gloriam. Non hi, qui corpore, sed qui corde cæcutiunt, & claudicant, id est immisericordes erga pauperes existunt, qui verè cæci sunt & claudi; si namque egenum esurientem ad ostium frustum panis expostulaturum, accurrentem aspiciunt, illud ei obturant: si indigenti obviam veniunt, illum aspernantur, & in miseriis suis atque necessitate sublevamen exigenti tergum obvertunt, oculosque declinant. In quam cordis duritiem, ne homo incidat, sedulò admonet Dominus Deut. cap. 15. *Cave, ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & avertas oculos tuos à paupere fratre tuo.* Hi animo cæcutiunt, qui deliciis affluentes, luxui, & crapulæ servientes non cogitant super contritionem Joseph, id est famelici pauperis, nec illius commiseretur contra absolutum Dei mandatum Tob. cap. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Hi animo claudicant, qui norunt in vicinia sua plurimos infirmitate, & miseriis oppressos, fame & penuriâ quasi enecatos lecto decumbere, nec accurrunt, ut tantæ fratris sui opitulentur necessitati, qui egenos pro bolo panis ad ostium lachrymosâ voce audiunt clamantes, nec assurgunt, ut micam elargiantur; imò per famulos à porta depelli mandant. Certè hi non intrabunt in regnum cœlorum. Quia ut ait Chrysost. *impossibile est &c.*

2. Reg. c. 5. vers. 8.

Deut. c. 15 Vers. 9.

Tob. cap. 4. Vers. 7.

Pro præsenti instituto operæ pretium est duas mysteriosas Dominicæ in cœlum ascensionis curiosè annotare circumstantias. Prima est, cur Christus è monte Oliveti ad cœlestem ascenderit patrem,

trem, ut patet ex cap. 1. Act. nam, cum angeli dixissent stupentibus discipulis: *Hic Iesus, qui assumptus est*, sequitur, *tunc reversi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliveti*. Quod mirum sanè videtur. Etenim, cur hoc mysterium potiùs non peregit in monte Sinai, in quo summa cum majestate condidit præcepta decalogi, cunctasque antiqui testamenti Hebræis præscripsit leges, sacrificia, oblationes & cæremonias? Aut in monte Thabor, in quo transfiguratus, Apostolis Petro & Joanni coram Moyse & Elia suam ostendit gloriam, atque magnificentiam? Sed rectè in monte Oliveti? Secunda est, quod Christus immediatè ante suam Ascensionem elevarit manus suas, & extenderit palmas divini sui amoris, dilectis suis benedicens Apostolis, ut ait Evang. Lucas cap. 24. *Et elevatis manibus suis benedixit eis: & factum est, dum benediceret illis recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*. Ad primam facilis est responsio ex suprà dictis; mons enim Oliveti amoris scaturiginem adumbrat, estque vivum charitatis Symbolum: hinc est, quod per eum piissimus ad patrem atque cœleste regnum ascendat, Dominus, ut cunctis fidelibus rectam demonstret gloriæ adipiscendæ semitam, nimirum opera charitatis, sine quibus nulli planè ad æternam requiem patet aditus, quia *impossibile est &c.*

Act. cap. 1. Vers. 11.

Vers. 50.

Secundæ verò rationem nec difficilius erit adducere è curiosa quadam, quæ in annalibus Cathaloniæ reperitur, historia. Bohemi, quondam legitimo deficiente regni hærede, & successore, ingruenteque hanc ob rem bello intestino, patriæ bono & paci studentes, de communi primatum Bohemiæ consensu legatum miserunt ad Guilielmum Gastonem Cathaloniæ regem, cui duo erant filii, unus nomine Guilielmus, alter Gaspar, expostulaturi ab eo, ut alterutrum regimini & sceptro præficeret. Cujus petitioni confestim annuit Gaston; eâ tamen conditione, ut ipsemet legatus è duobus unum eligeret. Quâ acceptâ, ille cum suis summo manè ad eorum perrexit cubiculum, quos adhuc dormientes fixè intuens, viso, quod Guilielmus manibus apertis, Gaspar verò clausis decumberet, Guilielmum in Bohemiæ regem adscivit: rogatusque à Gastone, cur potiùs illum, quàm alium elegisset, respondit: neminem regni fore capacem, nisi liberalitatis gratiâ dotatus sit, habeatque ad subveniendum subditis manus apertas. Hoc ipsum approbans Christus ascendens ad patrem, regni cœlestis possessionem accepturus, divinam suam impertitur benedictionem, manusque ostendit, indicans neminem posse æternæ patriæ gaudio frui, nisi manus suas extendat ad pauperem, ejusque necessitatibus subveniat. Quia *impossibile est &c.*

Rigorosa sanè sententia! quæ quamvis eradicabiliter hominum & præcipuè Christianorum cordibus digna sit imprimi; tamen promiscuè à quàmplurimis stultè negligitur, & summo cum damno vili penditur. O insensati & obcæcati! auditis clamantem Chrysost. *impossibile est &c.* Item & supremum judicem æternam vobis comminantem perditionem, *Peribunt, peribunt, qui Christum non aluerunt*: & tamen impiè regno cœlesti sine ullis pietatis & charitatis operibus potiri præsumitis. Non sic impii, non sic, sed manus extendendæ sunt ad pauperes, Christusque in iis alendus. Ipse enim ait, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sed quæ quæso ordinariè à tenacibus, & avaris prætaxatur excusatio? Utuntur sancti Philippi responsione, qui interrogatus à Christo, unde ememus panes, ut manducent hi? Annotatâ annonâ: *Ducentorum denariorum*, inquit, *panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*. Respondentque, ut Apost. Andreas frater Simonis Petri: *Est puer unus hic, qui habet panes quinque hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?* Magna nobis est familia, uxor, plurimi filii, & filiæ, omnes reditus mei vix iis alendis sufficiunt. Sicque nil superest quod pauperi porrigamus, imò nobis deest, quod ipsi consumamus. Sed audi Christiane quid hoc modo ratiocinanti respondeat Thomas à Villa nova: *Dices, si omnia computo, multa desunt; verè ita est, cupiditati tuæ deficiunt multa, & deessent, etiamsi totum orbem solus sine socio possideres. Nolo ergo ad ratiocinium te adducere, fac sicut filio suo Tobias consuluit, quomodo potueris, ita & esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue. si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Unde S. Ambros. frivolam hanc divitum prævidens excusationem, salutarem iis donat admonitionem in hæc verba, *frange esurienti panem tuum. Non dixit*, inquit, *ut integrum daret, cum pauper ille alium forte non haberet sed frange inquit, hoc est dicere, etiamsi tibi tanta paupertas sit, ut non habeas, nisi unum panem, ex ipso tamen, & pauperi tribue.*

Matt. c. 25 Vers. 40.

Ioan. c. 6. Vers. 5. 9.

Thomas à Villa nova conc. de S. Mart.

Sed heu proh dolor! proh nefas! quot sunt, qui sanam Ambrosii respuunt doctrinam, quot sunt, qui continuò clamant, ecce tantæ mihi sunt divitiæ, tot agri, tot reditus, *sed hæc quid inter tantos?*

tantos? Quot ſunt, qui in luxu, deliciis, mundanis voluptatibus, alendis meretricibus, equis, canibus, ſuperbis veſtibus, choreis inſtituendis, lautis conviviis & inanibus ſumptibus, nummos ſuos inſumunt, miſeroſque pauperes micam panis rogantis ab oſtio ſuo repellunt! quam duritiam atque tenacitatem conſiderans S. Baſil. in hæc verba: *Sed hæc quid inter tantos?* Exclamat, *ſi ſumptus non neceſſarios penſitamus, quod argentei tori, menſæ item argenteæ, lecti eburnei, ita ut nequeant ullo modo ad pauperes penetrare divitiæ & quamquam ad tuas veniant fores, miſeram rogando vocem emittentes: tu tamen negas, affirmans rogantibus cunctis non poſſe ſufficere.* O quanta hæc impietas! ô quanta injuſtitia! an neſcis forſitan ô Chriſtiane! redituum tuorum ſuperfluum, juſtum pauperum fore patrimonium? an neſcis, quod id, quod luxurioſè inanibus ſumptibus inſumis, indigentibus injuſtè ſubtrahas? Audi, audi, ſi hoc ignoras S. Bernard. ad te vociferantem: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt, dicite Pontifices in fræno quid facit aurum, nobis frigore & fame laborantibus? Quid conferunt tot mutatoria, vel extenſis in perticis, vel plicata in manticis? noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditur, nam & nos Dei plaſma ſumus, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus,* Unde dicentibus, *numquid de meo poſſum facere, quod volo? Quod crimen, ſi mea non do, non ſum latro, non ſub abactor, non ſum raptor; propter quid ergo damnandus?* Divinè reſpondet: *& unde obſecro illa tua ſunt? feciſtine tu illa? ideo tua, quia uſurpaſti ea tibi? nam omnia communia creavit altiſſimus. An tibi ſoli terra germinat herbas? arbores ferunt fructus? bruta generant fœtus? Propter pacem, meum & tuum lege permittuntur, hâc conditione, ut qui abundaverit, indigentium penuriam ſuppleat, ſi non ſupplet raptor & homicida eſt: quia, quem non paviſti, occidiſti: quæ non dediſti, rapuiſti.* Quam rapinam ſanguineis S. Ambr. deplorans lachrymis in hæc verba prorumpit: *Pecuniam pauper quærit, & non habet panem, poſtulat homo, & equus aurum ſub dentibus manducat.*

Bern. citatus à Thom. Villa nova ibidem.

Verum id quod jam in genere dixi de ſuperfluis egenis ſubminiſtrandis, multò arctiùs ſtringit Eccleſiaſticos beneficiatos, qui illa non ex charitate duntaxat, verùm etiam ex juſtitia indigentibus dare obligantur. Immò adeò ſtrictè, ut etiam ſecundùm graviſſimos authores ad reſtitutionem teneantur. De cujus ſententia quantumvis quis dubitare poſſit, id tamen extra omnem eſt controverſiam, ſi certæ eleemoſynæ pauperibus, hoſpitalibus &c. deſtinatæ, ſuppellectilis & utenſilium luxui, opiparæ menſæ ſplendori, equorum educationi, vanoque cuicumque uſui applicentur, tales reſtitutioni ſunt obnoxii.

Primum autem quoad charitatem certum videtur. Etenim Trid. expreſsè & rigoroſè defendit cuicumque beneficiato ſuos ex reditibus & proventibus eccleſiaſticis ditare. *Omnino eis interdicit* (ſcilicet Epiſcopis & clericis) *ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſq; ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibent, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed qui pauperes ſunt, iis, ut pauperibus diſtribuant.* Pulchra ſanè inſtructio non tantùm pro iis, qui pauperibus ſua retinent, ſibique reſervant, ſed etiam pro illis, qui illa inaniter expendunt. Ex quo ſequitur quod eccleſiaſticorum inordinatus ſumptus, pompa, & mundanus faſtus impediat (ut jam dixi ex Baſ.) *Ut nequeant ullo modo ad pauperes penetrare divitiæ.*

Seſſ. 25. c. 8 de reform.

Sed quid hoc ô crudeles! perfidi fures! an non audiviſtis, an non intellexiſtis, quàm juſtè in vos inſurgere poſſint & ſtomachari pauperes? *Noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter &c.* Ah! pudet fateri. Aures veſtræ clavo mundanæ vanitatis obturatæ ſunt, (& non attenditis ad clamorem pauperum, hoc enorme & maximè fundatum indigentium improperium verus pater pauperum, non injuſtè per antonomaſiam eleemoſynarius appellatus Divus Thom. à Villa nova ut evaderet, audite quid fecerit, illumque vobis mirificæ charitatis erga proximum proponite exemplar. *Expenſas prohibebat fieri, idque, ne quid minus pauperes haberent. Ob quam etiam cauſam nullâ pompâ, aut ſplendore domi ſuæ uti voluit. Parietes omnes nudi erant, nullis aulæis tecti.* Sibi itaque detrahebat, ut abundantius membra Chriſti reciperent.

Didicerat ſanam hanc doctrinam non degener filius in erudita & Chriſtiana S. P. ſui Auguſtini ſchola, de quo ait Poſſiodorus cap. 23. *Pauperum ſemper memor erat, eiſque inde erogabat: unde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus erogabatur. Hoc eſt vel ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel ex oblationibus fidelium.* Imò cunctos opportunè, importunè urgebat, ut eleemoſynam indigentibus elargirentur: *Date pauperibus aliquid, rogo, moneo præcipio Non enim occultabo charitati veſtræ, quare hunc ſermonẽ neceſſariũ habeo vobis promere. Ex quo hic ſumus euntes ad Eccleſiam, & redeuntes, pauperes interpellant nos, & dicunt, ut dicamus vobis,*

Aug. ſerm 5. de verbis Domini.

ut

ut aliquid accipiant à vobis, nos monuerunt loqui vobis, & cum ſe vident non accipere à vobis, inaniter arbitrantur nos laborare in vobis. Et 1. Solil. de ſeipſo ait: *Nec aliud quidpiam in divitiis, ſi quo caſu offerrentur, præter neceſſarium victum, liberalemque uſum quæſivi.* Cætera verò egenis erogabat. Eodem teſte: *Exſpectant aliquid & à nobis, damus quantum habemus, damus ſicut poſſumus. Sed quia ad eorum neceſſitatem implendam idonei non ſumus, vel ad vos legati ipſorum ſumus.*

Ibidem.

Salutarem hanc D. Aug. admonitionem intimis cordis ſui penetralibus altè impreſſerat S. Carolus Borromæus, de quo teſtatur Eccleſia: *Domeſticam ſuppellectilem, ne derelicto ſibi lectulo in eoſdem* (nimirum pauperes) *alendos conti l t: ſuper nudam in poſterum tabulam incumbens.* Unde ſibi ipſi congruè adſcribere poſſet illud S. Paulini Epiſt. 2. qui dum à quodam ſummopere laudaretur, eo quod omnem poſſeſſionem bonorū indigentibus fuiſſet impertitus, reſpondit: *Quæ nobiſcum non intuleramus, nec poteramus auferre nobiſcum, quaſi mutuata reddidimus: facilè hæc tamquam pallium remittentibus exciderunt, Nec ut cutem à carne detraximus, ſed, ut veſtem à corpore depoſuimus; nunc opus eſt, ut, quæ verè noſtra ſunt diſpenſamus, hoc eſt cor & animam & corpora noſtra exhibeamus in hoſtiam vivam, quæ enim gratia, ſi in alieno tantùm fideles fuerimus, niſi de proprio ſerviamus.* Ah utinam hujus ævi prælati ſanctiſſimos hos imitarentur præſules! utinam inutiles evitarent expenſas, pretioſâ, ſuperfluâ ac ſuperbâ ſupellectile omiſsâ! utinam inſtructâ frugali, non epulonicâ contenti forent menſâ, ut ſic vel micæ panis ad famelicum penetrare valerent Lazarum. Attendite obligationem veſtram ô Epiſcopi & Prælati! cavete ne patrimonium convertatur in equorum ſuſtentaculum. Date, date pauperibus, qui indies interpellant vos, quoniam judicium vobis fiet ſine miſericordia, ſi non feceritis miſericordiam. Et multò magis, ſi non in diſtribuendo adminiſtraveritis juſtitiam.

Exod. cap. 16. refertur pium Dominum murmurantibus Hebræis in deſerto Sinai manna pluiſſe, omne ciborum habens in ſe delectamentum, idque in eorum ſuſtentaculum: è quo cuilibet licitum erat tantùm, quantùm neceſſarium foret, colligere; amplior tamen expreſſo Dei mandato vetebatur collectio: *Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: Et nullus relinquat ex eo uſque manè.* Hic obſtupeſcit doctiſſimus Oleaſter, & curioſè indagat, cur Iſraelitis aliquid ſuperflui ex manna arripere ſtrictiſſimè fuerit inhibitum? Et reſpondet: *Dixit ad eos Moyſes, nullus relinquat ex eo uſque manè: non, quod parcus eſt Dominus, ſed quia novit, quæ mala abundantia pareat, voluit nos ad menſuram uti bonis ſuis, neque ad menſuram panem de cœlo deſcendere fecit, ut diſcamus in abundantia ſervare parcitatem, & modeſtiam pro pauperibus.*

Exod. c 6. Verſ. 6.

Oleaſter in hunc locum.

Sic tu ô dives prodige, & præſumptuosè! divitias tuas non poſſes conſumere, niſi luxui & inutilibus ſumptibus eas conſecrares, tu illis modeſtè, & frugaliter, & temperanter corporali tuæ neceſſitati obvenire teneris; ſume inde quantum ſufficit, non quantùm ſuperabundat, ut eæ quandoque ad egenorum manus pervenire queant. Attende ad ſolidam Oleaſtri doctrinam., *diſce in abundantia ſervare modeſtiam pro pauperibus.* Detrahe tibi ſuperfluum, quod cognoſcis fratri tuo neceſſarium: imitemini Regienſium Ethnicorum laudabilem erga Tarentinos charitatem. Hi quodam tempore, ut commemorat Ælianus, à potenti Romanorum exercitu ſtrictiſſimè circumcincti fuerunt, & ad extremam, ob annonæ defectum, neceſſitatem redacti. Quod annotantes Rhegienſes, jejunium & abſtinentiam per totam patriam indixerunt, ſicque ſubtractâ nimiâ & ſuperfluâ victus abundantiâ, confœderatos ſuos jam jam Romanorum imperio ſubjugandos, annonâ ſublevarunt, atque ab obſidione liberarunt. Hos inquam, imitemini ô divites duri & immiſericordes? *Qui,* ut ait Propheta Amos, *dormitis in lectis eburneis & laſcivitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem Pſalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* Et nihil cogitatis ſuper miſeria & neceſſitate pauperum. Detrahite charitativè luxui, & nimiæ abundantiæ, ut divitiæ veſtræ egenorum egeſtatem queant ſublevare. Diſcite in abundantia penuriam vel ſaltem parcitatem pro indigentibus. Conſiderate vos Chriſtianos eſſe, ac proinde Chriſtianorum debere exercere opera, juxta Chriſti doctrinam, qui Hebræis de nobili ex Abraham ſtemmate ſeſe jactantibus dixit: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Eſtote in pauperes miſericordes.

Ælianus l. 5. hiſt. c. 2.

Amos 6. 6. v. 4. 5. 6.

Ioan. c. 8. Verſ. 39.

Alex. Magnus, reperto quodam juvene ignavo, imbelli & ſegni, nomine Alexandro, illum admonuit dicens: *O adoleſcens! aut nomen mutato, aut mores.* Sic ad Chriſtianum clamat Auguſt. tu Chriſtiani nomine gloriaris, & Chriſtiani facta & opera exhorreſcis? mutato nomen, aut mores.

Quia

Quia *Christiani nomen*, inquit hic S. Doctor, *frustrà sortitur, quo Christum minimè imitatur. Quid enim prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum? sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume.* Estote itaque misericordes sicut & pater vester misericors est.

Salvianus aliam tenacitatis, & in elargiendis eleemosynis incuriæ adducit excusationem satis vulgatem: scilicet cæcum nimium parentum in prolem amorem, quo efficaciter instigantur, ut posteros divites & potentes relinquant post se in hoc mundo. *Dicit pater*, inquit, *intolerandum sibi videri, quod filii superstites in paupertate ac miseria vivant inglorii. Quare omni ope curandum, ut abundanter in hoc sæculo gloriosi relinquantur.* Quam radicatam dementiam & intolerabilem cæcitatem egregiè explodit Salvianus divinis hisce verbis: *O infelix! quid curas de filio superstite, & teipsum in æternum negligis? cur tibi potiùs, quàm filiis non succurris? cur animam tuam perdis, ut terram & lutum lucreris?* Et paulò infrà: *cogitas, quàm bene alii post te vivant, non cogitas, quàm malè ipse moriaris. Immoderata relicta filiis facultas, parentum est sempiterna mendicitas. Ac per hoc nulli parentibus magis obnoxii, quàm filii nimis amati: Dum illi patriis bonis affluunt, parentes sempiternè cruciantur.* Et concludit: *propinqua vestra pignora esse, & vobis conjunctissima certum est. Sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo conjunctior, quàm vos ipsi. Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros, sed tantùm secundo à vobis gradu, ita illos diligite, ut non vos ipsos odisse videamini.* Et rationem subnectit, *stultus est enim, qui, ut alium divitem faciat, animam suam condemnat.*

Expergiscere ergo à nocivo hoc somno ô Christiane! evigila, & propriæ animæ tuæ satage salutis, exerce opera Christiani, nimirum charitatis erga proximum, perpende sedulò ratos pietatis effectus, & emolumentum: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ad quod Chrysost. *ipsa pro nobis in regno cœlorum advocati loco optimè fungitur?* Et ex adverso irreparabile impietatis inspice damnum, *impossibile enim est* &c. inquit idem. *Et judicium ei sine misericordia, qui non fecit misericordiam.* Ut itaque cunctis judicium detur cum misericordia, facite misericordiam, ut sic in æternum filii Dei, & hæredes effecti, cœlesti frui mereamini beatitudine, quam vobis & mihi concedat Pater &c. Amen.

Luc. c.10. Vers. 41.

FERIA TERTIA.

Dominicæ primæ Quadragesimæ.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Matth. cap. 21.

Sanctus Chrysost. plurimis efficacibus argumentis comprobatâ inexplicabili divinæ misericordiæ magnitudine & multitudine juxta Davidem clamantem: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam;* se reflectens super rigorosam, quam quandoque Deus in homines exercet vindictam, conatur omnibus ingenii sui viribus genuinam hujus expiscari rationem. Et inspecto illo Prophetæ Oseæ loco: *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis:* sustinet Deum, *cui proprium est semper misereri & parcere*, hominum iniquitatibus, atque peccatis ad iram & vindictam invitum quasi concitati: *sceleribus suis amarum me fecit, qui dulcis eram*, inquit Chrysost.

Chrysost. hom. 2 in Psal. 50. Psal. 50. Vers. 3.

Oseæ c. 12. Vers. 14.

Pro solido doctrinæ suæ fulcro adducit illud Micheæ de Deo justo, & vindicante mentionem facientis: *Ecce Dominus egredietur de loco suo & descendet, & conculcabit excelsa terræ.* O mysteriosa Prophetæ locutio! *egredietur de loco & descendet;* potestne ille de loco ad locum transire, qui divinâ suâ immensitate omnem ambit locum? Dic mihi obsecro Philosophe, si ignis, qui ex propria sua essentia & indito instinctu sursum tendit, supremamque super omnia elementa appetit regionem, deorsum descenderet, nonne id mirum foret, ejusque naturæ repugnans? Quomodo itaque iratus Dominus, qui ignis consumens est,

Michea c.1. v. 3.

est, in peccatores ulturus descendit è cœlo? Ah respondet Hieronymus, ô homo! hanc quasi violentiam Deo ipsi inferunt peccata tua. *Dominus enim de loco suo egreditur, quando quietem, & mansuetudinem, & clementiam pro emendatione peccantium interrumpere cogitur.* Proprium enim Dei centrum est, ab eo tantopere adamatum, homini misericordiæ signa, & charitatis demonstrare testimonia.

Isa.c.28. Vers.21. Hoc satis evidenter innuit Propheta Isaias dicens: *Irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Sed nec hic locus suâ caret difficultate. Quomodo enim hæc duo simul consistere queunt; *opus suum, & opus alienum!* Sanè hoc manifestam involvere videtur implicantiam. Nodum hunc rursus dissolvit S. Hieronymus: *non est enim opus ejus punire* (quia quasi divinæ repugnat misericordiæ & benignitati) *peccatores: sed peregrinum, & alienum ab eo, qui Salvator est.* *S. Bern. ser.69.in Cant.* Rationem fundamentalem rectè attingit S. Bern. *Quia miserendi causam & originem sumit ex proprio: judicandi, aut ulciscendi ex alieno* Itaque, ut faciat opus suum debitum justitiæ, alienum opus hoc esse divinæ proclamat misericordiæ *Psal. 144. Vers. 9.* juxta scripturam: *Misericordia ejus super omnia opera ejus.*

Verùm hoc notatu dignum: quod misericordia superexaltans peccata hominum sæpe sæpius dissimulet. Ecce impius Rex Herodes eum adhuc tenellum, & in cunabulis jacentem ad necem quærit: & ait Scriptura: *Secessit in Ægyptum* Obstinati Judæi improperiis & contumeliis in eum insultant, *Ioan. c. 8. Vers 48.* ut refert Evangelista Joannes: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Et suaviter respondit Dominus: *Ego dæmonium non habeo.* Ab iisdem flagellatur, alapis impetitur, coronâ spineâ benedictum ejus caput *Vers. 49.* terebratur: ab iniquo judice Pilato ad mortem condemnatur, & tanquam agnus coram tondente se obmutuit. O mira Christi Domini clementia! deinde, dum ulcisci absolutè voluit, creatoris ad hoc usus est munus, nunc angelis, nunc hominibus, nunc igne, terrâ, &c. sed Jerosolymitanum, ut hodiernum declarat Evangelium, templum ingressus, omni depositâ mansuetudine, ibidem reperiens vendentes oves & boves, adeò in iniquos negotiatores illos stomachatur, ut propriis contra consuetudinem suam manibus tantam vindicet *Ioan. c.2. Vers 15.* impietatem, teste Joanne: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque; & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Sed unde tam insolitus mansueti Domini furor? Unde tam subitanea cholera? hujus fundamentum tangit Joannes vers. 17. *Zelus domus tuæ comedit me.* *Vers. 17.* Ecce domus Domini, domus orationis vocabitur. Tantum nefas rigorosâ expiandum est vindictâ. Verùm, liceat mihi replicare, ô pie Domine! cur tu ipse in perfidos sævis? cur Apostolis eos expellendi curam non demandas? videtur id indignum esse tuâ clementiâ & majestate.

Moris erat apud antiquos, ut, si inter quosdam rixa & jurgium excitaretur, nullus posset ad verbera procedere, sed causa prudentum hominum judicio determinanda tradebatur, nisi in casu, quo sponsa, aut uxor alterius contumeliis foret affecta. Hic est Christi casus. Ecce ejus sponsa Ecclesia, de qua ipse dicit: *Sponsabo te* *Osee c.2.* *mihi*, inhonoratur, maximaque ei inuritur inju- *Vers. 20.* riæ nota. Ideò ipse clamat: *Mihi vindicta & ego retribuam*: Quia de sponsæ meæ agitur honore. Sic appositè totum hoc exponit Ferrerius: *Non legimus, quod Christus unquam propriis manibus peccata correxerit, nisi hic, quia fecit flagellum de funiculis.* Et rationem subnectit: *Hinc apparet quantum displicet is, qui tangit Ecclesiam sponsam suam.* Ratione itaque justæ Christi vindictæ in præsenti discursu gravitatem, enormitatem, irreverentiam templi, summumque, quod ex ea oritur damnum, conabor demonstrare: præmissâ tamen angelicâ divæ Virginis salutatione: pro impetranda Spiritus S. gratia.

Seneca narrat de Platone, quod ipse quodam tempore in servum ob grave aliquod, quod commiserat delictum, excandescens, Eusippo famulo suo, illius justam demandarit vindictam, veritus, ne nimiâ irâ forsitan in castigando excederet: dicens: *Heus tu ipse Eusippe hunc punias, ego enim nimium irascor.* Sed cùm, paucis elapsis diebus, in gravius crimen incidisset, Plato Eusippum accurrentem cernens, ut eum rursus puniret, revocavit, illique vindictam inhibuit, dicens: *Siste tu, dignus est iste nunc irâ meâ.* Haud dissimiliter benignus Christus alia delicta dissimulat, & condonat: vel si punit, per alios hoc facit, ut mitior sit pœna: verum ubi à quopiam Ecclesia sponsa sua inhonoratur, ad instar Platonis ad omnem exclamat creaturam: *Siste tu, dignus est hic scelestus, templi profanator nunc irâ meâ,* ego tantam impietatem per memetipsum ulcisci co- *Eccli. 12.* gor. De similibus enim ait Sapiens; *Impiis & pec-* *Vers 4.*

catori

catoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. Id est reservans rigorosam usque ad diem extremi judicii punitionem.

Matt.c.24 Vers. 2. Vers.15.

Gravitatem hujus delicti Christus ipse clarè satis exaggerat per Evangelistam Matthæum cap. 24. dum enim de terribilitate sui ultimi adventus Apostolis suis mentionem faceret, dicens: *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Interrogaverunt eum: *Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum adventus tui? & consummationis sæculi?* Quibus respondit: *cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto.* Tunc, tunc, quando enormia in templis & locis Deo consecratis committentur peccata, summa cum majestate veniam, ultionem sine misericordia de iis sumpturus. Nihil enim in tantùm meam provocat justitiam, quam domus meæ irreverentia. Cujus iniquitatem anatomizare desiderans S. Hieronymus cum Diogene, qui pleno die accensâ lucernâ Athenis hominem quærebat, qui impietatem, injustitiam, depravatosque Atheniensium mores sufficeret explicare; hominem tam disertum quærit, qui templi Dei profanationis nefas queat enucleare. Audite quid clamet: *Proh nefas! non possum ultra progredi, at indignatione pariter, & dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur.* Sed quid obsecro te tantopere angit ô Hieronyme? ah respondet cum Diogene: *Hominem quæro. Ubi est illud mare eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenis, sed nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret.* Sed cur? *inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat, repertum est facinus, quod nullus possit effari, facta est enim domus Domini prostibulum diaboli.*

Hier. orat. contra Sabinianum.

Nec mirum sanè tantum hoc esse facinus! Etenim, si Ecclesiæ & sacri loci dignitas justâ perpendatur trutinâ, illius gravitas facillimè æstimabitur. *Ecclesia*, inquit Chrysostomus, *locus quidam est medicinæ spiritualis, & eos, qui huc veniunt, decet ne domum redeant, nisi congrua remedia recipiant, illaque suis vulneribus adhibeant.* Ecclesia inservit, ut Christiani in ea dignè & devotè salutaria accipiant Sacramenta, ut Dominum pro suis deprecentur delictis: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Imò audet ulterius progredi hic sanctus Doctor dicens: *Ecclesia locus est Angelorum, locus Archangelorum, regia domus Dei, & cœlum ipsum.* Sed heu! ô tempora, ô mores! nonne nunc majori cum fundamento possum ingemiscere, & exclamare cum Mathathia Machabæo, juvenum indies in templo execrandam cernens insolentiam, puellarum immodestiam, & compositum Christianorum agendi modum, *templum ejus sicut homo ignobilis?* Imò, imò: optima enim Spiritus sancti hæc est similitudo; sicut enim ignobilis & plebæus à transeuntibus non honoratur: sic modò templum Dei à Christianis vituperatur. Nonne ergo scelerato huic ævo appropriare legitimè queo illud Machabæorum lib. 1. cap. 1. *Dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbatha ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum?* Nunc enim Ecclesiæ visitantur; ut ibidem mercator cum mercatore sua stabiliat commercia, ut procus suam reperiat amasiam, ut curiosus sedulò contempletur intrantium & exeuntium incessum & mores, ut filiarum grato, utinam non impudico, delectetur aspectu: ut quilibet suum inveniat consortium &c. & quid quæso hoc est aliud, quàm sabbatha Domini in opprobrium convertere? & Domini habitaculum diaboli facere prostibulum? hoc malum acerbè deplorat S. Thomas à Villa nova dicens: *In templis nostris, cùm venerandum illud, & angelicis spiritibus tremendum sacrificium offertur, quantus puerorum strepitus? quantus loquentium & deambulantium sonitus? quantum inter divinas laudes ridentium & negotiantium murmur? nulla devotio, nullus ordo, nulla discretio, nullus divinæ majestatis respectus, sed neglecta omnia, confusa omnia, dejecta omnia.* Quam iniquitatem in tantum exaltat S. Chrysost. ut lachrymarum affluentia oris aurei de ea dignè disserendi impediat potentiam: *Domum suam*, inquit, *in diaboli vestibulum vertitis, propter quod acerbè fleo, & numquam flendo finem faciam.*

Chrysost. homil.1. in Gen.

L.1.Mach. c.2. Vers.8

Vers. 41.

Tho. à Villa nova ser. de dedic. templi.

Sed unde præcipuè tantam dignoscere hujus sceleris poterimus malitiam? sanè non melius, quàm è magno & exitiali, quod ex eo homini resultat, detrimento. Sed quodnam? respondet Bern. *Obstruit fontem misericordiæ*, quod infallibilis animæ nostræ causa est ruinæ. *Nisi enim*, inquit Chrysost. *misericordia ejus in immensum extenderetur, pauci admodum salvarentur.* Pro sententiæ suæ fulcimento irrefragabile Prophetæ Isaiæ arripit testimonium: *In terra Sanctorum iniquè gessit:* sed quid inde promanat damni? *Non videbit gloriam Domini.* Pœna sanè horribilis, terribilisque sententia, cunctorum Christianorum cordi firmiter imprimenda, qui in loco sancto iniquè sese gerit, Ecclesiamque Dei profanat, non videbit gloriam Domini. Huic quoque subscribit Apostolus

Isai. c. 26. Vers.10.

1. Corinth. c. 3. v. 17.

lus ſententiæ: *Si quis autem violaverit templum Domini, diſperdet illum Dominus.* Ad quod S. Antoninus ait: *Perdet animam ejus ad inferos judicando.*

Antoninus ſer. 33. p. 13.
Oſeæ c. 5. Verſ. 1.

Hujus ſeveri judicii ſolidam egregiè confirmat, atque corroborat veritatem Prophetæ Oſeæ dictum & monitum: *Audite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael & domus regis auſcultate: quia vobis judicium eſt,* Ecce ô Iſraelitæ? Deus vobis ſtricti judicii horrendas intentat minas, certam & prædicit ruinam. Sed quod obſecro piè Domine tanti furoris in populum tuum electum motivum? *Quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor.* Legunt hic Interpretes è textu Hebraico, loco *ſpeculationi, quoniam laqueus facti eſtis in Maſphat.* Verum hocne tantum ſcelus? Sanè execrandum; etenim hi duo montes Deo quaſi conſecrati erant, & Maſphat propter Silo adjacentiam, ubi tabernaculum, arca, & Propheta Samuel requieverant. Thabor autem, quia Deus in eo transfiguratus eſt, & multa alia ibidem peracta ſunt myſteria. Vult itaque dicere Spiritus S. ô nequiſſimi mortalium! vobis non ſufficiunt montes profani, loca forenſia, in quibus retia veſtra & laqueos extenditis, id eſt technas, dolos, & inſidias collocatis ad innocentes opprimendos, ad vos ipſos viduarum, & pupillorum bonis ditandos, atque abominanda omnis generis peccata perpetranda: ſed eò progreſſi eſtis proterviæ, ut etiam in montibus ſanctis, locis Deo dedicatis ſimilia committatis. Horum vobis reſtat judicium. Hoc crimen vindictam non evadet: divina enim mea clamat juſtitia: *Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem.* O horribile mandatum *leva*, id eſt, in altum extende, ut ſceleſti hi vehementiori ictu percutiantur. *Manus tuas,* adhibe non manum unam, ſed ambas, ut duplicatâ pœnâ deteſtanda eorum caſtigentur crimina. *In finem,* ne ceſſes à vindicta, ſed in æternum invigila *in ſuperbias eorum* Fiat judicium iis ſine ulla miſericordia, qui ſuperbientes & glorianteſ templum tuum profanant, ſolemnitatem domus tuæ explodunt: reſpice, *quanta malignatus eſt inimicus in ſancto. Et gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ.* Firma perſiſtat condemnationis ſententia. Non exhorreſcitis, ô inſulſi juvenes! ſeverum hoc Domini judicium? qui cachinnis, riſibus & impiis confabulationibus divina interturbatis ſacrificia, & templa, & ſacra infami ſtrepitu impletis loca? Non contremiſcitis, ô immorigeræ puellæ! audientes *vobis judicium eſt,* quæ in divino officio non intenditis orationi, ſed oculos continuò huc & illuc volutatis, ut intrantium juvenum greſſum, habitum, mores, atque faciei decorem contemplemini? quæ in templo veſtris arridentes procis, ſignis, nutibus, oculorumque geſticulatione procemini? Imò, quod omnium abominabilius: ſæpè ſæpiùs cum illis de illicitis congreſſibus tractatis, obſcenumque ſtabilitis amorem? Non formidatis divinæ juſtitiæ fulmen, ô mercatores! qui in Dei Eccleſia de novis nuntiis, de commerciis, de granorum pretio, de meſſe, & fructuum abundantia agitis: æſtimantes eam eſſe forum, & non ſacratum Deo locum? attendite, attendite, *judicium vobis eſt.* Quia hæc iniquitas eſt irremiſſibilis, miſericordiæque divinæ fontem obturat. Quod ipſamet ſcriptura; quæ falli, nec fallere poteſt, apertè atteſtatur.

Ierem. c. 46. v. 18.
Pſalm. 73. Verſ. 3. 4.

Exod. c. 32. Verſ. 33.
1. Reg. c. 2. Verſ. 25.
2. Reg. c. 12 Verſ. 12.

Nunquàm annotaſtis duo diverſa ſacræ paginæ loca, quæ primo intuitu directè apparent repugnantia. Primus regiſtratur Exod. cap. 32. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Et rurſus 1. Regum c. 2. *ſi peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?* Et alter 2. Reg. 12. Ubi narratur pium & benignum Dominum Davidi homicidium & adulterium ob unum dumtaxat *peccavi* miſericorditer condonaſſe. Quomodo enim hæc duo conſiſtere poſſunt, quod Dominus ſuam in eum delinquenti deneget veniam, & Davidi infami adultero, atque fraudulento homicidæ ob unum *peccavi* verbulum confeſtim impartiatur indulgentiam? Ubi tamen ipſemet ſeſe in Deum ſuum peccaſſe ingenuè confitetur dicens: *Tibi ſoli peccavi.* Hanc difficultatem egregiè enodat antiquiſſimus Doctor Origines, duoque hæc loca appoſitè ad noſtrum reconciliat inſtitutum. Peccatum in hominem, inquit, *vocat illud hic Dominus, quod extra ſanctum committitur, peccatum verò in Deum, quod in ſacris, ſive in Eccleſiis perpetratur, & pro his quis orabit, ſi Dominus exaudire nequit?* Ecce quàm exitiale Chriſtianæ Reipublicæ venenum templi ſit profanatio! quàm execrandum virus!

Pſal. 50. verſ. 6.
Orig. in hunc locum.

Hujus probam habemus evidentiſſimam in ſacra ſcriptura Ezech. cap 8. Deus ob Iſraelitarum deteſtanda ad iracundiam excitatus, Prophetæ ſuo quaſi volens exactam tam ſeveræ juſtitiæ reddere rationem, eum ad templi Salomonis ſibi dedicati advocat parietem, petitque: *Fili hominis putaſne vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hîc? ut procul recedam à ſanctuario meo?* Quas, ut tanquam teſtis ocularis deteſtaretur, ei mandat: *Fili hominis fodi parietem.*

Ezech. c. 8. v. 6. 8. 9

Et

*Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et
dixit ad me? ingredere & vide abominationes pessi-
mas, quas isti faciunt hic.* Et ad oculum demon-
stratis execrandis sceleribus (ut constabit lectori
ex textu) eos atheismi, pessimi sanè criminis incu-
vers. 12. sat reos: *Certè vides fili hominis, quæ seniores do-
mus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abs-
condito cubiculi sui: dicunt enim: dereliquit Domi-
nus terram.* Sed nec hîc substitit Dominus, ve-
v. 15.16. rum pergit dicens: *Certè vidisti fili hominis: ad-
huc conversus videbis abominationes majores his: &
introduxit me in atrium domus Domini interiùs: &
ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & al-
tare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes con-
trà templum Domini.* Et ex tantâ Israelitarum ini-
quitate, necessarium & legitimum vindicandi at-
que acriter, & sine misericordia eos puniendi de-
v. 17. 18. ducit argumentum. *Certè vidisti fili hominis: nun-
quid leve est hoc domui Iudæ: ut facerent abomina-
tiones istas, quas fecerunt hic? Ergò & ego faciam in
furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: &
cum clamaverint ad aures meas voce magna, non
exaudiam eos.* Et sine morâ rigorosam ultionis ex-
ecutioni mandat sententiam suis imperans ange-
C. 9. *v.* 7. lis: *Contaminate domum & implete atria interfe-
8. ctis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos,
qui erant in civitate* Quam miserandam cladem &
sanguinolentam cædem cernens Ezechiel, com-
miseratione atque pietate commotus, ad Domi-
vers. 8. num clamat: *Heu, heu, heu, Domine Deus: ergone
disperdes reliquias Israel, effundens furorem tuum
supra Ierusalem?* Ubi sunt misericordiæ tuæ anti-
quæ? ubi Spiritus sancti per Moysen dicti veritas
Exod. cap. cap. 22. *Si clamaverit ad me exaudiam eum, quia
22.v.28. misericors sum.* Et Jer. c. 29. *Orabitis me: & ego ex-
audiam vos.* Sed heu audite Christiani! quid ira-
Ierem. c. tus respondeat Dominus: *Iniquitas domus Israel
29. v. 12. & Iuda magna est nimis:* Et ideo, *meus non parcet
oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eo-
rum reddam.* Verum, quæ tanta iniquitas? *Quia
malignatus est inimicus in sancto, & fecit in domo
mea multa.* Hæc impietas tam execranda & dete-
standa est, ut nulla ei misericordia, nulla indulgen-
tia, sed infallibilis reservetur vindicta.

Non exhorrescis O impie profanator templi
Christiani? attende, attende ad solidum, quod
tibi opponit à minori ad majus S. Thomas à Vil-
la-nova argumentum. *Quanto sanctiora sunt tem-
pla nostra, quàm illud magnificum Salomonis? in
illo animalia comburuntur, in hoc corpus Christi im-
maculatum & pretiosus sanguis offertur.* Et sum-
mam, quæ indies à depravata ævi sui fiebat juven-
tute, insolentiam considerans exclamat: *Heu pudet
illorum temporum recordari, quoties illorum vene-
rationem & cultum, & nostram irreverentiam ac
tepiditatem intueor.* Meritò in te, O scelerate! in-
surgit Divus Chrysost. aureis hisce verbis: *Stat sa-* *Chrysost.*
cerdos Dei orationem offerens cunctorum; tu autem *hom.* 15. *in*
rides nihil timens. Non contremiscis? non colligis teip- *epist. ad*
sum? & in aulam quidem regiam intraturus, & ha- *Hebr.*
*bitu, & oculis & incessu, & in cunctis aliis componis
& ornas teipsum. Hûc autem ingressurus, ubi est aula
regis, & talis, qualis est cœlestis, rides.* O insane! si
Deus sine ullâ misericordia tantam in Judæos,
quia terga vertebant ad templum Salomonis,
sumpserit vindictam: quid de te non faciet, qui
sancto altari, in quo immaculatum Christi corpus,
& pretiosus sanguis immolatur, non tantùm ter-
gum vertis, ut liberiùs puellas intrantes detur in-
tueri, verùm etiam cachinnis, risu atque impudicis
colloquiis sacerdotum sacrificia interturbas, alio-
rumque devotionem impedis, & proximum scan-
dalizas? audi, quid dicat de hoc Propheta Jere-
mias: *Verterunt ad me tergum & non faciem:* Sed *Ierem. c.* 2.
quid indè evenit? ecce confestim mandat Deus: *vers.* 27.
Surge metire templum Dei & altare, & adorantes *Apoc. c.* 11.
in eo. Id est perscrutare an cuncti, qui huc adve- *vers.* 1.
nerunt, debita cum reverentia, devotione & at-
tentione sese gesserint, prout sanctitas loci exigit.
Quod si non, tanta est hæc iniquitas, ut confestim
divinam justitiam evocet ad vindictam, & om-
nem abigat misericordiam. Undè ausim asserere
hoc esse peccatum ad mortem, de quo Evangeli-
sta Joannes ait: *Non pro illo dico, ut roget quis.* Quia *Ioan. Ep.*
est quasi, ut ita dicam, irremissibile. 1. *c.* 5. *v.*

Inconcussæ hujus veritatis confirmatio aper- 17.
tissimè eruitur è subtili quadam, quæ à SS. PP. &
sacræ scripturæ Interpretibus ventilatur, quæstio-
ne. Inquirunt hi, ob quam causam Deus, qui
non est personarum acceptor, in Adamum divi-
ni mandati transgressorem adeò benignus, & in
angelos adeò extiterit severus? ut his neutiquam
pepercerit, sed teste Petro Apostolo: *Rudenti-* *Petr. Ep.*
bus inferni detractos in tartarum tradidit crucian- 2. *c.* 2. *v.* 4.
dos, in judicium reservari. Secùs autem homini
reo veniam, & temporis pœnitendi elargitus sit
moram. Et ne quispiam fortasse id in majorem
delicti refunderet iniquitatem, lubet utriusque
peccati gravitatem anatomizare. Cujus speciei an- *Ezech.* 6.
gelicum fuerit crimen, apertè patet ex illo Ezechi- 28. *v.* 2.
elis, scilicet superbiæ: *Elevatum est cor tuum.* *Isa. c.* 14.
Et Isai. *conscendam in cælum suprà astra Dei exalta-* *v.* 13.

bo solium meum, similis ero altissimo. Huic opinioni communiter adstipulantur SS. PP. inter quos S. Augustinus: *Suo recusans esse subditus Creatori, & suâ quasi per superbiam velut potestate elatus, & qui propriam subjectionem noluit tenere, quod verò est, affectat per superbiæ elationem simulare, quod non est.* Appetebat itaque Angelus divinæ naturæ similitudinem; *Hoc Diabolus fecit*, inquit Augustinus, *imitari Deum voluit perversè, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.*

August. c. 11 de civ. Dei. c. 13.

Aug. in Psal. 7.

Ejusdem speciei & objecti primum protoplastis Adæ extitit peccatum. Etenim, tùm fallacibus uxoris suæ allectus verbis: *Quia audisti vocem uxoris tuæ:* Tùm callido fidem tribuens serpenti: *Eritis sicut Dii.* Ambitione elatus, ac amore Deitatis inescatus, divinum temerariè transgressus est mandatum: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Sicque Adæ delictum superbiæ atque inobedientiæ iniquitatem formaliter in se includit. Imò quod amplius est, annexam quoque in se comprehendit gulæ disordinationem, ut docet S. Thomas. Nec insuper furti formali caret malitiâ. Cùm enim ipse in illud lignum nullo potiretur dominio, de eo capiens, alienum, invito Domino eripuit. Et quod maximè Adæ delictum aggravat, est irreparabile toti posteritati illatum damnum: nimirum peccatum originale, concupiscentiæ & ignorantiæ fons, quod in omnes è semine illius descendentes (saltem de lege communi) transfunditur. Item & mors corporalis, quam ab hoc delicto causatam esse expresse fatetur August. dicens: *Fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores morte fuisse mulctatos, ut etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eâdem pœnâ teneretur obnoxium.* Ex quibus irrefragabilis infertur consequentia, ergò Adam gravius Angelo deliquit. Remanet itaque in pristino vigore proposita quæstio, quænam tàm promptæ in Adam clementiæ, & tàm rigorosæ in Angelum justitiæ assignabilis sit ratio.

Gen. c. 3. vers. 5.

S. Thomas 2.2. q. 163. a. 1. ad 2.

Aug. l. 6. de Gen. ad litt. c. 22.

Quidam illam expiscari conantur ex Angelorum & hominis status diversitate. Quia nempè isti merè spirituales: ille verò carne & ossibus constans: sicque magis ad malum sectandum pronus. Insuper asserunt quidam, efficacius Angelo, ut in gratia persisteret à Deo donatum fuisse adjutorium, debilius verò Adæ, & ideò hunc potius, quàm illum divinam impetrasse misericordiam. Verùm utrumque responsum nullum est, & directè repugnat sanæ fundamentalis Doctoris Augustini doctrinæ, mordaciter sustinentis in felici innocentiæ statu eum nullam prorsus inter partes inferiores & superiores passium fuisse rebellionem, nullamque inter carnem & spiritum sensisse reluctantiam, nullam concupiscentiam, aut ad malum inclinationem. Hinc de lapsu & Adami transgressione admiratus exclamat: *Hoc tam leve præceptum ad observandum, tàm breve ad memoriâ retinendum: ubi præsertim nondum cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis posteà subsecutum est,* & de correp. & gratia cap. 11. expresse docet adjutorium Angelorum naturæ integræ fuisse omninò æquale. Sed de hoc Theologi.

Aug. l. 12. de civit. Dei cap. 19.

Omissis itaque hujuscemodi responsionibus, ad propositum nostrum lubet Chrysologi judicio adhærere, qui ex diversitate locorum, in quibus utriusque peccatum commissum est, solidam hujus eruit rationem. Ecce inquit, homo in terrestri paradiso peccavit, angelus verò in cœlo, & in speciali Dei præsentia deliquit, ideoque illi conceditur pietas, & huic administratur severitas: *Desperatus*, inquit Chrysol. *diabolus pœnam incurrit, quia in ipsis oculus divinitatis offendit, & palatium Domini profanavit.* Fuit itaque diaboli delictum ad mortem, quod nullam meretur gratiam, & indulgentiam. Si ergò in tantùm in sua præsentia perpetratum peccatum benignus execretur Dominus, ô Christiani! non veremini tot insolentias, & enormia scelera in Ecclesiis committere, in quibus specialiter residet & inhabitat Deus, multò sanè magnificentius, quàm olim in templo Salomonis, de quo ipse ait: *Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* O stulti & impii Christiani! vos vos exacta, quam Ethnici idolorum suorum templis adhibuerunt (ut ex variis constat historiis) confundere deberet reverentia. Hanc inter Romanos plurimum viguisse refert Tibullus dicens:

Chrysol. ser. 26.

2. Paral. c. 7. v. 16.

Non, ego si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem dubitem procumbere supplex,
Et miserum comâ tondere posse caput.

Sacra quoque loca & templa adeò veneratus est Sultanus Solimannus, ut captâ civitate Rhodanâ, omnia illa intacta relinqui jusserit, quæ in Ecclesiâ deposita erant, Numa Pompilius, eò quòd totam Romam falsis suis diis consecrarat, palatium

suum

suum regium foris extrui voluit, indignum judicans hominem mortalem immortalibus cohabitare numinibus. De mandato ejusdem, ut narrat. Plut. *Cùm sacrorum pompæ ducerentur, præcones per urbem præcedebant, vacare, & ab opere desistere jubentes. Nam quemadmodum ferunt Pytagoricos noluisse, ut obiter quis in transitu diis supplicaret, sed, ut domi priùs mente ad hoc præparatus adoratum veniret, ita Numa censuit, debere cives nihil rerum sacrarum, vel videre, vel audire obiter & neglectum, sed vacantes ab omnibus aliis rebus, cultui Deûm, tanquam maximo negotio animum intendere, tempore sacrificii vias sonituum, strepituum, gemituum vacuas exhibere.* Et rursùs idem author in vita Coriolani de Numâ ait, eum legem statuisse: *Vt cum magistratus & Pontifices rem divinam facerent; præco præcedens magnâ voce clamaret: hoc age, qua voce animum adverti sacris juberet, neq; quidquam operis interjici illis, aut aliud quodcumque negotium.* Salvianus narrat ex Cicerone, Romanos tantam reverentiæ templorum cunctis commendasse curam, ut etiam de insolentiâ suspectos à templo arceri jusserint. Quòd si modò fieret, heu! heu! nonne Christianorum templa forent vacua. Cicero consul factus: *Legem edidit, sacra adeuntes castè pietatem tenete, amovete opera prava. Si quis secus fecerit, Deus ipse judex erit.* Ubi notandum tò *Deus: ipse* scilicet, *ut faciat opus suum, & tu Christiane non solummodò in templo peccata non diluis, verùm etiam majora accumulas.*

Plutar. in vitâ Numæ.

Quandoque admiratus sui mirificam gentilium ergà idolorum suorum templa reverentiam; verùm, dum parumper veteres perlegi historias, solidas secundum eorum opinionem reperi rationes. Etenim autumabant hi præcipua regni & Reipublicæ damna ex hujus peccati fonte scaturire. Testantur hoc veraces historiæ; non fictæ fabulæ, quare potentissimus Rex Persiæ Cyri successor vidit in Lido Africano submergi ingentem selecti militis exercitum, nisi, quia, ut narrat Justinus, milites fanum Jovis profanarant, & in Ægypto in templo ei consecrato, abominanda commiserant scelera? Quare Xerxes, ab hoste suo ad deletionem prostratus fuit, nisi, quia suis direptionem & ruinam permiserat templi Apollinis? Cur quæso in militaribus Alexandri copiis tanta exorta fuit discordia, ut commilitones in sese invicem insurrexerint, & impiè trucidarint? nisi, ut refert idem author; quia violarunt templum Bacchi. Pompejus magnus captâ urbe Jerosolimitanâ, templum Dei equorum suorum destinavit stabulum, quæ irreverentia in tantùm Deo displicuit, ut, qui anteà viginti duos reges armis debellarat, posteà in omni prælio fuerit devictus. Marcus Marcellus, quia combussit templum Dei Februæ, misere in primo, quod cum hoste commisit, certamine occubuit. Suetonius non infimus sanè historiographus commemorat, Julium Cæsarem de nocte sæpè sæpius comminantes conspexisse Deos, eò quod in Francia aliquot templa spoliarat. Brenus Gothorum generalis devictâ Græciâ, templa jam funditus diruere decreverat, verùm cum ad primum accessisset, tot vindicativa iratum cœlum dimisit fulmina, ut ne quidem unus è tam copioso exercitu necem evaserit miles. Sextus Pompejus in militum stipendium amplum dederat sumptuosi Dianæ templi, simul & Junonis thesaurum. Sed heu miser in inimici manus incidit, luctuosamque hanc à Tito Generali coactus est audire, & persolvere sententiam; *Non te condemno Sexte Pompee, quia in Cæsarem Marcum Aurelium Dominum meum rebellis fuisti: sed quia templum Iunonis violasti.*

Salmanasar Syriæ rex mirabilem suo tempore ob hoc peccatum expertus est tragædiam. Is, armis & vi, totâ debellatâ Samariâ, incolas omnes captivos in Syriam deduxit, suumque in regionem istam transtulit populum. Qui mox ibidem cœpit juxtà propriæ patriæ consuetudinem, & religionis suæ ritum thura & sacrificia idolis suis offerre. Ob quod adeò excanduit Dominus, ut crudeles per totam ditionem immiserit leones, qui cunctos obvios in pœnam execrandæ idololatriæ voraci dente devorabant. Obstupuit, contremuit suorum miseram indies conspiciens cladem, Samariæ Gubernator. Cui, ut medela conferretur, litteras ad Dominum suum conscripsit, judicans pœnam hanc & ruinam ex ex eo provenire, quod ritus Dei istius patriæ negligeretur, cultusque impediretur: *Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & Dominus immisit leones, & ecce immisit leones, & ecce interficiunt eos, quia ignorant ritum Dei terræ.* Hoc intellecto, Salmanasar, ut imminenti populi sui ruinæ obviaret, aliquot sacerdotes ex captivis filiis Israel in Samariam remisit, populum illum cultum patriæ edocturos. Quo facto, confestim cessavit punitio. Ex hoc non levis sanè oritur quæstio: cur Assyrii, qui in propriâ patriâ eamdem quotidiè committebant idololatriam, severam veri & vivi Dei non senserint vindictam? ratio est in promptu; nimirum, quia Samaria regio

regio erat sancta, & electa in qua religio, & veri Dei cultus solebat exerceri. Cum itaque Deus hanc cerneret profanari, & in ea abominandam idololatriæ perpetrari impietatem, totaliter excandescens, justitiæ flagellum arripuit. Quia malignati sunt in sancto. Ecce benignus Dominus falsorum Deorum cultum in loco profano misericorditer dissimulat, & in loco sacro severè castigat.

O Ganda! O Belgium! undè tuæ miseriæ, undè angustiæ, bella atque devastationes? Ecce undique ab hostibus cingeris. Ab hac parte fortissima ab hoste eripitur civitas, ab illâ potentissimus profligatur exercitus, undequaque ingruunt mala & infortunia; sed quæ obsecro eorum est origo & fons? Audi respondentem Africanum Doctorem Augustinum: *Si gentiles illi putabant ipsis tot mala pessima evenisse, eo quod irreverenter Deorum suorum profana templa tractassent: quid nos promerebimur, si veri Dei nostri Ecclesiam profanaverimus?* Cui apprimè concinit Apostolus: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, qui Ecclesiam Dei contemnunt.* O Christiane! quando itaque flagellaris, intra intima cordis tui penetralia, & perscrutare, an non fueris malignatus in sancto. Inspice, an cum omni debitâ reverentiâ in Ecclesia Dei te gesseris. Quod si non, clama: justè hæc patior, quia malignatus sum in sancto: Hinc enim omnia mala, omnis vindicta. Frustrà ergò rogamus, ut Deus suam à patriâ nostrâ avertat iram, & suam ostendat clementiam, ut concedat pacem, & quietem, si hanc continuemus impietatem. *Nam*, ut inquit Gregorius: *& in flagellis positos, flagellis digna committere, contrà ferientem specialiter est superbire: & sævientis acrius iracundiam incitare, atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis justè quiescere, & Deum injustè velle à sua ultione cessare.*

Greg. l. 8. indict. 3.

S. Chrysostomus ut insolentem depravati moderni sæculi juventutem à tanta avertat impietate, egregium conficit argumentum à minori ad majus: *An non videbis*, inquit, *eos, qui corruptibili, temporali, ac terreno regi assistunt, quàm sint immobiles, non loquentes, non oculos huc & illuc mittentes, sed territi? Ex ipsis documentum accipite homines, & vel sic assistite Deo, quasi terrenum regem accessuri.* Et pergit: *Ecclesiam, ut cœlum adi, & nihil in eâ aut loquere, aut age, quod terram sapit. Non cogitas ipsum hic adesse invisibiliter Dominum, qui uniuscujusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet?*

Gregorius Nazianzen. narrat quandam meretricem certo tempore cum quodam juvene secretum ingressam fuisse cubiculum, ut cum eo carnaliter peccaret. Sed casu sapientissimi Philosophi Polemonis imaginem in tabulâ depictam, muroque affixam conspiciens, adeò commota fuit illius reverentiâ, ut non tantum ullâ ratione à proco lascivo alliceri ad actum inhonestum potuerit: verùm lasciviam detestata sit, & mutatâ vitâ, deinceps castimoniam observarit. Et tu O Christiane! quomodò non pungeris, quomodo tuam non corrigis conscientiam, pravos non mutas mores, non tantum ad conspectum crucifixi imaginis sculptæ aut depictæ: sed vivi & veri Dei in Venerabili Eucharistiæ Sacramento sub speciebus panis realiter latitantis intuitum? Hanc præsentem cogita & recogita. Cumque ad malum instigaris, clama cum casto Josepho: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum: 70. legunt, coram Deo meo.*

Impius Cain fratricidium in domo paterna minimè ausus est perpetrare, sed dixit ad Abel: *Egrediamur foràs.* Verùm quodnam eum ab hoc deterruit motivum? *Non in domo*, inquit Chrysost. *sed in agro mysterium latet.* Quod nobis manifestat hic S. Doctor, pro indubitato sustinens, Adamum ædes suas in formam templi ædificasse, & in iis sæpe sæpiùs Deo suo hostiam immolasse, sicque eas illi fuisse sacras. Reveritus itaque Cain loci hujus sanctitatem, Abelem foràs vocavit, eumque occidit, neutiquam ausus tantum scelus in loco sacro committere. *Extrà limites suæ domus fratricida Cain fratrem occidit, sic Deo permittente, quia domus illa templi Domini sabahot formam habebat.* Et tu impiè Christiane, Cain iniquior, in Ecclesia Dei fratrem tuum infamibus, & sæpe sæpius falsis atque confictis detractionibus quoad famam & honorem non vereris occidere? Et tu O vindicative! inimicum in templo cernens, illius mortem internè non horrescis jurare? Perfidus Judas veritus est magistrum suum in cubiculo ultimæ Cœnæ impiis tradere Judæis, eò quod in eo Sacro-sanctum Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum Christus instituisset. Rabidi Hebræi sitibundi Christi inhiantes sanguini, ausi non fuere in templo manus in eum injicere: *Quotidiè*, inquit Salvator, *eram apud vos docens in templo, & me non tenuistis.* Et tu ingrate Christiane, Juda perfidior, Hebræis crudelior, Deum tuum tradis, & iterum peccatis tuis in ejus Ecclesia crucifigis, teste Apostolo, *Rursus crucifigentes filium Dei?* Audi, audi execrande, quomodo

Ad Heb. cap. 6.

Deus

Deus ipse de tanta per Prophetam Jerem. lamentetur iniquitate. *Quid est, quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa?*

Audistis O Auditores! quanta irreverentia templi inducat mala; Etenim, ut probatum est, ad severam pium Dominum provocat vindictam, divinæ obstruit fontem misericordiæ, belli & patriæ devastationis est origo, cœlestis regni claudit portam teste Isaia: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Hæc obsecro radicitùs cordi vestro imprimite: hæc dum templum ingredimini attendite, & indubiè mores vestros, tot malis deterriti, componetis, & summa cum reverentia vos geretis, tandemq; justū devotionis & divini cultus debiti in superna patria recipietis præmium, quod vobis concedat &c. Amē.

FERIA QUARTA

Dominicæ primæ Quadragesimæ.

Magister volumus à te signum videre. Matth. cap. 12.

FUlgentissimum illud Romanæ Ecclesiæ sydus August. acutissimis ingenii sui radiis penetrans densissimas tàm duri præter Christi morem Hebræis dati responsi rationis tenebras, subtiliter animadvertit duas in hodierno evangelio à Spiritu S. signanter demonstrari generationes. Primam rectam, de quâ Propheta David: *Generatio rectorum benedicetur.* Aliam pravam & iniquam, de qua Christus: *Generatio prava & adultera.* Utriusque generationis vel malitia vel rectitudo è duplici oriri hìc apertè satis annotamus voluntate. Primam declarat Evangelii principium, quæ est propria homini; *Magister volumus à te signum videre.* Secundam Christi Domini indicat responsum: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater & soror & mater est.* Recta est eorum voluntas, de quibus Psalmista ait: *Qui salvos facit rectos corde.* Ad quod August. rogat: quinam sunt recti corde? Et diviné, ut solet, respondet: *Qui voluntatem suam ad Dei dirigunt voluntatem, non voluntatem Dei ad suam curvare dignantur.*

Psal. 111. vers. 2.
Matt. c. 12 vers. 39.
Psal. 7. vers. 11.

Politici ad rectum & justum regimen duo necessaria requirunt horologia: unum naturale, à divina potentia specialiter productum, nimirum solem, quod nulli planè errori est obnoxium, ut attestatur Jerem. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte.* Artificiale alterum, rotis ordinariè confectum; ad hoc ab authore naturæ destinatum munus, ut solis obnubilitati, in designandis horis ad humanum servitium gerat vices. Verùm, ut secundum optimè ordinatum sit, debet ad amussim solis motui conformari, qui est infallibilis & irreprehensibilis horarum regula. Hinc si illud in minimo aberret, à prudente directore ad ejus motum emendatur.

Haud dissimiliter ad sanctum & bene ordinatum animæ nostræ regimen duo exiguntur horologia: naturale scilicet, ipsa increata & immobilis planè Dei nostri voluntas, ut divinæ suæ essentiæ bona, recta, & irreprehensibilis. Et artificiale, humana nimirum voluntas, ex depravata natura, malitiæ, disordinationi, & errori quamplurimum subjecta. Hoc autem, ut rectum sit, omninò necesse est, ut quàm perfectissimè divini solis intueatur motus, ejusque subjiciatur arbitrio, ac proinde cum Davide exclamare debet: *Domine ante te omne desiderium meum*: id est Christe, ecce præsto sum ad omnem divinæ voluntatis nutum, flagella lubens accepto, unge, nec abnuo, punge admitto, da prospera, non recuso, concede adversa, nec reclamo, flecte & inflecte voluntatem meam, eam ô pie Domine! ad tuam dirige voluntatem, quia tua infallibilis est, & mea quàm plurimis obnoxia est erroribus. Huic voluntatis nostræ resignationi inhærere, quàm necessarium sit ad animæ nostræ salutem, nec in extremo dura Christi audiamus verba: *Generatio prava*, quæ dicis volumus, & quanta sit virtus, quantumque excellens sese omni tempore, tàm in prosperis, quam adversis divinæ accommodare providentiæ, in præsenti discursu demonstrare conabor. Pro quo, quandoquidem mihi necessaria sit Spiritus S. assistentia, eam per opem Deiparæ imploremus, illam salutantes angelicis verbis, Ave gratiâ plena &c.

Bern. sermon. 2. in c. jejunii.

Ad Heb. cap. 6.

Plinius sedulus rerum creatarum naturæ, ejusque effectuum, atque proprietatum indagator stupendum heliotropio ab authore naturæ inditum adscribit instinctum; nimirum, quod hic flos tantoperè ex proprio ingenito impulsu primarii syderis amans sit, ut quocumque tempore, etiam cœlo nubilo, ad ejus motum moveatur. Quod instar naturæ miraculi æstimat præfatus author dicens: *Heliotropii miraculum sæpiùs diximus, cum sole se circumagentis, etiam nubilo die tantus syderis amor est.* Unde à quibusdam naturalistis *soli sequa*, ab aliis *solis umbra* nuncupatur. Hunc, quem Deus, ut author naturæ, creaturæ irrationali indidit; ut author gratiæ, rationali in primæva ejus productione communicavit instinctum; ideoque ab eâ exigit, ut quocumque tempore, etiam nubilo, id est in maximâ quoque adversitate cor ejus ad instar Heliotropii ad increatum illud sydus Deum moveatur, & ut homo suam omnimodè divinæ providentiæ conformet voluntatem.

Plin. l. 22. cap. 21.

Hoc evidenter probatur ex cap. 1. Gen ubi narratur exactè totius mundi machinæ eductionis methodus: nec tantùm illius, verum etiam rationalis creaturæ creatio: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Hebraicus textus legit loco tò *imago, umbram*, quæ versio quamplurimis scripturæ interpretibus exiguam sanè non parit difficultatem. Quomodo enim in rectam & sanam mentem incidere potest tam impia opinio, actui purissimo (sicut Deus est) directè repugnans, hominem Dei fore umbram. Quandoquidem illa juxtà omnium planè Philosophorum mentem essentialiter includat materialitatem?

Gen. cap. 1. vers. 26.

Profectò pro eruendo difficilis hujus interpretationis solido fundamento, operæ pretium est nos ad Prophetam Davidem refugium capere, fortasse ab illo in tanto labyrintho, ut alter Theseus ab Ariadna securitatis filum accepturos. Etenim hic stupendâ & mysteriosâ, in summâ constitutus necessitate Dominum pro divino deprecando adjutorio, utitur methodo: *Perfice*, inquit, *gressus meos in semitis tuis, ne moveantur vestigia mea.* Verum dum hunc Psalmistæ locum imbecillis ingenii mei oculis penetrare præsumo, me non Ariadnæ filum, sed densiores tenebras comperisse experior. Porrò in rectâ Philosophia duo contradictoria (etiam secundùm omnem Dei potentiam) simul vera esse non possunt. Moveri autem & non moveri, quod tò *quiescere* essentialiter includit, sunt contradictoria: ergò quomodo David Spiritu S. tamen illuminatus, à Deo expostulat, quod ipsemet elargiri non poterat; scilicet motum simul, eodemque tempore quietem: *Perfice gressus meos*, ecce motus, *ne moveantur vestigia mea*, ecce quies.

Psal. 16. vers. 15.

Subtiliter densissimas has solito suo lumine depellit tenebras magnus ille Doctor August. annotans mysteriosam in fidelis & strenui (saltem hûc usque (justam Apostoli defensionem, Christi Domini invectivam: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Exclamat etiam cum D. Ambrosio: *Si prohibes ferire gladio, cur emere præcepisti? Qui non habet vendat tunicam & emat gladium.* Et divinè, ut solet, respondet: *Dominus jusserat, ut ferrum discipuli ejus ferrent: sed non jusserat, ut ferirent. Exemit gladium authoritate propria extendens manum, non voluntate divinâ.* Propheta igitur juxta S.P.N. August. mentem repugnantia aut opposita, divinam implorans gratiam, neutiquam expetiit; ad disparata namque alludens, perfectam proprii arbitrii expostulavit quietem, sesèque totaliter divinæ in cunctis subjiciens voluntati, dumtaxat ab illa rogitabat dirigi, quæ fallere, nec falli potest; sicque motum divinæ, & propriæ voluntatis justissimè à Domino exegit quietem: *Dirige gressus meos in semitis voluntatis tuæ, ut non moveantur vestigia secundùm voluntatem meam.*

Mat. c. 29. vers. 52.

Aug. l. 22. cont. Faustum.

Vultis itaque cognoscere ô Christiani! ob quod motivum omnipotens artifex hominem sui producere voluerit umbram? Secundùm Aristotelem, & Philosophos umbra eâ gaudet prosperitate, ut ad amussim quietem, motum, omnemque corporis sequatur gyrum. Etenim, ut ait ipse: *Movetur ad omnia & per omnia.* Deus itaque, qui hominem, tamquam sui perfectissimam creavit umbram, hoc justissimè & æquissimè exigit, ipse omnes inclinationis suæ affectus & gressus, omnem motum pravæ voluntatis, divinæ refractariæ compescat, omnem concupiscentiam comprimat, suumque in obsequium fidei absolutè captivet intellectum. Et ut paucis totum dicatur: dumtaxat benignus id desiderat Dominus (tamquam unicum & salutare à devia via nos ad rectam reducendi remedium) ut nostram ad divinam omni tempore, tùm in adversis, tùm in prosperis dirigamus voluntatem. Ad quod nos omnes exhortatur divinis hisce verbis S. Greg. *In cunctis, quæ agimus vim supernæ voluntatis inquiramus, cui scilicet cognita debet nostra actio devotè famulari,*

lari,

lari, & quasi ducem sui itineris sequi, ne ei etiam nolens serviat, si ad hanc superbiam declinet.

Verùm, quàm paucæ, proh dolor! in hoc mundo inveniuntur veræ Dei nostri umbræ? Umbra in prosperitate viget & in adversitate desinit. Sed quid agis ô homo? non audis clamantem Prophetam Davidem: *Benedicam Dominum in omni tempore?* Itidem, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Ad quod Bernard. suprà tò fiat Mariæ scribens, cur bis Spiritus S. reiteret *paratum* subtiliter interrogat, & melliflué respondet: *Paratum quantum ad dura, paratum quantùm ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa quacumque praceperit, fiat fiat, quidquid divina tua placuerit majestati.* In præcitatum locum Davidicum in divinæ reluctantes Aug. insurgit voluntati, quæ in prosperis quiescunt, & in adversis divinam quasi accusant providentiam divinis hisce verbis: *Dicis quando benedicam Dominum? ait tibi aliquis, quando tibi benefacit, quando abundant sacularia, quando multitudo frumenti olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis incorrupta persistit, quando ea, qua nascuntur, crescunt omnia, nihil immaturâ morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Dominum. Non: sed omni tempore.* Nimirùm juxtà Psalmistam *benedicam Dominum in omni tempore.* Undè concludit: *Ergò & tunc, quando & ista secundum tempus & secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, & qua nascuntur, jam nata dilabuntur, & indè sequitur penuria, egestas, labor, & tentatio. Sed tu, qui cantas tibi, benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, & quando ista dat, & quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit.*

Psal. 33.

Mat. c. 19. vers. 52.

Bern. sermon. 2. in cap. jejuni

Aug. l. 22 cont. Faustum.

Profanam hanc in secundis tantùm & prosperis humanæ voluntatis divinæ conformandæ constantiam ipsemet explodit diabolus; plurimis namque à prima veritate Prophetæ Job intellectis sanctitatis & simplicitatis encomiis: audacter respondit: *Nonne Iob frustrà timet Deum? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, universamque substantiam per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululùm manum tuam, & tange omnia, qua possidet, nisi in faciem benedixerit tibi,* Volens innuere hominis in virtute perseverantiam, in ardenti ergà Deum amore notitiam, ac arbitrii ejus divino perfectam subjectionem, non posse expiscari, nisi arduo tribulationis atque adversitatis vento invicta patientia concuteretur; & eo virilis in omni temporis constitutione animus, tanquam purum aurum lapide lydio comprobaretur. Fateor quidem hoc stratagema neutiquam in Jobum diabolo attulisse victoriam (utpote qui etiam armentis, cunctisque terrenis bonis privatus, omnique humano destitutus auxilio, sterquilinio insidens exclamavit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum*) Attamen uxoris illius dejecit constantiam. Quoniã ipsa, cum omnia à Deo ad nutum & beneplacitum promanarent, applaudens sæpè sæpiùs dicebat: *Dominus dedit, sit nomen Domini benedictum:* Verùmtamen totaliter depauperata, intellecto ex ore viri eumdem Dominum bonorum fore largitorem, & post eorumdem ablatorem, in blasphematoria hæc impatiens erupit verba, virum alloquens: *Adhuc tu permanes in innocentia tua? maledic Deo & morere.* Heu! heu! quam pauci Jobi, & quàm plurimi blasphemæ ejus uxoris impii reperiuntur imitatores! dum prospera undequaque affulgent, dum applaudit & arridet fortuna, resonat in ore *Benedictus Deus*; ast, si ingruat minima adversitatis tempestas, si turbo tribulationis tranquillitatis terrenæ invertat cardinem, si bona, si filii, si uxor, si uxor, si maritus auferantur, confestim in lamenta, suspiria, gemitus, & quod pejus est, in manifestas contra divinam providentiam dissolvuntur querelas: nec amplius auditur *Benedictus Deus.* Non sic impii, non sic inquit Augustinus: *Et quando ista dat, & quando ista tollit, benedic.* Futile enim ac ridiculum est in beneficiis Deo largitori tantum gratias rependere; Sed virile in adversis omnimodè divinæ obtemperare voluntati, ut egregiè advertit S. Hieronymus, pusillanimes, atque imbecilles Christianos ad tam excellentem adhortans virtutem: *Christianorum propria virtus est, etiam in his, qua adversa putantur, referre gratias creatori; nam in beneficiis Dei, qua nobis accidunt gratulari, hoc & gentilis facit, & Iudaus: sed juxta Apostolum, hac virtus est maxima, ut in ipsis periculis, atque miseriis Deo gratia referantur, & semper dicamus, benedictus Deus*

Iob. c. 1. v. 9. v. 10.

Vers. 21.

Iob. c. 2. v. 10.

Hier. in c. 5. ad Eph.

Dum auream hanc Hieronymi sententiam attentè perpendi, magnam sub his verbis, *etiam in his, qua adversa putantur* latitare comperi energiam. Obcæcata enim insanientium hominum mens, delitiis mundi, atque innani felicitatis fuco obfusca-

obfuscata, tribulationes arduas & nocivas esse stultè judicat. Apertissimè namque eas, in intricato hujus vitæ itinere rectam ad Deum semitam indigitare, comprobari potest. Quid enim Prophetam Davidem, qui de seipso attestatur: *Quo-*
Psal.31. 3. *niam tacui, inveteraverunt ossa mea,* ad Deum invocandum efficaciter attraxit? Audite, ô impa-
Ps.114. 4. tientes! ejusdem responsum: *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* Et Ps.
V.17. 24. idipsum reiterat: *Tribulationes cordis mei*
V.7. *multiplicatæ sunt.* Hieronymus ex Hebraico legit: *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt.* Item Ps. 17. *In tribulatione mea invocavi Dominum.* Hinc ingeniosè quidam de incudis clangore ajebat: *Non percussa silet.* Quid quæso ad patrem profugum & prodigum revocavit filium? Ah, non nisi afflictio respondet Chrysologus: *Fames revocat, quem saturitas exulare fecerat, fames illi patrem dedit sapere.* Quid Manassem in regno securum enormibus inservientem vitiis, de iis triumphare fecit, nisi teterrimus carcer, inquit Ambrosius? Ecce divinæ præcesserant
2. Paral. c.33. admonitiones, verùm fuêre explosæ: *Locutus est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt, qui postquam captus, angustiatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo. Manasses,* ait Ambrosius, *Deum in pœna constitutus agnovit, quem in regno positus antea non quæsivit.* E contra quid excidii & horrendæ ruinæ Sodomitarum exstitit origo, & tot scelerum semina, nisi prosperitas, teste
Ezech.16. v.49. Ezechiele: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & otium.* Quod annotans doctiss. Salvianus, divinè ait: *Tantâ rerum secundarum prosperitate corrumpimur, ut & Dei penitus obliviscamur, & nostri.* Dum itaque quispiam à Domino tribulationis jaculo impeti-
August. in Psalm. 21. tur, *Intelligat,* clamat Augustinus, *Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Mundana namque, quam Dominus in hoc sæculo concedit felicitas, manifestum divini signum est rigoris; è contra tribulatio amoris. Quod ipsemet attestatur per Prophetam suum Ezechielem, Deum intro-
Ezech.16. v.42. ducentem iratum contra Jerusalem: *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, & non irascar amplius.* Ecce cessatio & quies à flagellis, & tribulatione maximum divinæ iracundiæ, atque vindictæ constituitur indicium, ut rectè advertit Hie-
Hieron. in hunc locũ. ron. *Inter supplicia, quæ Deus Ierosolymis comminatur, unum est illud præcipuum, quòd urbem* *statuat non punire, ex quo perspicimus, grandem offensam esse, nec quidquam curæ haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis, atque peccatis. Auferetur, inquit, zelus meus à te; quiescam, & non irascar amplius: quasi alienæ, & quæ à me recesserit, & quam æternæ tradiderim nuditati.* Hinc splendidum illud sapientiæ speculum Propheta Job omnem salutis suæ in adversitate reponebat fiduciam: *Hæc mihi sit consolatio, ut affli-* Iob. 6. 10.
gens me dolore, non parcas. Quæ verba exactè ruminans S. Bern. auream, & præsens propositum corroborantem, hanc intonat sententiam: *Tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur. Misericordiam hanc ego nolo, super omnem iram miseratio ista est.* Quapropter ad Deum exclamans, subjungit: *Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè considero propitium.* Cui concinit rursus Hieron. *Magna ira Dei est, quando peccantibus non irascitur Deus.*

Tribulationem verò evidentissimum divinæ benignitatis, & misericordiæ fore testimonium, apertè constat ex Psalmo 89, ubi David Dei rigorosam in hâc vitâ peccatorum correptionem, ejus existimat propitiationem: *Domine Deus noster,* Psal.89.8.
inquit, *tu exaudiebas eos, Deus, tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.*
Ad quod S. Augustin. divinè ait: *Vindicans propitius fuisti, non solùm condonans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte fratres mei, quid hîc commendavit, advertite: illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat; nam cui propitius est, verè non solùm condonat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.* Et rursus alibi: *Magna misericordia est nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare.* Et paulò infrà luculentius: *Vis noscere, nulla pœna, quanta sit pœna? interroga Prophetam: exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret. Multùm irascitur Dominus, dum non requirit, dum quasi obliviscitur, & non attendit ad peccata. Nemo gratuletur homini, cujus peccatis deest ultor, adest laudator, major hæc ira Domini est.* Aug. serm. 39. de verbis Domin.

Idipsum dilucidè confirmat æterna Veritas per Isaiam: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, & cogitationes vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic ex-*
altatæ

altatæ sunt à viis vestris cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Ac si diceret, ô stulte & cæce homuncio! flagella, quæ tibi immitto, intolerabilem arbitraris pœnam, ego salutarem animæ tuæ vulneribus assero fore medelam, tu, dum cruciaris, iræ meæ esse insinuas præsagium: at ego magnum dico amoris mei esse testimonium. Audi quid dicat S. Basil. *Quæ juxta nos à te omnipotente manu Dei interdum jaculantur, non ad* Iob. 6. 10. *interitum sunt, sed ad salutem, quoniam signa sunt amoris divini, non furoris.* Et rationem hujus veritatis adjungit irrefragabilem: *Quia omnia permittit vel ad pœnam, aut ad disciplinam.* Tu te felicem, & beatum prædicas, dum cuncta ad nutum succedunt, & omnia abundanter affluunt. Verùm ego te miserum, & infelicem denuntio. Tu autumas in deliciis & prosperis æternam adipisci gloriam, ego autem te aberrare à recta via protestor. Etenim certa est, & infallibilis Ecclesiæ Romanæ luminis Augustini sententia: *Nemo potest in utroque sæculo consolari, nec quis potest hîc, & in futuro gaudere; sed unum necesse est, quod perdat, qui alterum vult possidere.* Tu in numero filiorum Dei constitui summoperè desideras, & flagellari detrectas. Audi Augustinum suprà hunc epistolæ ad Hebræos cap. 12. glossantem Psal. 89. 8. locum: *Flagellat omnem spiritum, quem recipit. Itanè omnem? Vbi tu volebas abscondi, cùm nul-* Aug. serm. 39. de verbis Domin. *lus exceptus, & nullus sine flagello erit? Vis audire quem omnem? Etiam unicum sine peccato, non tamen sine flagello.* Et instantiùs afflictos, & miseros ad constantiam, & propriæ suæ voluntatis divinæ adhortans subjectionem, petit: *Nonne melius est, ut Deus flagellet te, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deserat te?* Prægnans sanè, & ponderosa interrogatio; ad quam respondere deberemus adinstar Gertrudis Virginis. Quæ, dum Christus ei infirmæ apparens, sanitatem offerret, ut narrat Blosius, aut morbum, neutrius electionem acceptavit, verùm in genua procumbens, dixit: *O Domine mi, volo, ut non meam, sed tuam attendas voluntatem. Ego ad utrumque parata, neutrum eligo: tuum est dignoscere, utrùm hoc, vel illud mihi relinquas.* Aut ad instar Heli, qui, severâ à Samue-
1. Reg. 3. v. 17. 18. le Domini intellectâ contra progeniem suam sententiâ, verbum Sacerdote dignum protulit: *Do-*
4. Reg. 20. v. 19. *minus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Aut sicut Ezechias Rex de futura per Regem Babylonis familiæ suæ strage admonitus ab Isaia: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua:* Viriliter respondit: *Bonus sermo Domini, quem locutus es.*

Refert Doctiss. Laertius, Diogenem Cynicum præfectum Athenas ad Antisthenem evocatum fuisse, ut ab eo in omni re politica, & morali doctrina edoceretur. Diogenes, nescio quam ob rem, adeo invisus extitit Antistheni, ut non tantùm acribus verbis, verùm etiam duris fustibus eum à communi schola expellere sit comminatus; quibus minis non obstantibus, immotus remansit, Antisthenique suum baculo offerens caput, dixit: *Cæde, si vis, & nullum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris.* Ah, si cuncti Christiani raris hisce in patiendo Diogenis insisterent vestigiis! Utinam, utinam inquam, omnes, dum flagellantur, tribulantur, angustiantur, duroque tribulationis percutiuntur baculo, exclamarent, cæde, si vis, ô Deus! torque, ure, concute, utere quocumque adversitatis malleo, nil vereor: à te non recedam, dummodò tuam per Apostolum apprehendam doctrinam: *In hoc vocati estis.* Nimirum, inquit August. Cap. 12. ad Hebræos. ad patiendum, & *tu fortè* (ad individuum loquitur) *exceptus eris? Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Quapropter August. in Psal. 31. subtiliter concludit August. *Noli depellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate, nec attendas, quam pœnam jubeas in flagello, sed quem locum teneas in testamento.* Clama itaque, cedo divinæ voluntati, & tum scies, te Christi Domini fore sequacem, & nomine, & re Christianum. August. August. in Psal. 120. namque ait: *Si putas, te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli, omnes, qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur. Si ergò non pateris cum Christo ullam tribulationem, vide, si nondum cœperis in Christo rectè vivere.*

Quòd si hæc super-numerata prosperitatis damna, nec adversitatis emolumenta ad tuam, ô homo! divinæ perfectè conformandam commoveant voluntatem, illustria te quàm plurimorum Gentilium, solo dumtaxat lumine naturali illustratorum, excitènt exempla; qui omnia aspera supervenientia summa cum mentis quiete divinæ attribuère providentiæ. Audi, si lubet, invictam Anaxagoræ animi constantiam, qui tum sui infami, ac injustâ ad mortem intellectâ sententiâ, tum unigeniti filii percepto interitu, immoto vultu, imperterrito animo ad primum nuntium in hæc verba prorupit: *Jam pridem tam adversus illos, qui me morti adjudicarunt, quàm adversum me, ex æquo ditulerunt sententiam.* Secundum verò, tanquam futile & puerile vilipendens, vix teti-

git, tantummodò dicens: *Sciebam me genuisse mortalem.*

Inauditam quoque, atque mirificam in adversis gentilis Philosophi Biæ Priennensis Principis fortitudinem extollit celeberrimus Historiographus Val. Max. Is, redactâ jam sub inimicorum potestate civitate Prienæ, occisâ uxore, cunctis filiis prostratis, Athenas profugus, ne minimum quidem interni doloris, atque intolerabilis afflictionis demonstravit indicium. Verùm è contra civitatis plateas obambulans, manifesta sereni animi edidit signa; pacatâ namque facie, composito vultu, ac sonorâ voce cantans, suum & audientium spiritum suaviter exhilarabat. Ob quem stupendum agendi modum, Atheniensibus summoperè admirantibus, atque interrogantibus, quid rei id foret, quòd cunctis deperditis, regnoque privatus, tanta lætitiæ daret testimonia? respondit: *Nesciunt quid sit fortuna.* Illi nimirum, qui calamitatem & ruinam deplorandam esse autumant, rationemque subjungens, ait: *Si hostis mulierem meam occiderit, certus sum, id evenisse divinâ providentiâ, cur itaque plangam ejus mortem, cur dii non dederunt longiorem terminum vitæ.* Meminerat arbitror afflictus Bias proprii in jocis montis Olympiæ Græcis traditi documenti.

Ipse namque, ut refert Laërtius, cùm interrogaretur (plurimæ enim ei ex curiositate objiciebantur quæstiones) quisnam omnium censendus foret miserrimus? Respondit: *Ille infelicissimus est, qui impotens est tolerare adversam fortunam; adversitates enim non occidunt homines: non nocent, sed benè in iis tolerandis impatientia.*

Ad invictam hanc, tum Anaxagoræ, tum Biæ animi constantiam proximè accedit, imò ausim dicere, longo intervallo illam antecelluit inexplicabilis inconcussæ mentis unius Senecæ Philosophi fortitudo, ultrò cuncta, quæ possidebat, Deorum suorum humiliter subjicientis voluntati & nutui. Audite, audite, ô Christiani! ejus verba, & hoc inspicientes exemplar, impatientes erubescite. *Quid vis à me Deus immortalis? Vis aliquam corporis mei partem? sume, non magnam rem promitto: citò relinquo totum. Vis spiritum? quid ni; nullam moram facio, quò minus recipias, quod dedisti. A volente feres, quidquid petieris: maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuisti. Sed nec nunc quidem auferes, quia nihil eripitur, nisi renitenti. Nihil cogor, nil patior invitus, non servio, sed assentio Deo.* *Sen. l. de Providentia.*

Intellexistis Ethnicum non tantùm Senecam credo, sed Anaxagoram & Biam viva fuisse in adversis constantiæ exemplaria, nos Christianos divinæ reluctantes voluntati evidentissimè confundentia. O pudor! proh nefas! pater, mater, unigenito deperdito filio, in lamenta, gemitus, & planctus dissolvitur, & non vult consolari, quia non est; non obstante quotidianâ (quam indies verbaliter magis, quàm mentaliter recitat) in contrarium dominicâ oratione: *Fiat voluntas tua.* Nec cum Anaxagora exclamat, iniquam prorsus explodente fortunam; *nesciunt quid sit fortuna.* Deperduntur fluxa, & terrena hujus mundi bona, & vix aliquem cum Jobo intonantem audio: *Dominus dedit, Dominus abstulit sit nomen Domini benedictum.* *Iob. 1. 21.* Maritus charâ immaturâ morte privatur uxore, nec in se Ethnici Biæ, etiam veri Dei cognitione illuminatus, sequitur exemplum, patienter divinæ obtemperans providentiæ, nec aurea ex ore ejus profluunt hæc verba: si conjux mea inopinato, & inexpectato decesserit fato: *Certus sum, id evenisse divinâ providentiâ. Cur itaque plangam ejus mortem, cur Deus non dedit longiorem terminum vitæ.* Verùm è contra divinæ obmurmurat dispositioni, Deumque hujus mundi machinæ gubernatorem inordinato planctu injustitiæ quasi incusare videtur. Ah homo! auream illam Senecæ jam allatam, intimis cordis tui imprime penetralibus sententiam: *Quid vis à me Deus immortalis, &c. Nihil cogor, nil patior invitus, sed assentio Deo.* Et clama cum Davide: *Domine, ante te omne desiderium meum*: id est, omnem meam voluntatem, desideria, & appetitum ex animo, tuo omninò subjicio arbitrio. *Psalm. 37. v. 10.* Si divitias exigas, ecce ego illas offero: *Fiat voluntas tua.* Si filios, uxorem, & meipsum desideras, ecce præsto sum divinæ tuæ obedire voluntati. Si sanitatem adimas, gravemque morbum immittas, cum Davide intono: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* *Ibid. v. 18* Quidquid de me tua statuerit providentia, fiat. Etenim certus sum, dum propriæ voluntatis meæ horologium ad infallibile tuum dirigo & regulo beneplacitum, à rectitudine minimè me aberrare posse, ut clarè attestatur D. Augustinus: *Duæ voluntates sunt, tua & Dei, sed tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava est enim tua regulâ ista.* Secundùm quam omnes nostræ actiones debent regulari. Unde cor humanum lubens sese convertere tenetur ad Solem supernaturalem justitiæ, sicut flos nomine heliotropium ad naturalem gyrat, ut suprà diximus.

Hoc ad amussim observavit nobilissima matrona

na

na Romana, nominata Melania, cujus invicta constantia, muliebrisque animi immobilitas, in summa etiam afflictione S. Hieron. in extremam rapit admirationem. Audite, quid de ea Paulinæ scribat: *Rem sum dicturus incredibile, sed teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinib⁹, veste conscissâ, lacerum pectus invadere? Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & tunc, cùm in conspectu adhuc calidi mariti sui corporis, & duorum filiorum, ad pedes Christi devoluta, quasi ipsum teneret, arrisit, divinis hisce adjectis verbis, expeditior tibi servitura sum, quia tanto onere me liberasti.* Ac si diceret, ecce pie Domine, cor meum quasi divisum erat, illud partum maritalis præoccupabat affectus, & maternus quoq; distrahebat in gnatos amor. Modò verò integrum manet, nec terrena ulla illud violat inclinatio: ideoque *expeditior*, id est, majori velocitate, constantiori mente, *tibi servitura sum, quia tanto onere me liberasti.* Quia nunc totum meum tibi vendicas amorem. Ad hoc stupendum, ô Christiane! contemplandum accurre spectaculum, & à Melania tuam edisce divino nutui absolutè conformare voluntatem. Ubi nunc estis parentes, qui defunctos filios irregulato dolore lugetis, nec attenditis vos indies ad Dominum clamare, *Fiat voluntas tua.* Ecce, lachrymæ gutta non fluxit, sed è contrà Deo gratias egit pro tanto accepto beneficio. Vos ejus in simili constitutione insistite vestigiis: & cogitate, Deum stratagemate venatorum uti, quo elephantes capiunt, ut vos sub suo captivet imperio. Hi sedulò annotant arborem, cui elephas somnolentus nocte innititur, illamque de die profundè serrant; cùmque ponderosum animal, solitam capturum quietem, rursus ei incumbere putat, serrata arbor tanto oneri impar, decidit, sicque elephas cadit, & ex natura assurgendi impotens, venatoribus præda remanet.

Hier. Epist. 25.

Iob. 1. 21.

Psalm. 37. v. 10.

Ibid. v. 18

Haud dissimiliter callidus ille venator Deus nostras deprædatur animas. Advertit hominem inniti terrenæ arbori, annotat eum omnem affectum divitiis hujus mundi consecrare, videt patrem & matrem nimio, imò planè inordinato filium & filiam prosequi amore: unde evidens animæ ejus imminet ruina. Quid aget prudens venator? arborem divitiarum resecat, filium & filiam falce mortis demetit, sic omnibus, quæ humanum dividebant cor, & amorem, rescissis, totum sibi vendicat, gratamque sibi accipit prædam. Hoc paulisper aureum os S. Chrysost. videtur attingere, dum ait: *Quam ob rem luges maritum? Quid sperabas fortè te securiorem in vita futuram? at hoc ipsum quanta est incredulitatis te de illo id sperare, & non de Deo? quomodo non putas Deum irritari? nam plerumque ob id ipsum eos aufert, ne spem in his collоces. Æmulator enim est Deus, & vult à nobis omnium potissimùm adamari, idque eâ ratione, quòd nos vehementer amat: propterea & Deus tibi maritum abstulit.*

Chrys. hom. 6. in Epist. 1. ad Thess. c. 4.

Ex quo quid aliud sequitur, nisi Christiano tunc temporis cum Melania Deo pro tantâ suâ cautelâ referendas fore gratias, & clamandum? *Expeditior tibi, ô Deus! inservuturus sum, quia tanto onere me liberasti.* Et certè, quidni facilè virilem hanc arripere potes resignationem. Etenim attende maturè divitias, prolem, uxorem, & omnia, quæ perdidisti, nonne uberrimis lachrymis, continuis singultibus, interno dolore, externo planctu quippiam deperditorum recuperasti? Ah! vanæ lachrymæ, vani dolores! Quid igitur animum torques, mentem inserenam reddis, quandoquidem nulla malo tuo medelæ spes eluceat. Sanè hanc dementiam egregiè irridet Ethnicus Seneca aureis hisce verbis: *Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contrarium ille pusillus, & degener, qui & obluctatur, & de ordine mundi, malè existimat, & emendare mavult Deum, quàm se.* Et tandem concludit: *Saviant quantum voluerint, & quantum permissi fuerint peccatores: quidquid acciderit justo, voluntati Dei deputet, non potestati inimici. Savire ille potest, sed si ille noluerit, ferire non potest. Et si ille voluerit, ut feriat, novit quemadmodum excipiat. Nec attendere debemus, quantum permittat injustis, sed quantum reservet justis.*

Seneca Ep. 118.

Hæc & similia, dum in Seneca lego constantiæ argumenta, dum tam exactam illius divinæ voluntati attendo conformitatem, vehementiùs Senecæ, quàm Melaniæ insuperabilem animi admiror fortitudinem. Etenim hæc lumine supernaturali illustrata, spe æternæ beatitudinis, in præmium tribulationis constitutæ, allecta, in adversitate divinæ se subdidit providentiæ; verùm ille solo lumine naturali illuminatus, rectæ dumtaxat insistens naturæ rationi, & quidem summæ illius ignarus felicitatis, perfectissimè, non tantùm in præsenti afflictione ad instar Melaniæ, suam divino

divino arbitrio ſubjecit voluntatem: ſed etiam in dies ſe totum diis conſecravit. Audite, ô Chriſtiani, & erubeſcite Dei obluctantes diſpoſitioni: eum rurſum intonantem: *O dii immortales! ego voluntatem meam veſtræ volo conformare, ſi filios vultis, ego vobis eos offeram; ſi corporis ei partem poſcitis, ego vobis eam ſacrificabo. Anima, & quæcunque poſſideo, veſtra ſunt: accipite animam, accipite corpus, de his diſponite, ut vobis placuerit.* O ſtupenda cæci gentilis virtus! ô inſuperabilis mentis immobilitas!

Sed obſecro, quo Seneca ad intrepidè ſulcandos tempeſtuoſæ fortunæ fluctus, ad tolerandos labores, & retundendos cunctos adverſitatis ictus, uſus eſt medio? Ah, ſibi pro vivo exemplari ob oculos exhibebat infeliciſſimum, maximèque tribulatum, patientiſſimum tamen Sixtium: cujus invictâ in tot adverſis cõſtantiâ, adeò corroborabatur, iniquâ ingruente fortunâ Senecæ animus, ut eam ultrò ad congreſſum provocaret. Accipite illius verba: *In quacumque poſitione mentis ſum, cùm lego Sixtium, lubet omnes caſus provocare, lubet exclamare: quid ceſſas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit, ubi ſe experiatur, ubi ſuam virtutem oſtendat. Lubet aliquid habere, quod vincam, cujus patientiâ exerceor.* Ad hoc attendite, ô Chriſtiani! nam ſi unius Philoſophi exemplum in tantum ad tolerantiam Senecæ commoverit animum, quid in vobis non poterit explicabilis Dei tui Chriſti in dura crucis trabe pendentis patientiæ ſpeculum? Aſcende ô homo Calvariæ montem, contemplare ibidem faciem Chriſti tui, cerne inclavatas manus, intuêre à planta pedis uſque ad verticem ſauciatum corpus, attende ſpinis terebratum caput, & ejus inſpice patientiam. Hîc, hîc indubiè addiſces cum Seneca, dum affligeris, exclamare: *Quid ceſſas fortuna*, dum divinum hunc Sixtium in cruce contemplaris: *Lubet omnes caſus provocare, congredere fortuna, paratum vides.* Ure, ſeca, torque, *Illius animum induo, qui quærit, ubi ſe experiatur, ubi ſuam virtutem oſtendat. Lubet aliquid habere, quod vincam, cujus patientiâ exerceor.*

Seneca Epiſt. 65.

Veteres narrant hiſtoriæ, ſervum Philoſophi Sophonis ſimul cum Domino ad mortem condemnatum, amarè fleviſſe, quod animadvertens Sopho, ad eum converſus dixit: *Cur fles?* Cui ille: *Non flerem? debeo mori.* Cui rurſus Sopho: *Nonne ſatis eſt tibi cum Sophone mori?* O Chriſtiane, quid lamentaris in tribulatione? Quid gemis? Quorſum tot lachrymas effundis? Ah, nonne ſatis tibi cum Chriſto Domino tuo tribulari? *Conſidera,* inquit Auguſtinus, *quid amarum eſt in iſto poculo, quod ipſe non biberit? Si contumelia, prior audivit, in Belzebub ejicit dæmonia. Si dolores amari, ligatus, flagellatus, crucifixus eſt.* Et tamen internè intonabat ad Patrem, non mea, ſed tua voluntas fiat. Tu Chriſtiane, tuum imitare magiſtrum, tuam ad divinam dirige voluntatem, offer te totum Deo, & te indubiè Dominus tractabit, ſicut Socrates pauperem ſuum ſtudioſum tractaſſe lego Eſchinem. Is, cùm quodam tempore cæteri ejus condiſcipuli (ut author eſt Seneca) in gratitudinis teſtimonium, & doctrinæ receptæ præmium, pretioſa dona (quilibet pro ſua facultate) Socrati magiſtro offerrent, ignarus, quid ipſe totus pauper præſentaret, ad eum dixit: *Nihil dignum te, quod dare tibi poſſim, invenio, & hoc modo me pauperem eſſe ſentio, ideoque dono tibi, quod unum habeo meipſum. Hoc munus rogo, qualecumque eſt, boni conſulas: cogiteſque alios, cùm multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe.* Cui Socrates reſpondit: *Quidni tu magnum munus dederis? ſi fortè parvi te æſtimas: habebo itaque curam, ut te meliorem tibi reddam.* Sic inquam tecum, ô Chriſtiane, aget Deus, ſi tuam divinæ conformans voluntatem, totum te Deo devoveas: ipſi erit cura te reddere perfectiorem, meliorem & ſanctiorem, ut juſtum in æternum tantæ virtutis recipere merearis præmium, ſcilicet æternam requiem, quam mihi & vobis concedat Pater, &c. Amen.

(o)



FERIA

FERIA QUINTA

Dominicæ primæ Quadragesimæ.

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamabat, dicens: Miserere mei fili David.
Matth. cap. 15.

3. Esra. 3. Subtilem & curiosam tempore potentissimi illius Persarum Regis Darii inter tres adolescentes ventilatam fuisse quæstionem, sacra nobis narrat Historia. Nimirum, quid in mundo omnium foret fortissimum; ad quam suum scripto omnes tres dedêre responsum. Primus scripsit: *Forte est vinum.* Alter:
V.10,11, 12. *Fortior est Rex.* Tertius verò: *Fortiores sunt mulieres, super*
V.19.20. *omnia autem vincit veritas.* Cùmque quilibet de mandato Regis in pleno Magistratuum & Magnatum consistorio solidum dicti sui depromere cogeretur fundamentum, cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini: *Viri, quàm prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud! seducit mentem, itemque Regis & orphani facit mentem vanam. Item servi & liberi, pauperis & divitis, & omnem mentem convertit in securitatem & jucunditatem.* Alter verò, primo silente, sic suam exorsus est sermocinationem: *O viri, num præcellunt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia, quæ in eis sunt? Rex autem super omnia præcellit, & dominatur eorum, & omne quodcunque dixerit illis, &c.*
3. Esra. 4. v. 2. 3. Hunc subsecutus tertius, dixit: *Viri, non magnus Rex, & multi homines, nec vinum præcellit. Quis ergo dominatur eorum? nonne mulieres genuerunt Regem & omnem populum, qui dominatur mari, & terræ: & ex illis nati sunt, & ipsæ educaverunt eos, qui plantaverunt vineas, ex quibus vinum fit?* Et infrà, super cuncta veritatis
V.14,15, 16,17. extollens potentiam, subjunxit: *Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet, & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in sæcula sæculorum.* Et huic Darius præ cæteris sapientiæ palmam adscripsit.

Ast, si ego modò à quopiam interrogarer, quodnam in mundo universo in fortitudine excellat, ausim ingenuè respondere, humilem ad Deum fore orationem. Cuilibet abundè satis cognita est terræ fortitudo, utpotè, quæ stabilis & immobilis persistit. Attamen hæc scissa est in oratione Moysis maledicentis Dathan & Abiron, dum eos deglutivit. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos.* Magni à cun- Num. 16. v. 31.
ctis quoque æstimata fuit maris potentia, quia procellosis suis fluctibus vastissimas perfringit & disrumpit rates, regiones inundat, aggeres devastat, omniaque interturbat. Potentior tamen eo est oratio: huic enim illud obedire cogitur. Patet cap. 14. Exodi: ubi refertur, humiles Moysis ad Exod. 14.
Dominum preces tantæ in conspectu ejus extitisse virtutis, ut mediante virgâ mare rubrum di- v. 15, 16.
visum sit, quod populus Israëliticus sicco pertransiens pede, furentis Regis Pharaonis iram evasit: *Dixitque Dominus ad Moysem, quid clamas ad me?* Quasi diceret, cessa ulteriùs deprecari, ecce, orationis tuæ virtus maris tempestuosam debellavit potentiam, undasque siccavit. *Loquere filiis Israël, ut* Exod. 14.
proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam & v. 6.
extende manum tuam super mare, divide illud ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum. Quid obsecro in toto terrarum orbe censetur potentius atque vehementius ignis elemento? At- Dan. c. 3.
tamen illud pia & humilis Ananiæ, Misaëlis, & Asariæ in ardenti fornace compescuit oratio. Aër sive purus sit, sive infectus in malum, aut in bonum, ingenti pollet potentiâ. Etenim, si purus terram fœcundat, agrosque quàm fertilissimos reddit, & hominis sub eo degentis sanitatem mirabiliter conservat; si verò infectus, pravisque humoribus ac vaporibus vitiatus, omnium morborum generis vera est sentina, & tum jumentorum, tum hominum interitus origo. Aqua præ cæteris elementis adhuc æstimatur potentior, eò quòd difficulter à suo debellari possit con-

trario. Imò, si obstaculum suæ obviet violentiæ, fortiori vi enititur dejicere & evertere, sibique latiorem dominandi campum patefacere. Undè, ut experientiâ constat, aggeres, domos, & urbes integras vehementibus suis fluctibus obruit; ea tamen Moysis cessit orationi, coactaque fuit contra naturam è petra potum subministrare, Exod. cap. 17. Quoniam, non obstante populi Israëlitici execrandâ contra Prophetam obmurmuratione: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, ac jumenta siti?* Et exiguâ de Deo confidentiâ: *Quid jurgamini contra me? Quid tentatis Dominum?* Sitibundis & ingratis benignus Dominus scaturire fecit è petra durissima aquam. O mirifica Dei clementia! en ad iram concitatur, & misericordiam impertitur, fulmina ignivoma divina urget in sacrilegos dimittere justitia, at furentem cohibet impetum benignitas. Verùm quo medio, quibus armis, quâ potentiâ divinâ devicta est ultio, & illius erga impios prævaluit mansuetudo? Ah! hoc totum potuit Mosaica oratio. *Clamavit autem Moyses ad Dominum*, cui mox corresponderunt clementiæ verba: *Virgam, quâ percussisti fluvium, tolle manu tuâ, percutiesque petram, & exibit ex eâ aqua, ut bibat populus.* Nec mirum: etenim oratio arctissimum est vinculum, fortissima est catena, quâ ille, cui nemo potest resistere, vincitur & ligatur, ne severæ punitioni peccatorum incumbat, ut ipsemet evidentissimè attestatur Exod. cap. 32. Is namque summoperè excandescens ob infamem conflatilis vituli aurei idololatriam, populum abominandum jam jam exterminaturus, ad Moysen clamat: *Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Sed quid hoc omnipotens Deus? quis tuæ quæso resistere potest voluntati? quis tuæ obviare potestati? De quo obstupefactus ait Bern. *Feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit.* Ah! imbellis est Deus, nec ullatenus justitiæ suæ æquas exerere potest vires, aureo enim orationis constringitur nexu. Proinde Propheta hujus efficaciæ minimè ignarus, preces suas continuat, teste Scripturâ: *Moyses autem orabat ad Dominum Deum suum:* Et ecce victor evasit, iramque Domini delinivit melle orationis: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Quod maturè intuens mellifluus Doct. non sine ingenti stupore intonat in mirificum hujus virtutis elogium: *O humilis oratio! tua est potentia, tuum est regnum, tu vincis invincibilem, tu ligas omnipotentem.* Mira sanè illius vis, quæ non tantùm quatuor mundi comminatur elementis, imò & summo firmamento syderi, quod tempore Josue ejus obediens voci, immobile, suum stitit cursum, & Ezechiâ orante, fuit retrogressum, verùm etiam quasi Deo ipsi.

Exod. 17. v. 2. 3. — *Exod. 32. v. 10.* — *Ios. c. 10.* — *Isa. c. 38.*

Ast, quid prolixius hujus inquirimus veritatem? Nonne eam hodiernum manifestè indicat Evangelium? Ecce paupercula mulier Chananæa pro salute filiæ deprecatura Christum accedit, dicens: *Miserere mei Domine, &c.* Sed, eo tacente, altius vocem extollit, & bis terve repulsam passa, orare non destitit, tandemque se canem non dedignata appellari, humili oratione: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Jesum devicit, meruitque audire: *Fiat tibi, sicut vis, & sanata est filia ejus ex illa hora.* Occasione itaque propositi ab Ecclesia hodie Evangelii, parumper de admirabili orationis discurrere conabor potentia, rogatâ priùs per Virginem Spiritus S. gratiâ, ob quam eam unanimiter salutemus, dicentes: Ave, &c.

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamabat, dicens: Miserere mei fili David.

DUO præcipuè, tum Philosophi, tum Theologi, cujuslibet rei extollendæ assumenda constanter afferunt argumenta. Primum est naturæ, atque essentiæ ejus eminentia: secundum effectuum utilium productio. Primum tangit S. Augustinus, dum humilis orationis Encomiastes, eximium hoc ei descriptivè adscribit elogium: *Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, & pœnitentiæ laus tota, religionis perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta.* Secundum S. Chrysost. dicens: *Vis orationis vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia removit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores rejecit, offensas repressit, urbes terræ motu nutantes firmavit, plagas cælitùs irruentes, insidias hominum, mala denique omnia delevit oratio.* Cùm ego itaque brevem hac de materia exordiri conabar sermocinationem, orationis ex effectibus, sive physicis, sive moralibus ab ea causatis, facilè dijudicans excellentiam, & ex Chrysostomi sententia rectè deveniri posse in plenam Augustini descriptionis notitiam: ab illo inceptum sumo, præcipuè dum ipsum pòst immediatè jam dictam sententiam orationi applicantem lego illud Sponsæ dictum:

Chrys. to. 5. ho. 1. de incõprehensibili natura Dei.

Cant. 4. 4.

ctum: *Sicut turris David collum tuum, quæ ad ficata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis fortitudo fortium. Magna,* inquit, *arma sunt preces.*

Chrys. ho. 1e. in c. 6. Matth.

Dumq; Sponsus terribilem turris hujus armaturam, atque fortitudinem contemplatur, obstupefactus exclamat: *Quid videtis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

Cant. 7. 1.

Quod Sponsi rogatum admirans doctissimus Theodoretus, petit: *Quid chori cum castris? Neque enim castris conveniunt chori. Pax enim bello est contraria. Ibi enim resonant tympana, & tormenta bellica, hîc preces Religiosorum. Nimirum natura orantis animæ per hoc nobis exprimitur. Etenim, dum apud Altissimum preces fundit, & musici officium facit & militis.* Sed quomodo? Optimè sanè; quoniam musica dulci suâ harmoniâ & concentu audientium aures oblectat & demulcet, miles autem hostem debellat; hoc utrumque humilis præstat oratio, audite, quid subjungat: *Musici quidem, quia placat iram; militis verò, quia vincit invincibilem.* Huic conceptui egregiè adstipulatur S. Thomas à Villa Nova:

Th. à Villa Nova Domin. 2. Quadrag.

In tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo sancto suo vocem meam. Hoc enim unicum refugium habemus: in hoc tota salus nostra consistit. Sperent alii in curribus & equis, & exercitu forti, nos autem in nomine Domini nostri, invocemus illum, imploremus, ad eum accurramus: arma enim nostræ militiæ spiritualia sunt, orationes scilicet. His armis prioribus temporibus Ecclesia omnes diaboli conflictus devicit: omnes mundi procellas superavit: his olim Moyses de monte non pugnando, sed orando, non præliando, sed clamando Amalechitas devicit. Quoties ad hoc recurritur, certa est victoria: quoties negligitur, indubitata est miseria.

Rursus orationem potentissima fore arma, quibus irati Dei facilè excandescens devincitur animus, ipsiusque impetratur clementia atque præsidium, apprimè demonstrari potest ex lib. 2. Reg. cap. 18. ubi narratur, Davidem tripartito suo exercitu, quem contra perduellem fratricidam, & fœdifragum filium Absolon destinarat, sese quoque itineris & prælii comitem adjungere voluisse: *Egrediar & ego vobiscum.*

2. Reg. 18. v. 3.

Verùm renuit populus dicens: *Non exibis.* Sed quid hîc latet mysterii? Cur comitatus Regis, qui ordinariè suis militibus præliandi contra hostem adauget audaciam, ac vehementer ad certamen accendit animum, non admittitur? *Non exibis.* Novum non erat Israëlitis Davidem in campum descendentem, & strenuè in adversarios dimicantem cernere. Cur itaque illum in Hierusalem permanere quasi compellunt: *Non exibis.* Quas quæso allegat rationes? *Sive enim fugerimus, non magnoperè ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit de nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris.* Hæc ratio satis legitima atque prægnans mihi videretur, nisi magis intricatam sequentia verba suppeditarent difficultatem: *Meliùs igitur, ut sis nobis in urbe præsidio.* Neutiquam enim capere queo, quomodo David suis in saltu Ephraim cum exercitu Absolon prælium committentibus, in Jerusalem, quæ tanto à certaminis loco distabat spatio, posset esse præsidio. Longè namque potiori ratione præliantibus, tum in directione pugnæ, tum ad strenuè belligerandum, adhortatione turmis suis præsens potuisset esse juvamini. Cur itaque hoc modo ratiocinantur: *Meliùs est, ut sis nobis, &c.* Intricatum hunc nodum ad nostrum institutum dissolvit subtilissimus Abulensis, dubio proposito respondens: *Quia ipse manens in urbe, tantum ageret orando, quàm decem millia de euntibus ad bellum pugnando.* Ecce, omnem suam confidentiam, omnem spem in oratione collocabant, & plus sibi in Davide orante, quàm præliante confidebant, quia ipsa vincit invincibilem.

Abulensis hîc, q. 12.

Orationem dulcisonam fore harmoniam, quæ exacerbatam per scelera nostra Dei justitiam dulcorat & mitigat, apertissimè ex ipsamet sacra constat historia. 2. enim Reg. cap 24. refertur, Davidem (electâ, ex tribus à Domino oblatis, pestilentiæ pœnâ) dicentem ad Gad: *Coarctor nimis; sed meliùs est, ut incidam in manus Domini, (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum.*

2. Reg. 24. v. 16.

Suâ minimè defraudatum fuisse in Dei benignitate confidentiâ. Dum enim prosequens Angelus manum in Jerusalem extenderet, placatus Deus eam cohiberi jussit: *Cùmque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit: nunc contine manum tuam.* Quam tamen non statim à vindicta sumenda cohibuisse, constat ex versu seq. Ubi Propheta David Dei contra furentem Angelum benignum implorat auxilium. *Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Sed quid hoc, ô piissime Domine! quid quæso mysterii hîc latitat?

Si vindicantem Angeli contineri jubeas manum, cur ei adhuc misero & afflicto Davidi minari permittis? Ah, inquit Ambrosius, *Si mandaverat Dominus Angelo, ut parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus?* Et respondet: *Nisi quia, etsi Dominus vult ignoscere, vult rogari, & ut rogetur, hortatur.* Etenim Dominus tantopere sibi in humili, sancta, ac simplici complacebat oratione, ut perseverantem in ea continere desideraret. Proinde, quamvis misereri decrevisset, adhuc minas continuat. Et hæc est sæpissimè unica oratio, cur Deus precanti rem expostulatam impertiri differat, nimirum, ut ipsum in precibus, (quibus summoperè delectatur) constantem reddat. Hoc divinè ad omnium afflictorum ad Deum clamantium, nec confestim ejus opem scientium, insigne solatium, explicat S. Hieronymus: *Abscondit thesaurum tuum, ut invites cupidum, recondis margaritam, ut augeas quærentis amorem. Differs dare, ut doceas petere. Dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem.* Sic sese gessit cum electo suo Patriarcha Isaac. Quoniam ipse, teste Scripturâ, visâ Rebeccæ sterilitate, fœtum à Domino ve-
Gen. 25. v. 21. hementer efflagitabat: *Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Verùm quando? Sanè ejus precibus annuere ad viginti distulit annos, ut clarè ex Scriptura eruitur:
V. 26. *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli, Abraham genuit Isaac, qui cùm quadragin-
V. 20. ta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam.* Idque dumtaxat, quia quàm plurimum in justorum oratione recipit delectamenti.

Pulcherrimè totum hoc confirmat difficilis satis sacræ Scripturæ locus, Propheta David Ps. 2. juxta August. æternum Patrem ad dilectum loquentem introducit filium in hunc modum: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,
Psal. 2. 8. & possessionem tuam terminos terræ.* Hic obstupescunt hujus loci interpretes, petuntque, quid opus fuerit Christo, à cælesti Patre expostulare hæreditatem, & quidem cælestem, de qua hic agitur,
Psal. 109. v. 1. juxta illud Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Nonne enim ipso jure paternæ hæreditatis vi filiationis constituitur hæres? Potestnè filius secundùm leges sine causa exhæreditari? Hic est filius, in quo pater sibi complacuit, hic est filius Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: quare itaque illam exigere jubetur: *Postula à me, &c.* Ad hanc difficultatem enodandam operæ pretium est ad Joannem Evangelistam pro lumine recurrere. Ille, postquam dixisset, sese magnam ex omnibus tribubus & populis vidisse in cælo multitudinem jubilantiũ & benedicentium Domino: *Et clamabant voce magnâ dicentes: sa-
lus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno:* Apoc. 8. 11
Cap. sequenti omnem cælestem musicam cessasse asserit: *Factum est silentium in cælo quasi horâ u-
nâ.* Sed quid hic rursus latet mysterii? Ubi lumen Cap. 9. v. 1
sperabam, densioribus involvor tenebris. Liceat itaque vos interrogare, ô Cælites! ô supremi regni cives! ô seraphici spiritus! tam alto silentio ejus, cujus nunquam abundè satis decantantur encomia, laudes premitis? Ex hoc labyrintho nos ipsamet feliciter educit Scriptura, dicens: *Angelus ve-
nit, & stetit ante altare, habens thuribulum au-* V. 3.
reum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Ecce, sicut lumen majus obfuscat minus, sic major gloria minorem. Hîc itaque indicatur, plus Deum ipsum piis justorum viatorum orationibus, quàm beatorum triumphantium glorificari ac oblectari canticis. Quapropter his accedentibus, illa silere necesse est. Ideo ergo Pater cælestis, quia tantum sibi arridet pia oratio, à filio rogitat peti, desideratque, ut duplici titulo Unigenitus paternam æternæ beatitudinis accipiat hæreditatem. Titulo nimirum filiationis & orationis. O mirifica, ô suavis musica oratio! ergò simul est musica & arma.

Etenim sub his inquietus, afflictus Elisæi securè requievit animus; qui, non obstante, quòd ei à puero, ut refertur 4. Reg. c. 6. denunciaretur, ingentem infensissimi hostis Regis Syriæ, in totalem Israëlitici populi ruinam conspirantis, imminere exercitum, arma capescere vilipendit, vigilias agere negligit, nec militum aciem instruit, sed unico & solido devotæ orationis suffultus præsidio, omnem audet his verbis abigere timorem: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Verùm in quo dimicantium major contra
hostem consistebat numerus? denuò repeto, non 4. Reg. 6.
nisi in oratione. *Cùmque orasset Elisæus, ait: Do-* v. 17, 18.
mine, aperi oculos hujus, ut videat: & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Hostes verò descenderunt ad eum: Porrò Elisæus oravit ad Dominum, dicens: Percute obsecro gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent juxta verbum Elisæi. Quam orationis virtutem ad summum eminen-

[illegible]

...tiæ atque potentiæ extollens apicem, in mordacem prorumpit, contrà preces spernentes, invectivam S. Ambrosius dicens: *Ubi sunt qui dicunt, plusquam preces sanctorum, arma posse? Ecce una oratio Elisæi totum exercitum vulneravit. Quæ caterva regum, quæ turba militum talem victoriam impetrarunt? Ita ut hostes prosternerent, & de illis nullus succumberet.*

Ambros. ser. 1. de Elis.

Et nonne idipsum cunctis etiam cæcutientibus, aut tantùm parumper Sacræ Scripturæ gnaris evidentissimè apparet ex lib. 4. Reg. cap. 19. Ezechias enim jam ad ultimam simul cum Jeresolymitanis redactus miseriam, annonæ penuriâ pressus, milite vegeto destitutus, blasphemis Bersacis regis assyriorum ducis litteris lacessitus, omni planè humano diffidens subsidio, ad orationem, tanquam ad unicum asylum, sese convertit. *Itaque, cum accepisset Ezechias litteras, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conspectu ejus dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super cherubim, inclina aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos & vide.* Quæ Ezechiæ ad Deum deprecatio tantæ extitit efficaciæ, ut ad pietatem & clementiam benignus commotus Dominus, felix per Prophetam Isaiam ei denuntiari jusserit nuntium: *Quæ deprecatus es suprà Zennacherib rege Assyriorum audivi.* Narratisque quamplurimis ac recensitis in Deum Israelis improperiis, tandem concludit. *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam &c.* Quem singularem orationis contemplans triumphum S. Maximus ait: O *omnipotens oratio! cum una sis, omnia potes.*

4. Reg. ca. 19. v. 14.

Mihi nunc intricata instare videtur contra prædictum meum assertum replica. Quid ais, quid extollis in tantùm, ô imperite verbi divini præco! orationis potentiam? contrarium omninò nobis demonstrante experientiâ omnium rerum magistra. Ecce enim vidimus, & adhuc indolemus misertimè florentissimam totius mundi Provinciam afflictam Flandriam. Hinc potentibus Gallorum impetitam armis, illinc à perfidis Ecclesiæ hostibus oppressam Anglis. Imò & partim sub jugo tyrannico subactam cernimus & gemimus Transilvaniam, Ungariam, Canæam, Candiam ab infestissimo Christianitatis inimico hostiliter, attamen victoriosè invadi (ob quod quamplurimum lamentabatur suo ævo Thomas à Villa Nova dicens: *O miserandam deplorandamque Ecclesiæ calamitatem! ô extremam sortem sanguineis lachrymis dignam! ô antiquam illam majestatem & gloriam, ad ultimam confusionem, & ignominiam devolutam! cui comparabo te, & assimilabo te filia Sion? Magna est velut mare contritio tua. Quis medebitur tibi? ubi est illa potentia & magnitudo tua? ubi est illa gloria, quando ab Oriente in Occidentem imperium extendebas? Quando toto terrarum orbe diffusa, tot regnis & Provinciis præsidebas? Quando omnes gentes & nationes tuo protegebas imperio? Heu facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.*) Quod malum, ut avertatur, ecce quotidiè in Christianitatis propagationem, Ecclesiæ conservationem, patriæ sustentaculum, fideique Catholicæ augmentum, solemnes instituuntur supplicationes, adduntur preces precibus, indicuntur jejunia, commendantur eleemosynæ, omnesque in hostem orationis irrunt asseclæ; verùm in vanum. Una namque insuperabili quasi arce devictâ, altera mox impetitur & debellatur, prostratoque uno exercitu Christiano, alteri nova imminet ruina, sicque de die in diem in pejus Christianitatis vergit negotium. Ubi ergò orationis potentia, ubi virtus, ubi efficacia? Huic specioso & primâ fronte solido fundamento, vix respondere ausus fuissem, nisi S. Bernardus appositam non minùs quàm congruam subministrasset responsionem, considerans tùm Davidis, tum Ezechiæ aliorumque perfectam orationem, nosque ad laudabilem eorum adhortans imitationem: *O si sic nunc faceremus fratres, & hic Deum placaremus, ut Deus averteret iram suam, & tolleret à nobis hostes. Quid prodest colligere exercitus, & colligere peccata? An nescitis, quod Turca iste, & bella flagella Dei sunt? Si emendaremus vitam, & præterita peccata deploraremus coram Domino, ipse averteret à nobis flagellum suum, & daret de inimicis victoriam.* cui rectissimè concinit S. Hieronymus: *Peccatis nostris barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus:* Et exitialem Christianitatis interitus hunc detestans fontem exclamat: *O infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, ut per rabiem Barbarorum illius in nos ira desæviat.* O homo! acriter flagellaris, nec corrigeris, percuteris, nec emendaris, ad pœnitentiam vocaris, nec compungeris. Sed audi, quomodo tantam tuam S. Thomas à Villa-Nova detestetur pertinaciam? *Nulla malorum reformatio, nullus, qui peccata de-*

Thomas à Villa Nova Dominica 2. Quadrag.

defleat. Percussi inquit eos, & non doluerunt, disciplinam accipere renuerunt, dissipati sunt, neque compuncti. Et alibi: *Perdidi populum meum, & non est reversus ad me.* O stupendum stuporem! O soporem mentium miserandum! quasi exigua mala sint hæc, cum multò majora sint, quàm belli miseria, quàm fames, quàm pestis. *In his enim jactura corporis, in illo est etiam periculum animarum: hæc timemus, illud contemnimus.* [Ierem. c. 5. v. 3.] Quid ergo mirum inquit Chrysostomus, si flagellum perseverat, dum homo iniquitatem suam non emendat. *Proh nefas!* ait, *nulla ex pœna correctio, quasi adversis hominum malitia provocatur, & sic crescit quotidie, quod puniatur.* Concludamus itaque audacter, quod a tuis ô Belgium! ô Christianitas! non libereris hostibus, non obstante, quod à fidelibus indies in Ecclesia Dei intonetur, *Da pacem Domini in diebus nostris*, non imputandum est potenti ad omnia impetranda orationi, verùm pravæ tuæ ô homo! voluntati Unde de te jure meritò possem dicere illud Oseæ: *Perditio tua ex te Israel, tantùm in me auxiliũ tuũ.* [Oseæ c. 13. v. 9.] Et hoc ipsum comminatus fuerat populo suo per Prophetam Isa. *Avertam oculos meos à vobis, cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Cujus divinæ aversionis fundatam S. Bernardus suppeditat rationem: *Non potest esse loquela orationis dulcis, nisi facies conscientiæ sit decora.* Hinc rectè dicebat Propheta David: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Ad quod S. Augustinus: *Propterea exaudivit me Deus, quia iniquitatem non conspexit in corde meo* Quid igitur ô Christiani facto opus est, ut vestra à Deo infallibiliter exaudiatur oratio? Attendite & cordi imprimite id, quod subjungit Isaias: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* [Isaiæ c. 1. v. 16. 17 18.] Et quid tunc? *Venite & arguite me dicit Dominus.* Ac si diceret, dum hæc feceritis, reprehendite me, si vos non exaudiam.

Verùm replicantem audire videor, lavi me lavacro Sacramenti pœnitentiæ, mundæ sunt à sanguine manus meæ, abstuli malum cogitationum mearum &c. attamen deprecans non exaudior. Ah falleris, dum hæc præsumis homo, exaudiris. Sed vis scire, cur petioni tuæ annuere procastinet Deus? Audi Augustinum: *Pulsa orando, pete justa; & quod dare vult; differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò data vilescunt.* [Aug. sermon 28. de verbis Dei.] Imò & tum quoque exaudiris, dum id, quod postulas negat. Audi in tuum solatium mellifluum Doctorem: *Nemo vestrûm fratres vilipendat orationem suam. Statim ac ex ore orta est, unum ex duobus erit, aut dabit quod petimus, aut quod novit esse utilius negat.* Et concludit: *Multos sæpè non exaudit Deus ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem.* Petis enim ô homo sanitatem, & ipse tanquam pius medicus novit infirmitatem salutare animæ tuæ fore medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem. Rogas temporalia, prævidet te ea in luxum mundique illecebras, non in elemosynas, aut in pauperum sustentaculum insumpturum, hinc justè & piè negat. *Deus enim*, inquit S. Leo, *justus & bonus, quando ea, quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur.* Quia ut rectè etiam ait Chrysostom. *Quid prosit, vel obsit novit medicus, non ægrotus.* Et hoc te docet rogare in tua oratione Propheta David, qui desiderata non expetebat, nisi animæ suæ forent maximè salutaria: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte & non ad insipientiam mihi,* 70. legunt: *Ad mei amorem non exaudies.* Ad quod divinè Augustinus: *Si Deus suos oratores non exaudit, hoc non facit ad eorum insipientiam, vel odium: imò ad amorem: quia secum eos vult associatos. Dicit enim Propheta, non ad insipientiam non audis, sed amorem.* Semper ergò pia à Domino exauditur oratio, quod & Bernardus testatur dicens: *Quando fidelis & humilis oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit, undè certum est, quod vacua redire non possit.* Ex quo legitimè infertur, invicta etiam Deum ipsum expugnandi orationis esse arma.

Quod idem ipsamet prima & essentialis appertissimè corroborat veritas Christus Dominus mysteriosâ immediatè antè acerbam suam passionem cum discipulis sese gerendi methodo. Is enim prævidens suâ sapientiâ validissimas in eo insurrecturas tentationum tempestates, ipsis victoriosa arripere suadet orationis arma: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* [Mat. c. 26 v. 41.] Quâ salutari admonitione datâ, rursùs ipse ad orationem rediit, paulòque post illos visitans, inveniens dormientes, denuò ad orationem exhortatur, ut ait Lucas: *Quid dormitis? surgite, orate ne intretis in tentationem.* [Luc. c. 22. v. 47.] *Et relictis illis iterùm abiit & oravit ait Matthæus.* [Matth. v. 43.] Sed hîc notatu digna sunt subsequentia Evangelistæ verba: *Tunc venit ad discipulos*

pulos & dicit illis: dormite jam & requiescite. Ah bone Jesu! anteà eos vigilare jubes, & nunc dormire permittis, anteà illos ad orationem, nunc autem excitas ad quietem. Quid hic obsecro mysterii? Illud nobis pandit Evangelista Lucas dicens: *Prolixius orabat.* Sed quid prolixiori ad patrem in horto oratione benignus prætendebat Dominus? Plurima sane respondet Euthymius; etenim hisce armis, hoc clypeo dirum exandescentis patris à negaturo discipulo Petro avertere satagebat vindictæ telum. Deinde pro ignominiosa suorum fuga: *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt,* divinam implorabat clementiam & veniam. Tandem suorum in apostolatu stabilimentum, & ad strenuè in militante Ecclesia contra cunctos, tàm visibilis, quam invisibiles hostes divinum iis expostulabat auxilium. Cui orationi annuente cœlesti Patre, lætabundus surrexit Christus, discipulisque lætum quiescendi adesse annunciat tempus, *quiescite jam.* Ac si diceret, O chari Apostoli! vobis certandum est contrà principatus & tenebrarum potestates, imminet strenua tentationum acies, appropinquant crudeles hostium persecutiones: verum ne formidetis, quiescite; Ecce ego vos meâ apud patrem præmunivi oratione, hâc validissimâ protecti galeâ, Judæorum exacrandam explodetis sævitiam, hoc scuto muniti, cuncta dæmonum retundetis tela, hâc circumdati, inanes inimicorum experiemini insultus: omnipotens enim est oratio. Et quamvis tantum una sit, attamen omnia potest. Apposite itaque concludit Euthymius: *Bene quiescere jubet Dominus, quos dominica præmunierat oratio.*

Matth. c. 26. v. 56.

Rursus hujus efficacem habemus probam Gen. c. 18. ubi narratur, quod Deus abominandis Sodomitarum sceleribus ad extremam concitatus iracundiam, funditus igne & sulphure eorum civitates exurere statuerit, quod divinum suum decretum, cùm fideli suo servo Abraham aperuisset, ut ait Scriptura, ipse stans coram Domino & appropinquans ad validissima recurrit orationis arma, ut ab iis divinam repellat justitiam, ut vincat invincibilem, ut liget omnipotentem, & impetret misericordiam. *Numquid perdes justum cum impio? si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? Et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo; absit à te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum, qui judicas omnem terram. Nequaquàm facies, judicium est.* Et ecce confestim tam piæ ac humili servi sui orationi iratus succumbit Dominus, teste Scriptura: *Dixitque Dominus ad eum, si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* Abraham veritus, ne prædictus justorum deesset numerus, eum deminuit, & denuò ad Dominum clamat: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Quod si minus quinquaginta justis quinque fuerint: delebis propter quadraginta quinque universam urbem?* Et ecce rursùs annuit Deus: *Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.* Verùm iterum ad minorem Abraham descendens numerum instat: *Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies?* ait: *Non percutiam propter quadraginta.* Ad hoc iterum Abraham humiliter sua excusatâ importunitate: *Ne quæso,* inquit, *indigneris Domine, si loquar: quod si ibi inventi fuerint triginta?* Respondit: *Non faciam, si invenero ibi triginta.* Non acquievit Abraham, sed suæ instanter institit orationi: *Quod si ibi inventi fuerint viginti?* ait: *Non interficiam propter viginti.* Instat rursus Abraham: *Obsecro inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: quod si ibi inventi fuerint decem? Et dixit non delebo propter decem.* Quo dicto, ait Scriptura: *Abiit Dominus.* Sed cur quasi fugit Dominus? Cur quæso rogantem subterfugit Abraham? Ah violentas divina justitia orationis verebatur vires, timebatque ne Abraham ad numerum quatuor justorum descendens, divinam impetraret clementiam, sicque de justitia triumpharet misericordia. Ita opposite censet Doctissimus Cajetanus: *Cur abiit Dominus postquam cessavit loqui?* Et respondet: *Recessit non ulteriores exspectans preces, quia si exspectaret, misericordia amoveret supplicium, & superexaltaret judicium.* Quia, quandoquidem omnipotens sit, omnia potest, vincens invincibilem, ligans omnipotentem.

Gen. c. 18. v. 23. 24. — *Vers. 25.* — *V. 26. 27.* — *Vers. 28.* — *Vers. 29.* — *Vers. 30.* — *Vers. 31.* — *Vers. 32.*

Abunde satis, ut credo, ostensa est admiranda orationis potestas. Verùm antequam huic finem imponam discursui, perplacet efficacissimum illius in lucem proferre effectum, imò & miraculum, quod in obstinatorum peccatorum ad Deum conversione ingenuè agnoscit S. Thomas à Villa-Nova: *Peccatores obstinati & obdurati in peccatis quasi miraculosè salvantur.* Cui concinens S. Bernardus, illud opus solius Dei asserit esse

Thomas à Villa-Nova Dom. Septuag.

esse potestatis : *Sicut enim*, inquit, *fermentatam massam in azymam redire difficillimum est, ita carnem & mentem fermento peccatorum, & amurcâ vitiorum infectam, in pristinam restitui munditiam, solus Dei opus est.* Unde Job egregiè ad Deum exclamat : *Quis potest facere mundum de immundo, nonne tu qui solus es?* Et Jerem. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & Pardus varietates suas, ita & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum.* Genuinam tantæ difficultatis ad induratum peccatorem convertendum assignat S. Bernardus rationem : *Cor durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis obduratur, flagellis non eruditur, & ut breviter cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur* Quod idem evidenter ipsamet infallibilis attestatur veritas per Ezechielem : *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, nec per ignem.* Ac si diceret, omnibus mediis usus sum, ut devium peccatorem ad rectam æternæ vitæ semitam reducerem, nunc tribulationem immittens, nunc morbo & infirmitate tentans, gratiâ præveniente ad internum mentis illius sæpè sæpiùs pulsavi ostium, sed heu! omnia in vanum. *Multo labore &c.* Non *exivit rubigo*, Hæbraicus textus legit : *Non exivit rubigo abominationis & obstinationis.* Unde de tanta cordis humani conquerens duritie per eundem clamat : *Mundare te volui & non es mundata à sordibus.* Imò quasi id exequendi medium indagans ait. *In quo mundabo cor tuum?* Quia, ut rectè dicit Sapiens : *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Nimirùm Deum ipsum, ejus leges, minas atque afflictiones vilipendit, ut clarè attestatur doctissimus Lyranus hisce verbis : *Contemnit supplicia, contemnit correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam.* Cujus genuinam reddit rationem Cæsarius : *De multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione, absque ulla reverentia peccatorum frena laxantur.* Quod ad amussim confirmat S. Gregorius : *Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem : conatur & labitur, nam ubi diu sponte persistit, ibi cum noluerit cadit.* Et hoc exitiale damnum in peccato perseverantibus minatur Deus per Prophetam Amos ; *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum. Super tribus sceleribus Gaza, & super quatuor non convertam eum. Super tribus sceleribus Edum, Tyri, Moab, Iuda & super quatuor non convertam eum.* Quasi dicat inquit S. Thomas à Villa-Nova : *Tribus sceleribus aliquando parcam, quarto vix parcam, quia qui Deum contemnit, meretur & ipse contemni. Et ideò dicit super quatuor non convertam eum : quia rarissimè qui tales sunt, convertuntur.* Et pavorem iis inculcare tentans exclamat: *Audiant concubinarii, raptores, lusores, usurarii &c. Qui in iis & aliis peccatis diu malè securè dormiunt, & paveant & contremiscant.* Et totum hoc insigni dilucidat similitudine: *Sicut*, inquit, *qui in ægritudinibus sæcularibus, corporalibus, distemperatis humoribus ægrotat, facilè sanatur: qui autem corruptus omninò, putridus, diuturnâ febre laborat, longo tempore & forti medicamine vix curatur.* Nec mirum, quia ex infallibili Philosophiæ regula : *Ex frequentatis actibus fit habitus.* Ex qua legitima deducitur consequentia: ergo qui continuò actum peccaminosum reiterat, acquirit habitum peccandi. Cumque doceat Philosophus, quod *habitus sit qualitas difficulter à subjecto mobilis* : Rursùs rectè sequitur : ergò habitus peccaminosus ab homine obdurato & obstinato est difficulter mobilis. Imò ex repetitis sæpe sæpiùs actibus inducitur prava peccandi consuetudo, quæ ab Aristotele nuncupatur altera natura, à S. P. Augustino fabricata natura, quibus adstipulatur Theodoretus dicens : *Vetus profectò sermo, consuetudo est altera natura: omnia enim, quæ longâ consuetudine animus comparavit, paria censentur cum naturalibus.* Hujusmodi tamen peccatores ad rectam piæ vitæ semitam revocare omnipotens potest oratio.

Iob. c. 14. v. 4.
Ier. c. 13. v. 23.
Bern. lib. 1 de consid.
Ezech. c. 24. v. 12.
Ezech. c. 16. v. 3.
Prov. c. 18. vers. 3.
Amos c. 1.
S. Thom. à Villa-Nova ser. 6. Dom. 4. Quadrag.

Ad quod probandum, mysteriosam atque stupendam perscrutari lubet quatriduani Lazari resuscitationem, in qua ingeniosè & subtiliter varias Christi Domini annotat Augustinus ceremonias, scilicet quod infremuerit spiritu, turbarit semetipsum, deinde internam animi innuens amaritudinem, uberrime fleverit, *Et lachrymatus est Jesus.* Et necdum resuscitatus est Lazarus, necdum audet clamare Christus, *Lazare veni foras.* Verùm, accedente humili Christi Domini ad Patrem oratione, Jesus elevatis sursum oculis, dixit : *Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me.* Et tunc *clamavit voce magnâ, Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Sed quare tot stupendæ ostentationes?

Ioan. c. 11. vers. 33.

tationes?

rationes? Cur speciales hujus mortui revocandi ceremoniæ? Cur divinâ opus oratione? Ah! non nisi ut admirabilis illius innotesceret virtus & efficacia, Etenim juxtà S. Thomam, quatriduanus Lazarus peccatoris obstinati & obcæcati verissimum est symbolum, qui ad spiritualem animæ vitam non nisi difficillimè & miraculosè potest revocari. *Latet in hac Lazari suscitatione, spiritualis suscitatio peccatoris Lazarus namque quatriduanus, fœtidus, & sepultus peccatoris typum gerit, non cujuscumque, sed obstinati, indurati, corrupti, in quo ratio, mens, sensus, synderisis, vitio sepulta sunt Quatriduanus est. quoniam quatuor dies in peccato habet, scilicet consensum, opus, consuetudinem, contemptum.* Ad hunc resuscitandum nil valet vox concionatoris, nil manus efficit tribulationis, frustranea mentis turbatio, vanæ omninò lachrymæ, sed planè omnipotenti opus est oratione, quæ cum una sit, omnia potest. Verum de hujusmodi peccatorum conversione forsitan latiùs Deo dante infra.

S. Thom. à Villa-Nova ser. 6. Dom. 4. Quadrag.

S. Thom. à Villa-Nova Feria 4. Dom 1. Quadrag.

Si itaque ô auditores tàm potentia, tàm efficacia sint (ut videmus) orationis arma, iis in quacumque necessitate, afflictione ac discrimine utamur. Si diabolicæ crudeliter in te sæviant tentationes, si te carnalis acriter torqueat & stimulet concupiscentia, fortissimum precum arripe scutum. Si pravæ consuetudinis mole gravaris, unicum assume tantæ infirmitatis antidotum, nimirum orationem: Hæc namque dæmones terret, fores inferni obserat, cœlestem aperit januam, fœtidum, id est induratum ad vitam spiritualem revocat peccatorem, & ad æternam, impetratâ ingenti suâ virtute divinâ gratiâ & misericordiâ, deducit beatitudinem, quam nobis omnibus concedat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

FERIA SEXTA

Dominicæ primæ quadragesimæ.

Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Joan. cap. 5.

Celeberrimi non tantum sacræ scripturæ Interpretes, verùm etiam fundatissimi Ecclesiæ Doctores acriter inter sese decertant, quidnam Christus Dominus suâ admonitione, atque consilio Apostololis & nobis indicare prætenderit mysterium dicens; *Estote prudentes sicut serpentes.* Quamplurimæ enim non infimæ sanè notæ constanter adstruunt, eum suos strenuum in hac militante vita edocuisse certamen. Etenim ut rectè cognoscunt naturalistæ, eam serpens sibi ingenitam habet proprietatem, ut in quacumque contrà inimicum colluctatione cuncta corporis sui membra pro capitis conservatione, discrimini, gladioque exponat. Quam prudentiam nobis, & discipulis inculcans Jesus, urget, ut omnis Christianus cuncta peritura, vitam, divitias, mundique delectamenta flocci-faciat, tormentaque irrideat, modò Christum Ecclesiæ supremum caput defendat animamque corporis caput, immunem ab omni peccati vulnere reservet.

Matt. 10. vers. 16.

Alii hic Christum aliam tangere arbitrantur serpentis proprietatem; dicunt enim eam tantæ esse astutiæ, ut, incantationes venatorum suavisonâ vocis excitatione commotas, unam aurem, veritus, ne ad egressum è spelunca sua alliciatur, super terram reclinet, alteram verò caudâ suâ obturet. Hunc nos imitari adhortatur magnus ille veræ Christianæ doctrinæ Magister Christus nimirùm, ut aures nostras obstruamus, ut eas infamibus malignarum linguarum detractionibus, insolentibus contumeliis, inhonestis colloquiis, impudicis cantilenis, perversis ac impiis mundi, dæmonis & carnis persuasionibus occludamus. Et vult, ut prudentes simus sicut serpentes, ne in callidi venatoris diaboli retia incauti incidamus.

Rursùs alii aliam non absque exiguo profectò fundamento ingrediuntur viam, asserentes serpentem tantâ pollere prudentiâ, ut ipsi à Hieroglyphicis honorificum immortalitatis, atque terrenæ fœlicitatis contemptus adscribatur symbolum. Quod ex lepida quadam Poëtarum eruunt fabula. Poetæ enim fingunt, mortales o-

lim à diis instantibus precibus sollicitasse, ut immarcessibilis juventutis dono gauderent, quo Jovis cæterorumque Deorum benignitate atque liberalitate concesso, eò processere dementiæ, ut tantum thesaurum asino vehendum commiserint, teste Pierio: *Adeò imperiti fuerunt, ut eam asino vectandam commendarint, hunc verò siti confectum ad fontem quendam pervenisse, in quo serpens loci custos, stativam habebat custodiam, cumque inde bibere tentasset, à serpente prohibitum, neque aliâ conditione bibendi facultatem illi factam, quam ut id omne, quod vehebat onus, angui mercedis nomine concessisset. Ex eo inde tempore omnes angues, senectute singulis annis abjectâ, juvenescere, homines verò senio confectos marcessere.* Ad quod infortunium alludens Tibullus canit:

Pierius lib. 14.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
Cur nos angustâ conditione sumus?

Ex hoc inquam plerique inferunt figmento, Christum Dominum salutari suo documento Apostolis indicasse, eos non stultum asinum, verùm prudentem & astutum serpentem sequi oportêre. Quandoquidem ille inæstimabilem, nullique pretio adæquandam immortalitatem pro objecto frigidæ aquæ haustu vendiderit, hic autem unionem illum cunctis terrenis rectè præposuerit. Vult itaque docêre, quàm insanum sit cum asino pro mundana & fluxa re æternam vilipendere beatitudinem, & quàm securum sit cum serpente sempiternæ diligenter satagere immortalitatis. *Estote ergo prudentes &c.*

Omnes hæ fateor prætacti loci ingeniosæ sunt dilucidationes. Verum ad præsens, quod mente pro hodierno discursu concepi, institutum, aliam conabor, ex altera, quam ex naturalistis profert antiquissimus Tertullianus, colubris proprietate clarè deducere interpretationem; Nimirùm eâ, quod ipse ex naturali instinctu per foramen arctum transeundo, ut rejuvenescat, antiquam exuat pellem, eamque in veteri caverna sua relinquat, ad quam, veritus, ne illam fortasse ejus visu & oblectamento allectus, reassumeret, nunquam revertitur. *Quando serpens senescit, quærit mutare pellem. Relicto itaque inter petras suo exuvio, locum mutat & fugit in alium*, inquit Tertullianus, *ne cutem videat.* Hoc nos Christianos sedulò imitari debêre divinus asserit Doctor Paulus ex divina & infinita Christi doctrina dicentis: *Estote &c.* Quasi diceret, ô peccatores! *Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis*, id est abjicite fœtidam, atque squallidam perversæ consuetudinis cutem, deserite inordinatam vestram concupiscentiam, irregulatos compescite appetitus, illicitaque exuite desideria: *Et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et in hoc vobis planè necessaria est astuti serpentis prudentia. Ut scilicet omnem locum, omnem peccandi ansam, occasionem, ut exitialem animæ pestem evitetis: ne modò induto novo homine justo, denuò arreptâ delinquendi occasione, veterem hominem cum actibus suis, id est peccatorem cum iniquitatibus suis reassumatis. Hoc idem dogma inculcat in hodierno Evangelio ægroto sanato Dominus dicens: *Tolle grabatum tuum*, tolle peccati occasionem: *Ne deterius tibi contingat.* Perniciosum enim est & animæ maximè lethale in peccandi occasione versari, quia maximum relapsus subest periculum. Hic scopus erit moderni discursus, quem, ut attingamus, rogitemus pro divino Spiritus S. adjuvamine piam Angelorum regiam, salutantes eam Angelico elogio Ave &c.

Tertul. l. de cultu fœminarum c. 2.

Ad Coll. c. 3, v. 9.

Ad Philip. c. 4. v. 24.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

DOctissimus & antiquissimus Doctor Tertullianus loco citato pulchram pro incœpti introductione mihi suppeditat semitam; D. Thomas à Villa-Nova verò solidas Tertulliani dictum confirmantes subministrat rationes. Iste namque acriter exaggerat de sua præsumentis constantia periculum: hic obvium animæ extollit exitium, & cunctis omnis peccandi occasionis vitandæ saluberrimum prolixè persuadet consilium. Tertullianus ait: *Qui præsumit, minus veretur, minus præcavet, magis periclitatur. Timor fundamentum salutis est. Præsumptio impedimentum timoris.* Et solidè pergens subjungit: *Utilius ergo, si cogitemus non posse delinquere. Sic enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus.* Thomas autem peccatorem simul adhortans ad pœnitentiam, constituensque Christianis idololatriã, de qua heri egimus, vivum virtutis Chananææm exemplar, divinè dicit: *Fac tu ô peccator pro anima tua, quod fecit illa pro filia sua, consimili enim morbo laborat, pari ægritudine gravatur, sic à dæmonio malè vexatur. Curre ad medicum, inquire medelam, clama, obsecra, insta. fac, quod ista fecit, liber eris, sicut & filia ejus liberata est.* Et ad rectam id

Th. à Villa-nova Dominica 2. Quadr.

id exequendi illum commonens methodum, addit: *Primò itaque egredere de finibus tuis, sicut illa de suis egressa est: relinque non solùm peccata, sed etiam occasiones peccatorum, & elongare ab eis quantum potes, & sic obviabis salvatori, sicut scriptum est, surge, qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nam inter peccatorum fines Christum invenire non poteris. Pelle à domo tua concubinam, dimitte fraudes, usurarias cautiones disrumpe, & omnem peccandi occasionem effuge, & statim aderit tibi Christus. Quid enim tibi proderit in mediis fluctibus clamare? Et inter medias inferni leges, animæ tuæ salutem optare? Si verò liber esse cupis, longè fac à te vitiorum servitutem.*

Duobus his innixus sententiis, aggredior tum ex S. S. P. P. tum Sacra Scriptura dilucidè demonstrare, quàm necessarium sit Christiano lubricam peccandi occasionis devitare viam. Pro quo operæ-pretium est ingens illius periculum, imminentem versanti in delinquendi opportunitate ruinam, imò quasi impossibilitatem inter varias relabendi occasiones rectè subsistendi, sedulò exaggerare. Hanc profectò paucis, sed nervosis verbis attingit Sapiens: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Ideoque Propheta David proprio edoctus damno, stupendæ vinculorum peccati constrictionis non ignarus, cunctis peccatoribus, non tantum ea esse disrumpenda, verum etiam procul à se abjicienda inculcat: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Id est omnes à nobis rursus in idem peccatū reincidendi occasiones semoveamus, quæ perniciosi existunt laquei, quibus misera hominis anima ab astutis inferni venatoribus illaqueatur. Hoc apprimè agnovit, & deduxit Augustinus ex deplorando intrinseci amici sui Alipii casu, quem ex illo prolixè perplacet enarrare. *Cum aversaretur & detestaretur talia* (nimirum ludos digladiatorios) *quidam ejus amici & condiscipuli, cum fortè de prandio redeuntibus obvius esset, recusantem vehementer, & resistentem, familiari violentiâ duxerunt in amphitheatrum crudelium & funestorum ludorum diebus, hæc dicentem: si corpus meum in illum locum trahitis, numquid & animum, & oculos meos in illa spectacula potestis inducere? Adero itaque absens, & sic & vos superabo.* Ecce Alipius suæ planè confidens constantiæ, & animositati, indubitatam in hoc certamine sibi adscribebat victoriam. Sed heu! victus occubuit inquit Augustinus: *Gladiatorii spectaculi hiatu incredibili & incrediliter abreptus est.* Audite prosequentem Augustinum ac Alipii extremam ad resistendum diligentiam extollentem. *Ille etiam clausis foribus oculorum interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque utinam,* clamat Augustinus, *& aures obturasset.* Ecce oculos, quos pia mens occluserat, auditus reseravit, miserumque dejêcit. *Nam quodam pugnæ casu, cum clamor ingens totius populi eum pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus, quidquid illud esset, etiam visu contemnere & vincere, aperuit oculos? & percussus est graviore vulnere in anima, quam ille in corpore. Ceciditque miserabilius, quam ille, quo cadente, factus est clamor.* Et paulò infrà: *Ut enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit; & non se avertit, sed fixit aspectum, & hauriebat furias, & nesciebat, & delectabatur scelere certaminis, & cruensâ voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille, qui venerat, sed unus de turba ad quam venerat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit, abstulit indè secum insaniam, quâ stimularetur redire; non tantum cum illis, à quibus priùs abstractus est: sed etiam præ illis alios trahens.* Ecce quam magna ex minima labendi occasionis scintilla sæpè sæpiùs exoriatur iniquitatis flamma. Non se avertit Alipius à spectaculo, sed fixit intuitum, & summam secum indè abstulit insaniam.

Prov. c. 6. Vers. 28.

Psalm. 2. Vers. 3.

August. l. Conf. 6. c. 8.

Potentissimum hujus virus summoperè exhorrescens & extimescens patientissimus Propheta Job, salutari contra illud sese communivit antidoto. *Pepigi,* inquit, *fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarē de Virgine:* 70. Interpretes legunt: *Fœdus posui oculis meis, ut non intelligam super Virginem.* Ubi utrumque, tam internum mentis, quam externum visus scriptura tangit oculum. Verum quare tam exactum cum utroque pangit fœdus Propheta? Divinè respondet Glossa: *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem damnatio.* Et nonne hanc veritatem summo nostro damno in primæ matris nostræ Ævæ, reperimus nocivo lapsu? Ecce in vetitum arboris fructum curiosum conjicit oculum: & mox illius contemplatur bonitatem, atque pulchritudinem: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis.* Et confestim tacitè, & furtivè subintrat delectatio, *Aspectuque delectabile.* Hæc consensum extorquet, ille opus suadet: *Et tulit de*

Job. c. 31. vers. 1.

Gen. c. 3. vers. 6.

fructu illius, deditque viro & comedit. Et hinc tota humana miserè interiit posteritas.

Et quid quæso invictū virum Davidem, in quo sibi complacebat Dominus, prostravit? Quid eum in abominandum adulterium, & fraudulentum incidere fecit homicidium? Ah? non nisi unicus pulchræ Bethsabee intuitus, *Accidit autem, ut surgeret David de strato suo post meridiem: & ambularet in solario regio: viditque mulierem se lavantem*: Et ecce visum subsecuta delectatio: *Erat autem mulier pulchra valdè.* Delectationi peccandi accessit consensus, & de consensu processum ad opus. *Missis itaque David nuntiis, tulit eam. Quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum eâ.* Sic quoque attestatur Augustinus. *David ille sanctissimus vir vidit mulierem nudam, & adamavit eam, & statim homicidium simul fecit & adulterium.* Quod si unus pulchritudinis muliebris aspectus tantas in pio Davidis animo accendere potuerit flammas, si unius pomi intuitus miserè deceperit Evam, si tanta fuerit oculorum suorum Jobo custodiæ cura, quanta vobis, ô insulsi juvenes! habenda est in vestrorum oculorum gesticulationibus moderandis diligentia. An forsitan vos arbitramini, qui curiosos in plateis, in templis, & familiari conversatione in puellas convertitis oculos, earumque pulchritudinem contemplamini, immunes persistere posteà carnali commotione, atque interna delectatione; nec veremini colludentem concupiscentiam? Errat, errat quicumque hoc præsumit, & seriùs vereor cum Jeremia Propheta clamabit: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* (Visum enim sequitur delectatio) quia Jobi non institi vestigiis, quia cum oculis meis salutare non pepigi fœdus, ecce *deprædatus est animam meam.* Noli itaque tantum tuæ confidere fortitudini, sed Apostolum imitans: *Ab omni specie mala abstine*: id est, non tantum à peccato, sed etiam ab umbra fuge peccati, devita etiam minimam reincidendi occasionem. Sed heu! promiscuè oscula admittuntur, nec manuum pruriens consideratur attactus, & impudica sæpè sæpius à filiabus procis permittitur libertas. Et nonne ex hac nimia familiaritate resultat maxima in peccatum proclivitas? Unici tantummodò, sed omnium doctorum coriphæi adfero testimonium, quod non tantum laicos & sæculares, verum etiam apprimè tangit religiosos, & maximè presbyteros, qui duplicant ob evidens secutum delictum, scandalum: *Qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere virtutem, ignorant se apud Deum dupliciter reos existere, dum seipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum perversæ familiaritatis ostendunt.* Si rei duplicis (de occasione peccandi loquitur August.) qui sub eodem demorantur tecto, quid de concubinis dicet? Unicum tantum: *Coram Deo,* inquit, *& Angelis contestor atque denuntio præcipuè, temporibus Christianis concubinas numquam habere licuit, numquàm licebit.*

2. Reg. c. 11. v. 2. 4. — *Jer. Tren. c. 3. v. 51.* — *Ad Tessal. c. 5. v. 22.* — *Aug. serm. de temp. 243.*

Noverat Augustinus libidini, & concubinæ suæ totaliter addictus animæ suæ calamitatem, & nimiam sensualitatis in toties repetitum peccatum refundere propensionem; quæ eum tam arctis voluptatum stringebat vinculis, ut ipsemet ingenuè confiteatur, non conjugalem separationem, sed concubinalem, simulque suam deplorare dementiam. *Interea peccata mea multiplicabantur, & avulsa à latere meo, tamquàm impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat, concisum & vulneratum mihi erat, & trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat vovens ibi alium virum nescituram, ac ego infelix nec fœminæ imitator, dilationis impatiens, tamquàm pòst biennium accepturus eam, quam petebam: quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram.* Verùm audite quid ille magnus Doctor de tanto cœlestis gratiæ lumine sibi præstito dicat capite sequenti: *Tibi laus, tibi gloria fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, & tu propinquior aderas, jam dextera tua ereptura me de cœno & ablutura, & ignorabam.* Sed annotate concubinarii, quam viriliter August. non tantum fortissima consuetæ incontinentiæ diruperit vincula. *Nihil mihi,* inquit, *tàm fugiendum, quàm concubitum esse decrevi. Prorsus nihil hujusmodi quæro, nihil desidero. Cum horrore atque aspernatione recordor.* Verùm grave illius jugum a sese abjecerit, omnem fœminarum tam strictè evitans conversationem, ut etiam propriam sororem in ædibus suis commorari noluerit, teste Possidoro: *Par virginibus in continentiæ observatione, fœminarum intra domum suam nullam conversari fuerit passus, nequidem germanam sororem.* Et efficacem subnectit rationem: *Nam amor spiritualis generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris sæpè generat carnalem. Et fit id, quod reprehenditur à Paulo, ut, cum spiritu quis cœpit, carne consumat.* Audite hoc, inquam, luxuriosi, qui ante pedes confessarii lachrymamini, gemitis, & virtute sacramentalis confessionis libidinis vincula, ut apparet, disrumpitis, verùm, in domo vestra concubinam

Aug. l. 6. conf. c. 15. — *Cap. 16.* — *Aug. l. 1. Solil. c. 10.* — *Possid. c. 26.*

binam retinentes, jugum ipsius minimè abjicitis: sed è contra in proxima relabendi in idem crimen occasione versamini. Ah quam periculosa, quàm vana similis confessio, quam inutiles gemitus, quam inanes lachrymæ! audite quid de hujusce modi pœnitentibus dicat S. Thomas à Villa nova *Sunt etiam qui teneritudine quâdam animi, pro commissis gemitus imo pectore mittunt, & oculorum fonte lachrymas affluenter effundunt, sed nullo animi vigore peccati jugum à se abjiciunt: statim enim post lachrymas (non derelicta nimirum peccandi occasione) redeunt ad plorata. His à Christo dicitur, tolle lapidem. Quasi dicat, placet, quod commissa ploratis, sed deplorata non repetatis. Qui enim lavatur à mortuo, & iterùm tangit mortuum, quid illi profuit ablutio? peccator rediens ad peccatum, sicut qui abluit laterem, abluendo enim amplius sordidatur. Vndè contingit eis illud verè proverbii: canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

Th. à Villa nova fer. 6. Dominicæ 4. Quadr.

Si ergò velis dignoscere homo, utrùm veras effundas lachrymas, Deoque gratas, utrum debitâ ad Sacramentum pœnitentiæ accedas contritione, an efficax emendandæ vitæ habeas propositum? Conscientiam, animamque tuam sedulò examina cum Samuele interrogante populum Israeliticum: *Si in toto corde vestro convertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri.* Inspice inquam, an Deos alienos, id est, omnia peccata tua è corde & affectu tuo ejeceris: perscrutare, an Deam alienam, scilicet concubinam tuam è domo expuleris, vel ad minimum mox expellere sis paratus. Indaga, si omnem peccandi prorsus ex animo detesteris occasionem. Quod si non, certus esto te manere, inposterum non reiterandi peccatum habêre propositum, & nullam à commissis culpis recipere absolutionem. Etenim jugum peccatorum procul à nobis abjiciendum est. Sequere itaque ô Christiane pœnitens! salutarem Innocentii Papæ doctrinam: *Fuge personam suspectam, locum idoneum, tempus aptum, & quidquid est opportunum ad faciendum peccatum: quia sicut est difficile in igne esse, & non ardere: ita difficile habere opportunitatem peccandi, & non peccare.*

1. Reg. c. 7. vers. 3.

Verum modò, omni Christiano necessarium fore minimam peccandi devitare occasionem, evidenter è scriptura deducamus Jacob Genesi cap. 35. specialiter admonitus à Deo, ut derelictâ suâ habitatione, in Bethel ascenderet, ibique altare Domino sacrum ædificaret, antequam tam pium aggrederetur opus, totam suam familiam ad exactam adhortatus est conscientiæ munditiam: *Iacob autem convocatâ omni domo ait: abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Cujus monito adeò præcisè cuncti obtemperârunt, ut ultra Jacobi mandatum plura præstiterint. Dicit enim Scriptura: *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Sed quid de his ô sanctissime Patriarcha! facere prætendis? Ubi tam idola, quàm pretiosa condides monilia? Ah! Ah non nisi terræ. *At ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.* Interrogem modò te, quo id faciendi instigaris motivo? Quare ea non reservas? Mehercule apprimè edoctus erat Jacob in sana Dei sui schola, noverat ipse quanto cuicumque homini minima peccandi occasio foret detrimento, & discrimini; cui malo obvians omnem amovit lapidem offensionis, eaque in terra abscondit, ne scilicet eorum inposterum ex visu reviviscerct reminiscentia, & ad idolorum rursus cultum daretur reditus.

Gen. c. 35. Vers. 2. — Vers. 4. — Vers. 5.

Et sane prudenter: quid enim prodest peccata detestari, & peccandi arctè occasionem amplecti? ô peccator! tibi indubitanter id accidet, quod olim Philystæis. Hi, ut vires Sampsonis enervarent, crines capitis illius radebant, sed radices non evellebant. Quo factum est, ut paulatim crescentibus capillis, pristina ejus redierit fortitudo, quæ cunctorum Philystinorum Principum totalis exstitit ruina. Cum enim ipsi cum mulieribus splendidè coràm ludente Sampsone epulabantur, ipsúmque ludibrio exponebant, is, ut narratur Jud. cap. 16. *Apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram lævâ tenens ait: moriatur anima mea cum Philistiim, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.* Tu ô peccator! dum salutare pœnitentiæ accedis Sacramentum, sumis tibi gladium, inquit Ezechiel, radentem pilos, aufers verâ confessione (ut apparet) omnis mortalis noxæ capillos: verùm radicem non extirpas, nec diligenter peccandi evitas occasionem, sicque præsto est in eadem crimina reincidiva, & æterna animæ ruina. Quæ quanta hominis sit dementia, egregiè demonstrat Innocentius in hunc Davidici Psalmi locum, *putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Quid insipientius, inquit, peccatore, qui & cognovit facinus, & committit præcipitans se scienter in mortem? Certè brutum animal,*

Jud. c. 16. v. 29. 30. — Psalm. 37. v. 6.

mal, si videt foveam, declinat ab ea, ne labatur in illam: & si forsitan alicubi difficultatem incurrit non potest illuc sine difficultate reduci. Homo verò ab illicito semper allicitur, & in delitiis jugiter delectatur. Et hanc animæ tuæ incuriam vivum tib ô peccator, ad oculum exponet exemplum. Dic mihi obsecro, si videres Dominum cujusdam domus, cujus tectum pluribus in locis apertum est, ingruente pluviâ, diversa vasa supponentem, ut aquam dilabentem excipiant, & post è fenestra eam ejicientem, nonne, ut inanem hanc illius exploderes diligentiam? Indubiè. Etenim hæc minimè impedit, quò minùs novâ accendente pluviâ, rursus aqua in domum incidat. Necessarium itaque & prudentis viri esse judicas tecti foramina occludere, ut aqua pro semper à domo arceatur. O stulte & insane pœnitens! quid tibi prodest toties Sacramentali confessione peccata tua expiare? Quid juvat aquam iniquitatis è corde tuo ejicete, si non obtures foramina & introitus portas, si non devites omnes peccandi occasiones, quæ te infallibiliter ad relapsum pertrahunt; sicque gravius vetere, animæ tuæ vulnus infligitur. Non sic, ô peccator! expergiscere de gravi hujus negligentiæ somno, sume confessionis ac pœnitentiæ gladium, & rade non tantum peccatorum tuorum capillos, id est, non tantùm tolle noxam, verùm etiam radicem extrahe, omnemque prorsùs effuge relabendi ansam.

Hoc, hoc luculenter te docuit Propheta David, ut registratum reperimus in sacra Scriptura 1. Reg. cap. 26. ipse à perfidis proditus Zephæis, cognito per speculatores regis Saulis exercitus adventu: *Ait ad Ashimelech Hathæum & Abisai filium Serviæ, fratrem Ioab dicens: quis descendet mecum ad Saul in castra? dixitque Abisai ego descendam tecum. Venerunt ergò David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientē in tentorio.* Cunctis quidem, ut Scriptura testatur, obdormientibus. Quâ Abisai visâ opportunitate Davidem acriter ad vindictam stimulavit, & ut sese de manu sua in persecutorem ulcisceretur, est adhortatus. Verùm ipse ab ea piè abstinuit dicens? *Propitius sit Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* Attamen Propheta mysterioso usus est stratagemate, auferens hastam Saulis capiti proximam, scyphumque aquæ: *Tulit itaque David hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul & abierunt.* Verum in quo hic latet mysterium? Profectò non in hastæ & scyphi ablatione, sed in illius ad Saulem remissione, & hujus retentione.

1. Reg. c. 26. v. 6. 7

vers. 11.

Accusatâ namque Abner Ducis militiæ invigilantia, hastam restituit, scyphum verò retinuit: *Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis.* Hunc locum, hanc restitutionem maturè perpendens Chrysost. curiosè indagat, cur hasta, & non scyphus remittatur. Utrumque enim ablatum æqualiter subjectum videtur restitutioni. An forsitan quispiam Davidi infamem inurere auderet vilis avaritiæ notam? Hoc neutiquàm credo. Quid ergò sub rudi literalis hujus scripturæ sensu & cortice latet mysterii? Quodnam obsecro pius David habuisse potuit motivum arma regia remittendi, hastam verò penes se conservandi? Ah quis nobis semitas ostendet hunc labyrinthum evadendi? Sanè ipsemet scripturæ textus, qui securum inquit S. Chrysostomus, ad instar Ariadnæ Theseo errabundo offert filum. Hunc locum non litteraliter, sed quàm maximè moraliter ipse intelligens, curiosè annotat execrabilem Saulis in benefactorem David ingratitudinem registratam libro 1. Reg. capite 18. *Post diem autem alteram invasit spiritus Dei malus Saul. David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies, tenebatque Saul lanceam. Et misit eam, putans quod posset configere David cum pariete. Et declinavit David.* Ex quo factum est, ut ferrum lanceæ in parietem impingentis incurvatum fuerit. Advertens itaque prudens David illam ipsam lanceam, quâ eum perfodere tentavit, veritus, ne quandoque ejus intuitus efficax foret vindictæ irritamentum, illam ab oculis removit, & ad Saulem remisit; scyphum, antiquitùs amicitiæ & pacis habitum Symbolum (eò quod inimici, dum invicem reconciliabantur amico, haustù alter alterum salutaret) penes se retinuit, ut vindictæ immemor, infestissimo hosti suo condonare ostenderet. Hunc conceptum non ex meo effingo cerebro, sed ex solida Divi Chrysostomi haurio doctrina dicentis: *David sapientissimus hastam non scyphum aureum regi restituit, ne dum illam præ oculis & manibus haberet, injuriæ, quam adversus ipsum Saul fecerat recordaretur.* Apprimè enim noverat, quàm periculosa sit peccandi occasio.

vers. 23.

1. Reg. c. 18 v. 10. 11.

Ex hoc Davidis exemplo & accurata cautela, pro iis pulchra deducitur admonitio, qui in scriniis & cistis vestimenta occisi patris, fratris, vel propinqui adhuc sanguine tincta conservant, docenturque etiam cum Davide perniciosam hanc devitare temeritatem. Quoniam ex eorum intuitu natum est resuscitari pravam in homicidam ulciscendi cupi-

di cupiditatem, & per consequens certam imminere animæ ruinam. *Majus enim*, inquit Bernardus, *miraculum est inter vehementes peccandi occasiones non cadere, quàm mortuos resuscitare.* Hinc divinè cunctos Augustinus adhortatur Christianos aureis hisce verbis: *In occasione peccandi apprehende fugam, si vis invenire victoriam, nec tibi verecundum sit fugere, si palmam desideres obtinere.* Et optimè sanè nos admonet Augustinus proprio damno exitiale oportunitatis delinquendi expertus venenum; de se enim ait: *Nesciebam, & præceps ibam tantâ cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quàm magis turpes essent: & libebat facere non solùm libidine facti, verumtamen laudis. Quod dignum est vituperatione, nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam: & ubi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse, quod non feceram: ne viderer abjectior, quò eram innocentior: & ne vilior haberer, quò eram castior.* Ecce in quæ mala unum Augustinum perniciosa traxerit peccandi occasio, nimirum pravum dissolutorum juvenum exemplum & consortium.

Bern. serm. 65. in Cant.

August. serm. 250 de tempore

Aug. lib. 2. Conf. c. 3.

Ad præsentem discursum parumper prolixiùs prosequendum, instituto nostro non absonum fore arbitror, tria sacræ Scripturæ loca, quæ aliquam inter sese primâ fronte involvere videntur repugnantiam exactè & minutim enucleare. Primus registratus est apud Evangelistam Matthæum cap. 8. ubi narratur, quod quidam adolescens (divinâ indubiè inflammatus Christi evangelizatione atque doctrinâ) salutari ejus sese decreverit adjungere consortio. Quod tamen, antequam exequeretur, memor paterni cadaveris recenter mortui, & nondum inhumati, filialem in patrem volens demonstrare affectum, Christo Domino hunc obtulit libellum supplicem: *Domine permitte me primùm ire & sepelire patrem meum.* Sed audite, quid replicet Jesus: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos* Omnem planè sequendi moram præscindens. Quod suo nequaquam carere autumo mysterio. Dum secundum locum inspicio 3. Reg. cap. 9. ubi refertur Eliam Eliseum in campo repertum in sui itineris socium, simulque Dei Prophetam sibi adscivisse: *Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Magnam utique illum sequendi voluntatis ostendens promptitudinem. Verùm quod hic maximè notandum, adinstar istius adolescentis reditum ad patrem expostulavit, petiitque aliqualem temporis moram, ut patri ac matri valedicere posset. *Osculer patrem meum & matrem meam, & sic sequar te.* Sed attendite, quid ad hoc respondeat Elias: *Vade & revertere.* Hic obstupesco & hæreo, & quomodo ex hoc intricato evadam labyrintho vix video. Ecce quod magister negat, servus annuit, ille ait: *Sequere me*; hic, *vade & revertere*, adolescens pium sepeliendi mortuum & quidem patrem opus patrare desiderat, & justam pro defuncto persolvere pensionem, Elisæus osculis ac ultimâ valedictione patrem & matrem honorare prætendit, opus longè sanè in ratione meriti altero inferius, attamen hoc ab Elia permittitur, & alterum à Christo rejicitur.

Matt. c. 8 v. 21.

vers. 22.

3. Reg. c. 19. v. 20.

vers. 8.

1. Reg. c. 18 v. 1. 0. 11.

Antequàm hunc implicatum nodum dissolvamus, aggrediamur tertium locum Matth. cap. 5. ubi Evangelista mirum quid & stupendum de quodam obsesso, à Christo liberato, commemorat. Is namque pristinâ omninò receptâ salute, ne forsitan quandoque tanti beneficii immemor, Domino foret ingratus, illius comitatui instantissimè expostulavit annumerari: *Cumque ascendisset navim, cœpit illum deprecari, qui à dœmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.* Quod absolutè renuit Christus: *& non admisit eum, sed ait illi, vade in domum tuam ad tuos.* Hic totaliter attonitus Ambrosius exclamat: *Cur non recipitur liberatus, sed domum abire jubetur?* Ecce ubi lumen sperabam, densioribus involvor tenebris, difficilior namque hic cæteris apparet locus. Etenim nonne Christus potenti divinâ suâ voce, defessos piscandi labore, quiescentes Apostolos ad suam invitavit & attraxit sequelam? *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Nonne Matthæum sub gravi avaritiæ jugo in telonio succumbentem divino suo intuitu ad Apostolatum allexit; Quomodò ergò modò obsessum illum sequi desiderantem & rogantem repellit, domumque remittit, *vade in domum tuam*? Ah inquit Ambrosius, in mysteriosa hac repulsa pulcherrima pro cunctis Christianis latet doctrina. Docet namque hic mano zelo, diligenti curâ, non tantùm vanam gloriam fore detestandam, verùm omnes prorsùs illius peccati præscindendas esse occasiones: ad cætera sapienti relinquens argumentandi modum. Hinc, ne ex liberati à dœmonio consortio patrati miraculi reminiscentia renovaretur, illud occultare & totaliter sepelire volens, illum domum remisit. Et hunc Ambrosii conceptum apprimè confirmat

Matth. c. 5 v. 18. 19.

Chrysost.

Chrysost. sese reflectens super stupendam fœtidi quatriduani Lazari resuscitationem, annotansque hæc Christi verba, *solvite eum & sinite abire. Intuere*, inquit, *quod nullam gloriam expectat, non ducit secum mortuum, id est Lazarum, non jubet secum esse, ut rem ostentet facto miraculo.* Etenim, si resuscitatus, Christum verbum Dei deprædicantem per totam Judæam fuisset comitatus, indubiè populus summa cum affluentia ad eum videndum accurisset, Christumque tanti prodigii Auctorem indigitasset, quod ut impediretur, Lazarum abire jussit, nobis seriò hoc facto inculcans, magnâ cautelâ opus esse in devitandis peccandi occasionibus, quæ fragilem hominem, ad malitiam pronum, potenter ad lapsum trahunt. *Majus enim est miraculum inter vehementes peccandi occasiones non cadere, quàm mortuos resuscitare.* Et ob idem motivum prudentissima illa matrona Judith cuncta Holofernis spolia à populo oblata recipere noluit, sed ut ait Scriptura: *Porrò Iudith universa hac obtulit in anathema oblivionis*, vetita, ne ex eorum intuitu victoriæ contra Holofernem memor, in animo suo extolleretur & superbiret. Sic Rupertus: *Omnia quæ fuerunt Holofernis, in anathema oblivionis obtulit Iudith, ne ex ipsis spoliis occasionem haberet de Holofernis victoria superbiendi.* Iudith c. 16.

Ex hoc genuina primæ suprà tactæ difficultatis innotescit solutio. Quod enim Dominus omnem juveni sequendi dissuasit moram: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*: Minimè admirandum est; quoniam meritò Christus regressum ad domum mortuariam, ut periculosum detestabatur: verebatur enim, ne adolescens, visa ampla patris defuncti hæreditate, favorabili inspecto testamento, prædiisque quamplurimis abundantibus fructibus repletis ditatus, tenaci insatiabilis avaritiæ visco caperetur, & potenti concupiscentiæ divitiarum catenâ constrictus, à pio Dominum sequendi proposito amoveretur. Quæ occasio, ut evitaretur, reditum ei denegavit, & promptam imperavit sequelam, docens cunctis, nocivas omnis peccati effugiendas esse occasiones.

Et simile in Elisæo non subfuisse periculum, imò salutarem ipsi ad domum paternam extitisse regressum, ideoque optimè dixisse Eliam: *Vade & revertere*, constat ex ipso textu, ut curiosè annotat Doctissimus Abulensis. Refert scriptura Elisæum, derelicto Elia, amicis suis pro valedictione forsitan mysteriosum extruxisse convivium: *Tulit par boum, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo & comederunt: quo peracto, consurgens abiit, & secutus est Eliam.* Hic obstupesco cum Abulensi & peto, cur ô Elisee! amicis tuis tam duram coquis carnem? Cur teneram aviculam, vitulum saginatum, aut alios delicatos cibos iis non apponis? Deinde quare aratrum tuum igni devoves? An forsitan alia tibi desunt ligna? id minimè credendum. Cur igitur illud tam inutiliter, quod terræ arandæ deservire poterat, comburis? Audite quid respondeat Abulensis. *Mactavit par boum, faciens solemnitatem omnibus amicis & cognatis suis, quia nunc recedere volebat, numquam rediturus ad statum eorum, & in aratro boum coxit carnes. Hoc fecit non tamquam alia ligna non haberet, sed quia transire volebat ad Dominum, omnino volebat renuntiare sæculo, ita ut nihil relinqueretur in illo, quod ad se pertineret.* Ecce prudens Eliseus, ne fortè ex boum aratrique reminiscentia ab Eliæ sequela ad pristinum alliceretur statum, omnes præscindendas judicans occasiones, illos comedendos exhibuit, illud verò combussit. Bene ergò Propheta ait: *Vade & revertere.* vers. 21.

Ecce ô Christiani! audivistis ut credo sufficienter, quàm periculosum animæ sit peccandi occasionibus inhærere: imò miraculum in iis non labi. Eja ergò cum vestras ab omnis peccati macula, Sacramentali mundaveritis confessione, dum exuistis veterem hominem, & induistis novum: *Estote prudentes sicut serpentes* Evitare in idem peccatum relabendi occasiones, fugite locum in quo peccare consueveritis, evitate personam, cum qua quandoque congrediebamini inhonestè, abhorrescite tanquàm à peste, à depravato consortio, quod vos quantoties ad peccandum incitavit, & ad lapsum pertraxit: ut sic ad gratiam sanctificantem divino erecti adjutorio in ea perseverantes & morientes, mereamini æternæ beatitudinis optatum præmium, quod mihi & cunctis concedat, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Amen. Matth. c. 17. v. 5.

❧(○)☙

DOMI-

DOMINICA II.

Quadrageſimæ.

Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè.
Matth. cap. 17.

Quàm plurimi Sacræ Scripturæ Interpretes aſſumptum pro præſentis diſcurſus themate perſcrutantes locum, genuinam ingentis timoris Apoſtolorum indagant rationem, atq; in ea reddenda multùm diverſificant; dum hi divinâ patris cœleſtis voce: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, illos conſternatos autumant. Illi verò eos inexplicabili faciei ac oculorum Chriſti ſplendore fuiſſe perterritos judicant. Ego modò ſententiæ divi Auguſtini & Gregorii adhæreo, qui aſſerunt Chriſtum Dominum in monte Thabor apparuiſſe in ea poteſtate & majeſtate, quâ venturus eſt judicare vivos & mortuos: non in qualitate pii redemptoris, ſed rigoroſi judicis. Quod iis tantum incuſſit pavorem, ut in terram ceciderint. Et meritò, etenim, ſi Romani olim viſo clementiſſimi Cæſaris Veſpaſiani, veri omnis manſuetudinis exemplaris, pietatem ob aliqua execranda crimina præter conſuetudinē in magnam converſam eſſe indignationem, totaliter perterriti exclamârint. *Væ nobis, quia in indignationem converſa eſt pietas*: Nonne formidabili & horrendo ſpectaculo extremi judicii Apoſtolis exhibito, atque annotato, manſuetum in ſeverum, pium in crudelem, miſericordem in juſtum fore commutatum, ipſi ſummo cum fundamento in terram prolabentes (cunctis Chriſtianis hujus tragœdiæ incutientes timorem: *Transfiguratus eſt*, exuit miſericordiæ & pietatis habitum, & induit ſtrictæ ſeveritatis judicium) tacitè dicunt: *Væ nobis, quia in indignationem converſa eſt pietas?* Ad juſtâ trutinâ hujus pavoris ponderandam rationem cum Auguſtino (cujus irrefragabili innitimur authoritati) binos Chriſti Domini oportet oculatim inſpicere adventus.

Matth. c. 17. v. 5.

Chriſtus, inquit Auguſtinus, è cœlo deſcendens induit miſericordiam, divinæ ex toto rigore ſatisfacturus juſtitiæ, ac proindè venit in mundum ad inſtar regis pacifici & clementis, teſte Eccleſiâ canente: *Rex pacificus magnificatus eſt, cujus vultum deſiderat univerſa terra.* Et Apoſtolo ad Titum: *Apparuit benignitas & humanitas ſalvatoris noſtri Dei* quaſi ſequens ait Auguſtin. Ariſtippi veſtigia. Qui (ut veteres referunt hiſtoriæ è propria ſingulari in Socratem amicum amore ad alienam attractus patriam, Dionyſio Siciliæ Tyranno ſuam obtulit mortem, ſimulque tanti itineris adjunxit rationem: *Veni, ut quod habeam, amico impertiar.* Nimirùm vitam. Et recipiam, quod ipſe non habet. *Et ut, quæ non habet, accipiam*, ſcilicet necem. Haud diſſimiliter, propriâ cœleſti derelictâ regione, pius in mundum deſcendit Dominus, ut homini divina ſua, quæ habebat, amico elargiretur dona, gratiam ac ſpiritualem vitam, ſimulque id, quo ipſe carebat, reciperet. Videlicet mortem atque acerbiſſimam paſſionem. *In iſto maligno ſæculo*, inquit Auguſtinus: *quid aliud abundabat, niſi naſci, laborare, & mori? Et dedit, quæ hic non erant renaſci, reſurgere, & in æternum regnare; adeò, ut venerit ad nos cœleſtis negotiator accipere contumeliam & dare honorem: haurire ignominiam & dare gloriam.* O amor ineffabilis! ô pietas incomprehenſibilis!

Epiſt. ad Titum c. 2. verſ. 4.

Sed heu in ſecundo adventu, in tremendo illo extremi judicii die transfiguratus erit, placabili exutâ miſericordiæ formâ, & indutâ rigoroſæ juſtitiæ imagine, reddens unicuique ſecundùm opera ejus, atque comparens non in qualitate benigni Salvatoris, ſed æqui judicis. Audite horrenda de hoc Chryſoſtomi verba: *Sicut tempus miſericordiæ judicium non ſuſcipit, ſic & tempus judicii miſericordiam non recipit.* Et ſubjungit: *In primo adventu, cum tempus eſſet miſericordiæ ait, non veni judicare, ſed ſalvare, oſtendens, quod cum venerit in ſecundo adventu judicii tempus, ſimiliter miſericordia locum non habebit.* O tremor! ô horror! ah formidabilis transmutatio, & horribilis transfiguratio! heu exaltemus vocem & clamemus cum Romanis; *Væ nobis, quia in indignationem converſa eſt pie-*

est pietas! De hoc tremendo die in præsenti mens est discurrere, aliquasque solidas justi timoris rationes in medium producere, invocatâ tamen Spiritus S. assistentiâ per Mariæ Virginis intercessionem, divinis pro illa D. Thomæ à Villa Nova de eadem tractaturi materia verbis eam deprecantis.

Conc. 1. adventus

Judicii finalis seriem, modumque dicturus, te deprecor alme spiritus, nostris ex alto illabere mentibus, ut tanto mysterio digna censeamus, pleno eloquio pervadamus. Da sermonem rectum & bene sonantem in os meum: personetque ab ore meo, velut à tuba, populo Dei eloquium tuum: ut timeant mala aures audientium idem, & convertantur ad te Domine. Ne sicut viventes in die illa absorbeat eos furor tuus. Hoc summe Deus sanctæ Virginis precibus exoratus, cujus pium suffragium devoâ mente, flexis genibus imploremus dicentes. Ave gratiâ plena &c.

Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.

SAnè superfluum videtur (ut fateor) homini judicando in extremo judicio æquum incutere terrorem, quandoquidem inanimata & insensibilia neutiquàm condemnanda, ab ipso die plurimùm abhorrescant. *Erunt*, inquit Lucas *signa in sole & luna & stellis.* Et cap. 23. *obscuratus est sol*, quod confirmat Matth. *Sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum.* Idem dicit Joël, *luna convertetur in sanguinem.* Additq; rursùs Matthæus, *stellæ de cœlo cadent.* Universa quoque contremiscet humana natura tàm stricti judicii concussa timore, teste scriptura: *Arescent præ timore homines* Luc. cap. 21. v. 16. præsagoque Propheta Malachiâ *dicit Dominus exercituum. Ecce venit, & quis poterit cogitare diem adventus ejus?* consternabuntur in gratia confirmati Angeli: *Virtutes cælorum commovebuntur.* Tam horrendam S. Thom. à Villa Nova contemplans totius universi commotionem, utilissimam pro cunctis Christianis ex Davidico Psalmo 74. eruit admonitionem, *Dixi iniquis, nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite exaltare cornu vestrum, nolite loqui adversùs Deum iniquitatem.* Monitique petens motivum addit: propter quid? O Propheta! qua de ratione? & respondet è Sacro textu: *Quia neque ab oriente, neque à desertis montibus* (scilicet fuga vobis patet) *quoniam Deus Iudex est.* Et in omnes peccatores invectivam ex hac præmissa elicit consequentiam Thomas: *Sub tanto ergò Iudice quis audet peccare, qui omnium judicandorum & Iudex & testis est: & quem nulla scelera nostra latent. Columnæ cœli contremiscunt ad nutũ ejus, respicit terram & facit eam tremere: montes & rupes: sicut cera liquescunt à facie eju:* Et infrà: *quis igitur coram illo juri suo innitetur? Quis se justum audebit asserere?* Et paulò post: *propter hoc Propheta regius, nomine & voce filiorum Adam ad patrem supplicat dicens: Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.*

Luc. c. 21. v. 25. 45. Mat. c. 24. Ioel. c. 2. vers. 31. Malach. c. 3. v. 2. Matth. c. 24. v. 22. Th. à Villa Nova conc. 1. Advent. Psal. 74. v. 5. 6. 7. Psal. 1[illegible]

Sed quid inde ô Propheta peccatori elucet emolumenti, quid indemnitatis fundatæ spei? An Christus homo, hominis redemptor & salvator, ei aliquam adferet fiduciam? Sic, sic videtur insinuare S. Thom à Villa nova hisce verbis: *Quis est, qui condemnet Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quomodo condemnabit interpellator, qui, ne damnaret, ipse mortis subiit damnationem? Quando Salvator damnabit, quos morte redemit? Aut quando advocatus in clientem suum poterit esse damnator?* Sed heu quantum inde terroris judicii emergit augmentum! quia in indignationem conversa est pietas. Ille qui abjectus & humilis cruci affixus fuit, hominem redempturus, eum, glorificatus cum majestate magna juxtà delicta est judicaturus; ille, qui pius exstitit salvator, criminum strictus constituitur castigator, & rigorosam sine ulla misericordia cogitur in reos promulgare sententiam.

Numquam ô curiosi Sacræ Scripturæ lectores! annotastis, Spiritum S. tractantem de Christo Domino in qualitate supremi judicis, illi semper (& sane non sine mysterio) nomen hominis attribuere? Matth. cap. 25. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Et Apocal. cap. 1. *Et conversus vidi septem candelabra aurea: & in medio similem filio hominis.* Imò Sacra Scriptura clarissimè attestatur, Christum supremum vivorum & mortuorum constitutum esse judicem, eò quod filius hominis sit. Joan. cap. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est,* & Joan. 16. *filius enim hominis venturus est.* Quod sane non absque magno Sacramento continuò Spiritum S. addidisse autumo. Quod, ut nobis innotescat, oportet notabilem, quam Juristæ inter judicem delegatum & absolutum agnoscunt, differentiam ruminare. Asserunt hi delegatum in dijudicandis reis nullatenùs pollere potestate, & authoritate pœnam relaxandi, aut dandi locum misericordiæ; sed

Matth. 25 vers. 31. Apoc. c. 1. v. 13. Ioan. c. 5. vers. 27.

ſed debere *ſecundùm allegata & probata judicare.* Unde Auguſt. rectè ait: *non poteſt de legibus, ſed ſecundum leges judicare.* Econtrà verò abſolutus Judex & Dominus plenipotentiarius: *Poteſt de legibus judicare,* id eſt, *in legibus diſpenſare.* Deus itaque ad iracundiam tot enormibus, execrandis, ac abominandis depravati mundi ſceleribus provocatus, ſcaturienti obturato pietatis & miſericordiæ fonte, tandem ea exactè, atque rigorosè caſtigare decernens, Judicem delegatum conſtituit Jeſum Chriſtum, hominis filium, ut ſecundùm allegata & probata, ſententiam in impios ferat: *Delegatam,* inquit Scotus, *poteſtatem ſibi à tota Trinitate accepit.* Cujus rationem adducit Baſilius, *reveritus ſiquidem Deus ardorem pietatis ſuæ.*

Ex quo genuinam & fundamentalem ingentis Joannis & Abacuc terroris, atque pavoris penetro rationem; ille in myſterioſa quam narrat Apocal. c. 1. viſione, Hic ſeſe ex ſolo hominis intuitu adeò fatetur fuiſſe perterritum, ut dicat: *Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus, tanquam mortuus.* (*Apoc. c. 1. v. 14.*) Haud diſſimili timore percuſſus fuit in certa quadam viſione Propheta Abacuc c. 3. *Audivi & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea.* (*Abac. c. 3. v. 16, 17.*) Verùm quæ vox tam terribilis, ut tantum incutiat horrorem? Ah profectò non niſi hæc! *Surgite mortui, venite ad judicium.* Properate impii, nunc tempus eſt vindictæ, præteriit tempus miſericordiæ. Ut & egregiè inculcat Auguſt. Divinam hanc proferens ſententiam: (*Aug. lib. 1. 3. de Symb.*) *Ille judex nec gratiâ prævenitur, nec miſericordiâ inflectitur, nec pecunia corrumpitur, nec ſatisfactione, vel pœnitentiâ mitigatur. Hic dum tempus habet, agat anima pro ſe pœnitentiam, quam diu locus eſt miſericordiæ, quia erit locus Iuſtitiæ.* Et cunctis dicetur, reddite rationem villicationis veſtræ. (*Matth. 25 verſ. 31.*) Sed heu! quid villicus reſpondebit, dum deſinet pietas: *Tunc mentietur opus olivæ* ad quod Auguſt. ait: (*Apoc. c. 1. v. 13.*) *ramus olivæ Symbolum eſt pietatis & miſericordiæ.* Sed heu! rurſùs repeto, evaneſcet tunc oliva, ſcilicet in tremendo illo judicio, divina miſericordia ſalutarem gratiæ deſiſtet diffundere ſuccum: tunc, ut abſoluta Domina, rigoroſa triumphabit Juſtitia. (*Ioan. c. 5. verſ. 27.*) Meritò itaque conturbatur & contremiſcit Abacuc. Et eadem Joannis timoris eſt ratio. Audite quid dicat; *Vidi ſimilem filio hominis præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.* Cingulum ſive zona certiſſimum eſt juſtitiæ, ſecundùm Hieroglyphicos Symbolum, mamilla verò miſericordiæ. Sed ô terror! ecce juſtitia in horrenda hac tragœdia miſericordiam cooperiet, eique plane prædominabitur. *Iuſtitia cingulum lumborum ejus.* Non abſque magna itaque ratione ait Evangeliſta: *Cecidi tamquam mortuus.* Sed quid hoc ô Joannes, ô Abacuc, timeant ſcelerati, paveant rei, contremiſcant impii. Quid vos ſancti & juſti trepidatis? attendite, quid dicat Chryſoſtomus: *Tantus tunc timor erit omnium etiam ſanctorum, ut nemo ſperet ſe juſtum inveniendum, ſed adhuc quaſi timent, ne rei exiſtant,* juxtà id quod cantat Eccleſia. *Dum vix juſtus ſit ſecurus.* Et rationem ſubjungit: *quia tempus judicii miſericordiam non recipit. O timor! O horror?*

Hic quiſpiam curioſè poſſet inquirere, cur Deus illam mundi dijudicandi Angelis (qui ſæpiſſimè divinæ vindictæ exſtitêre inſtrumenta, ut patuit in deſtructione Sodomæ, & deletione exercitus Zennacherib) non demandârit poteſtatem? Etenim & ipſi tùm tamquàm delegati judices debuiſſent ſecundùm allegata & probata judicare. Ad hoc quæſitum rectum eruemus reſponſum ex pulchra quadam, quam Seneca de Platone narrat, hyſtoriola. Is ob enorme quoddam crimen in ſervum ſuum ſummoperè ſtomachatus, veritus, ne præ nimia ira punitionis modum excederet, ut mitiùs tractaretur, per alterum famulum eum caſtigari juſſit dicens: *Heus tu ipſe Euſippe hunc punias, ego etenim iraſcor.* Contigit verò paulò poſt illum in idem delictum incidiſſe, quo viſo, Euſippus accurrit rursùs eum condignâ pœnâ puniturus; verùm Plato id ei inhibuit his verbis: *Siſte tu, dignus eſt iſte nunc non irâ tua, ſed irâ tota mea.* Idem continget in horrendo illo judicio: Benignus Deus, qui depravatos hominum mores olim tum per creaturas irrationales, tùm rationales, aliaque diverſa media juſtè, ſed & miſericorditer correxit: tunc ſeverè & abſque miſericordia punire ſtatuit. Fateor cunctæ creaturæ ad injurias creatori ſuo illatas vindicandas armantur atque exurgunt: *Pugnabit,* inquit Sapiens, *orbis terrarum contra inſenſatos.* (*Sap. cap. 5. v. 12.*) Sed eos cohibet divina juſtitia teſte eodem: *Impiis & peccatoribus Dominus reddet vindictam, cuſtodiens eos in diem vindictæ.* Ad quod divinè ait Hieronymus: *Cuſtodient eos in diem vindictæ à punitione creaturarum, & hoc, non propter parvitatē pœnæ, ſed ut magis ipſemet in eos animadverteret & ulciſceretur.* Clamat itaque Deus ad omnem creaturam ad inſtar alterius Platonis ad Euſippum *ſiſte tu: dignus es peccator nunc non ira tua, ſed ira tota mea.* O terribile judicium! ô formidabilis ſenten-

Sophon.c. 1.vers.14.
Ezech.c. 21.v.67.

sententia! ah quàm rectè dixit Sophonias? *Vox diei* (nimirum ultimi judicii) *Vox Domini amara.* Et sane tam amara, ut profundos ex intimis Prophetæ Ezechielis cordis penetralibus de divino mandato eliciat gemitus: *Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te: quare tu gemis? Dices pro auditu* Verùm quis tam horrendus auditus? Subjungitur: *Quia venit & tabescet omne cor, & dissolventur universæ manus, & infirmabitur omnis spiritus.*

Apoc.c.6. v.16.17.

Imo in tantum miserorum peccatorum pavor incrudescet, terror augmentabitur, ut præ angustia dicturi sint montibus & petris teste Joanne: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Sed quid? Ab ira Agni veri mansuetudinis hieroglyphici tantus terror, tanta consternatio? Hoc neutiquam capio. Pro quo enodando operæ pretium est, imò necessarium aliam visionem, quam habet Joannes Apocalypsis cap. 5. enucleatim examinare. Ubi narratur eum quodam tempore vidisse librum sigillatum sigillis septem,

Apoc.c.5. v.3,4.

quem *nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neq; subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi: ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.* Sed hac in visione notandum, quod hic Christus, qui librum reseravit, ut dicitur vers 9. *Dignus es accipere librum, & solvere septem signacula ejus, quia occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo,* Leo appelletur; & infra vers. 11. agnus nuncupetur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem.* Quod mirum est, ideoque mysteriosum arbitror, cum leo utpote crudelis sanguinique inhians, agnus verò totaliter benignus & mansuetus inter sese in essentia & proprietatibus è diametro differant. Utrumque tamen egregiè combinat S. Gregorius. Christus dicit, cùm tanquàm agnus ad occisionem & crucem ductus obmutuit, veri agni mansuetudinis symboli naturam induerat; verùm dum, reserato libro, tanquam judex tot enormia mundi intuitus est scelera, tot iniquitates & abominationes, transfiguratus est, & ex agno mitì leo factus crudelis, & in indignationem (væ nobis) conversa est pietas. Audi præfati Doctoris verba: *Agnus erat & mansuetus, sed ubi aperto libro, vidit tot mundi scelera, leo factus est, immemor solitæ magnitudinis, unde clamant seniores, vicit leo de tribu Iuda, non agnus.* Cui conceptui divinè concinit S. Thomas a Villa nova super hoc Davidicum: *Deus noster, Deus salvos faciendi. Ita est profectò,* inquit, *Deus salvos faciendi, non damnandi. Ab ipso enim mors, & exitus mortis. Verumtamen, etsi ita sit, Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Nolite dicere: Deus salvos faciendi, neminem damnabit: agnus mitissimus est, nescit irasci. Agnus quidem electis, reprobis autem fortissimus leo tunc apparebit: unde Propheta, sicut leo rugiet: quia ipse rugiet & formidabunt filii matris.* O pavor! ô horror! ecce in indignationem conversa est pietas.

Obstupesco, dum admirabilem S. Paulini maturè considero sententiam dicentis: *Impietate duri & lasciviâ molles gloriam habebunt in inferno.* Sed quomodò id est possibile? Potestne enim in sævis tormentis aliqua reperiri gloria? Hoc in sano sensu, & optimè ad nostrum institutum explicat iste Doctor, sustinens, quod pœnæ æternæ damnatis leviores apparebunt, quàm horribilis pavor, quem à radiantis irati Christi judicis vultus acerbitate patientur: *Reprobi tanta suffundentur ignominia in judicii loco, tam acerbis tormentis à judicis vultu punientur, ut inferni supplicium, quasi gloriam reputantes, acerbitatem divini vultus declinent.* Et innititur irrefragabili S. Augustini doctrinæ dicentis: *Majus tormentum malis erit furorem vultus divini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti.* Ad hujus judicii horrorem manifestiùs declarandum, sufficerent hæc Prophetæ Isaiæ verba: *Ecce dies Domini venit, & crudelis, & indignatione plenus, & iræ & furoris ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores conterendos de ea.* In illo die clamantibus & interrogantibus peccatoribus, O benigne Christe? tu qui totus mansuetus & benignus in mundum descendisti, ut miseros delinquentes salvares, cur nunc tàm acriter nos punis? Ubi tua latet misericordia? ubi antiqua benignitas? Respondebit cum Osea: *Ad iracundiam provocavit me Ephraim amaritudinibus suis.* Job ait: *mutatus est mihi in crudelē.* Ad quod S. Hieronymus: *Sceleribus suis amarum me fecit, qui dulcis eram.* Ac si diceret, O homo! perditio tua ex te. Ego te creavi, de terra plasmavi, pro te humanam assumpsi naturam, & in tui redemptionem sanguinem fudi, infamemque crucis mortem subii, & tu his beneficiis ingratus, me derelicto, fallaci mundo, luxurianti carni atque infernali spiritui adhæsisti,

Aug.serm. 120.de temp.

Osea.c.12.

esto

esto itaq; in æternum ejus assecla. Hanc dementiũ egregiè exaggerat S. Thomas à Villa-nova, dum Christum in hunc mundum ferè adversùs reprobos asserit invecturum. *Audite me filii Adam quique terrigenæ filii hominum audite, quid invenistis in me iniquitatis, quia recessistis à me? Quid causæ est, quod inimico meo, vestroque servire magis libuit, quàm mihi? Neque enim ille creavit vos, sed neque pavit quidem, aut tempore vestra disposuit. Et si parva hæc videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos, Sed quo pretio? Non utique corruptibilibus auro & argento, non sole, non luna, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos cruore redemi. Testes sunt plagæ istæ, quas in meo corpore cernitis: testis est crux, quæ superiùs rutilat in excelso:* Testes sunt hi, qui morienti adfuerunt, & adhæserunt. O generatio stulta & prava! quare cùm labore huic deterrimo hosti obedire maluistis, quàm mihi cum gaudio Deo tuo, redemptori tuo? vocavi & renuistis, pulsavi & neglexistis: extendi manum meam, & contempsistis, despexistis omne consilium meum: præcepta quoque & leges pro nihilo habuistis, estote itaque ducis vestri socii. Ite, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Hoc ex S. August. suxit Thomas dicens in persona Christi: *Ego te inter Paradisi delicias collocavi, tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi, quàm Dominum maluisti. Sed antiqua motus posteà misericordia, cum expulsus de Paradiso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis in pariendo introivi, in præsepio positus, & pannis involutus jacui: in facie contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem, pertuli. Irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, spinis coronatus, affixus cruci, perfossus vulnere, ut tu eripereris, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi: & perfossum vulnere latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi meam gloriam darem. Suscepi mortem tuam, ut tu æternùm viveres. Conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cælo. Et cur; quod pro te pertuli perdidisti? Non te de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, quam vanis fallaciis perdidisti, pro vulneribus peccatorum tuorum, meam occidi. Cur habitaculum, quod in te elegeram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me graviori criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram afflixisti, gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui misertus mortem tuam occisurus ascendi. Cum essem impassibilis, pro te factus sum homo, & pro te pati dignatus sum. Sed tu despexisti in homine Deum, infirmo salutem, in via reditum, in judice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non poteris liberari: sed auditurus es cum tuis similibus, discedite à me, ite in ignem æternum.*

Aug. serm. 67. de tep.

De generoso Duce Manilio Romani referunt annales, eum jam ad mortem condemnatum, & ad supplicii locum deductum, extensâ manu, senatui, populoque indigitasse Capitolium, è quo cum evidenti vitæ discrimine viriliter Gallos depulerat; volens hôc indicare magnam ipsorum ingratitudinem, qui eum neci addixerant, qui intrepidè pro patriæ salute vitam perdere non timuerat. Quo viso, pudibundi abiêre judices, illique vitam donarunt. Sed heu! quæ confusio, quis pudor reos ingratos non invadet, cum Christus ad instar alteriùs Manilii non Capitolium, sed montem Calvariæ & crucem: *Apparebit*, inquit Matt. *signum filii hominis in cælo.* Atque vulnerum, manuum pedum, & lateris signa (cum quibus ad confundendos impios ad cœlestem expressè ascendit Patrem) indigitabit. Quæ tunc non fulgebit hominum ingratitudo, audi quàm diviné August. juxta morem, hac de re disserat: *Inimicus tuus vulnera demonstraturus est sua: ut convincens eos, veritas dicat, ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quæ inflixistis? Agnoscitis latus, quod pupugistis? Quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Itaque perditio tua ô peccator ex te. Et quid miser tum respondebit? Ah, inquit Ephraim! *Tunc condemnabunt seipsos, & opera, quæ fecerunt mala, dicentes: audiebamus hæc & à pravis actionibus noluimus recedere.* Clamabuntque cum Davide: *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum, perditio enim ex nobis.*

Aug. l. 2. de sign. c. 8.

Ephraim l. de patientia & consummatione.

Undè Propheta Isaias hunc tremendum præsagiens diem. Denique in summa æquitate sine misericordia considerans rigorem ait: *Irascetur ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Sed quomodò illa duo contraria in veritate consistere possunt: *Opus suum, & alienum opus ejus, opus suum, & peregrinum opus ab eo:* Optimè sanè opus suum est in horrendo hoc judicio, tanquam delegatus judex reddere unicuique secundùm opera ejus, & justam secundùm allegata & probata contra reos pronunciare sententiam. Opus autem alienum ab eo, quia in illo misericordiæ locus non datur,

Isaiæ c. 28. Vers. 21.

quæ tamen in primo adventu (in quo tota Christi gloria continetur) superexaltabat judicium. Sic diserte explicat hunc scripturæ locum S. Hieronymus: *Non est opus ejus punire peccatores, sed peregrinum & alienum ab eo, qui salvator est.* Irrefragabilem dicti Hieronymi S. Bernardus allegat rationem: *Quia miserendi causam & originem sumit ex proprio: judicandi vel ulciscendi ex alieno.* De quo latius Deo dante, cum de divinæ misericordiæ immensitate tractabo.

Sed heu! quid aget delegatus judex, quid faciet pius & misericors Christus? Testis contra te ô peccator tua est conscientia, contra te enormia tua, inquit Hieronymus, allegant scelera: *Arguet te malitia tua in illo judicio.* Bernardus ait: *Stabunt omnia peccata contrà infœlices, dicentia tu nos egisti, opera tua sumus, jam non te deseremus, sed tecum ad judicium.* Quandoquidem itaque secundùm probata & allegata sit judicandum, nil miserum reum juvabit fastus, nil sublimis status, nil regia dignitas, nil pontificalis thiara, sed tunc egregiè vulgati effulgebit adagii veritas: *Rex Iupiter omnibus idem.* Audite ô superbi & elati animi divinam Thomæ à Villa-nova sententiam: *Quot reges & potentes bubulcis, & agricolis sociati silebunt. Quid illis tunc proderit gloria mundi? Quid fastus & pompa regalis? Quid apparatus familiæ? Quid pretiositas vestium? Quid delicata & numerosa ciborum multitudo? Nemo ibi in alterum mutire audebit neque gannire Testatur hoc Iob dicens: parvus & magnus ibi erunt, & servus liber à Domino suo. Qui ergò in hac vita dexteram tenuerunt* (ô infœlix fortuna temporalis pro æterna?) *ibi lævam tenebunt: & ècontrariò. Cancellatis enim manibus veluti Patriarcha Iacob populum suum Dominus judicabit.* Ah quam stupenda potentibus hujus mundi hæc, sicut & Christi judicis metamorphosis, & transfigurationis apperebit facies? intelligite & considerate Christiani illa quæ præfatus S. Doctor adjungit verba: *Quantus tunc tremor, quantus terror? ubique fletus & ululatus, horribilis gemitus: plangent enim super se omnes tribus terræ, ut ait Propheta, videntes scilicet, quia non eis profuit tanta dignatio, tàm mira benignitas: quod homo factus est, quod natus & passus est, & eos inæstimabilis sanguinis sui pretio redemit.* Hoc hoc insani tam moderni sæculi, quàm anteacti detestabuntur atque deplorabunt damnati, teste Sapiente: *Quid profuit nobis superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Et quid pòst vobis restat ô divites, Principes & Monarchæ? Optimè respondet S. Chrysostomus: *Omnia te deserent, sed peccata tua tecum portabis.* Quorum exactam cogetur unusquisque reddere rationem juxtà illud Lucæ: *Redde rationem villicationis suæ.* Verùm quam homo à Deo accepit villicationem?

Th. à Villa nova Concione 1, de Adv.

Sap. cap. 5. Vers. 8.

Luc. c. 16. Vers. 2.

Laudabile & politicum à rege Ægyptiorum nomine Amasi, ut refert Doctissimus Herodotus, per universum regnum promulgatum fuit decretum, ut cuncti subditi scilicet quotannis censoribus delegatis exactam normæ vivendi redderent rationem, quâ methodo familiam instituerent, filios educarent, quam religionem domesticis inculcarent, quâ arte aut scientiâ pollerent. Et si quempiam parum lautiùs viventem animadverterent, sedulò inquirebant, undè ei tanta id efficiendi proveniissent media. Quod si proventus ad hoc necessarii justam adducere non possent possessionem, iniquitatis & furti arguebatur, & plectebatur, ut fures. Quæ lex adeò justis politicis arrisit, ut Solon eam Atheniensibus, tanquàm reipublicæ fundamentum, & sustentaculum tradiderit. Talem legem Christianis quoque tulit Christus, ut manifestè ostenditur ex Matthæo cap. 18. sub mysteriosa parabola. *Assimilatū est regnum homini regi, qui voluit ponere rationem cum servis suis:* Ut nimirum quilibet rationem talentorum, & beneficiorum acceptorum, atque villicationis, & negotiationis suæ exhibeat. *Cui enim*, inquit Gregorius, *multum datum, exigetur ab eo.* Et primariò, & antè omnia pretiosum illud à te, ô homo? multum repetet, & quod tibi commisit, depositum, rationalem scilicet animam, pro qua diram passus est mortem, pretiosumque suum affluenter effudit sanguinem, dicetque: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ sunt Dei,* Ac si diceret inquit Augustinus: *Quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & Deus; & velut illi redditur nummus, sic Deo reddenda est anima, lumine vultus ejus illustrata atque signata.* Unde hominem admonet Apostolus: *depositum custodi.*

Matt. c. 18. Vers. 28.

Deindè redde rationem intellectus tui & ingenii: videamus an illo, non in adjuvandis viduis, in tutandis pupillis, in defendenda justitia & æquitate, sed in illis supprimendis, istorum bonis esurgendis, & in hac refutanda usus non fueris? Quem errorem modò communem in propria persona extremè plorat Aug. hisce verbis: *Scis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & disputandi acumen, donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi*

Aug. lib. 4. Conf. c. ult.

tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat; quia tàm bonam partem substantiæ meæ sategi habere in potestate, & fortitudinem meam ad te non custodiebam: sed profectus sum abs te in regionem longinquã, ut eã dissiparẽ in meretriceas cupiditates. Nam quid mihi proderat bona res non utenti benè?

Et rursus ô homo! redde rationẽ tuorum quinque sensuum, qui totidem animæ sunt fenestræ, per quas subdolus indies subintrat diabolus, ut divinè annotat S. Ambrosius: *Respexit oculus, & sensum mentis convertit. Audivit auris, & intentionem inflexit. Inhalavit odor, & cogitationem impedivit. Os libavit, & crimen reddidit. Tactus contigit, & ignem accendit.* Indagatur itaque adamussim, in quo erraverit visus, in quo deliquerit auditus, & sic de cæteris. Hoc examen exactè secum instituit
Iob.c.31. Vers.1.1. illud patientiæ exemplar adhuc vivens Job, ut habemus cap.31. quoniam ipse veritus formidabilem quoad delicta, & bona hominis opera anatomiam, cuncta sedulò perscrutatur membra. Et à primo maximèque periculoso sensu suum incipit scrutinium. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut, ne cogitarem de virgine.* Generosum sanè fœdus, quod cum ambobus iniit oculis materialibus, & non exclusit internum oculum mentis: *Ne cogitarem quidem de virgine.* Deinde linguam perlustrat, quæ ab omni prorsus iniquitate immunis declaratur à
Iob. cap. 1. Vers.22. Spiritu S. *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis: neque stultum quid contrà Deum locutus est.* Nec
Iob.31.v.30. in ea reperiuntur detractiones, nec murmurationes, nec contumeliæ, nec scommata *Non dedi ad peccandum guttur meum.* Et pòst ad pedes, manus, atque cor descendens, ait: *Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus: Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam:* (Vers. 6. Vers.7. Vers.8.) *Et si manibus adhæsit macula: seram, & alius commedat: & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea.* Nec tantùm Propheta peccata & vitia perpendit, sed etiam virtutes morales, bonaque opera ad Christianam vitam spectantia enumerat, & in primis suam in famelicos, nudos, peregrinos misericordiam, & pietatem: *Si negavi, quod volebant, pauperibus, &*
Vers. 16. *oculos viduæ exspectare feci: si comedi buccellam meam solus & non comedit pupillus ex ea, quia ab*
Vers.17. *infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero*
Vers. 18. *matris meæ egressa est mecum: si despexi pereuntem,*
Vers.19. *eò quod non habuerit indumentum, & absque operi-*
Vers.20. *mento pauperem. Si non benedixerint mihi latera*
Vers.32. *ejus, & de velleribus ovium earum calefactus est: foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit, auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi eò quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.* Et versu 13. suam in judicando in- Iob c.29. v.11.12.
differenter absque personarum exceptione indicat justitiam. *Iustitia indutus sum: & vestivi me, sicut vestimenta, & diademate judicio meo.* Tandem mansuetudinis suæ evidens reddit testimonium cap.30.vers.28. *Mœrens incedebam sine furore.* Unde & ipse ab omni rancore, omnique in inimicos
vindictæ desiderio liber, audacter exclamat: *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quod invenisset eum malũ. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledici animã ejus.* Et ut uno verbo totum absolvam: Job in omnibus sanctus, justus, & perfectus reperitur, hinc & Iob.c.31. v.29.30.
ipse ait cap.13. *Audite sermonem meum & ænigmata percipite auribus vestris: si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.* Iob.c.13. v.12.13. Iob.c.13. v.17.18.

Non obstantibus tamen tot Prophetæ Jobi virtutibus, sanctitate, justitiâ, totq; piis operibus, lynceis mentis oculis rigorosum extremi judicii diem perpendens, tanto pavore concutitur, tantâ formidine consternitur, ut tremebundus exclamet: *Quis* Iob c.14. Vers.13.
mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus. Sed quid hoc ô Job! ecce tua manifesta est simplicitas, & innocentia, quid formidas? Quid trepidas? Audite, quid dicat Chrysost. (ut suprà dixit:) *Tantus tunc timor erit omnium etiam sanctorum, ut nemo speret se justum inveniendum, sed adhuc timeat ne reus existat. Quia tempus judicii misericordiam non recipit.*

Ex hoc pulchram, fundatam & rectam contra te ô peccator! exagero moralitatem. Job in cunctis justus diem hunc extremæ indignationis, terribiliter veretur, & tu eum non solùm non times, verùm nec semel cõsideras? Non clamas: quis hoc tribuat, ut inferno protegat me, donec pertranseat furor tuus? Veni, veni; appropinqua, appropinqua peccator, anathomizemus paulisper tuam vitam iniquã, accedamus ad oculos tuos; potesne dicere cum Job: *Pepigi fœdꝰ cũ oculis meis, ut nõ cogitarẽ quidẽ de Virgine?* Heu! heu! inspice bene, rumina diligẽter; quot lascivos reperies intuitus, quot oculorum etiam in templo circumvagationes, quot curiosos aspectus, unde, ut ait Ambr. *Respexit oculus, & sensũ mentis avertit.* Inde deflectamus ad aures; ecce confestim compatent vana in obscænis cantilenis audiendis oblectamenta, iniquæ detractionũ, murmuratio-

num

num atque proximi diffamationum, cum applausu auscultationes. Hinc idem ait: *Audivit auris & intentionem inflexit*, dum nimirum venenosa & exitiali attentâ detrahentium linguâ, eum, quem antè probum, nunc improbum, & scelestem judicas, & sic de cæteris.

Progrediamur ulteriùs. O dives avare, & tu præcipuè Prælate & Ecclesiastice, divitiarum & proventuum Ecclesiæ redde rationem. Dic in quos usus eos insumpsisti? Aususne esses dicere cum Job, quòd non negaveris, quod volebant pauperes, oculos viduæ exspectare non feceris? Quod non comederis buccellam tuam solus? sed ex eâ manducarit pupillus; quod peregrino ostium patuerit? Minimè sanè. Verùm illos luxui, mundanis delitiis, carnalibus voluptatibus, equis, canibus, summoque familiæ apparatui, utensilium splendori injustè & inique consecrasti, & pauperes Christi neglexisti; peregrinos, ab ostio, ut hostes depulisti, atque Eleemosynas iis debitas negasti, hæc fecisti; nec te ingens justi judicis invadit timor? Non contremiscis? Non clamitas cum Job: *Quis in inferno protegat me?* Accede inique judex, redde rationem talentorum tuorum, & judiciorum. Forsitan ad instar Job pauperem vociferantem, & pupillum pro justitia & æquitate expostulantem, cui non erat adjutor, ab injusta liberasti sententia? Fuistine ei adminiculo, ut jus absque ulla personarum exceptione administraretur? Proh nefas! perfide è contra donis & muneribus depravatus magnatum instantiâ, proprioque interesse à rectâ justitiæ semita avulsus, ad intestabilem iniquitatis deflexisti tramitem & injustum ferens judicium, pupillorum & viduarum sanguinem crudeliter exsuxisti. Et non contremiscis? non expavescis, Dum supremi & justi judicis Christi severum tibi intonari audis adventum? Non clamas cum Job: *Quis mihi det, ut protegat me, &c.* Ubi quoque tu es luxuriose: accurre, accurre, examinemus semel manus tot libidinosis tactibus commaculatas, ita ut dicere nequeas cum Job: *Non adhæsit macula manibus meis.* Perscrutemur medullitus cor; quid illud aliud est, quàm verum illicitorum desideriorum, carnalium cogitationum, odiorum, inimicitiæ, dissimulationum, invidiæ, temerariorum judiciorum, & omnis iniquitatis scrinium, atque infamis omnis abominationis sentina? Et ultimum diem irâ, & indignatione plenum, qui misericordiam non recipit, non pertimescis? Non vociferaris cum justo Job: *Quis mihi tribuat, &c.* Certè appositè hic contra te, ô obstinate & insanè peccator! certi cujusdam regis usurpare possum dictum. Etenim is devictis Achivis? prælioque commisso, atque suis fugientem generosè insequentibus hostem: annotavit rursus hostiles phalanges, legionesque militum in militarem redigi ordinem, atque novum præmeditari contra suos certamen. Ad quod cum eos trepidantes, & formidantes fuisset adhortatus, dixit: *Cum enim nos, qui vicimus trepidamus, quid facere censetis eos, qui à nobis victi sunt?* Quod si ergò pii & sancti viri victores contremiscant, nonne ratio dictat, ut devicti impii expavescant. Sic indubitanter judicat S. Gregorius dicens: *Quid ergò facient tabulæ, si tremant columnæ, aut quomodò virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam Cedri quatiuntur.* Et tamen tu peccator nil times. Ah quàm divinè & exactè anatomizationem Jobi jam jam allegatam, in piam admonitionem, in severæ divinæ sententiæ præventionem, in æternæ mortis evasionem urget præfatus Doctor: *Perpendamus fratres quantâ formidine futurum judicium pertimescere debeamus, quando ille, qui laudatus à Deo, adhuc de ratione judicii non est securus.* Intelligentibus rursus opus non est solidum, & omninò in Logicali schola receptum à minori ad majus efformare argumentum. — *Greg. l. 24. moral.*

Ezechias per Prophetam Isaiam mortis receptâ sententiâ, dicentem. *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives. Qui convertit faciem suam ad parietem. Et oravit ad Dominum dicens: obsecro Domine, memento quæso quomodò ambulaverim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.* De hoc planctu quamplurimi, cum SS. PP. tum sacræ Scripturæ Interpretes obstupefacti, illius fundamentalem indagant rationem, maximè moti; cur vir, & Rex tam pius, tam exactè divinis obtemperans mandatis, ut de eo attestetur Spiritus S. *Post eum non fuit ei similis de cunctis regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt.* Tantopere timuerit mortem, communne cuncto homini debitum? Quandoquidem non pauci justi ad corporis hujus dissolutionem anixè anhelarint. David lamentabatur vitam suam esse prolongatam. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* S. Paulus clamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et alibi ait: *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Nihil planè formidantes crudele mortis jaculum. Et justus Rex flevit fletu magno. Quid quæso sub hisce lachrymis delitescit mysterii? Ah — *4. Reg. c. 20. v. 1. 2.* — *vers. 4.* — *Psal. 119. v. 5.* — *Ad Rom. c. 7. v. 24.* — *Ad Philip. c. 1. v. 23.*

rii? Ah pius Ezechias deceſſum ex hac vita non pertimeſcebat, ſed hoc unicum deplorabat, quod dumtaxat ei unicus ſeſe ad rigoroſum præparandum judicium dies ſupereſſet. Quod exiguum ſanè domui ſuæ, id eſt conſcientiæ diſponendi pro æterno, tempus judicabat.

Verùm cur Ezechias ſe ad parietem, & non ad lucem convertit? Nec hæc ſane (quam ſcriptura ſpecialiter annotat) circumſtantia ſuo caret ſacramento. Etenim illa cunctis Chriſtianis ſalutare inculcat monitum. Vertens ſeſe ad parietem, mundo tergum oſtentans, docet infirmum & morti vicinum, temporalibus negotiis relictis, debere primariam animæ ſuæ curam gerere, ei advigilare, quæ cæteris pereuntibus in æternum eſt permanſura. Sed heu! tu ô homo, inverſo omninò agis modo. Primò cogitas de temporalibus diſponendis, de computu mercaturæ rectè faciendo, de condendo teſtamento, &c. O ſtultitia? ô inſania! verte te ad parietem, mundo mandana relinque, & animæ tuæ ſatage. Hunc cuſtodi theſaurum pretioſo Chriſti ſanguine comparatum: effunde cum rege Ezechia uberrimas lachrymas, quoniam tempus eſt lugendi; in hoc enim terribili judicio inquit S. Thom. à Villa Nova: *Non erit opus teſtibus, non locus excuſationi, & fraudi: quia luce clarius omnium vita, actus, cogitationes & affectus coram omnibus apparebunt*, juxta illud Prophetæ Nahum vaticinium: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignorantiam tuam.* Ultionem capiam, & non reſiſtet homo. O confuſionem nimiam! ô maximum pudorem, quis illum verbis explicare valebit? Imò vel corde cogitare? quam pœnam peccatorum in tantum exagerat infra, ut aſſeveranter dicat: *Tolerabilior namque illis omnis cruciatus, & quantumvis amara mors videretur, quam coram Deo, & Angelis ejus, & tam gravi, multoque ſenatu, in tanta difformitate nudatis criminibus apparêre.* Quod conſiderans mellifluus Doct. ingemiſcens exclamat: *O lachrymæ, ubi vos ſubtraxiſtis? O lachrymæ! ubi eſtis? Ubi eſtis fontes lachrymarum? Eluite ſuper faciem meam, rigate maxillas meas. Deus meus, quid faciam, cum venerit judicium tuum? Quid reſpondebo, cum examen erit judicii tui? Quid dicam ego miſer, & peccator, cum præſentatus fuero antè tribunal Chriſti? Væ diei illi in quo peccavi.*

S. Thom. conc. 1. de Adv.

Nahum c. 3. v. 5.

Plura fateor facilè adduci poſſunt terroris extremi judicii notatu digna argumenta, quibus mihi pro nunc ſuperſedere Iubet. Autumo enim me etiam ad obduratum peccatoris cor emolliendum & convertendum (ſi dumtaxat ſedulò perpendat) ſufficientia in medium protuliſſe. Quapropter hoc unicum tantum addo, quomodò homo ſeverum hoc judicium evadere queat?

Celeberrimus Philoſophus Plato ad depravatos Athenienſium mores corrigendos, vitam regulatem atque ordinatam inſtituendam, & impiam juventutem inter limites juſtitiæ & æquitatis continendam, in urbe, in platearum angulis undequaque altas erigi curavit columnas, quibus inſcripta erant aurea hæc verba: *Viator aſpice ad id quod juſtum eſt.* Ac ſi diceret, adverte ô homo! hic tantùm peregrinus es & tranſiens velut umbra; quapropter ad tuos attende actus, tuis invigila operibus & ſatage animæ tuæ. Similem columnam quilibet Chriſtianus in intimis cordis ſui penetralibus erigat, cum dicto, *viator aſpice ad id, quod juſtum eſt*, quia ut ait Paul. *ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, poſt hæc autem judicium*, illud mente retine, inquit Greg. *Illum ergò diem fratres chariſſimi totâ intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia, reſiſtendo vincite, perpetrata etiam fletibus punite.* Et ſi hæc Gregorii, ô obduratum cor! non moveant verba: Baſilium audi dicentem: *Quibus verbis te curabo? Quomodò loquar? Regnum Dei non curas, gehennam non times, quam animæ tuæ medicinam idoneam inveniam? Si enim horribilia non metuis & è contra inſuper cuncta pulchra deſpicis: diſputamus cum corde lapideo.* De tanta quoque hominum obſtupefactus dementia S. Ambroſius ad peccatores clamat: *Annuntiamus vobis regni cæleſtis gaudia, & minimè corda veſtra motu quodam alacritatis exultant; prædicamus triſte judicium & ſenſus veſtri ad pœnitentiam, in lachrymas non porrumpunt. Infidelitatis genus eſt, in divinis rebus, nec gaudere proſperis, nec flere contrariis.*

Baſil. ho. 7

Quod ſi ſalutaria SS. P.P. nil proſint conſilia: tuam: ô Chriſtiane! ex Ethnico Pithagorâ agnoſce dementiam, & utilem illius recipe admonitionem. *Duorum temporum, inquit, eſt tibi habenda ratio, manè & veſperè, in altero agenda proſpice, in altero reſpice, quod geſſiſti.* Vide quid manè rerum agendarum urgeat neceſſitas, veſperi autem examina, an rectam juſtitiæ, & æquitatis ſecutus fueris ſemitam. Inſignia ſanè moralia Gentilium documenta. Ego verò nunc finiens pro ſolido fundamento ad terrorem tremendi judicii effugiendum divinis utor S. Thom. à Villa Nova verbis ex Apoſt. excerptis ad Rom. cap. 13. *Fratres hora eſt jam nos de ſomno ſurgere: excutite ſomnum, pellite ſoporem,*

Pithagoras l. 3. de ira c. 36.

soporem; hac auditis in Evangelio, & dormitis? Hora est corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia, ne nos incautos reperiat tantum malum. Abjiciamus ergò opera tenebrarum & induamur arma lucis. Non indultam nobis hanc à Deo salutis opportunitatem negligamus; ne nos transeat hora, quia postea non erit hora. Veniet ecce tempus, quando præsentis horæ recordabimur, ejulabimus, & flebimus, frustra clamabimus contra nos dicentes: heu! quia nolui, hei mihi! quia tantam miseriam evitare non curavi, cum in manu mea, & tam facilè fuerit. O quomodò lætabuntur tunc, qui hæc non surdis auribus audierunt, quomodò utile salubreque consilium pœnitendi laudabunt, cùm videbunt stultos præeuntes, & peccatores cum diabolo inferni hiatibus deglutiri. Confige timore tuo carnes meas Domine, confige cor meum sagittis tuis, ut timeam te, & te timendo pœniteam, pœnitendo præveniam. Et tandem concludit: *Præveniamus ergò fratres tantum judicem, & præoccupemus faciem ejus in delictorum nostrorum confessione. Gemamus modicum, ne semper gemamus, ploremus modicum, ne in æternum ploremus, non parcamus nobis, ut parcat ipse, quo enim quisque districtior fuerit in seipsum peccatorum vindex, eo ille mitior tunc apparebit judex. Felix qui dicere poterit in illa die: feci judicium, & justitiam Domine, non tradas me calumniantibus me. Judicium facit contra se, qui se reum agnoscit, & confitetur, & judicat: justitiam facit, peccata, quæ sententia damnat, pœnitentia punit.* Præveniamus itaque pœnitendo Dominum, ut in tremendo illo judicii die audire mereamur dulcisonam vocem: *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis præparatum est antè mundi constitutionem*, quod mihi & omnibus vobis concedat, Pater & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA SECUNDA

Dominicæ secundæ quadragesimæ.

Ego vado & quæritis me, & in peccato vestro moriemini.
Joannis cap. 8.

CElebertrimus Historiographus Plutarchus refert, nobilissimam matronam Panthæam, intellecto infami mariti sui Abredatis per sententiam Romanorum lato à patria exilio, memoratu digna mœstitiæ, simul & conjugalis amoris publicè edidisse indicia. Etenim ipsa in terra recumbens, convolutis manibus, extensisque brachiis, imò è capite furiosè avulsis capillis, ubertimis præmissis lachrymis, tristisonâ voce exclamavit: *Heu me! quanta me expectant mala, ô Abredates! ex absentia tua.* Ac si voluisset dicere ô chare sponse! ô dilecte marite! si tu me deseris, quis mihi potest esse solamini? si abeas, derelicta, quamvis innocens, adinstar turturis, deperditâ comparte, ingemiscens & languens commune brevi subibo fatum. *O Abredates! quanta me expectant mala ex absentia tua.*

O Christiani mihi videtur præsens S. Joannis Evangelium, non tantùm sufficientia, verùm & efficacia suppeditare motiva, ad miserrimum nostrum statum sanguineis lachrymis cum Panthæa deplorandum: dum Evangelista in persona Christi clamat: *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Anima tua, ô homo! dilecta est Christi sponsa, teste Oseâ cap. 2. *Sponsabo te mihi in fide.* (Osea c. 2. v. 20.) Illi inhabitat, non tantùm per intimam præsentiam, & omnipotentiam, sed etiam per sanctificantem Spiritus S. gratiam. Sed modò enormibus tuis sceleribus ad iracundiam provocatus, animadvertens obcæcatum tuum cor in malitia, & iniquitate induruisse, teque protervè divinam contemnere gratiam & clementiam te deserit, retrahitque manum misericordiæ. *Ego vado, &c.* volens dicere ô Christiane! omnibus mediis conatus fui obstinatum cor tuum confringere, nunc illud contudi ponderoso longæ, gravisque infirmitatis malleo, nunc ferro percussi tribulationis, famis, belli, temporalium bonorum ereptionis, &c. sed inventum est cor tuum ad instar durissimi adamantis, cujus durities malleorum ictibus neutiquam cedit. Expandi manus meas & brachia, ut te in sinum misericordiæ reciperem, *expectat Dominus ut misereatur nostri.* (Isai. c. 30. v. 18.) Internâ meâ gratiâ te ad resipiscentiam excitavi & à prava vita deterrens, te ad meliorem vivendi methodum provocavi: *Vocavi & renuistis.* (Prov. c. 1. v. 24.) Pulsavi ad ostium

cordis

cordis tui, & illud ingrate sponso tuo occlusisti, & stulte mundo carni & diabolo aperuisti. In pœnam tantæ obstinationis, hanc tibi intimo sententiam: *Ego vado, & quæres me*, homo in ultimis vitæ tuæ diebus in decrepita senectute, imò & mortis articulo: sed non invenies, & in peccato tuo morieris.

O horrenda sententia! ô terribilis condemnatio! ô homo, estne possibile, quod oculos cordis & aures mentis non pandas, dum abeuntem, teque deserentem intueris Christum, & clamantem audis per Oseam Prophetam. *Væ eis cum recessero ab eis*? Ad hæc non intonas adinstar alterius Panthææ: *Heu me! quanta me expectant mala ex absentia tua ô Christe*. Non audis minantem Spiritum S. *Irascetur furor meus in die illo, abscondam faciem meam ab eo*, Sed quid inde damni aut detrimenti? subjungit: *Et invenient eum omnia mala, & afflictiones. Ita, ut dicat in die illo: verè, quia non est Deus mecum: me invenerunt omnia hæc mala*. Imò & æterna animæ mors, *Domini exitus mortis*. Etenim, cum eum tam diu vocantem despexeris, te clamantem non exaudiet, & interitu tuo ridebit dicens: *Perditio tua ex te*. ô homo! ex hoc conclusionem deduco, de qua in hodierno discursu tractaturus sum, maximè periculosum fore, atque temerarium emendationem vitæ suæ differre, & pœnitentiam de die in diem, de anno in annum, imò usque ad ultimum vitæ terminum procrastinare. Sed imploremus priùs per interventionem piissimæ matris Mariæ Spiritus S. gratiam, salutantes eam Gabrielis verbis, Ave Maria.

Osee c. 9. v. 12. — *Deut. cap. 31. v. 17.* — *Psal. c. 6. v. 21.*

Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.

Lucidissimum illud Ecclesiæ Africanum sydus, minutim indagatâ ratione, ob quam benignus & pius Dominus: *Cujus proprium est misereri semper & parcere*: Quandoque ita vehementer ad vindictam in impios peccatores concitetur: ut ipsemet clarè attestetur, sese omnem planè clementiam exuisse: *Clamabunt ad me, & non exaudiam eos*. Imò quod ampliùs urget, subnectit Sapiens: *Ego in interitu vestro ridebo*? Fundatũ divinæ excandescentiæ eruit motivum ex cap. 1. Prov. *Eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint omni correptioni meæ*. Id est, quia mihi ô peccator! te millenis & millenis modis ad pœnitentiam vocanti, & ad depravatæ tuæ vitæ detestationem adhortanti obstitisti, quia gratiam meam repulisti, Spiritui S. contumax extitisti, *ego in interitu tuo ridebo*. Dicit enim, inquit Augustinus, insulsus homo; *Semper parcit Deus, ecce feci heri, & pepercit, faciam & cras & parcet Deus*, O insania! ô dementia! *attendis ad misericordiam, & non times judicium*? *Si vis cantare misericordiam & judicium intellige. Ideò parcit, ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas*. Ah hæc, ô miser peccator! præsumptuosa tua divinæ misericordiæ confidentia Domini extinguit misericordiam: ejus contra te accendit justitiam, audi Apostolum clamantem: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*. Quem locum curiosè annotans Doctiss. Salvianus, divinè ait: *Verè ita agimus, ut dicit Apost. Deus enim nos vocat ad pœnitentiam, sed nos thesaurisamus iram, Deus nos invitat ad veniam, sed nos ad justitiam, & sic cogimus ad ulciscendum criminum nostrarum immanitatem invitum*. Sed heu! non audis quoque intonantem Psalmistam: *Si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Ad quod inquit Bern. *Fratres, quàm salubriter admonet nos Propheta, ut si vocem ejus audierimus, non obduremus corda nostra. Utilius namque, & multò salubrius est, hodie eum audire consulentem? admonentem, docentem, quàm in illa die tam amara, illum judicantem, sævientem, condemnantem*.

Prov. c. 1. v. 27. — *Iere. c. 11. v. 11.* — *Prov. c. 1. v. 26.* — *August. in ps. 110. v. 2.* — *Ad Rom. c. 2. v. 4.* — *Psal. 94. v. 8.* — *Bern. ser. de verb. Abac.*

Ad præsens institutum curiosè, & appositè à quopiam posset inquiri, quare misericors Deus olim plebem suam electam, gentem Hebraicam in tam duram incidere permiserit Assyriorum captivitatem & servitutem? Ad quæsitum in promptu est responsio! *Mittebat Dominus Prophetas patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & continuò commonens, eò quod parceret populo, & habitaculo suo, at illi subsannaverunt nuntios Dei, & parvipendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis: donec ascenderet furor Dei in populum ejus, & esset nulla curatio*. Ah ô Christiane! quotidie benignus Dominus ad te nuntios mittit, ut à pravo desistas vivendi modo, nunc per tribulationes, nunc per divini verbi præcones te streuue adhortatur, ut ad rectam à quâ deflexisti, redeas semitam; sed tu in peccato tuo obduratus divinæ meæ audacter repugnas gratiæ, & sic subinducitur cordis durities, quæ juxta Thom. à Villa Nova & S. Augustinum, non nisi difficillimè aufertur, ut ipsemet, propriâ edoctus experientiâ, deplorat libris conf. *Rapiebar ad te de*

2. Paralip. c. 36. v. 16.

corde tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam ad ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis: Et lib. 8. Conf cap. 5. *Ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed ferreâ meâ voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas* Sed & illud adjungit lib. 6. cont. Jul. cap. 7. *Consuetudinis malo difficilè resistitur.* Cujus rationem indicat lib. 50 hom. *Omne peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum: obduruit jam, dolorem perdidit, quod valde putridum est, nec dolet, non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est.* Quod rursùs confirmat lib. q. vet. test. *Per consuetudinem incipit videri quod turpe est, non turpe, nam cum dehonestantur aliqui, primò erubescunt, postea blandiente consuetudine recedit pudor, mutatâ fronte, præcipuè si multos videant tales.* E quo & gravius aliud, etiam in proximum emergit damnum: scilicet scelerum palliata defensio, ut ipsemet testatur: *Qui faciendo, quod malum est, etiam malâ consuetudine se implicant, ut ipsa co nsuetudo mali, non eos sinat videre, quia malum est: sicut defensores malorum factorum suorum. Irascuntur, cum reprehenduntur in tantum, ut inter Sodomanitas nequitia sit justitia, & exhibitor potiùs reprehendatur, quàm factor. Tales consuetudine malignâ pressi, tanquam sepulti sunt, & moles illa imposita sepulchro. Ipsa est vis dura consuetudinis quâ premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Reverâ ad istam consuetudinem (de qua loquor) quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo.*

Lib. 8. conf. c. 5.

Hom. 28.

Quæst. 14.

Serm. 44. de verb. Dom.

Pro verificanda S. Augustini doctrina numquam annotastis id, quod refert Evang. Marcus cap. 9. totaliter mœstus quidam pater ob miserrimum filii sui obsessi statum pro eo deprecaturus sese ad Apostoli pedes abjecit, obnixe rogans, quatenus dæmonem hunc à filio abigere dignarentur; verùm hi, omni adhibitâ diligentiâ, omnique, quâ pollebant apud Deum virtute, illum expellere non potuerunt, ut patet ex patris verbis? *Dixi discipulis tuis* (loquentis Christo) *ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Quo viso ad supremum accessit medicum Christum, illumque humiliter filii luctuosam declarans constitutionem, affatur: *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, & illidit illum & stridet dentibus, & arescit.* Sed hic unum miror, cur (quod modò annotatu planè est necessarium) Apostoli non potuerint hunc diabolum depellere, cum ipsi, ut affirmat Evang. Lucas, cap. 10. vers. 17. de sua in infernales spiritus glorientur potestate, *etiam dæmonia subjiciuntur nobis.*

Marc. c. 9. v. 16.

Ad hunc difficultatis nodum dissolvendum Glossa interlinealis subtiliter advertit ad subsequentia quædam Evangelistæ verba; & rogat, cur Christus Dominus, cujus est noscere tempora & momenta, à patre exquisierit, à quo tempore fuisset obsessus? *Et rogavit patrem ejus, quantùm temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Respondet Glossa: *Non quasi ignorans interrogavit: sed ut diuturnitas infirmitatis ostensa cautionem faciat.* Verùm quam obsecro? *vers. 20.*

August. sæpè sæpiùs sustinet cunctos infirmos à Christo curatos, omnesque mortuos resuscitatos, evidentissimum peccatoris fore symbolum, & quia inter peccatorem, & peccatorem, iniquitatem, & iniquitatem maxima reperitur disparitas, ita ad illum ad rectam melioris vitæ semitam attrahendum, efficacior, & efficacior exigitur potentia & virtus. Dominus ergò, intellecto, Apostolis justas defecisse vires dæmonem expellendi, apposité, & sapienter rogat: *Quantùm temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Ut ex patris responso *ab infantia* inquientis, mali radicatio innotesceret. Cum ergò is jam ab incunabilis obsessus peccatorem in malitia sua obduratum, & obcæcatum repræsentet, potentiâ Christi, & divinâ opus est. Quia, ut rectè ait Bern. *Talem convertere non est humanæ infirmitatis, sed divinæ potestatis.*

Pulchram dicti hujus è dispari in tribus mortuis resuscitandis Christi Domini agendi modo eruemus corroborationem. Lucæ cap. 7. afflictæ matris unicum pius Dominus à morte ad vitam revocat filium solâ dumtaxat adhibitâ voce: *Adolescens tibi dico surge*: Rursùs Marci cap. 5. in domo Archisynagogi mortuam illius resuscitat filiam; verùm, quod maximè ad nostrum advertendum est propositum, divinæ voci suæ omnipotentem quoque adjunxit manum: *Et tenens manum puellæ, ait illi, puella tibi dico surge, & confestim surrexit puella.* Denique Joannis cap. 11. fœtido atque quatriduano vitam restituit Lazaro; verum priusquam arduum & mysteriosum hoc Christus adoriretur miraculum, quam plurima, ut sacra sigillatim annotat scriptura, prodigiosa demonstravit signa. In primis namque infremuit spiritu, & turbavit semetipsum: deinde intrinsecùs summam animi patefaciens amaritudinem, uberrimas effudit lachrymas: *Et lachrymatus est Iesus.* Sed

Lucæ c. 7. v. 14.

Marc. c. 5. v. 41.

Joan. c. 11. v. 33.

Sed nec his contentus, elevatis in cœlum oculis,
vers. 33. orationem suam ad æternum patrem direxit: *Ie-
sus elevatis sursum oculis dixit: pater gratias ago ti-
bi, quoniam audisti me.* Et tandem *elevatâ voce
vers. 35. exclamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit,
vers. 41. vers. 43. qui fuerat mortuus.* Ad has absconditas & myste-
riosas in resuscitando Lazaro circumstantias & ce-
remonias, subtilissimum illud obstupescit inge-
nium Augustinus: nec sanè absque exiguo funda-
mento. Ille enim, qui cœlum & terram, omnia-
que quæ in ea sunt, verbo creavit, mortuum La-
zarum, ut viduæ Naim filium, ad vitam solâ vo-
ce nonne potuit reducere? Indubiè. Ad quid ergò
tot opus ceremoniis?

Ut huic quæsito exactè satisfiat, animadverten-
dus est trium balbutientium Prophetarum cura-
tionis modus, scilicet Moysis, Jeremiæ & Isaiæ.
Hi namque tres ad divina à Deo appellati munia
(ut scripturæ gnaro facilè constat) sese ob loque-
læ atque eloquentiæ imperitiam, de imposito o-
nere excusârunt. Moyses ait: *Quis sum ego, ut va-
Exod. c. 3. v. 9. 10. dam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægy-
pto?* Rationem subnectens: *Quia non sum eloquens
ab heri, & nudius tertius: ex quo locutus es ad ser-
vum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Ad
quod Deus, ô Moyses quid trepidas? Quid con-
tremiscis? Quid moram injicis? Dic mihi: *Quis
Exod. c. 4. v. 10. fecit os hominis? Aut quis fabricatus est mutum &
surdum, videntem & cœcum? Nonne ego?* Perge
igitur, ne expavescas à facie Pharaonis: *Ego ero in
ore tuo, doceboque te quid loquaris*: Ecce balbutien-
tis linguæ defectus, solo divino tollitur verbo. Je-
rem. quoque, ut ingrato populo Israelitico infa-
mia & abominanda intrepidè improperaret pec-
cata, appellatus: *Tu ergò accinge lumbos tuos, &
Ierem. c. 1. v. 6. 7. 8. 10. 11. surge & loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi, ne for-
mides à facie eorum.* Verùm & hic quoque Pro-
pheta suam, divina mandata promulgandi, Domi-
no vocanti & præcipienti exponit incapacitatem,
dicens: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia
puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: ecce dedi
verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super
gentes, & super reges, ut evellas, & destruas, & di-
sperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Sed quod-
nam Dominus emendandæ Mosaicæ linguæ ob-
secro adhibuit remedium, utpotè omnium medi-
corum peritissimus? Audite quid dicat Scriptura:
*Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum,
& dixit Dominus ad me: ecce dedi verba mea in ore
tuo.* Advertite modò (quod præcisè nostro qua-
drat instituto) verbo manum adhibet. Isaias pa-
riter ad hujuscemodi functionem divino requisi-
tus mandato, similis excusationis justam volens
prætexere rationem ait: *Vir pollutis labiis ego sum.* *Isaiæ c. 6.*
Verùm quomodo ablata fuit à Domino hujus *v. 6. 7.*
Prophetæ labiorum coinquinatio? *Et volavit u-
nus ad me de Seraphim, & in manu ejus calculus,
quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum,
& dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur ini-
quitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* O ab-
sconditum mysterium! trium Prophetarum cura-
tur linguæ imperitia; verùm diversâ methodo:
Moysis solo verbo, Jeremiæ divinâ manu, Isaiæ
verò ignito carbone. Quid sub hac curatione sub-
litescat absconditi pœnitùs ignoro; hoc uni-
cum tantùm allego (judicio salvo meliori) ut
plausibile, Deum in sanandis Prophetis, Hy-
pocratis & Galeni usum fuisse regulis. Etenim hi
leviter infirmo levia, graviter ægrotanti fortio-
ra, extremè verò laboranti, & jam quasi agoni-
zanti extrema adhibenda esse docent medicamen-
ta, juxtà vulgare illud apud medicos axioma, *ex-
trema extremis remedia adhibenda sunt.* Aut juxtà
alios, *extrema extremis vincuntur.*

Haud dissimiliter supremus & cœlestis medi-
cus Deus pro mystico Prophetis adhibendo se ge-
rit medicamento: malum Moysis leve erat, &
necdum radicatum, quoniam parumper tantùm
duraverat, ut patet ex textu: *Non sum eloquens
ab heri & nudius tertius.* Quapropter facili nego-
tio omnis illius aufertur defectus, unico nimi-
rùm verbo. *Ego ero in ore tuo.* Jeremiæ autem
malum utcumque inveteratum erat, & ad pueri-
tiam usque deductum: ad hoc itaque tollendum
specialis requiritur altissimi Dei manus: *Tetigit
os meum.* Quoniam verò Isaiæ malum longo du-
raverat tempore, ad illud curandum maximè opus
erat extremo & efficacissimo remedio, ideoque
ignitus carbo adhibetur, *Vir,* inquit, *pollutus la-
biis ego sum.* Tres hi Prophetæ juxta mentem S.
Hieronymi tres diversos peccatoris præfigurant
status. Moyses recenter lapsum, Jeremias pecca-
torem aliquatenus glutinoso iniquitatis suæ visco
adhærentem, & Isaias obduratum & obstinatum
significat, qui non nisi suprema brachii divini ef-
ficaciâ, à prava peccandi consuetudine liberatur.
Illiusque infirmus animus, vix ullo tentandus vi-
detur remedio? verba ad pietatem adhortantia, ut
venti, crebræ ad meliorem vitam admonitiones, ut
cachinnæ, preces, ut ridiculæ minæ, ut nullæ pro-
miscuè æstimantur. Et ut unico absolvam ver-
bo, inveteratus peccator peccaminosæ pertina-

Prov.c. 18 v.3.
Ierem.c. 17.v.1.
Hieron.in c.3.Ierem.

citer insistens vitæ, cuncta pia & salutaria contemnit monita, ut apertè testatur Sapiens, *Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnet*. Nimirùm Deum ipsum ejusque mandata. Cujus genuinam Cæsarius præbet rationem: *De multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione absque ulla reverentia peccatorum fræna laxantur*. Et adimpletur illud Jeremiæ: *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*. Ideoque ferro & igne est diluendum. Non ego hunc conceptum in monte Parnassi somniavi, sed è scriptis sancti Hieronymi hausi: *Quia Isaias perfectæ & solidæ ætatis erat, mittitur Seraphim, qui non Dei manu, sed forcipe & carbone tangat os ejus, ut iniquitates auferat*. Dum autem de Jeremia loquitur, *mittitur Dei manus ut peccata auferat, quæ per pueritiam multa non fecerat*. Concludamus itaque Deum mysterioso hoc agendi modo omni innuere voluisse Christiano, quàm difficile sit peccatorem, peccatis assuetum, ad rectum bene vivendi tramitem reducere. *Usitata enim*, ait S. Gregorius, *culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur, nam ubi diu suâ sponte persistit: ibi cum noluerit, cadit*.

Ex hoc facillimo negotio modò suprà memorata dissolvetur difficultas. Hi namque etiam tres secundùm animam defunctos præfigurant peccatores, inveteratum verò & longè peccandi consuetudini involutum fœtens designat Lazarus, qui difficulter ab horrenda hac animæ morte eripitur, & ad vitam gratiæ revocatur. Hoc clarissimè attestatur Sanctus Augustinus dicens: *Tertius mortuus genus mortis horrendæ, & magna consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat & continuò corrigitur, citò reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudini; qui autem peccare consueverit, jam sepultus est, & bene de illo dicitur, fœtet*. Et pergit præfatus Doctor: *Tales sunt omnes assueti sceleribus & perditis moribus*. Et tandem concludit, annotans stupendas Christi in hac resuscitatione ceremonias: *Turbavit semetipsum, fremuit Dominus & lachrymatus est, & voce magnâ clamavit: ah! quàm difficilè surgit, quem moles pravæ consuetudinis premit, quid ergò quod turbet semetipsum Christus? Nisi, ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum mole peccati gravaris*. Inconcussa ergò remanet veritas, peccatis indurati maximè difficilem fore conversionem.

Sed quid ego eam è sacra Scriptura & SS. PP. conatus fui eruere? Cum naturalis illa doceat Philosophia, quæ pro infallibili regula statuit, quod ex frequentatis actibus fiat habitus, qui à subjecto difficulter est mobilis. Ideoque sæpe repetitis actibus inducitur peccandi consuetudo, quæ naturæ quasi induit rationem. O exitiale venenum! quod pedetentim ad intima serpit animæ penetralia! ò maledicta pœnitentiæ dilatio? quæ non tantùm indies delinquendi confert consuetudinem, verùm etiam necessitatem. Ah! attende ô homo in malitia obdurate! quantum Thomas à Villa Nova infelicem tuum deploret statum. *Væ miseris, qui suorum vulnerum medicinam habentes ad manus, neglexerunt curare se, & damnantur. O quomodo dolent in inferno de hoc, & fremunt dentibus suis. Quàm justè ardent in inferno, qui contempserunt tam levem adhibere medicinã. Infelix anima, quæ tam longo tempore vivit sine Deo, facta habitaculum dæmoniorum, à quibus captiva tenetur ad suam voluntatem. O cor, quod talia sustinet! O quanta audacia ardet infernus sub pedibus, & expectat ore aperto, & solo capillo vitæ anima ne cadat in illum, & ridet, & dormit. Plus est per diem in peccato manere, quàm aggredi viginti homines: quia non vita, sed anima in periculo est, hujusmodi peccatores rarò sanantur, rarissimè enim convertuntur & pœnitent: Illa enim obduratio æternæ damnationis indicium est*. O horribilis sententia! audi, audi peccator, qui modò pœnitentiam contemnis, & cor tuum indurari permittis, *obduratio æternæ damnationis indicium est*. Non contremiscis? Non commoveris? Cur clamas continuò, inquit Augustinus. *Cras, cras*? Dic obsecro, *quare non modo, quare non in hac hora finis turpitudinis tuæ*? O abominanda hominis cœcitas! quâ dudum obfuscati fuêre mentis meæ oculi: etenim interna Dei mei ad meliorẽ vitæ frugem intrinsecùs excitatus gratiâ, penes me clamabam: *Modò sine paululùm, sed modò & modò non habeant modum, & sine paululùm in longum ibat*. Sed attende quid urgeat. *Quanto miser in periculo versaris! quot, quantique inopinati casus te abripient?*

Thom. à Villa Nova serm. 6 Domin. 1. Quadrag.

S. Thomas à Villa Nova tepidam Christianorum in animæ salute procuranda, sedulò perscrutans solertiam, & infatigabilem in corpore infirmo & debili providendo exactam diligentiam, ingemiscens exclamat, rogatque, ut ad minimum tanta animæ morbo, quanta corporis adhibeatur cura. *O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus? quid non sustinet, quid non patitur ægrotus* pro

Thom. à Villa Nova serm. 6 Dominicæ 4. Quadr.

pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodò concupitam recuperet sanitatem. Sed si animæ languor curandus est, quidquid injungitur durissimum est. modico vino abstinere, non sustinet lubricus: exiguo lucro privari, non patitur avarus: ad modicum humiliari, non tolerat ambitiosus: floccipenditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda salus suprà modum diligitur. Si infirmus ab amicis & domesticis admoneatur, ut principiis obstet, quod sæpe sæpius serò medicina paretur, non clamat: *Cras, cras, cras, sine modò, &c.* sed ad medicũ prompti destinantur famuli, quodcunque ordinarit & præscripserit, sine mora præparatur & applicatur: animæ verò languori nemo medelam adferre satagit.

Secundum non minus præcedenti perniciosum è diuturna sacramẽtalis pœnitentiæ dilatione pullulans & dimanans animæ damnum manifestè demonstratur ex horrendis benigni Domini nostri Jesu Christi minis, sub hisce verbis delitescentibus: *Ego vado & quæritis me, & non invenietis, & in peccatis vestrũ moriemini.* Formidabilior namque peccatori à Deo nequit infligi pœna, quàm, quod ab eo faciem suam avertat, illumque deserat. Hinc summa cum anxietate & instantia pro hac avertenda, ad Deum vociferabatur regius Psalmista:

Psal. 66. v.17. *Secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me*; quem divinum tam constanter David desiderat intuitum, ut rursus Psal. 26. dicat: *Ne avertas faciem tuam à me.* Et Psal. 70. *Deus ne elongeris à me, ne derelinquas me.* Et sane meritò: quia ut rectè ait Propheta Oseas in persona Christi: *Væ eis cum recessero ab eis.* Et Christi recessus Propheta expertus damnum, in hæc prorumpit verba: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Psal. 26. v. 9. Psal. 70. v. 12. Psal. 29. v. 8.

Hic obstupescunt sacræ Scripturæ interpretes, Davidem nimirùm, non gratiam, non cælestia dona, non animæ quoddam à Deo expostulare contra omnia peccata antitodum: verùm dumtaxat: *Ne avertas faciem tuam à me.* S. August. ex hisce Isaiæ verbis (*ex radice colubri egredietur regulus, & semen ejus absorbens volucrem*) discursui nostro non incongruum elicit conceptum. Per Basiliscum, sive regulum intelligit Deum incarnatum, colligens hoc ex textu Chaldaico, qui legit: *Ex filiis filiorum Iesse egredietur regulus.* Hanc scripturalem naturalistæ minimè capientes interpretationem, Basilisci studiosè inspectis naturæ proprietatibus, assimulationem inter Christum & Basiliscum, ut frivolam explodunt: hocque arripiunt intrepidi fundamentum. Basiliscus veneno so suo intuitu hominem corporaliter necat: Christus verò animam, spiritualiter mortuam, suo aspectu vivificat juxtà illud Psalmistæ: *Oculi Domini super justos, ut eruat à morte animas eorum.* Imò quod ampliùs est, inter nocivas, quas Doctiss. Pierius Basilisco innatas asserit esse proprietates, hanc enumerat: *Tanta huic avi vis est, ut animalia reliqua suo sibulo fuget, quo audito, ferunt omnium avium cantus coerceri, fruticesque & herbas aspectu solo enecari.* Econversò Dominus noster blandisonâ suâ voce peccatores ad se trahit, ut apertè patet in Petro & Andrea Apostolis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, & relictis retibus secuti sunt eum.* Grato quoque suo aspectu homini secundùm animam mortuo, spiritualem impertitur vitam, effectum probat Matthæus, *Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me: & surgens secutus est eum.* Idipsum secundùm August. mentem clarissimè confirmat Propheta Abacuc: *Aspexit, & dissolvit gentes & contriti sunt montes sæculi.* Audite illius verba: *Respexit, & contabuerunt gentes, hoc est, fecit populos pœnitentes, contriti sunt montes, hoc est, elatorum contrita est superbia.* Ob hæc & hujuscemodi argumenta Christus Dominus inversus rectè reputari posset Basiliscus. Subjungo tamen, si cunctos Dominici intuitus effectus Basilisci comparemus attributis, ipsum quoque non incongruè Basiliscum nuncupari. Quoniam Moyses de divinis. Exod. cap. 33. disserens oculis ait: *Non enim videbit me homo & vivet.* Quo dicto abundè insinuat intuitum suum certum quoddam mortis inducere genus. Sed quodnam? Certè inquit Augustinus, non animæ nostræ exitiale, sed utile, non corporale, sed spirituale: *Quia nullus Deum spiritualiter videt, qui carnaliter vivat, & quem videt eo ipso moritur ab hujus vitæ delectationibus totâ mente separatus.*

Psalm. 32. v 19. Matth. 4. v. 19. Matt. c. 9. Vers. 9. Abac. c. 3. vers. 6. Aug. l. 18. de civit. Dei c. 32. Vers. 20.

Præterea unicus Christi aspectus altas quoque peccatorum evellit radices, teste S. Chrysostomo. *Quando respicit Deus, fugiunt peccata, extinguuntur delectationes, liquefiunt omnia mala, tantùm ut respiciat claritas, & statim fugit peccatorum obscuritas.* Quàm optimè itaque concludi potest, Psalmistam divinam implorantem gratiam prudentissimè, nil nisi unicũ respice expostulasse. Innotuerat namq; illi stupenda hujus divini Basilisci intuitus virtus & efficacia: cujus respicere est misereri, inquit Ven. Beda: *Quia respicere, Dei est misereri, aspectus divina*

Chrys. super Ps. 68.

vinæ miſericordiæ nobis eſt neceſſarius, cui apprimè concinit David, *reſpice in me & miſerere mei.* Rursùs idem egregiè corroborat Propheta Jeremias, miſeram Iſraelitici populi ſub Aſſyriis uberrimis lachrymis deplorans ſervitutem: *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eò quod non eſſet requies.* Neque unquàm à ploratu & planctu deſtitit: *Donec reſpiceret & videret Dominus de cœlis.* Ecce non ait, ſeſe lachrymis ſuis divinam imploraſſe miſericordiam & pietatem; verum tantummodò divini Baſiliſci exegiſſe intuitum: *Donec videret & reſpiceret Dominus* Et rectè; quoniam unum idemque aſpicere Dei & miſereri eſt, ut luculenter teſtatur Rupertus: *Cujus aſpectus & viſus eſt & antiquæ captivitatis ſolutio, & præſentium captivorum, qui in Babylonem ducti ſunt, conſolatio.* Et hoc enucleatè perpendens Propheta David, libertatiſque Iſraelitis reſtitutæ ponderans rationem, in perpetuam rei memoriam eam regiſtrari mandat: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Rationemque tam ſedulæ addit curæ & gratitudinis: *Quia reſpexit de cælo Dominus, de cælo in terram reſpexit.*

Beda in c. 26. Matt.
Pſal. 24. Verſ. 16.
Ier thren. c. 3. v. 49. 50.
Rup. lib. 1. in Ier.
Pſal. 101. Verſ. 19.

Ex hoc non curioſa tantùm, verùm etiam myſterioſa enodabitur quæſtio, quare tempore Dominicæ paſſionis commemorationis, Sancta mater noſtra Eccleſia, vi prætioſi ſanguinis Chriſti in trabe crucis aliiſque locis ſuperaffluenter effuſi, ejuſque infinitorum meritorum, nullam aliam gratiam, nullum beneficium petat, niſi hoc unicum; *Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam tuam.* Tempus enim modò pro Chriſtianitatis incolumitate urget ampliores expoſtulare prærogativas, atque majora privilegia. Hic hærerem obſtupefactus, nec quid reſponſi ſuppeditarem, ſcirem, niſi in: O *reſpice*, omne bonum comprehendi, & deliteſcere rursùs clarè indicaret Propheta David: *Reſpice*, inquit: & ecce mox quaſi mandat, *& exaudi me Domine Deus meus.* Et Pſalm. 6. *convertere Domine*, & quid tum? *Et eripe animam meam.* Divinus itaque intuitus omnis gratiæ ſcaturiens eſt fons, quem ſi abſtrahat, ob continuata peccatoris delicta Deus, clametque *ego vado* &c. ſubitò marceſcet & contabeſcet homo, ut ingenioſo quidam modernus demonſtrare conatus eſt emblemate. Is in tabula raſa artificioſè depinxit horologium ſolare, additâ ſubtili epigraphe: *In umbra deſino & tecum luceo.* Quia exorto & ſplendente ſole horas diei exactè denoto, per quod neutiquam prætendebat innuere, quod illud, quoad ſubſtantiam ſole nubilo deſineret, ſed quod deficiente illius luce, ad inſtitutum finem nil omninò deſerviret. Pariformiter anima noſtra, ſi divinum lumen ei non eluceſcat, Deuſque ob peccata indignatus, radios oculorum ſuorum avertat, poterit appoſitè & rectè uſurpare emblematicum dictum *in umbra deſino*, id eſt, ad nil utilis ſum, & ſubitò omnia oſſa, ſcilicet virtutes, conturbata. O ſtupenda Dei noſtri intuitus efficacia! ô pernicioſa ſolis juſtitiæ Chriſti à miſero peccatore averſio! ah quàm bene illam expertus eſt Apoſtolus Petrus, inquit Hieronymus. *Poſt negationem & galli cantum, reſpexit Salvator Petrum, & intuitu ſuo eum ad amaras lachrymas provocavit; nec fieri poterat, ut in negotiationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* Antequàm itaque intima aſpectus ſui radiis cordis Petri penetralia percuſſiſſet, in umbra deſinebat; poſt verò rursùs Deo lucebat. Solido itaque fundamento pro omnium beneficiorum & gratiarum epilogo Eccleſia Dei tantummodò expoſtulat aſpectum Dei: *Reſpice quæſumus Domine &c.* quoniam, ut rectè ait S. Clemens Alexandrinus: *Vbi facies Domini reſpicit, ibi eſt pax, & ſalus, & exultatio: ubi autem faciem ſuam avertit* (attendite ad hoc ô peccatores! quibus hodie minatur Chriſtus *ego vado*:) *Ingreditur vitium; quia cum ipſe oculos avertit ſuâ ſponte, propter humanam fragilitatem ortum habet flagitium.*

Pſal. 12. Verſ. 4.
Pſ. 6. v. 5.

Admirabilem illam divini intuitus virtutem apprimè comprobat Evangeliſta Lucas, qui cap. 9. narrat patrem quemdam miſerrimi filii ſui ſtatus miſertum, viſo, Apoſtolos dæmonem expellere non potuiſſe, Chriſtum Dominum pro ſolatio acceſſiſſe, ab eoq; priſtinam illius expetiiſſe ſanitatẽ. Verùm miro & myſterioſo modo. *Magiſter obſecro te, reſpice in filium meum.* Ecce non petit, ut diabolum ejiciat, ut divinâ ſuâ utatur voce, ut potentem tanto operi adhibeat manum, ſed tantùm, *Reſpice in filium meum.* Ah prudenter, inquit Petrus Boſtrenſis apud S. Thomam: *Sapiens videtur hic eſſe, non enim dixit Salvatori fac hoc, vel illud, ſed reſpice, hoc enim ſufficit ad ſalutem.* Cui concinnè adſtipulatur S. Ambroſ. uberrimas S. Petri conſiderans lachrymas. *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negavit ſecundò, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus, negavit tertiò, & reſpexit Ieſus & ille amariſſimè flevit; ſi ergò ita ſunt neceſſarii oculi tui Deus, reſpice in me & miſerere mei.* Concludo itaq; dum audis minitantem, ô peccator! Chriſtum ſuum deceſ-

Lucæ c. 9. v. 38.
D. Th. in catenam.
Amb. l. 10 ſupr. c. 13. Lucæ.

deceſſum, oculorum faciei à te averſionem, perpende quanta te circumſtent damna; imò, ut ipſa veritas teſtatur, univerſa quaſi: *Abſcondam faciem meam ab eo & invenient eum omnia mala.* Et ad hæc non deterrêris? Non exhorreſcis? Ah! vociferare ex contrito cordè tam nobili Panthæa: *Ah quanta me expectant mala ex abſentia tua ô Chriſte!* reſipiſce tandem, exurge, qui dormis peccati profundo oppreſſus letargho, & meliorem arripe vitam: antequam veniat dies terribilis, & amara (de qua heri egimus) & non ſit, qui adjuvet, ſicque contingat ut in peccato tuo moriaris. Tractabit enim te, hoc certò ſcias, ut Alexander offenſus obſeſſum in civitate hoſtem. Is ut terrorem, & horrorem obſeſſis incuteret, citiuſque eos ſub ſuo dominio ſubjugaret, neceſſario militari, ad urbem vi expugnandam, inſtructo apparatu, diverſis in locis facem accendi curavit, clangentibus per totum exercitum tubis; tam diu vobis offertur venia, & miſericordia, donec fax extinguatur accenſa. Cui album antè apponebatur vexillum, manſuetudinis, & pietatis indicium. Deinde nigrum, manifeſti regii irati animi ſymbolum. Cum verò ad conſummationem ignita vergebat teda, nigro ſublato, ſubſtituebatur rubrum, apertiſſimum vindictæ, & rigoris Hieroglyphicum. Quo facto, civitas direptioni, incolæ, & cives gladio & flammæ dabantur. Et quando ejulatus undequaque ingraveſcebat, planctus, & lachrymæ afflictorum aërem adimplebant, exclamabantque: *Ubi pietas? Ubi regia benignitas?* Alexandri reſponſum illius in promptu habebant milites: *Cæſar voluit, & vos noluiſtis.*

Lucæ c. 9. v. 38.

Haud diſſimiliter inquam, cum obſtinato peccatore benignus aget Dominus; ecce expandit ei diebus & annis, & in primis in illecebroſa & voluptuoſa ejus vita miſericordiæ & benignitatis vexillum? clamatque ad protervum, & motibus impiis depravatum juvenem per Prophetam Joëlem: *Convertimini ad me in toto corde veſtro &c. quia benignus eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitiam.* Et per Iſaiam: *Quærite Dominum dum inveniri poteſt.* Sed fruſtra. Quoniam ex adverſo ablandiens mundus, juveniles annos delitiis, luxui, & vanitati impendendos perſuadet, viriles verò mercaturæ, negotiis, divitiiſque quàm amplis accumulandis conſecrandos docet; abjectam autem, & ſenilem ætatem mundano ſervitio modò ineptam, quantiſper Deo offerri permittit. Et impetrat & auditur. Dumque jam jam candela vitæ noſtræ extinguitur, fraudulenter ſufficiens & abundans pœnitentiæ veræ repræſentat ſupereſſe tempus, & miſericordiæ ſecurum affulgêre aſſerit locum. Verùm heu! miſer & ſtultus homo deceptus, & deluſus, inopinato correptus fato, dum rigoroſum ſuſtinere cogitur judicium, tùm tum clamabit: ubi pietas? Ubi regia, ô Chriſte benignitas? Et quid reſponſi quæſo expectandum? Certè æquivalens Alexandri: *Chriſtus voluit, & tu noluiſti, vocavi te & renuiſti, perditio tua ex te, ô peccator!*

Ioelis c. 2. v. 12.

D.Th. in catenam.

Iſa. c. 55. v. 6.

Amb. l. 10 ſupr. c. 13. Lucæ.

Et, ut hoc manifeſtius appareat, divinaque cunctis peccatoribus ſuperabundans innoteſcat miſericordia & pietas; attendite, & intelligite, quâ methodo uſus fuerit Dominus? Sanè efficaciſſimum obſtinatiſſimi convertendi antidotum univerſale totius mundi adinvenit judicium. Hoc abſolutè atteſtatur Propheta Iſaias, qui ſeſe dumtaxat à Domino ad populum Iſraeliticum profitetur miſſum, ut extremum hunc diem ei inculcaret: quantumvis tamen, ad verbum Dei diſſeminandum, octuaginta quatuor annos inſumpſerit: *Ad annuntiandum manſuetis miſit me ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro.* Sed quid? Vocavi, vos autem renuiſtis. Rurſus David, cunctos exactæ admonet attentionis, negotium magni declaraturus myſterii. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filii hominum ſimul in unum dives, & pauper,* aſt quid quæſo promulgare tantâ cum diligentia prætendit Propheta? *Os meum,* inquit, *loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Verùm quam indago rurſus? *Cur timebo,* reſpondet, *in die mala,* ac ſi diceret, neſcio ob quid verebor, unicum, hoc eſt, *iniquitas calcanei mei circumdabit me;* & opportebit, ut horrendam cunctis percipiam intimatam vocem, redde rationem gratiæ, ſpecialis meæ vocationis, atque internæ electionis ad meum ſervitium: ecce vocavi te ad meam ſequelam, & noluiſti, & ideò: *Vado & in peccato tuo morieris.*

Iſa. c. 61. v. 1.

Pſal. c. 48. v. 2.3.

Aſt modò demonſtremus ſemel fundamentaliter, quam temerarium ſit, ſtultum, atque periculoſum peccaminoſæ vitæ, non tantum ad ſenium, ſed quod maximè horrendum, ad extremum vitæ halitum emendationem protrahere, & ſuam animam evidenti (auſim ferme dicere) in-

evitabili damnationis exponere discrimini. Antiqui referunt Thebanæ Reip. annales, miserum quemdam, sed crudelem, & tyrannum regem plebi omninò invisum, maximeque odiosum ob suam incuriam, & seriorum negotiorum procrastinationem miserè periisse. Intellexerat fidelissimus ejus amicus Achias Jerophantes occultam populi in severum Dominum conspirationem eousque invaluisse, ut decreto consilio, & matura præhabita deliberatione, in mortem ejus fuerit juratum, statutumque eum sequenti nocte violenter è vita tollere. Quare ipse amicitiâ atque gratitudine instigatus, per litteras eum imminentis certiorem reddidit discriminis; admonens ipsum per nuntium, ut eas quàm citissime perlegeret cum dicto: *Quia seria continent.* Hic autem ludo taxillorum intentus, illas supra mensem posuit dicens: *Seria in crastinum,* sicque illâ nocte à furibunda plebe in lecto trucidatus est.

Vereor, vereor, ô peccator! nè idipsum tibi contingat; nuntios ad te mittit misericors Deus, nimirùm concionatores, confessarios &c. ut te instantis animæ periculi admoneant, & ad meliorem vitæ frugem adducere conentur: Verùm tu voluptatibus mundanis, inanibus deliciis, carnalis concupiscentiæ visco, atque illicitis ad omne nefas & scelus implicatus desideriis, improbisque irretitus appetitibus: Dei optimi maximi adinstar Thæbanorum tyranni Achiæ Jerophantis salutare aspernatis monitum: & molli id supponens pulvinari, securè dormis, clamasque: *Seria in crastinum.* O fatue! ô temerarie! quis obsecro te crastinæ diei securum reddit? Credo diabolum id tibi persuadere, nunc tui, sicut & mundi initio, Ævæ delusor: *Nequaquam moriemini.* Hanc dæmonis annotans August. astutiam ait: *Promittit vitæ securitatem, ut rapiat hæreditatem.* Et mellifluus Doct. in tuam, ô obstinate Christiane! temeritatem, & dementiam insignem adducit invectivam; utinam efficacem, & ad meliorem vitam cunctos reducentem: *Quid de futuro miser, tam temerariè disponere præsumis? Tamquam Pater tempora, & momenta, in tua, & non in suâ potestate posuerit?* Et iterum repetit: *Indulgentiam tibi promisit Deus* (nimirum, si in toto corde ad Dominum conversus fueris) *crastinum diem nemo tibi promisit, si malè vixeris bene vive jam hodie. Ignoramus enim,* inquit Jacob, *quid erit in crastino.* Et hinc infert August. pœnitentiam summa cum festinatione arripiendam fore; audi aurea illius verba, de peccatoris de misericordia divina præsumptione differentis: *Verumtamen nullus debet sub spe misericordiæ Dei diutiùs in suis remanere peccatis, cum enim nemo in ipso corpore velit sub spe salutis futuræ diutiùs ægrotare; tales etiam, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi à Deo indulgentiam repromittunt, nonnumquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.*

Aug. l. soliloq. c.16.

Bern. ser. 36.

Jacob. c.4. v.14.

Aug. l. de fide Petr. cap. 3.

Quapropter Chrysost. similibus in impietate radicatis peccatoribus, salutifera præposita admonitione, ait: *Ne differas de die in diem converti ad Dominum, & ne differas de die in diem pœnitentiam, nescis enim quid paritura sit superventura dies.* Et post illos ad justam & rationalem convocat ratiocinationem: *Ecce nunc, qui dicitis hodie, aut crastino ibimus! qui ignoratis quid erit in crastinum, quæ est enim vita vestra?* Respondete quæso cui innitimini fundamento? Unus respondet, ego robustis polleo viribus, quantumvis ætate parumper grandævus? ideòque benignæ Parcæ longum vitæ filum sunt pollicitæ. Alter, ego totus juvenis, nulli subjectus infirmitati, nulli miseriæ, quid timebo? Quodnam namque mortis telum tam generosum transfigere attentaret animum? Nihil verendum. Juventus deliciis fruatur, senectus amara satis adducet fastidia. Vivamus hilariter, dum tempus datur. Sanè denuò divina Augustini in mentem revocanda est sententia: *Quantò miser in periculo versaris? Quot, quantique inopinati rerum casus te abripient!* Aperi oculos ô obcæcate! quot indies non intuêris improvisâ ex hac vita evocari morte? Quot, heu luxui intentos, rixisque implicatos, crapulâ obrutos, miserè trucidari, sicque in æternum perire cernimus? Attende, attende, quàm solido suo, te ô temerarie peccator? ad tremorem Chrysost. urgeat argumento. *Periculum, & metus est in differendo, salus autem certa & secura, si nulla est dilatio. Non dicas, erit aliquando tempus, quando converti licebit: verba enim hæc valdè exasperant Deum: Siste jam, & confitere Deo gratiam, quod in mediis peccatis te non abstulerit.* Cui concinnè quadrat pulchra hæc Augustini sententia: *Paralytica est cogitatio de crastina cogitare conversione, & hodiernam negligere. Quid tu peccator converti simulas? Nonne metuis, ne diem conversionis subripiat dies perditionis? Nonne homines citò moriuntur? Si bonum est relinquere peccata, & ad Deum converti, citò fiat.* Et genuinam serm. 12. de temp. subministrat rationem: *Præveniendus est dies, qui prævenire*

Chrysost. hom 22. in 2. epist. ad Corinth.

venire

venire consuevit, ipse se illudit, qui cogitat, quod potest extremi temporis indigentiâ subveniri. Insanum est hoc primum, quia periculosissimum in ultimum diem promissa securitas. Deindè stultissimum est, quod una causa de necessitatibus agat æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis, odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ in senectutem eam reservans liberiùs peccat.

Non ignoro Chrysost. argumentum ab inveteratis peccatoribus unicâ retorqueri replicâ. Cui autem ea innitatur veritati, nunc patefiat: in testem falsæ impressionis cæcutiens assumit juventus singulare boni latronis exemplum: inquiens, cur ego juvenili non indulgebo animo, cur meas in hoc mundo non sectabor voluptates? Nonne præclarum infamis latro in cruce pendens præteritæ divinæ misericordiæ adduxit testimonium, unico salvatus dicto: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum?* Post hoc enim meruit à Salvatore mundi suavisonam audire sententiam: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sanè mundanâ palliatæ iniquitatis larvâ veritatem vix obnubilare potest juventus, dum ab uno latrone, & a singulari perversè legitimam & universalem elicere conatur consequentiam. Dic quæso, Philosophus es? Certè ineptè in primas logicæ impingis regulas, dum è particulari, deducere vis conclusionem universalem. Bonus latro in vitæ fine divinam est assecutus misericordiam, ergo & tu dicere potes, & ego eam obtinebo? Ah quàm frivolum argumentum! (utinam bonum) & relictâ Augustini de bono latrone opinione dicentis: *Ergo ex hoc in extremo placuit Deo: quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima:* non possum non te interrogare, an jurisperitus sis: cùm tuum non audiam responsum: ignorantiam nimis crassam ex ipsis detegere conabor legibus.

L. quod alicui de reg. juris in 6.

Lex c. *Quod alicui: privilegia paucorum non faciunt legem communem.* Et rursus nonne leges habent (lege scilicet quoniam) *quod alicui gratiosè conceditur, non debet trahi ad exemplum.* Et cap. de Episcopis & clero: *Ignoras, quod quæ à jure communi exorbitant, & discordant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Quàm stulta ergò ab uno tua ad cunctos argumentatio; Eam satis disertè redarguit Rudolphus dicens: *Exemplo istius latronis, nullus debet suam pœnitentiam differre usque ad mortem, quia privilegium paucorum non facit legem communem, & pauci sunt, qui in morte pœniteant verè: nam sicut monstruosum, quod lupus caudam ovis haberet, ita monstruosum, quod vita mala, fine bono claudatur.*

L. quoniã c. de Episc. & clero.

Et hoc tuum ô insane argumentum, ut frivolum, nulliusque momenti facile, & fundamentaliter potest derideri. Dic mihi nonne scriptura duos latrones cum Christo crucifixos fuisse fatetur? Non est quis sanæ mentis, qui hoc neget, nec tu ipse negabis. Verùm responde, quare tu à salvato potiùs, quàm à damnato arguis? Uterque, ut ita dicam, in bilance positus erat iniquitatis: uterque luctuosæ tragœdiæ creatoris intentus, unus tamen obduruit: alter emollitus est. Unus periit, alter æternam adeptus est salutem; in illo resplendente divinâ justitiâ, in hoc triumphante misericordiâ. Deindè, nonne advertis Deum nonnisi in uno tantum manifestasse misericordiam? Et quare obsecro? Optimè respondet Cyprianus: *Unus salvatus est, ne homo desperet, non nisi unus, ne de misericordia Dei præsumat.* Quapropter insolitum ratiocinationis tuæ, ô mundane! vilipendens fundamentum Chrysostomus, prosequitur: *Quid igitur?* (de latrone converso loquitur) *numquid & tibi dabitur? Fortasse dabitur inquis. Cur dicis fortasse?* Attende homo quid subjungat: *Cogita de contrario, & dic, quid si non detur.* Proh dolor! quid de misera tua tum decernetur anima? Ah cum suis asseclis formidabilem audiet sententiam ite in ignem æternum. Verùm, ut hanc evadas, quid facto opus? Audi, te magnus ille Doctor egregiè docet August. *Tolle te à dorso tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto ibi judex, torqueat te timor, erumpat confessio, dic Deo tuo, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum contra me est semper. Quod erat post te, fiat ante te: & cum factum fuerit ante te, puniatur à te, ne tu ipse postea à Deo judice fias ante te, & non sit, quò fugias à te.* Quod adeò pro animæ nostræ salute necessarium fore judicat August. ut illud documentum suis incessanter in concionibus inculcarit, quod ipsemet testatur. *Frequenter vos, fratres charissimi admonui, iterum atque iterum admonendo contestor, ut si quis cognoscit de littore continentiæ à tempestate libidinis se in pelago luxuriæ fuisse jactatum, & castitatis incurrisse naufragium, peccatorum confessionem velut tabulam confractæ navis, velociter apprehendat: ut per ipsam de hac abysso & de profundo luxuriæ possit evidere, & ad portum pervenire, ubi jam tutiore loco spei ancheram figere, & salutem perditam valeat reparare.*

Aug. l. 50. hom. ho. 2.

August. in com. serm. 24.

Verùm nec Aug. tantùm ad salutarem hanc & salubrem contra stultam peccatorum temeritatem impigrè seminat doctrinam: sed hoc in omni alicujus momenti negotio, secundùm omnes politiæ regulas exactè observandum esse, cuncti docuêre politici. Unde Quintilianus ait: *Plerumque sera pro nullis sunt*, & favet commune, & vulgare Proverbium: *Periculum est in mora.* Huic Quintiliani dicto quoque subscribit celeberrimus author Cicero: *In rebus gerendis tarditas, & procrastinatio odiosa est* Et quantumvis quidam dixerit: *Res serias in crastinum differre debemus*; dico tamen, aut eum imprudenter, aut ridiculè fuisse locutum. Unde Suetonius salutare hoc præscribit mandatum, ut omnes caveant, ne inter dicere & facere ulla interjiciatur temporis mora: *Simul dictum & factum.* Hinc & Demosthenes docebat: *quod rerum occasiones tarditatem non exspectent.* Cujus doctrinam solerter secuta est prudentissima Persarum regina Rodogina. Ipsa namque crinibus lavandis intenta, intellecto, civitatem quamdam sibi subjectam rebellare, illos non composuit; verùm, omni disruptâ morâ, in equum insiliit, recens malum, antequam radicaretur, sublatura. Memor enim erat laudabilis Ciceronis dicti quoque: *Omne malum nascens facilè opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius.* Et Taciti: *Festinandum est, antequam crescat invalida conjuratio paucorum.*

[*Quint. declarat. 1.*]

Pro hac politica regula confirmanda, Doctiss. Cajetanus infallibile sacræ Scripturæ adjungit robur. Annotat hic subtiliter in veteri testamento Sacerdotem, dum sancta sanctorum intrare debebat, indutum fuisse, de expresso Dei mandato, pretiosissimis vestibus, cum campanulis aureis in pectore. Duodecim summi valoris gestabat lapides, in quibus duodecim tribuum Israel insculpta erant nomina In capite verò aurea resplendebat lamina, in qua nomen *Iehova*, quod est Deus, impressum cernebatur. Verùm de calceis nulla fit mentio. Unde ipse Doctor autumat eum nudis incedere debuisse pedibus. Sed ob quam quæso rationem? Quandoquidem omnis pompa, omnis ornatus, atque dignitatis, & nobilitatis ostentatio apud Romanos in calceamentis consisteret. Forsitan quis dicet, quia ad sacrificandum summo Deo accedebat, alludens ad illud Pythagoræ, *nudus sacrifica.* Aut, quia ipse in templo immensas agere gratias tenebatur pro diversis à Domino acceptis beneficiis, juxta veterem Romanorum consuetudinem, qui in solemni, & publico triumpho primò templum Jovis, cooperto capite, & nudis pedibus ingrediebantur, pro adepta victoria gratias persoluturi: sic cæci Ethnici idola sua colebant. Unde monet Jerem. *Prohibe pedem tuum à nuditate*, id est ab idololatria. [*Ierem. c. 2. v. 25.*]

Ad hoc quæsitum dissolvendum in mentem revocanda est sacra quædam historia, registrata Lucæ cap. 10. ubi refertur Christum Dominum, dato discipulis, Evangelium, legemque gratiæ per universum orbem promulgandi præcepto, iis calceos inhibuisse: *Nolite portare, neque calceos, neque peram, neque calceamentum.* [*Luc. c. 10.*] Imò quod amplius est, & notatu dignum expresse iis inhibetur: *Et neminem in via salutaveritis.* Simile [*Cap. 4. v. 29.*] quid reperimus 4. Reg. Eliseus, intellectá Sunamitidis pueri morte ait Giezi: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua & vade.* [*4. Reg. c. 4. v. 29.*] *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Hoc sanè maximè apparet extravagans, & omni sanè apertè repugnans politiæ, quæ salutanti alterum, quamvis non in qualitate correspondentem, civilem attribuit honestatem: honor non est in honorato, sed in honorante. Unicâ utraque difficultas denodatur ratione. Calceamentum tarditatis, & remoræ est Hieroglyphicum, quapropter sacerdos, divina peracturus, nudis pedibus esse jubetur, illudque discipulis animarum hominum piscatoribus assumere inhibetur. Giezi quoque, quia de resuscitando puero tractabatur, peccatoris spiritualiter mortui symbolo, omni festinatione cum opus esset, omne colloquium, omnis civilitas vetatur, ut promptitudo salvandæ animæ sedulò commendetur: *Quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Audi ô socors! [*Ambr. l. 1. de Abel cap. 5.*] quid dicat Ambros. *Non satis est rectè facere, nisi etiam maturè facis, majores enim fructus habet accelerata devotio.* Ideòque Julius Cæsar asseveranter sustinebat, negotia magni momenti medelæ procrastinationem respuere: *Ea facinora,* inquit, *quæ periculo obnoxia sunt, & magna, gerenda sunt: at de his non consultandum, quod ad hæc percipienda plurimum habeat emolumentum celeritas.* Quid autem majoris momenti, excellentioris æstimationis, quàm animæ salus pretioso Christi sanguine redemptæ? Hoc extra omne dubium est, ait Bern. *Magna res est anima, quæ Christi sanguine redempta est, magnus animæ casus, qui Christi cruce debuit reparari.* Attamen, proh dolor! vilius curatur, & nobilius vilipenditur

inquit

inquit Thom. à Villa-Nova. Homo corporis salutis, aliorumque satagit negotiorum: animam autem negligit. *Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia, de equo in stabulo, & teipsum solum negligis? Teipsum tam vilem æstimas, ut non digneris de te curam habere? O anima misera! quid extra te vagaris effusa, & divisa per mundum, à te alienata & exul; recollige te & redi ad te, habita tecum.* Imò pudeat te tantæ argui ab Ethnico Seneca dementiæ, & temeritatis. *Cogita in te,* inquit, *nihil præter animam, esse miserabile.* Et hanc irridens S. Chrysost. ait: *Si aurum tibi offeram, non dicis cras veniam, sed jam exigis, aurum recipere non differs, nullus recusat; redemptio animæ promittitur & nemo festinat.*

Et verè solidum ex experientia habet fundamentum, si enim quidquam terrenum deperdatur, si unicus moriatur filius, si fortuna inversa sit, lachrymis madent oculi, si anima pereat, nullus luctus, nullus planctus apparet, ejusque ruina etiam summâ cum lætitiâ inconsideratè præteritur. Verùm audio ô stulte denuò tuam hac in re insaniam à D. Thom. à Villa-Nova acriter incusari, ponderante hunc Scripturæ locum: *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* A quo ita argumentatur. *Si enim mater pro unigenito filio, quem à morte temporali lachrymis revocare non potest, tam implacabiliter ploret, quibus tu fletibus animæ tuæ æternam mortem deplorare debebis, cum eam possis* (nota hoc peccator) *lachrymis suscitare!* ô imprudens judicium! ô detestanda hominis insania; *In morte corporis,* inquit, *temperare à lachrymis Philosophicum est, in morte animæ non plorare perniciosum est. O fontem aquæ vivæ, & aquarum viventium fontem, puteum, fontem lachrymarum, quo crimen abluitur, macula peccati tollitur, concupiscentiæ ignis extinguitur, facies animæ lavatur, sitis cordis sedatur, & mentis sterilitas fœcundatur. Beatus, qui te possidet: non confundetur in tempore malo. Deleat itaque peccator: & lachrymetur, & fremat spiritu cum Iesu, ut suscitetur. Non solùm gemat, sed à gemitus magnitudine fremat. Qui enim barathro peccatorum conclusus est, & abysso iniquitatum ejus, si leviter clamat, quomodò in cælo vox ejus audietur ad veniam?* Præcipuè cum in tantum tempus suam differt pœnitentiam.

Ier. c. 6. v. 26.

Thomas à Villa-Nova ser. 6. Dominica Quadrag.

Nonne annotasti quodnam fuerit primum in primitiva Ecclesia ab Apostolis perpetratum miraculum? Scriptura luculenter illud nobis manifestat Act. cap. 3. è quo constat claudi fuisse sanationem. Etenim sic ait Textus: *Et quidam vir claudus ex utero matris suæ bajulabatur:* qui à Petro, intrante in templum, humiliter Eleemosynam petiit pro necessario corporis sui sustentaculo: Cui ipse ait: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Curiosum modò est inquirere, cur primum miraculum claudi fuerit reparatio? Philosophi norunt Aristotelem in famosissima Atheniensium republica celeberrimam extruxisse academiam, quæ vocabatur peripatetica, & discipuli peripatetici, quod significat *ambulantes.* Ipsi enim Aristotelicam in schola ambulando percipiebant doctrinam; ideòque ab ea claudi arcebantur. Princeps Apostolorum Petrus, in Christi schola jam recenter erecta, magister constitutus erat, cumque certò sciret ab hac scholâ claudos, utpote Christianæ disciplinæ addiscendæ incapaces, repelli, claudicantis bases consolidat: hoc miraculo ostentans, Christianum in via Dei festinanter debere progredi, juxta dictum Apostoli & Prophetæ Davidis: *Currite ut comprehendatis. Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et hoc quoque non obscurè confirmat Spiritus S. 2. Reg. cap. 5. *Cæcus & claudus non intrabunt in templum Domini.* Quia scilicet utrique necessaria deest, ad currendum viam divinarum legum, celeritas. Deus namque promptum hominis respicit & acceptat animum, pigrum verò à se rejicit & refutat.

Act. cap. 3. v. 6.

1. Cor. c. 9. v. 24.

Psal. 118. v. 32.

2. Reg. c. 5. v. 8.

Primum manifestè patet in quàm plurimùm celebrato in scriptura Abrahæ sacrificio, quamvis non ad effectum deducto. Gen. cap. 22. Deus fidelis servi sui volens experiri obedientiam, & in obsequendo velocitatem, in somno ad Patriarcham clamat: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, & ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Quod præceptum divinum maturè perponderans S. Cyprianus, cogitur exclamare: *O crudele præceptum, & ipsis naturæ legibus quasi repugnans.* Et sanè hujus mandati difficultas ex quolibet evidenter erui potest verbo. *Tolle filium,* non bovem, non agnum, non capram, non aliud quodcumque animal irrationale ad hoc exigo sacrificium: sed *filium,* & quidem *tuum,* non alienum, sed proprium, non adoptivum, sed naturalem, imò & *unigenitum.* O dura lex! tolerabile foret, si plures haberet filios; verùm unigenitum rogat, *quem diligis,* non filium tibi exosum, aut rebellem, sed obsequiosum, & tenerrimè à te dilectum. Non

Gen. c. 22. v. 2.

obstante tamen tantâ præcepti duritie, naturæque paternæ repugnantiâ, intueamur semel, quanta cum promptitudine, animique alacritate Abraham divinæ obedierit voci? *Igitur Abraham de*
Vers. 3. *nocte consurgens, stravit asinum suum.* Et confestim sese itineri pater & filius cum parvo comitatu accinxerunt. *Die autem tertio elevatis oculis, vi-*
Vers. 4. *dit locum procul* Hanc Patriarchæ in obsequendo velocitatem admiratus Chrysost. ingeniosè annotat illum tanti momenti negotium dilectam suam uxorem celasse, nullam enim illius Scriptu-
Chrysost. hom. 5. in Gen. ra sacra facit mentionem. *Sara hîc non fit mentio: unde videtur, illâ inscia, ea omnia fecisse Abraham.* O Abraham! quid agis? Cur divinam Saræ non indicas voluntatem? Ah! quid misera cogitabit mater, & conjux, dum chari mariti se orbatam videt amplexu, & dilecti unigeniti intuitu. Ecce iter sex, aut septem (ut è Scripturâ patet) aggrederis dierum: si illius gnaram non reddis Saram, præ tristitia & animi angustia illa ultimum sentiet fatum. O dure conjux! tam altum Patriarchæ silentium hic S. Doctor in promptum Deo obsequendi refundit animum. *Abraham verebatur, ne votum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret, ne aliqua mora in communicando deduceretur, festinavit.* Timebat enim, ne Sara lachrymis, & planctu, & valedicendo, tanto sacrificio moram aliquam injecisset, sicut facilè accidere poterat. Et hæc celeritas in tantum arrisit & placuit Domino,
Gen. c. 22. v. 16. ut ipsemet dicat: *Per meipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Quia fecisti hanc rem, non quia tuum mihi obtulisti filium (ego enim claves mortis habeo) verùm, quia tanta cum promptitudine divino obtemperasti man-
Ambr. l. 1. de Abel cap. 5. dato: *Benedicam tibi, &c. quia non satis est. Rectè facere, nisi etiam maturare quod facis, majores enim fructus habet accelerata devotio* ait Ambros.

Secundum non minùs evidenter demonstrari potest ex sacra Scriptura. Numquam annotastis cum Lyrano, ô curiosi! Deum à suo sacrificio repulisse cygnum & pisces, victimamque talem nullatenus voluisse acceptare. Verum cur? De cygno in promptu est ratio, quia ipse tota vita taciturnus est, & dumtaxat jam jam moribundus, dulciter cantat. Cave itaque obdurate peccator, cujus verum cygnus est symbolum, ne & tu, qui jam per totum vitæ decursum obmutuisti, peccata tua usque ad ultimum halitum reservasti, tamquam indigna, & abominanda victima rejiciaris, & ab æterna excludaris patria. Canticum namque tuum: *Peccasse pœnitet*, maximum, ut exaudiatur, incurret periculum, cum lecto affixus, senectute decrepitus, mortique vicinus, illud intonas. De piscibus verò exactam & genuinam Doctiss. Lyrans subministrat rationem inquiens: *Viva & immaculata animalia quærebat Dominus ad sacrificium: quid ergo mirum, si munera piscium respuit, & negligit? Pisces namque vix expiscati moriuntur.* Sic & Deus moribundum pœnitentem abominatur, & talem animam non acceptat. Audi insane, quid adjungat Chrysost. hæc Sapientis sedulò considerans verba: *Confiteberis vivens, vivus & sanus laudabis Deum. Recessisti à Deo tuo, in ostio juventutis, non considerasti misericordiam Dei in janua adolescentiæ, æternas flammas non evades in porta senectutis.* Eccl. c. 17. v. 27. Hinc te salubriter, & instanter adhortatur magnus ille Doctor Augustin. *Age pœnitentiam, tum sanus es quando peccare potuisti, si enim vis agere pœnitentiam tùm, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt non tu illa.* Vocat enim te ad pœnitentiam Dominus, tu vocantem respuis, & in protervæ voluntatis tuæ pœnam, cum clamaveris ad eum, non exaudieris: hoc clamat David: *Audite hoc, qui obliviscemini Deum: cùm clamaveris ad me non te exaudiam.* Et Psal. 49. v. 22. S. Greg. cunctum rectè admonens peccatorem, succinctè, sed divinè ait: *Ejus clamorem Deus tempore angustiæ non audit, qui tranquillitatis tempore, clamantem non audivit.*

Unde simili pœnitenti peccatori continget, ut verendum est, sicut olim Antiocho Regi Asiæ, de quo veteres commemorant historiæ? quod ipse certo tempore ab invicto militiæ Romanæ Duce Scipione Affricano, benignitate & clementiâ celeberrimo, antequam bellum ferventius exarderet, admonitus, ut cum Romanis fœdus & pacem iniret, omnia sana illius contemserit consilia; & spreta Romanorum amicitia copiosum coacervarit militem. Quo viso, Scipio summa in Antiochum accensus iracundia, potentissimum contra eum movit exercitum: occupatisque quamplurimis regni illius propugnaculis, ac fortalitiis, nondum tamen immemor solidæ suæ pietatis, denuo ei pacem obtulit, atque, ut cum Romanis veram pangeret concordiam ex animo consuluit. Verùm is obstinatus, propositique

ſui tenax, ſeſe id numquam facturum reſpondit; quo intellecto, Scipio militares ſuas copias civitati metropolitanæ admovit (in qua degebat Antiochus) eamque arctiſſime ſtrinxit. Cum verò ipſe annonæ & militum penuria ſe ad ſummam redactum intueretur neceſſitatem, mentem, omni vana evaſionis ſpe abjecta immutavit, pacemque cum Scipione inire expoſtulavit. Sed & Scipio nimia illius pertinacia ad juſtam provocatus iracundiam reſpondit: *Id prius factum fuiſſe oporteret, non modò, cum frænum aſſeſſorem habeas.* His verbis quaſi dicens, ô Antioche! te ad ultimam deductum cernis anguſtiam, ideoque tuum inflectis animum, & confœderationem cum Romanis rogitas; ah! tempus pietatis præterit, & ſeveritatis advenit. Nunc vindicta, non miſericordiâ opus. Sic inquam cum peccatoribus obduratis benignus aget Dominus, ut ipſemet teſtatur horrendum ferens in hujuſcemodi judicium: *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c. cum irruerit repentina calamitas. Quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: tunc invocabunt me, & non exaudiam. Manè conſurgent & non invenient me.* Quod clariſſimè in Antiocho patuit. Qui, quamvis divinâ tactus juſtitiâ, infirmitate ingruente, eam æquam judicarit, & Dominum pro venia delictorum exorarit: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo mortalem.* Attamen ait Scriptura: *Orabat ſceleſtus hic ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Rationem ſubjungit Auguſt. *Pœnitentia enim ſera rarò vera.* Et luculentiùs alibi hanc refutat, atque explodit pœnitentiam, dicens: *Ille, qui ſua ſcelera cogitat, & ſtatim confeſſus fuerit, veniam ſe accepturum credat. Si enim vis, quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Non temporis longitudinem quærit Deus, ſed affectus intuetur ſinceritatem. Nec pro delictis ſatisfacimus, ſi ab iniquitate non ceſſamus. Satis à fide alienus eſt, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis exſpectat.* Et de ſimili Auguſt. ut obſtinata in peccatis emolliat corda, diſſerens converſione, divinè ait. illam fore quàm maximè ſuſpectam: *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus affirmare, quod hinc bene exit. Non vos fallo. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum, do ſecuritatem, unde non ſum ſecurus, non do ſecuritatem. Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Quod dico attendite. Debeo illud planiùs exponere, ne me aliquis malè intelligat. Numquid dico damnabitur? Non dico. Sed dico, etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Neſcio, non præſumo, non promitto.* Summo enim cum fundamento formidat Auguſt. id obventurum peccatori obſtinato infortunium, quod celeberrimus militiæ dux expertus eſt Annibal. Is enim Capuanis ineſcatus deliciis, poſt Canenſe prælium, Romanam invadendi civitatem occaſionem pertranſiens, nimiam injecit moram, ideòque paulò poſt à Romanorum exercitu ad internecionem proſtratus; cum rubore & infamia, ſuam deteſtans dementiam, coactus fuit ingenuè confiteri: *Cum potui capere Romam, non habui voluntatem: & quando volui, non habui poteſtatem.* Et hoc prædixit Propheta Zophonias: *Ambulabunt ut cæci, quia lumen perdidère virtutum. Et locum pœnitentiæ non habebunt, & hæc patiuntur, quia Domino peccaverunt.* Sed quid hoc? Nonne David clamans *peccavi*, nimirum Domino, blandiſonum Prophetæ audiit reſponſum: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum?* Hoc fateor, ſed tempori fecit, & non tardiùs. Vix enim à Nathan admonitus, ingemuit & indoluit, & pœnitentiam non diſtulit. Quid autem tu, ô indurate peccator, qui eam de die in diem differs, ſis expectaturus, tibi divinis Auguſt. inſinuat verbis: *Erit tempus in quo peccator velit pœnitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle, perdidit bonum poſſe.* Et divinum hoc S. Fulgentius juſtificat judicium, dum ait: *Iuſtè deſeritur à Deo, qui deſerit Deum, & quia homo deſerens Deum peccat, deſerens peccatorem Deus juſtitiam ſervat.* Cui rurſus accinit S. Auguſt. dicens: *Numquam priùs Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur.* Et id juſtiſſimè inquit: *Hac animadverſione punitur impius, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei.*

Et ſanè ô obſtinate peccator! tam rigoroſam divinæ Juſtitiæ in protervam animi tui pertinaciam pronunciari audis ſententiam, & necdum moveris? ubi ſacra toties tanti delicti te accuſat ſcriptura, adhuc peccare non ceſſas? Ad meliora te adhortatur Sapiens dicens: *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere, ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud; & ſi utrum-*

Marginalia: Eccl. c. 17. v. 27. — Prov. c. 1. v. 24. Verſ. 25. Verſ. 26. Verſ. 27. — Pſal. 49. v. 22. — 2. Macch. c. 9. v. 13. — Auguſt. in ſer. comm. ſerm. 4. — Zopho. c. 1. v. 7. — 2. Reg. c. 12. v. 13. — Aug. ſer. 58. de tēp. — Fulgent. l. de Deipa. ra c. 13.

utrumque simul, melius erit. Dulce lumen, & delectabile est (nimirum deliciatum & voluptatum splendor) *oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Lætare ergò juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Aufer iram à corde tuo, & amove malum à carne tua, adolescentia enim & voluptas vana sunt.* (Eccl. c. 11. v. 6. 7. 8. 9. 10.) *Et capite 12.* Rursus salutarem hanc omni Christiano inculcat doctrinam: (Eccl. c. 12. v. 1.) *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.*

Et nisi cæcutias, tuæ ipsemet, ô peccator! subscribes sententiæ. Dic mihi quæso, decetne juveniles annos consecrare mundo, & seniles Deo? Confundat te, vel unica, sed aurea Ethnici Philosophi Senecæ sententia: (Sen. de brevitate vitæ c. 4.) *Non pudet te, inquit, reliquias servare tibi vitæ, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est vivere incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde vel vitam inchoare, quò pauci perduxerunt* Si autem huic non credás ad SS. PP. attende sententias, & ad justum Dei irati clamantis judicium: (Eusebius hom. de bono latrone.) *Ego vado, &c. Et in peccatis vestris moriemini.* Eusebius ait: *Si quis à malis suis, fractâ jam ætate, vel cogente infirmitate, vel imminente morte, destiterit, oblectamenta delicti perdidit, non reliquit. Neque ille voluptatem deseruit, sed illum voluptas, illum inquam voluptas, necessitate, non virtute fugatâ destituit. Ac per hoc necdum desiit, qui adhuc vellet peccare, si posset.* Cui divine concinit Basil. (Basil. orat. de pœnit.) *Quid facis ô homo! cum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis. Ubi verò in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum eorum nullus sit usus, sed necessariò labant, torpent ob longi temporis tabem.* O insane! ecce mundo, voluptati, luxuriæ, carnalibusque tuis concupiscentiis, & inordinatis appetitibus præ senio servire non vales: mundus & caro tibi sunt fastidio, & decrepitam hanc ætatem tuo offerre præsumis creatori, & destinare virtuti illud tempus, quod vitio dedicare non potes? Audi quid dicat S. Ambros. *Quid potest habere laudis, si corpus effœtum voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam senior vigore, convertat.* Unde rursus de tali pœnitentia ait Augustin. *Pœnitentia, quæ ab infirmo* (id est à sene ac decrepito) *petitur, infirma est, quæ à moriente timeo, ne & ipsa moriatur.*

Eja itaque, ô Christiane! cum timore & tremore salutem tuam operare. Noli stulte fragili tanto cum animæ tuæ discrimine, confidere vitæ; dic mihi obsecro, si tibi quispiam tres panes proponeret, atque diceret unum eorum veneno esse infectum, adderetque tamen, ex iis quemdam esse ex judicis sententia eligendum; ah? quam sedulo eos intueres! quoties eos non verteres & inverteres, atque exclamares: ô dolor! quis ille quæso, qui mihi fatalem valet inferre mortem? An tu, an ille aut alter? O misera dubiæ electionis sors! verùm liceat mihi modò interrogare? Quid te premit? Quid te angit? Cujus cura tanti est momenti, ut hominem constantem (in quem juxta Juristas cadere non potest virilis timor) perterreat? Responsum audire videor. Quid? De morte hic agitur, an nullatenus ergò similis formidanda est electio? O homo! ingenuè confiteor tuam pro corpore perituro solertiam, & quàm plurimum execrandam pro anima tua incuriam. De vitæ temporalis perditione quantopere conquereris, & spiritualis vitæ damnum non deploras. Stateram & bilancem adhibe corpori & animæ justam, & cerne, in quantum æternum momentaneo prævaleat. Et si discursus ab æterno ad momentaneum tibi non arrideat, te à momento ad æternitatem reduce, tuncque confiteberis cum cæteris impiis juxta irrefragabile Spiritus S. testimonium: *Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.* Sed quid indè? *Videntes,* inquit Scriptura: *Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes: hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & similitudinem improperii, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt, & inter sanctos sors illorum est. Ergò erravimus à via veritatis & transierunt omnia illa, tamquam umbra, &c.* (Sap. cap. 5. v. 1. 2. 4. 5. 7.)

Urgeo te itaque, ô Christiane! moneo & exhortor, non meis, sed Augustini verbis ad sanam pœnitentiam, antequam summæ calamitatis & consternationis formidabilis adveniat dies, dicentis: *Cum venerit judicii tempus, correctionis locus*

non

non erit, sed tantùm damnatio. Erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Vis ut sit fructuosa? Non sit sera. Hodie te corrige: reus es, ille judex est: corrige reatum, & gaudebis ad judicem. Hodie enim hortatur te, ne judicet. Et qui judex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus. Ah! utinam salutarem Augustini omnes cordi suo imprimerent doctrinam, maximè deterriti terribilibus Christi minis: *Ego vado, & quæretis me, & in peccatis vestris moriemini.* Ut, expiatâ sacramentaliter conscientiâ, debitoque de offensa summa bonitate concepto dolore, delictorum suorum mereantur acquirere remissionem, æternamque adipisci beatitudinem, quam mihi & vobis omnibus tribuat Pater & Filius, &c.

Amen.

FERIA TERTIA

Dominicæ secundæ Quadragesimæ.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergò quæcumque dixerint vobis, servate & facite. Matth. cap. 23.

SÆpè sæpiùs cunctis imbecillis & tardi ingenii mei viribus conatus sum assequi, quomodò possibile sit, hominem Christianum, Evangelicâ imbutum doctrinâ, eò dementiæ procedere, ut inani, nescio qua attractus curiositate, lynceis oculis in alienos mores, peccata, vitam, & opera tantoperè invigilet, & ea promulget: præsertim Sacerdotum & Ecclesiasticorum. Etenim nonne à rationali mente prorsus videtur alienum, gratitudini repugnans, legi humanæ, atque divinæ contrarium, quòd quis venenosæ suæ linguæ ictu eum civiliter, nimirùm secundùm famam & honorem enecet, à quo per salutare Baptismi lavacrum spiritualem animæ recepit vitam? Quòd illius plenâ buccâ propaget defectus, à quo indies per Sacramentum Pœnitentiæ plenariam delictorum suorum recipit absolutionem? Verùm densâ tantæ insaniæ nebulâ obcæcatus, numquam ad rectam hujus pervenire potuissem notitiam, nisi S. Greg. Nazianz suo lumine tenebras à mentis oculis depulisset. Hic namque annotans & subtiliter inspiciens subdolam dæmonis astutiam, inquirit, in quem finem ipse inter Ethnicos & cæcos Gentiles, tot diversa suo instinctu erigi fecerit idola, iisque tot dissimilium deorum persuaserit cultum? Et respondet, ut sic perniciosum omnis generis malitiæ & iniquitatis venenum in mundo disseminaret, atque fertilem supremi Domini agrum, urticis, vepribus, & spinis impleret. *Deos vitiorum patronos effinxerunt,* inquit hic S. Doct. *ut peccatum non modò crimine careat, sed præclarum etiam & divinum censeatur, ad ea scilicet, quæ pro diis adorantur, defensionis causâ confugientes.* Suam adulteri Jovis exemplo offuscant iniquitatem: fures & latrones furtum suum Mercurii: vindicativi vindictam Martis: carnales & luxuriosi luxuriam Veneris: epulones & ebrii Bacchi ebrietatem, & sic de cæteris securè quasi palliant, & tegunt, quod rectè attestatur August. loquens de quodam insulso juvene, quem ait Terentius sese maximè gloriatum fuisse de infami sua luxuria, quia domi suæ lasciviam Jovis depictam viderat, in qua se imitari supremum jactitabat Deum. *Et quem Deum, inquit? Qui templa cœli summi concutit, ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci, & lubens.* Ad quod S.P.N. August. *Atque ab hac tanta authoritate adhibet patrocinium turpitudinis suæ.* Quod subtiliter inspiciens Seneca, divinam profert sententiam: *Quid est aliud vitia intendere, quàm authores illos inscribere Deos? & dare morbo, divinitatis exemplo, excusatam licentiam?* *Aug. l. 7. de civit. cap. 17.* *Senec. de brevit. vitæ, c. 16.*

Et ob idipsum, ut rectè advertit Theodoretus, quidam libidinosi pro sordida tuenda incontinentia per filios Dei, filiarum hominum pulchritudine allectos, Angelos intelligi, stultè asseruêre: *Quidam nimis stolidi,* inquit, *& stupidi æstimarunt eos Angelos esse: putantes forsitan suæ intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos ejusdem criminis consortes tenerent.*

Hoc prætendit impius mundus, ideoq; in Sacerdo-

cerdotes, non tantùm à S. Spiritu nuncupatos Angelos, verùm & Deos, juxta illud: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes,* lynceos continuò conjiciunt oculos, eorum vitam anatomathizant, delicta perscrutantur, & propalant: *Atque ab hac tanta authoritate adhibent patrocinium turpitudinis suæ.* Et sibi quod Ecclesiastici iniquè committunt, ut licitum licentiosè assumunt. O intolerabilis impietas! detestanda hominis dementia! sed major tua est, ô impie Sacerdos, qui improba sceleratorum Pharisæorum & Scribarum secutus vestigia, pessimo exemplo populum scandalizas, & eum è cathedra pestilentiæ, inordinatâ vitâ tuâ omnem doces iniquitatem: *Vah vobis, inquit Hieronymus, miseris! ad quos Pharisæorum vitia transierunt.* Attendite, attendite Sacerdotes, & cogitate, cujus ministerio fungimini; ponderate quantum peccato vestro proximo tuo inferatis detrimentum. Audite clamantem Gregor. *Nullum majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad correptionem aliorum posuit, dare de se exempla videt pravitatis.* Quia, ut rectè de iis ait Judith: *Vos presbyteri estis in populo, & ex vobis pendet anima illorum.* Hâc itaque occasione in præsenti discursu evidenter ostendam, quàm grave sit, & nocivum Ecclesiasticorum peccatum, ut ex hoc Angelicam in terris discant degere vitam, salutatâ tamen priùs Deiparâ pro obtinenda Spiritus S. gratia. Ave, &c.

Psal. 81. 6.

Judith. 8. v. 21.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.

Lucianus Sophista narrat solitum fuisse, & lege sancitum, ut, dum antiquitùs comœdiæ populo exhiberentur, directionis earum judex constitueretur totus Magistratus; cùmque comici quandoque profanas repræsentabant historias, profanas introducentes personas sive actores, & quandoque divinas, Deos etiam ipsos in aliorum persona exhibentes, si hos incongruè & stolidè repræsentassent, à Magistratu ad flagella actores condemnabantur. Si verò quis vilis servi personam ineptè egisset, impunis dimittebatur. Solidâ justæ sententiæ ratione additâ: *Servum spectatoribus ostendere eum, vel unicum minùs aptè repræsentare parvus error, at Iovem ipsum, vel Herculem haud pro dignitate, turpe videtur.* Ecce tandem prorsus ô Sacerdos! intimis cordis tui penetralibus imprimere debes politiam. Etenim tu divina tractas, tu Deum repræsentas, & digniori sanè, atque eminentiori fungeris ministerio, Quòd si à rectâ deflectas semita, gravior tibi restat culpa, & per consequens pœna, teste solemni Romæ tempore S. Hilarii celebrato Concilio definiente: *Reatu majori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia, peccatum sublimitas dignitatum auget. Iudicium gravissimum iis fiet, qui præsunt, exiguo autem conceditur misericordia, potentes potenter tormenta patientur.* Quod quoque solo lumine naturæ cognovit Plutarchus, dum juxta morales leges pravum, à parentibus filiis exhibitum exemplum, ad summum exaltat quasi malitiæ gradum. *Ante omnia, inquit, debent parentes nihil peccando evidens sese liberis exemplum præbere, ut in istorum ii vita, tanquam in speculo intuentes, à turpibus dictis, factisve avertantur. Etenim, qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabuntur vitia, ii se non sentiunt sub illorum nomine seipsos accusare. Quò accedit, quòd tales patres scelerum consultores, ac doctores suis sint filiis.*

Et me herclè, si vera sit & indubitata hæc etiam Ethnici Senecæ politica regula: *Omne animi vitium tantò conspectiùs in se crimen habet, quantò qui peccat, major habetur.* Clamate & ululate: *Vah nobis, ad quod Pharisæorum vitia transierunt.* Quam doctrinam apprimè confirmat Augustinus: *Deus personam hominis accipit: quantò enim quis sublimior est, tantò magis, licet leve peccatum ejus, grave est crimen. Sicut enim humilitas in potente sublimis & magnifica est: ita & culpa ejus pro crimine habenda est. Exceptis enim peccatis, quæ constat omnibus esse illicita, non omnia licent potentibus, quæ sunt concessa humilibus. Dignitatem enim hominis denigrare deforme est, & popinam ingredi notabile. Senatoribus quoque fœnus exercere, infamia est. Si ergo in his levibus inventi notandi sunt, tantò magis rei constituendi sunt, si peccaverint.*

Aug. lib. 3. quæst. vet. & novi test. 102.

Verùm, si forsitan nescitis vestram, ô Sacerdotes dignitatem, vultis illam dignoscere? Auscultate Doctorum Doctorem Augustinum, eam exaggerantem divinis hisce verbis: *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis filius Dei incarnatur! ô sacrum & cæleste mysterium, quod per vos Pater, Filius, & Spiritus S. operatur! uno eodemque temporis momento idem Deus, qui præsidet in cælis, in manibus vestris est, & in Altari. O verè nobilis sanctitudo manuum!*

Idem in Psal. 36.

manuum! ô felix exercitium! mira potestas, ubi tractat Sacerdos Dei Filium. Si tu itaque manibus impudicis, sordidâ linguâ, coinquinatâ conscientiâ, ac lascivo corde tuum attrectes Redemptorem, heu, heu! quod scelus, quod crimen non committis? S. Hieronymus huic maturè intendens discrimini, ingenuè ait: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant. Latemur ad ascensum, sed timeamus lapsum, non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse.* Unde S. Augustinus succinctè debitam Sacerdotibus inculcat vitam, dicens: *Talem esse oportet Domini Sacerdotem, ut quod populus pro se apud Deum non valet, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit impetrare: quia scriptum est: si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos; si autem Sacerdos peccaverit, quis pro eo orabit?* O dura sententia! quam sane non mitigat, sed multùm exaggerat August. ajens: *Si pro se unusquisque vix poterit in die judicii reddere rationem, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? Et ideo considerantes periculum nostrum, orate pro nobis, ut commissis nobis gregibus, ita spiritualibus pascuis studeamus jugiter providere, ut pro eis bonam rationem reddere mereamur.* Et alibi: *Si Sacerdotibus grande periculum est, aliena peccata non arguere, quantò periculosiùs erit, propria noluisse corrigere: atque ea non solùm non emendasse verùm etiam defendisse, & defendendo accumulasse,* (scilicet pravo exemplo,) *& ideo expiatura erit illic inextinguibilis concrematio, quidquid hîc medicabilis satisfactio, quidquid hîc salutifera dissimulaverat sanare conversio.*

Verùm, desideratne quispiam scire evidentiùs, cujus eminentiæ atque excellentiæ sit Dei Sacerdos, annotet dumtaxat caput 30. Exodi. ubi Deus mandat has pro solius Sacerdotis un-
Exod. 30. v. 25. ctione ceremonias: *Facies unguentum compositum opere unguentarii, Aaron, & filios ejus unges, sacrificabisque eos ut sacerdotio fungantur mihi.* Sed quod maximè notatu dignum est, nec suo sanè carens mysterio, adjungitur: *Caro hominis non ungetur ex eo.* Cui quilibet justè replicare potest: nonne caro Aaron est caro hominis? Indubiè. Ergo quomodo ungitur unguento composito opere unguentarii?

Ad hoc dissolvendum quæsitum curiosè animadvertit S. Cyrill. speciale Dei præceptum registratum Levit. cap. 6. *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur.* *Cap. 16. v. 17.* Et instat, quid, ergò caro Pontificis non est caro hominis? Nec Pontifex, dum sanctuarium ingreditur, est homo? Cui instantiæ divinè respondet: *Non erit homo, sed tamquam Angelus Dei, cùm ingreditur Pontifex velamen: sive unus cum Domino spiritus fiat, sive per resurrectionis gloriam in Angelorum gloriam transeat, non erit homo.*

S. Ambros. subtiliter annotans ex multis sacræ Scripturæ locis in veteri testamento de mandato *Ambros. epist. 6.* Dei sacerdotalem cœtum à communi populo fuisse separatum: in sacerdotalis dignitatis elogium audacter ait: *Vides divisiones? Vides in Sacerdotibus nihil plebeum requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque usu, & moribus inconditis. Quomodo enim observari potest à populo, qui nihil discretum habet à populo, quod in te miratur, si sua in te recognoscat.* Sed heu! an in obcæcato moderno sæculo nil Prælatis, Episcopis, Sacerdotibus, & Religiosis cum plebe commune? Utinam, utinam, non enim cogerer exclamare. Proh tempora! proh mores! nonne cum summo præ oculis intuemur cordolio, purpurâ & bysso indutos Ecclesiæ Romanæ ministros, plus propriæ studere utilitati, quàm gregis sibi commissi perfectioni! Qui non viderit, subticeat. Quamplurimi id sese vidisse (Deus eorum emendet errorem) sincera & candida fide attestantur. Hanc detestandam, execrandam, Atheisticam, atque ad summum odibilem iniquitatem, & impietatem S. Thomas noster Valentiæ Archiepiscopus, cunctis status sui successoribus ingenuum præbens exemplum, profusis amarissimè deplorat lachrymis: *Proh dolor! in quem statum hodie Ecclesia redacta est? Quantum à prima illa venustate degenerant? Verè juxta Prophetæ vaticinium Threnorum cap. 1. Egressus est à filia Sion omnis decor, & omnis ejus pulchritudo penitus immutata est. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Viri Religiosi, quos tunc devotionis cortina celabat, negotiis sæcularibus implicati, dispersi sunt in capite omnium platearum? Et qui cælesti curiæ assidui erant, Principum hodie curias implent, Prælati Ec-* *S. Thom. à Villa Nova, serm. 2. in Pent.* *clesiarum modò ad terrena lucra, & temporales divitias oculos suos deflexerunt. Quid enim aliud quæritur ab Episcopis, nisi argentum & aurum? De animarum verò salute ultima cura est.* Estne hoc ô Prælate! ô Superior! ô Eccle-

siasticè! Christi summo Ecclesiæ Pastori injunctum observare mandatum: *Pasce oves meas?* Fateor de spirituali ovium salute, non de corporali hic tractat Dominus, utpote de principaliori. Sed eheu! nec huic impius incumbit custos: verùm (quod Satyrico stylo describendum foret, si tempus & occasio sese offerret) nec corporali aliquatenus pauperum studet sustentaculo, atque necessitati, mavultque ad instar divitis epulonis, micas canibus dare, quàm eas indigis erogare pauperibus. Unde similibus Ecclesiasticis rectè quis posset appropiare, simul & comminari illud Amos: *Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël. Transite in Chalante, & videte, & ite inde in Ethmath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad omnia quoque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, bibentes vinum in phialis, & nihil patientes super contritionem Ioseph,* id est, pauperis. Ah! proponant sibi hi impii Ecclesiastici, & imitentur panem pauperum, maximumque Eleemosynarium S. Thom. nostrum à Villa Nova, in cujus vita hæc inveniemus exarata verba: *Expensas prohibebat fieri, idque ne minùs pauperes haberent, ob quam etiam causam pompâ, aut splendore domi suæ uti noluit. Parietes omnes nudi erant, nullis aulæis tecti. In palatio ejus non visebantur artificiosæ picturæ, non pretiosa scrinia, non sumptuosæ statuæ, non superba supellex; sed inanibus hisce, & vanis sumptibus supersedebat, ut Ecclesiæ reditus ad egenorum possent pervenire manus.* Cordi suo firmiter imprimens S. Hieronymi doctrinam: *Pasco pauperes, & cælorum Regem.*

Matt. 21. v. 17.

Amos 6. v. 1, 2, 3, 4, 6.

Philo Judæus fidelissimus rerum ab Hebræis gestarum enarrator, curiosè annotat, Deum olim in antiquo Testamento inhibuisse Sacerdoti, ne proprii quidem patris mortem plangeret. Quod mandatum primâ fronte absonum, & quasi filiali pietati & naturæ videtur directè repugnans. Quid itaque, inquit Philo, Dominus indicare vult hujusmodi inhibitione? Nil sanè respondet, nisi Ecclesiasticis, Deoque consecratis sanam inculcare doctrinam, ut sæcularibus se intermiscêre caveant negotiis, & carnalibus connivêre affectibus, quia illos decet, se totos Deo vovêre, & ad Ecclesiastica dumtaxat attendentes exercitia, mundana & terrena execrari. Audite citati authoris verba: *Cùm enim Sacerdos sit Deo dicatus, oportet eum ab omnibus cogitationis suæ affectibus abdicari. Postulat enim in eo viro lex perfectionem homine majorem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam divinæ, humanæque naturæ, si verum fateri licet, confinio.* Sed eheu! quis nunc Ecclesiæ status, denuò interrogat S. Thomas? Et lamentans respondet: *O quantum degeneramus ab illo, nimirum primitivo Ecclesiæ statu! ubi nunc in religione illa puritas, illa innocentia, illa sanctitas? Vbi ille devotionis fervor? Vbi solitudo illa? Vbi abstinentia illa? Modestia illa? Vbi vestis neglectus? Mundi contemptus! Iustitiæ zelus! Væ nobis, quia solum nomen vacuum religionis, tonsuram, & habitum gestamus, deliciosi, delicati, superbi, voluptuosi, inquieti, vagi, tepidi sine spiritu, sine devotione, negotiatores, detractores, deambulatores facti sumus sicut populus.* Proh dolor! optimè dicit hic S. Doctor: *Prælati Ecclesiarum quomodò ad terrena lucra, & temporales divitias suos oculos deflexerunt.* Etenim, si pinguius vacet beneficium, aut ditior prælatura, cuncti avidè ad eam aspirant, sordidâ hâc avaritiâ ostendentes, sese ardentiùs sectari divitias, segniùs verò fidelium venari animas. Quam iniquitatem vaticinatus est Propheta Isaias: *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum.* Nec tantùm ad sæculares impius ille ergà terrena & temporalia bona pervenit affectus: verùm ulteriùs serpsit pestiferum hoc venenum: *A Propheta usque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* Ac proinde iis potest & illud Psalmi 16. appositè improperari: *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

Thomas à Villa Nova conc. 3. de Ioan. Baptista.

Conc. 2. de S. Augu.

Isa. 56. 11.

Psal. 16. 11.

Sapientissimus Rex Salomon considerans diversorum hominum mores, difficilem, satisque intricatam profert sententiam: *Oculi sapientis in capite ejus*, inquit. Justè enim & fundamentaliter posset in contrarium urgeri; ergòne oculi stulti non sunt in capite? Suntne in dorso, pede, aut manu? Quid itaque Sapiens innuere prætendit, dum dicit, *Oculi Sapientis in capite?* Vatablus loco *Oculi Sapientis*, legit, *oculi Sacerdotis*, quia summa eum decet sapientia, quæ residet in capite. Vult itaque indicare Spiritus S. cunctum hominem sapientem, & maximè Sacerdotes, atque Ecclesiasticos debere omnem suam intentionem, omnes actus, totamque vitam ad caput Christum, & Deum dirigere, necessariumque esse oculos suos

Eccl. 2. 14.

ad cœlestia elevare, & à terrenis declinare, quærentes, quæ Jesu Christi sunt, non quæ sua sunt. Quia, ut inquit S. Greg qui imis intendunt, indigni sunt sacerdotio, Deique ministerio. *Quisquis utcumque terrenus est, sibi testis est, quod membrum sacerdotis non est.*

Hinc notat diversitatem inter sacrificium, quod sacerdos pro se, & illud, quod pro plebe offert doctissimus Theodoretus. In primo inquit, tota combutebatur victima, in secundo verò una pars consecrabatur Deo, altera tradebatur sacerdoti, tertia offerenti. De qua obstupefactus ceremonia, quærit quid sub hac latitet mysterii? Et respondet: *Vt integritatem sacerdotis demonstraret, qui non aliquatenùs, sed totum planè se dedicavit Deo universorum.* Per hoc innuens Spiritus S. sese totum specialissimo quodammodo (quoniam etiam à sæculatibus cor exigit dicens, *fili præbe mihi cor tuum.*) requirere sacerdotem, & Ecclesiasticum. Unde tales à proprio suo statu deflectentes, & ad sæcularia respicientes, diviné, argutè, & mordaciter redarguit S. Thom: noster à Villa Nova: *Caveant sibi igitur, & pertimescant, quibus datum est ad mensam Domini sedere, dapes cælestes animo degustare, suavitatem spiritus, Deo largiente, sentire, ne post gustatas Paradisi delicias, retrò ad contemptibiles Ægyptii cœpas & futilium carnalium voluptatum pepones respiciant, ne vindicante Deo, aut venatorum morsibus lanientur, aut sicut uxor Lot in salis statuam convertatur, & bestiæ lambant eos. Audiant Christum in Evangelio idipsum misericorditer præmonentem, & terribiliter intonantem his, qui in agro Domini versantur, ne redeant retrò Lucæ cap. 17. memores inquit estote uxoris Lot.* Cui non sine mysterio inflictam esse autumat hic S. Doctor hujuscemodi pœnam; imò obstupefactus, quasi congruum & justum judicat, quod illa communem Sodomæ ex commiseratione respexerit ruinam, hisce verbis: *Imò potiùs contrarium rationabile videbatur, ut mandaretur eis sistere in regione: nec à prospectu civitatum discedere, donec completam vindictam inspicerent, quam de sceleratis hominibus divina sumeret justitia, ut qui testes fuerunt criminis, testes etiam essent ultionis.* Et infra: *nos ergò fratres, quos ab hujus sæculi nequam flagranti incendio, & libidinum æstuantium igne sulphureo divina bonitas misericorditer liberavit: statuens in loco spècioso pedes nostros, ut ad montis fastigia condescendamus.* Et profectò parumper arctiùs stringit verbis utcumque Satyricis: *Si enim talis est pœna retrò respicientium, qualis ultio retrò redeuntium. Sæculi hujus flagrantem libidinibus, & curis æstuantem Sodomam divino beneficio evasimus, ut quid eam ultra, vel à remotis aspicimus? Si quis autem propriæ salutis immemor, & divinæ in se pietatis contemptor, retrorsum ad viles, & vanas sæculi voluptates, & curas, quas reliquerat, respicere non erubuerit, hanc sibi à Domino reatus pœnam noverit destinatam, ut amisso devotionis, ac pietatis spiritu, & emortuo corde in salis statuam permutetur, & abyssi bestiæ lambent eum, utraque enim ultione dignissimus extitit, & ut spiritualis dulcedinis, quam contempsit, expers fiat, & ut bestiarum infernalium linguis lambendus nunc exponatur, quarum dentibus postmodùm erit laniandus.* Et tandem concludit: *Caveamus inquam non modò redire, sed & respicere sæculum: quod evasimus, scientes, quia nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Magis enim, quæ retrò sunt, obliti, ad anteriora sollicitè non attendentes propositum nobis supernæ vocationis bravium diligenter ardenterque prosequamur.*

Conr. 2. de S. Augu.

Isa. 56. 11.

Psal. 16. 11.

Eccl. 2. 14.

Hanc Ecclesiasticos & sacerdotes apprimè suo exemplo edocuit summus Pontifex Moyses, qui spretis aureis & argenteis Ægyptiorum vasis, ossa dumtaxat Joseph asportavit: *Tulit Moyses ossa Ioseph secum.* Quem terrenatum, & fluxarum rerum contemptum contemplans Philo Judæus ait: *Moyses solus sine auro, argentoque, ac reliquis opibus regum discessit, habens pro censu, quidquid Deus possidet.* Innuens sacerdotes non debere divitiis accumulandis studere, verùm suarum ovium æternæ salutis satagere, & ad ea, quæ superna sunt attendere. Quam Mosaicam admonitionem altè animo suo impresserat præclarum illud Episcoporum, Prælatorum & Sacerdotum exemplar (quod cunctis ad imitationem propono) S. Augustinus divinis hisce ad Deum clamans verbis: *Quid dicis? O Domine Deus meus! ô Domine Deus noster! ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis, nolumus de terrenis istis, & vanissimis, & caducæ vitæ transitoriis. Fac nos beatos de te: quia beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius.*

Exod. c. 13. v. 19.

Et sanè ô sacerdotes! quid proderit populo in cathedra veritatis dissuadere vilem ergà terrena affectum, quid emolumenti auditoribus vestris docta adferet concio in cuncta vitia invectiva, si vos eos per publica, & prava vestra omnem impietatem edocatis exempla. Plebs enim vestram curiosè inspicit vitam, suamque ei conformat, sibique

id, quod in Sacerdotibus comperit, maximè licere arbitratur. Et per consequens, si illorum vita à recto tramite deflectat, ista pariformiter declinat, quia *vos estis Presbyteri in populo, & ex vobis pendet illorum salus.* Quoniam Ecclesiasticus est quasi primum mobile, ad quod cuncti subditi moventur; si motus illius erret, errabit & inferior. Unde Claudianus ait: *Nec sic inflectere sensus humanos possunt edicta, quàm vita regentis.* Et Plato: *Quales in Republica Principes, tales reliqui solent esse cives.* Hinc David dicit: *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Sed adverte, quantum ex Regum probo exemplo pullulet utilitatis:
Psal.71.11. *Omnes gentes servient ei.* Ideoque & illos rectæ
Psal.2.10. admonet vitæ: *Reges terræ intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Et optimè ait Cyrillus: *Quia dum sapiunt hi, qui regnant, illicò sapiunt, qui reguntur.* Hinc Ægyptii rectorem rectè manum ori suo apponentem depingebant, hieroglyphicè innuentes, eum verbis opera debere conjungere. Hoc quomodo sæpe sæpiùs lucidum illud omnium virtutum jubar inculcat S. Thomas à Villa Nova, dicens: *O magnus prædicator Rex! plùs proficit exemplo, quàm omnes mundi prædicatores. Omnes student placere Regi. Si amicus est bonorum, omnes student boni esse, aut saltem apparere, & quod non faciunt timore Dei, faciunt timore Regis.* Quod apertè patuit in Reguli ad veri Dei fidem conversione, de quo ait Evangelista Joannes: *Credidit ipse, & domus ejus tota.* Hinc concludit Seneca: *Plùs homines oculis, quàm verbis credunt.*
Ioan.4.53.
Hom. 1. in ep. ad Tim. Ideoque Chrysostomus Ecclesiasticos dicentes, & non facientes, fallaci comparat Nabuchodonosoris statuæ. *Sacerdotes,* inquit, *qui dicunt, & non faciunt, similes sunt statuæ Nabuchodonosor, caput habent aureum, & pedes luteos, linguam sanctam, & opera iniqua. Vox est Iacob, at manus sunt Esau. Vox sancti, & opera impii. Monstra sunt, quia linguam habent brachio longiorem.* Sed heu! sicut illa contrita est, ut dicitur Danielis cap. 2. sic & impii Sacerdotes, qui plebi sunt offendiculo, comminuentur, & conterentur. Quod egregiis verbis comminatur S. Thomas à Villa Nova: *Væ Prælatis, quorum vita subditis exemplum peccandi est, quibus deberent esse forma virtutis. De quibus B. Gregorius ait, scire Prælati debent, quòd si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Væ discolis, quorum exemplo vivificandi erant simplices, & perduntur. Unde hodie in Ecclesia tanta tepiditas & iniquitas? Unde tanta in omnibus avaritia & cupiditas? nisi quia in majoribus, & proceribus illius, unde fulgere debuit sanctitas, viget iniquitas: minores verò majorum vestigia sequuntur.*
Dan.2. v.39.
Thomas à Villa Nova, conc. de S. Michaële.

Quapropter curiosè annotat Origenes, quod Isaiæ labia conquerentis: *Vir pollutus labiis ego sum, & in medio polluta labia habentium ego habito.* Per Angelum curentur: *Et volavit ad me,* inquit Propheta, *unus de Seraphim, & tetigit os meum, & dixit: ecce, tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Verùm de labiorum populi curatione & iniquitatis, atque peccati emundatione, nullam admiratur fieri mentionem: *Seraphim mundavit labia Prophetæ, & non mundavit labia populi.* Cujus genuinam indagans rationem, respondet: abundè sufficere ad scabiosas oves sanandas, providum, justum, & mundum pastorem, superiorem ac rectorem: *Quia minores,* inquit Gregorius, *majorum vestigia sequuntur.* Quod & testatur Sapiens: *Qualis rector est civitatis, tales & habitantes in ea.*
Isaiæ c.6. v.6,7.
Eccli. c.10 v.2.

Sicut itaque bona vita ordinatum & regulare exemplum maximo communi plebi est emolumento, ita & perversa illi summo est nocumento: ut patet ex illo, quo Nabuchodonosor usus est stratagemate, ut populum Israëliticum ad auream statuam à se erectam, adorandam facilè pertraheret. Ait enim Scriptura: *Misit Nabuchodonosor Rex ad congregandos omnes satrapas regni.* *Dan. c.3.* Verùm ad idololatricum infamis statuæ cultum nonne totam flectere prætendebat plebem? nullus Interpretum & SS. Patrum dubitat. Cur itaque, inquit S. Hieronymus, solos ad novum & insolitum cultum Israëlitarum convocat satrapas, rectores, Sacerdotes, & non universum populum? Astutè Nabuchodonosor ad statuæ adorationem illos accersiri mandat, quia, ubi magnates, proceres, & Ecclesiastici idololatrare incipiunt, imbecillis & debilis in paria facillimè, exemplo superiorum allecti, scelera incidunt. Audite Hieronymi verba: *Facit Manasses, ut congregentur ad adorandam statuam principes, ut per principes seducantur & gentes. Seducti enim magistratibus, subditi populi malorum exemplo pereunt.* Ipsi enim sunt sal terræ, qui sale bonorum morum, sapientiæ, justitiæ, modestiæ, castimoniæ, atque charitatis pravam plebis vitam condire tenentur, sibique quàm maximè faveant, ne sal infatuetur, id est, ne scandalosam vitam degant; tunc namque gregem à scabie peccatorum conservare non valent, teste Scripturâ: *Ad*

nihilum

Matth.c.5 v.13. *nihilum valet ultra*, sed benè eam pervertere & inficere.

Audite,& percipite superiores,rectores &c. irrefragabilem hanc veritatem manifestius 2. Paralipom. pessimæ vitæ à Spiritu S.arguitur Rex Manasses: *Fecit Manasses malum coram Domino.* Ex quo tanquam legitimam ipse hanc elicit consequentiam: *Igitur Manasses seduxit populum, & habitatores Ierusalem, ut facerent malum super* 2.Paral.c. 33.v.9. *omnes gentes.* Verùm,dum eam attentè considero, obstupesco,& nisi ab ipsa veritate infallibili justificaretur,asseveranter sustinerem meo judicio (salvo meliori) illam solido carere fundamento. Quid enim commune habet Manassis regis malitia,cum populi Israelitici iniquitate? Ut,dicto, *fecit Manasses malum*: quasi ex antecedente justum inferatur consequens: *Igitur Manasses seduxit populum &c.* præcipuè ubi in tota scriptura non constat,eum nunquam populum ad malum excitasse. Hanc tamen defendit, non tantum Quintilianus dicens: *Quidquid principes faciunt,præcipere videntur*: sed S.Paulus, qui præsumens Petrum contra legem Christi peccare, eò quòd in lege Mosaica prohibitos Judæis cibos, ipse etiam in eorum præsentia comederet & iis permitteret: hoc illum fortissimo aggressus est Ad Gal.c. 2 v.14. Achille: *Si tu,cum Iudæus sis,gentiliter vivis, & non Iudaicè: quomodò gentes cogis Iudaizare?* Ac si diceret, si tu opere, fundamentalis existens inchoantis Ecclesiæ lapis, fragilis es, & publicè in varia laberis vitia, quid de tam insigni tandem expectandum est fabrica, nisi certa ruina? Si tu superior actu tuo (ad vos modò etiam loquor sacerdotes) passim iniqua perpetratis scelera, quomodò pœnitentes vestros, subditos & plebæos justam degere vitam, non dico cogetis, sed adhortabimini? Appositè ad hoc rursus dicit Homil.10. super epist. ad Timot. Thomas noster: *Cogat non imperio, sed exemplo,quia Principis & Prælati validiora sunt exempla, quam verba.* Unde egregiè ait S. Bernardus: *Sit charitas de corde puro, & conscientia bona,& fide non ficta, puritatem quidem cordis in eo Prælatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse: ut proprium communi præponat, honorem sæculi, & aliud quidpiam in sua prælatura non quærat,præter solum beneplacitum Dei,& animarum salutem.*

Scandalum Rectoris, Prælati, Sacerdoris &c. (quod facilè impiis patribus & matribus inordinatâ sua vitâ prolem suam omnem edocentibus iniquitatem applicari potest) adeò divinis omni tempore displicuit oculis, ut ausim dicere, illud rigorosæ sine ulla planè misericordia obnoxium fuisse divinæ justitiæ. Memores estis, credo auditores,regis Davidis execrandi adulterii, & fraudulenti homicidii, cujus acriter a Propheta Nathan 2.Regum redarguitur. David sese & in conscientia noscens reum, & justo accusatum testimonio, summam delicti sui excitans contritionem, unicum edidit peccavi: *Et dixit David ad Nathan,peccavi Domino.* 2.Reg.c.12 v.13.14. Sed quid quæso obstantum Davidis dolorem,ob perpetratum in benignum Dominum crimen responsi? En confestim divina bonitas veniam & indulgentiam impertitur: *Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque transtulit peccatum tuum,non morieris.* Magna fateor Dei nostri clementia fuit, quòd pro uno verbulo è contrito deprompto animo (de quo fortè prolixius infra) tam suavis detur sententia: *Transtulit quoque peccatum tuum.* Nescio tamen,quandoquidem secundùm Theologos perfectissimus ob Deum summum bonum offensum dolor,non tantum reatum culpæ, verùm etiam & pœnæ diluat, ac peccatorem planè justificet: cur equidem puer,ex adultera Bethsabee natus,mortis subjiciatur sententiæ? Etenim reus benignè absolvitur, nocens dimittitur pater, & severè, ut videtur, innocens condemnatur filius. Cum itaque in fide certum sit, Deum universam mundi machinam justo regimine gubernare, bonos præmiando,impios puniendo,operæ pretium est genuinam divini judicii investigare rationem, quam Doctiss. Theodoretus subtiliter eruit è subsequentibus Prophetæ verbis: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc,filius, qui natus est tibi,morte morietur.* Vers.14. Sed ô Theodorete! putasne te solidum attigisse fundamentum? indubiè. *Quoniam, blasphemare &c.* Verùm dic obsecro, quomodò blasphemare fecit David inimicos Domini? Ah! non nisi exemplo suo iniquam ad adulterium, & homicidium demonstrando semitam. Quod enim, ut dictum est,Rex, & superior facit, quamvis injustè,id sibi licere autumat populus. Ideoque Deus hoc detestans,absynthium melli commiscet, animæ providens Davidis saluti suam elargiendo misericordiam: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum*: simul & populi præcavens offendiculo, æquissimum reddidit judicium: *Quoniam blasphemare &c. filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Scandalum auferatur, puer è vitâ tollatur. Audite præfati

Doctori

Doctoris verba, *ideò Deus occidit filium Davidis, ut extingueretur malum exemplum, quod per adulterium exhibuerat David: sæpè enim videntes homines filium illum, recordarentur criminis David, & adulteri dicerent: quid mirum si nos adulteri sumus, cum & rex noster adulter sit?* Sumentes *à tanta authoritate,* ut ait Augʋst. *patrocinium.*

Hinc S. Hieronymus maturè sese reflectens supra diaboli stratagema, simul & sedulam ad animas hominum ad inferos deducendas curam, de
Psal. 123. v.21. qua Propheta David: *Catuli leonis rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi.* Quærit quænam sit esca Dei? Diversa ad hoc quæsitum reperiuntur responsa, quidam enim arbitrantur fore peccatores: & optimè, quoniam illa opinio fundatur in his Christi verbis, Apostolis dicentibus, cùm Samaritanæ loqueretur: *Rabbi manduca.* Respondentis: *Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis,* & in illo Abacuc loco:
Abac. c.1. v.16. *Quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus.* Verùm mihi Hieronymi non lubet adhærere sententiæ, salvâ cujus reverentiâ magis fundatam, magisque ad propositum congruam eorum sustineo sententiam, qui asserunt escam Dei, fore superiores, rectores, justos, sacerdotes &c. quibus captis, pravo eorum exemplo imbecilles, debiles & ignorantem inescare satagit plebem: *Electi & justi, primates regni, & Ecclesiæ sacerdotes electus sunt cibus Christi,* inquit Hilarius, *& hanc escam à Deo diaboli quærunt, eos scilicet pervertere, qui labore & dolore assumpti sunt à Christo, non injustos, sed justos ad alierum perditionem, & subversionem festinant eripere.* Idipsum
Chrysost. ho.1. in ep. ad Timot. egregiè attestatur S. Chrysostomus aureis hisce verbis: *Diabolus contrà eos fortiùs armatur majorique fertur insaniâ, quippe, cum ex eorum cæde gregis quoque sequatur ruina.* Et sese vulgari explicat similitudine. *Nam qui ovem jugulat, gregem quidem minuit, qui Pastorem ipsum de medio tollit, totum sibi gregem dissipat.*

De Dario potentissimo Persarum rege veteres commemorant historiæ, quod ipse in sanguinolento quodam certamine certâ vice existens, florentissimo superstite exercitu, paucisque è suis desideratis, nisi Duce Clodio, altâ exclamarit voce: *Nunc inimicus vicit, nunc periit exercitus Darii.* Quo intellecto, quidam strenuus commilito indignabundus respondit: *Nunquid desunt viri? Deficiuntne milites?* Ad quod ingemiscens totaliter afflictus Rex ait: *Adsunt utique, sed deficiente capite, atque exemplari consumpto, cætera languent membra, & ministri deficiunt ad opus.* Pariformi planè modo militans exclamare potest Ecclesia, dum suos Rectores, Prælatos & Ministros ferali capitalis hostis diaboli telo misere dejectos intuetur, & ad depravatos deflexisse mores: *Nunc inimicus vicit, nunc periit exercitus Christi.* Quod non obliquè attigisse videtur Propheta Jeremias, Iere. tren.
dum considerans luctuosum Jerusalem statum, c.1. v.1.
lamentando ait: *Quomodò sedet sola civitas plena populo? Facta est quasi vidua princeps provinciarum.* Ac si diceret: ubi vires vestræ, ô filii Sion! ubi ô Jerusalem tua constantia? Civitas plena est populo, & cur ille contrà infestissimos suos hostes non armatur? Cur numerosus non conglomeratur exercitus? Unde tanta segnities? Unde tanta incuria? Ah! totum hoc à capite &
à sacerdotibus provenit malum: *Viæ Sion lugent,* Vers.4.
eò quod non sint, qui veniant ad solemnitatem: sed quare? Subjungit: quia *Sacerdotes ejus gementes.* Et pro hujus periculi, & imminentis ruinæ aversione divinum instanter Propheta David implo- Psal.11.
rabat auxilium: *Domine salvum me fac:* quasi sese v.1.
in summo protestans versari discrimine, verùm quo? Respondet: *Quoniam defecit sanctus.* Sed nonne nos modò jure meritò eisdem uti possumus verbis: Domine salvos nos fac: quoniam plebis rector, qui justum in regimine administrare tenetur judicium, modico quodam dono corruptus, ad injustitiam deflectit, magistratus civitatum corrumpuntur, Ecclesiastici plùs sæculares, quàm statui suo congruos imbibunt mores, Prælati magis propriis carnalibus indulgent desideriis, quam gregis advigilant animabus. Sed quid detrimenti, ô David subsecutum est ex eo, quòd defecerit sanctus? *Diminutæ sunt,* inquit, *veritates à filiis hominum.* Quia, ut rectè ait Chrysostomus: *Porro, qui Præsulem de medio tulerit, totum simul exercitum dissipabit.* Et Eusebius *sunt peccatorum, & vitiorum suorum veluti cæcos ad foveam simplices deducunt, & usque ad animæ viscera crudeles efficiuntur.*

Undè quàm rectissimè similes assimilari possunt ingrato illi cani, quem Romæ tempore Marci Aurelii imperatoris fuisse veteres asserunt historiæ. Hic diuturno tempore à Domino cæco enutritus, & in ducem viarum adscitus, tanti beneficii immemor, eum ad foveam duxit, atque in eam præcipitari fecit. Nec hic canis illius substitit rabies, confestim enim sese quoque super cadaver dejiciens, ejus intestina voracibus dentibus

bus corrosit, & dilaniavit. Undè juxtà Senecam de infideli amico, aut servo invaluit adagium: *Canem nutris in prædam.* Hoc inaudito, Aurelius Cæsar, intellecto spectaculo, gemens exclamavit: *O canina crudelitas! ô crudelis remuneratio! Iupiter heu festina, & salva nos.* Ah perpendant obsecro statum suum Ecclesiastici, religiosi, sacerdotes, prælati &c. perscrutentur quid sint; sanè non nisi canes inquit Gregorius, à Deo constituti, ut lumine suo cæcos hujus mundi homines ad rectam æternæ vitæ deducant semitam. Juxtà illud: *Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* (Matth. c. 5 v. 14.) Quod si è contrà vos debiles, imbecilles, indoctos, & cæcos pravâ vestrâ vitâ, maloque exemplo ad profundam æternæ ruinæ abyssum deducatis, quid estis, nisi canes crudeles, qui vestro ductu miserum hominem in præcipitium agitis? Heu! heu! quæ vobis in extremo judicio imminet calamitas, quam exacta vobis pro tàm pretioso deposito, à Christo commisso curæ vestræ, anima scilicet, sanguine ejus redempta, reddenda est ratio? Audite & cordi vestro firmiter imprimite terribilem S. Thomæ à Villa-Nova sententiam: (Th. à Villa Nova côc. de S. Mich.) *Cum Pastor venerit* (Pastorum scilicet Pastor Christus) *ovium suarum sanguinem de manibus eorum severissimè requiret. Væ demum vobis omnibus istis & similibus, qui infernum animabus simplicibus repleverunt, & portæ inferi sunt, per quas multi in perditionem eunt.* Et amplius urgens subjungit: *Nunquid non melius illis fuisset mille mortes subiisse, quàm tanti reos criminis esse? O quàm horrendum tibi esse deberet, ut propter te aliquis perpetuo ardeat in inferno. Mallem fratres centum homines corporaliter peremisse, quàm unam animam perpetuo incendio tradidisse. Si ex solo damno culpa pensanda esset, & non ex arbitrio.* Et genuinam tanti horroris assignat rationem, argumentando à minori ad majus. *Si enim sanguis Abel sic clamat ad Dominum in fratrem occisorem quanto fortiùs clamabit sanguis animæ perpetuo damnatæ in suũ interfectorem? O quomodo conqueruntur! quomodo vociferantur! ô quomodo maledicunt, & imprecantur omne malum apud Dei justitiam, in eos qui eis tanti mali & miseriæ causa fuerunt & offendiculum posuerunt, ut in tale præcipitium ruerent!* & ne fortasse vanum illorum contrà vos æstimaretis clamorem, addit: *Audi Ierem. imo Dominum per Ierem. terribiliter intonantem, quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas, & in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum & innocentum? O sanguis plena sanguinibus anima, & tot mortibus rea non erubescis ita impudenter te mihi post tantum sanguinem exhibere familiarem, & meam quærere dilectionem. Cui non satis fuit teipsum peccatis tuis fœdare, sed, insuper alios docuisti vias tuas. Et in alis tuis, id est pessimis operibus, & exemplis, quibus veluti alis fama volat, receptus est sanguis, non corporum mortalium, sed animarum immortalium pauperum, & innocentum, quos tuo exemplo, veluti gladio jugulasti, & perpetuis ignibus tradidisti.* O horrendum! ô formidabile!

Ad hanc sententiam contremiscamus Ecclesiastici: abstineamus nos à scandalo & offendiculo, qui plebi debemus esse probo exemplo. Ne ex imprudenti ore nostro incondita emanent verba, *Fiant scandala, non curo scandala,* directè contrà Christianam, quam nos sequimur, militat doctrinam, ni fallor. Imò nec fallor, etenim ait ipsamet veritas Christus: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* (Matt. c. 18 v. 6.) Verùm humiles, modesti, pacifici, totaliter à sæculo abstracti, Divi Chrysost. insectentur vestigia, adhortantis Ecclesiasticum ad sublimis status sui considerationem? *Quod sumus professione, actione potiùs, quàm nomine monstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini. Nec sit nomen inane, nec crimen inane. Ne sit honor sublimis, & vita deformis, non sit Deifica professio, & illicita actio.* Ne conqueramini quæso Ecclesiastici, me in publicum & adeò perniciosum nimis mordaciter insurrexisse peccatum, vulnusque vestrum deregisse; feci, quod muneris mei est. Et ut videant cuncti me pari graditi pede: vos cras invito, ô Ecclesiastici! ad inspiciendum enorme secularium contrà vos obmurmurantium scelus, & utrique plagæ salutare apponam emplastrum, ut uterque mecum æternam adipisci valeat beatitudinem per patrem &c.

FERIA QUARTA

Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ.

Aſcendens Ieſus Ieroſolymam aſſumpſit diſcipulos ſuos ſecretò.
Matth. cap. 20.

PRæponderatis quàm plurimis in moderno Evangelio contentis diſcurrendi motivis, quorum ex uno ſalubrem animæ noſtræ eruere poſſem doctrinam, obmutuit lingua, neſcia à quo capite ordiretur, hebeſcebat quoque mens, quid arripiendum foret ignara. Huic ſeſe obvium præſentabat non nudus Chriſti Domini in Jeruſalem aſcenſus, *Aſcendens Ieſus &c* ſed valde myſterioſum, in quo admirabile totius paſſionis opus, & per conſequens redemptionis noſtræ continetur, prodigium; verùm impotens tàm luctuoſæ tragœdiæ ad vivum exhibêre cataſtrophen, tantâque difficultatis mole oppreſſa, neutiquam attingere præſumebat. Quapropter, eo myſterio ad commodiorem opportunitatem remiſſo, ad intricatam quamdam ſubtilitatem, & letitantem ſub *tò ſecreto* ſe convertit. Et forſitan ſolido cum fundamento. Etenim nonne juſtè inquiri poteſt, cur Chriſtus ſuos à turba avocet, & ſemoveat diſcipulos? Egregiam namque fundatam, ac ſalutarem tùm Chriſtum ſuos edocuiſſe doctrinam, atteſtatur Sacra Scriptura, nimirùm firmam mortis & paſſionis ſuæ fidem, quam jam jam ſubire paratus erat: *Filius hominis*
Matth. c. 20. v. 18. *tradetur.* Cur itaque, denuò repeto, illa plebi retinetur occulta? Si elephas, viſo ſanguine, furioſè contrà hoſtem inſtigetur ad certamen, cur ſanguinem populo abſcondit Chriſtus, & palam non repræſentat, ad ſtrenuum excitandum ejus animum, ut acriùs pro Domino ſuo redemptore & creatore contra perfidos homicidas, & quaſi Deicidas Judæos decertaret?

Thebani ſumma in anxietate conſtituti, ſtatuerunt oraculum Delphicum conſulere de methodo, quâ Spartanos infeſtiſſimos hoſtes valerent debellare. Receptoque reſponſo, in altum erigendum fore ſcutum Archimedis, illud ſine mora executioni mandarunt, ſicque Spartanorum glorioſi evaſere victores. Quidni ergò & Chriſtus, videns miſeram humanam naturam ſub duriſſima diaboli ingemiſcere ſervitute, potentiſſimum paſſionis ſuæ, ſimul & fidei ſcutum in ſublime non extollit, turbæque acerbam ſuam ob oculos non proponit mortem: *Condemnabunt eum morte.* Cujus contemplatio contrà omnis peccati, & iniquitatis venenum ſalutare eſt antidotum, teſte magno illo Eccleſiæ lumine Auguſtino dicente: *Vt à peccatis ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur, qu modo enim qui intuebantur ſerpentem æneum, non peribant morſibus ſerpentum; ſic, qui intuentur fide Chriſti mortem, curantur morſibus peccatorum.*

Doctiſſimus Plinius refert, olim quodam tempore Africanos adeò afflictos fuiſſe ex nimia leonum abundantia, ut paſſim iis in eſcam caderent. Cui pernicioſo malo, ut medela ferretur, conſultū invenêre vivum leonem in crucem agere, ut is horribili ſuo rugitu cæteros deterreret. Quod ſtratagema ipſis ad votum ſucceſſit. Ait namque hic Author: *Cujus aſpectu alii ita perterriti fuerunt, ut illum pertranſire omnino pertimeſcerent.* O benigne Jeſu! non ignoras diabolum eſſe rugientem leonem formidabilem & horribilem, qui quærit à Deo eſcam ſibi, tu verò ſuavis & mitis es: *Leo de tribu Iuda*: cur itaque te ipſum in altum trabi crucis affixum plebi contemplandum non attollis & exhibes, ut tàm horribili aſpectu infernalis ille leo deterreatur, & univerſa turba poſſit exclamare: *Vicit leo de tribu Iuda.* Ecce: *per quem liberati & ſalvati ſumus.* Cur tantum dumtaxat Apoc. c. 5. v. 5.
diſcipulis manifeſtas Sacramentum? *Secreto* dicens: *condemnabunt eum morte.* Ah! ut video Chriſte tu es magni conſilii Angelus, tàm profundum tuum ſilentium ſuo nequaquam caret myſterio. Quod nobis ipſamet pandet Scriptura. Ecce Chriſtus non tantùm duriſſimam ſuam diſcipulis indicare volebat paſſionem, verùm etiam perſonas, per quas lugubris hæc peragenda foret tragœdia: *Et tradetur principibus ſacerdotum.* Annotans itaque Chriſtus hìc de ſacerdotum ſceleris & impietatis

pietatis propalatione agi, suos à turba semovit, insigni & mysterioso hoc actu universum docens mundum, Religiosorum, Ecclesiasticorum & sacerdotum vitia in plebe disseminare, iniquitatem esse divinis oculis summopere execrandam. Quod in hodierno discursu manifestè ostendere conabor. Verùm pro necessario ad hoc exequendum lumine, Spiritus S. imploremus gratiam per Mariam, eam salutantes Angelicis verbis, Ave gratia plena.

Ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit discipulos suos secretò.

ANtequam propositam materiam in speciali aggrediamur, pro solido, generali, & tanquam primo verò fundamento, indubitata statuenda est doctrina: nimirùm omnem detractionem notabilem mortale fore peccatum, ut ex hac rectissimè à minori ad majus liceat argumentari. Hoc disertè attestatur Angelicus Doctor D. Thomas dicens: *Detractio, quæ est occulta maledictio ad denigrationem famæ per impositionem falsi, per adductionem mali, per revelationem mali occulti, & per depravationem, est peccatum mortale.* A quo, tanquàm exitiali veneno, ut homo sedulò fugiat, cautè admonet Spiritus S. per Apostolum Jacobum cap. 4. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Rationem verò tam justæ cautelæ assignat Paulus 1. ad Corinth cap. 6. *Nec maledici regnum Dei possidebunt.* Et ad Romanos cap 1. *Detractores Deo odibiles.* Hinc à tàm sordida ac infami lingua alienum, felicem & beatum deprædicat Sapiens *Beatus, qui tectus est à lingua nequam, & qui in iracundia illius jam transivit, & qui non attraxit jugum ejus, & in vinculis illius non est ligatus: jugum enim illius ferreum est, & vinculum illius, ut vinculum æreum est.*

2.2.Q.73 art.4. — *Vers.11.* — *Vers.10.* — *Vers.30.* — *Eccle.c.28 v.24.*

Obstupesco & cæcutio, dum singulas hujus sententiæ particulas conor exenterare: *Lingua nequam, jugum ejus, vincula illius, & jugum* quidem *ferreum, vinculumque æreum,* & cogor exclamare: ô ingratum jugum! ô strictum vinculum, quod non dumtaxat unum, sed plures ligat! sed heu! quis nos tanti vinculi edocebit naturam? Ecce mox occurrit, & in promptu est S. Bernardus, qui curiosè & subtiliter annotat, cur Propheta David detractores & maledicos assimilet aspidi dicens: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Id enim prima fronte valde ipsi videtur absonum, & meritò. Quoniam, si virulentæ linguæ nequitiam, excidium, damnum, atque pestiferum illius contendebat Psalmista extollere venenum, cur Basiliscum non nominat, cujus virus, adeò efficax est juxtà naturalistas, ut vel solo intuitu hominem enecet, aut quodcumque aliud multò venenosius animal, sed rectè aspidem? Hanc sane similitudinem suo caruisse mysterio neutiquam arbitror.

Psal. 139. v.4.

Pro quo discooperiendo operæ pretium est ad sedulos naturæ, & proprietatum omnium animalium indagatores recipere recursum. Qui appositè ad præsens institutum animadvertunt, aspidem à natura sua linguam participare trisulcam. Ac proinde necesse esse, ut, dum illa quempiam mordet, tria unico ictu ei impingat vulnera, quod nulli prorsùs competit animali, & sic nec basilisco. Optime itaque & mysteriosè Propheta regius linguam detractoris aspidis comparat linguæ, quia & ipsa mordaciter corrodendo proximum, tres exitiales infligit plagas, tresque simul personas spiritualiter occidit. Nimirùm detrahentem, ut jam diximus, mortaliter peccantem: *Anima quæ peccaverit, morte morietur.* Fratrem cui detrahit, quia illum in fama & honore interimit. Atque audientem cum applausu & adulatione detractoriam linguam. Audite auditores divina melliflui Doctoris verba: *Lingua maledica, quod in se est, & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter perimit. Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè. Nimirùm, quæ tam lathaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est lingua ista? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat uno ictu. Lingua,* inquit Psalmista, *eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris.*

Ezech.c. 18.v.4. — *Bern. ser. de triplici custodia.*

Et ideò nec tantùm ipsemet detractor, sed & audiens non à S.S.S.P.P. solummodò, verùm etiam à sacra Scriptura sedulò admonetur, ut sibi à tam nocivo præcaveat veneno. Chrysostomus ait: *Dic proximo detrahenti habes quem laudes? Aures aperio, ut unguenta suscipiam, si verò mala velis dicere, obturo aures. Non enim stercus, & cœnum accipere sustineo.* S. Bonaventura de summa à detractoribus Patriarchæ Francisci aversione loquens dicit: *Detractionis etiam vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam serpentinum abhorrebat morsum, atrocissimam pestem, &*

Chrysost. hom. 3. ad popul. — *S. Bonav. c.8.§.1. in vita ejus*

piiſſimo Deo abominabilem eſſe affirmabat, præ eo, quod detractor animarum ſanguine paſcitur, quos gladio linguæ necat. Et ad nobiliſſimam atque devotiſſimam ſcribens matronam Celanciam S. Paulinus, illi deteſtandi hujus vitii, vel auditus ſolius conſulit fugam: *Nec detractoribus de conſenſu authoritatem tribuas, nec eorum vitium nutrias annuendo. Noli inquit Scriptura conſentaneus eſſe cum derogantibus adversùs proximum tuum, & non accipies ſuper illum peccatum.*

S. Paulin. epiſt. 14.

Audite quoque quanto cum zelo Scriptura ad detractiones attendere cuilibet diſſuadeat Chriſtiano: *Remove à te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Proverb. cap 4. *cum detractoribus, ne commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit? ſepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras auribus tuis.* Eccleſ. cap. 26. Imò ſi & invitus quis detractionem audierit, nec impedire potuerit (ut ſæpè ſæpiùs evenire poteſt) illi taciturnitas, delictique proximi commendatur à Sapiente ſuppreſſio: *Audiſti verbum adverſum proximum tuum? Commoriatur in te fidens, quoniam non te diſrumpet.* Ubi invehere videtur contra impios, & perverſos detractionum auſcultatores, qui minimum fratris audientes defectum, ut maximum propalant, crimenque falsè exaggerant. Hujuſcemodi ſimiles ſunt muſtelæ: de qua ajunt naturaliſtæ eam aure concipere, & quamvis illa ſit parva, ejus tamen fœtus adeò magnus eſt, ut in medio partu crepat Similiter & illi levia, nulliuſque momenti delicta aure percipiunt, & monſtra portentoſa contra proximum frequenter parturiunt, & bonas culpæ deminuentes circumſtantias, pravaſque adjungentes, eam notabiliter aggravant, ſicque in tali partu ſpiritualiter crepant, & diſrumpuntur.

Eccli. c. 19 v. 10.

Verùm inquiramus ſemel breviter (ulteriùs namque progredi, & præcipuum meum intentum attingere feſtinat animus) unde peſſimæ intollerabile linguæ jugum ferreum ſit, illiuſque vinculum æneum, ut ait Sapiens. Et profectò non ſine ſolido fundamento; ſicuti enim æs & ferrum difficilè diſſolvuntur, ſic miſeræ hominum animæ catenâ detractionum alligatæ, à culpa haud facilè liberantur. Idque, quia quandoque vel famam proximi ablatam reſtituere erubeſcunt, ne ſi forte falſa contra eum effutierint, verbum ſuum retractantes, falſitatis & pernicioſi mendacii ab omnibus redarguantur: vel ſi vera, ſed occulta revelarint, congruus vix ſuperſit modus, damnum à venenoſa lingua illatũ reſarciendi. Unde multò faciliùs eſt pecunias ablatas in integro proprio Domino reſtituere, quàm nomen, & famam fratris læſam reparare. De quo tamen ait Sapiens: *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Etenim talis detractor coram iiſdem aſſerere non poteſt, ſeſe falſa dixiſſe, quoniam, cum mendacium ſit intrinſecè malum nullatenùs committi poteſt. Hinc per ambages, ſcilicet laudes de illa perſona diſſeminando, modeſtiam & honeſtam ejus vitam indicando, illius virtutes & mores extollendo, &c. immedicabile quaſi vulnus deliniri debet, ſed vix ſanari. Ecce quo ferreo, æneoque vinculo coarctantur impii detractores. Unde Apoſtolus Jacobus, ſeſe ſupra malitiam linguæ hominis reflectens, aſſeveranter ait: *Lingua ignis eſt univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Ad hoc lethale virus evitandum, divinum inſtanter expoſtulabat auxilium Propheta David clamans: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.*

Prov. cap. 22. v. 1.

Iacob. ep. c. 3. v. 6. 7.

Pſal. 140. v. 3.

Hujus veneni nociva virtus neutiquam latuit aſtutum animarum noſtrarum venatorem diabolum: eo namque ſanctiſſimos quoque ſedulò conatus eſt intoxicare. Quod nobis ad oculum palam facit pulchra patientiſſimi Job hiſtoria. Diabolus, occiſis omnibus Prophetæ armentis, dirutis domibus, horreis, enecatis cunctis filiis, ob invictam inſuperabilis animi conſtantiam ſummoperè ſtomachatus, à Deo permiſſionem expoſtulat, eum in propria carne crudeliter affligendi, tunc quaſi ſecurus de glorioſa in ſtrenuum Athletam victoria: *Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi.* Quâ accepta (ait enim Scriptura: *Dixitque ergò Dominus ad ſatan: ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerva*) mox furibundam ſuam in patientem Job exercuit rabiem. *Egreſſus itaque ſatan à facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem ejus.*

Iob cap. 2. v. 5.

Verſ. 6.

Verſ. 7.

Hanc

Hanc luctuosam, quam dæmon cum Job peregit, tragœdiam, dum attentâ mente perpendo, cunctaque hujus Scripturæ fixe inspicio verba, cogor curiose indagare, an satan suam in illius linguam quoque ostenderit crudelitatem? Etenim, cùm in illam absolutâ polleret potestate, quandoquidem Deus nihil sibi reservarit, nisi solam vitam: *Verumtamen animam illius serva*, illum in eam etiam hostiliter sæviisse nullatenùs ambigerem, nisi contrarium ipsamet Scriptura per cum manifeste attestaretur, cap. 19. *Iob.19.20* *Pellem meâ consumptis carnibus, adhæsit os meum, derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* De quo obstupefactus S. Chrysostomus, non ignarus diabolicæ in Jobum excandescentiæ, exclamat: Quid hic mysterii, quòd crudelis hic draco à venenoso suo morsu, & exitiali halitu Prophetæ linguam reliquerit intactam? Ah! respondet, ingeniosum & subtile infernalis insidiatoris hoc est stratagema; per hoc enim membrum ad malum quàm maxime pronum, securum Job meditabatur lapsum. Audite aurea illius verba: *Vndique nobis insidias præparare consuevit, sed faciliùs linguâ, & ore peccatur.* *Chrysost. to.5.ho.14. ad bapt.* *Nullum enim æquale congruum organum in ministerium interitus & peccati. Nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur.* Et ad illum locum Davidicum jam citatum: *Pone Domine custodiam, &c.* ait: *ideò Deus eum voluit velut muro duplici circumdari: nam dentium tegmine & labiorum custodiâ continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Refrænâ igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus.* Quod idem quoque urget hom. 15. ad populum Antiochenum: *Chrysost. hom.15. ad popul. Ant.* *Magnus laqueus est linguæ petulantia. Suprà cætera igitur cuncta membra hanc moderemur, hanc refrænemus, & convitia, contumeliasque, ac turpiloquia, & accusationes ex ore pellamus, & malam juramentorum consuetudinem.* Quod adeò animæ nostræ saluti fore sustinet necessarium, ut super illud Psalmi: *Psal. 33. v. 13.* *Quis est homo, qui vult vitam diligit dies videre bonos:* Asseveranter non vereatur dicere: *Si vis videre vitam si vis invenire dies bonos, cohibe linguam. Eja fratres mei hîc modò respondere volo. Quot modò dicunt nolo, qui dicebant volo? Qui inveteraverunt in detractionibus, qui mordent, & comedunt humanas carnes detrahendo, non timentes, ne ab invicem consumantur, qui adulationibus linguam suam impendunt, qui bifacem habent mentem, præsentibus benè loqui student, absentibus verò detrahere.*

Modò pro solida præsentis discursus base, hâc infallibili constitutâ veritate, detractionem in genere execrandâ infectam esse nequitiâ & impietate, Deoque maximè odibilem: hoc formo argumentum; si magnum crimen sit proximo suo etiam sæcularibus, plebeis, abjectis, & pauperibus detrahere, eorumque occulta peccata in publicam lucem producere, infero: ergò graviùs peccat vulgus, si venenosâ suâ linguâ in Ecclesiasticorum & Sacerdotum recondita vitia impingat. Legitima hujus consequentiæ deductio, (quæ mihi nunc probanda restat,) irrefragabili Philosophorum Principis Aristotelis innititur doctrinæ. Hic namque indubitanter docet in ethicis, formalem peccati malitiam in ratione offensæ crescere ex vilitate personæ offendentis, & dignitate personæ offensæ. Unde dicit, alapam à quodam plebeo Regi inflictam gravioris esse malitiæ, quàm si ea à pari impingeretur. Ex qua doctrina quamplurimi deducunt Scholastici, culpam pomi parentis Adam, non tantùm extrinsecè, & objective, verùm etiam intrinsece, & formaliter infinitæ fuisse offensæ, quia vilis creatura & abjecta, in infinitæ dignitatis peccavit personam, nimirùm Deum. Ac proinde omninò necessarium fuisse, ut ea de toto rigore justitiæ dilueretur, ut Verbum incarnaretur, & sic persona æquivalens pro illa plenariè satisfaceret. Sed hoc Theologis disputandum relinquo. Si itaque nos, quantum sit hominum in Sacerdotem detractionis peccatum, demonstrare cupiamus, & ejus gravitatem exaggerare, totum id ab objecti offensi eminentia operæ pretium est mensurari. Et, ut clare procedamus, incipiemus demonstrare, quanta fuerit, & æstimata sit antiquæ legis Sacerdotis dignitas, idque ab ipsismet Ethnicis, ut ab hoc argumento à minori ad majus de novi testamenti Sacerdotum eminentia arguamus.

Antiquitatum Hebraicarum sedulus indagator Philo Judæus narrat, Alexandrum Magnum, arctissime ingenti militum copia circumdatâ civitate Gazâ, immediate post sanguinolentum initum contra Regem Darium juxta Ciliciam certamen, in quo ipse summam adeptus fuerat victoriam, legatum ad summum Sacerdotem gentis Israëliticæ Jaddum Jerosolymam misisse, ut eum Regis nomine deprecaretur, quatenus indigenti exercitui de annona, cunctisque necessariis durante obsidione providere dignaretur. Quo nuncio intellecto,

Philo Iud. lib. II. Jaddus respondit : *Se Sacramenta Dario dedisse, ut nequaquam contra eum arma portaret.* Proindè, ut cum ob fœdus cum ipso initum, vellet habere excusatum, quandoquidem illi contravenire omninò foret fœdifragum factum. Quo responso ad summam Alexander concitatus iracundiam, jurejurando Jaddo comminatus est, sese ostensurum, cui obtemperare renuisset. Quapropter præter spem pauco tempore superatâ Gazâ, totaque potentissimâ debellatâ Asiâ, contra Jerusalem arma movit, injuriam illatam severe ulturus. Jaddus tam inopinata strage perculsus, & tam tristi nuncio totaliter consternatus, *moliebatur*, inquit Philo, *quomodo Macedonibus occurreret.* Verùm cernens Judaicam plebem tantis viribus imparem esse, & victorioso & triumphanti nullatenus posse resistere exercitui : cunctis præcepit Sacerdotibus, ut habitum sacerdotalem induerent, affirmans sese illius esse consilii, & mentis, ut Alexandro, iis comitantibus, obviam procederet, furorem ejus deliniturus. Ad quem pervenit in loco nominato Saphin. Quilibet aulicorum Alexandri summam præsagiebat calamitatem, ignes & abundantem sanguinis imaginabatur effusionem. Nullus dubitabat de imminenti civitatis Jerusalem subversione ; omnis enim apparatus militaris apparebat cruentus & luctuosus. Verùm præter aulæ mentem evenit ; quoniam Alexander Jaddum videns, pontificali indutum habitu, cunctosque Sacerdotes suis condecoratos ornamentis, ex equo exiliit, *Et adiit eum solus, & numen adoravit, & principem Sacerdotum primus veneratus est.* Quem actum summopere demirans Parmenio, interrogavit: *Cur ipse adorasset principem Sacerdotum gentis Iudaicæ?* Cui respondit : *Non hunc adoravi, sed Deum, cujus principatu sacerdotii functus est.* O pulchrum & nervosum responsum, Christianis mirificum imitationis præbens exemplum! etenim, si ethnicus Rex iratus omnem suum furorem, in manifestum erga summum Sacerdotem reverentiæ testimonium, deposuerit, cumque adoraverit, qui Deo suo, non nisi vilia animalia, oves, boves, arietes, &c. immolabat; quem respectum, quem honorem, quam reverentiam nos Christiani non tenemur legis gratiæ Sacerdotibus exhibere, qui immaculatum illum Agnum, Corpus & Sanguinem Christi in sacrosancto Missæ Sacrificio indies offerunt? Quandoquidem Seneca conformiter ad Aristotelicum dogma dicat: *Vnusquisque alteri secundùm statum, & conditionem personæ honorem exhibere debet.* Verùm quis est Sacerdotum status, & quæ conditio?

Philo Judæus sustinet, sacerdotalem excellentiam (loquens etiam de Sacerdotibus antiqui testamenti) æquiparandam fore Regiæ Majestati: quod ipse eruit è cap. 18. Num. Ubi narratur, Prophetam Moysem terram promissionis in duodecim partes pro duodecim tribubus Israël fuisse dispartitum. Sed quandoquidem tredecim forent tribus, sequitur per necessariam consequentiam, tribum quamdam legitimâ terræ illius privatam fuisse hæreditate. Sed quæ quæso? Illam indicat ipsemet textus cap. citato, qui de Levi mentionem faciens, ait : *In terra eorum non habebitis partem inter eos. Filii autem Levi dedi omnes decimas Israëlis in possessionem.* Cùm itaque regium sit, tributa recipere, concludit Philo : *His omnibus manifestatur, juxta judicium legis Sacerdotes æquari honore, & dignitate Regibus, & ideo illis veluti Principibus tributa deferre constituit.*

Verùm meo judicio (salvo meliori) si Philo parumper attentiùs perscrutatus fuisset cap. 27. Num. ex eo longe eminentiorem sacerdotalis status elicuisset qualitatem. Etenim Deus, ut ibidem refertur, in Principem, & ducem populi decernens constituere Josue, ait ad Moysem : *Tolle Iosue filium Nun virum, in quo est spiritus, qui* *Num. 27.*
stabit coram Eleasaro Sacerdote. Ubi doctissimus *v. 19.*
Oleaster subtiliter annotat τὸ *stabit coram Eleasaro*, & inde eruit, cùm stare subditi sit, & inferioris, majoris principis & rectoris populi dignitate presbyteralem gradum fore eminentiæ. *Non dixit, sedebit, sed stabit, ut discant Reges & Principes, standum sibi esse coram Sacerdotibus Dei.*

Cujus evidentem probam & confirmationem comperimus registratam Lucæ cap. 2. in quo legimus, Christum Dominum adhuc tenellum expresse voluisse maternis brachiis, ut sisteretur per Simeonem Domino, ad templum Jerosolymitanum deportari. Quod rursus ingeniose advertens Oleaster, indagat, cur Magos & Reges, mediante prodigiosâ stellâ, è patria sua ad se evocarit, & non similiter Simeonem ad præsepium properare curarit? Et apposite respondet, Christum nos hoc mysterioso actu docuisse, quantò regiam dignitatem sacerdotalis antecelleret : *Discant*, inquit, *ex hoc facto Reges & Principes, superiores se habere Sacerdotes.* Imò & eâdem agendi methodo videtur innuisse Scriptura, eum majorem, ac nobiliorem

liorem eſſe Joſepho, imò & Mariâ (in ſacerdotali *Luc.* 2. 34. nimirum eminent a) ait enim: *Et benedixit illis Simeon.* Etenim cùm alteri benedicere, digniori, ut cuilibet patet, competat perſonæ, ſequitur, illum in qualitate, ut dixi, ſacerdotali, ipſis præcellere nobilitate. Nec dictum hoc quiſpiam paradoxum æſtimet; Maria enim unicâ dumtaxat vice Verbum Incarnatum pro hominis produxit ſalute, Sacerdos verò pro ſuo libitu millies in ſalutare animæ noſtræ nutrimentum, & cæleſtem eſcam in incruento ſiſtit ſacrificio, vique verborum conſecrationis potens eſt, ut omni momento caro & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus ponatur. Imò, ſi verum reale corpus Chriſti in cælo realiter defineret, tantæ eſt virtutis, ut idem ipſum vi conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, ſubſtantialiter poſſet reproducere. Quâ potentiâ non pollet Deipara. Quantum itaque ad ſacerdotii attinet ſtatum, ipſa minor eſt Sacerdote. De hac tam eminenti prærogativa obſtupefactus Auguſtinus, exclamat: *Super hoc tam inſigni privilegio ſtupet cælum, miratur terra, veretur homo, terretur infernus, contremiſcit diabolus, & venerantur Angelorum chori. Uno eodemque modo idem Deus, qui præſidet in cælo, in manibus veſtris eſt in Sacramento Altaris.* *Auguſt. in Pſal.* 7.

Hinc, ſi aulici Darii Regis, poſtquam dudum inter ſeſe contendiſſent, & decertaſſent, quiſnam Regis omnium foret chariſſimus, & maximus amicus, viſo quodam tempore, quòd Darius familiariter Clodii manus contrectaret, exclamarint: *Omnium maximus eſt Clodius, quia Regem tangit*: jure meritò, ſi à me peteretur, quis in univerſo mundo in dignitate, & eminentia eſſet maximus, aſſeveranter auderem reſpondere: *Omnium maximus eſt Sacerdos*, quia Regem Regum, & Dominum dominantium tangit, & manibus comprehendit. Et majorem Sacerdotibus, quàm Regibus adſcribens dignitatem & majeſtatem S. Chryſoſtomus, ſæcularem neutiquam formidans poteſtatem, auream & veram non veretur hanc pronunciare ſententiam: *S. quidem ſacerdotium principatus eſt ipſo etiam regno venerabilius, ac majus.* Et ſubjungit: *Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas, umbra ſunt iſthæc omnia.* Et paulò infrà: *Vis videre diſcrimen, quantum abſit Rex à Sacerdote? Expende modum poteſtatis utrique traditæ. Videbis Sacerdotem multò ſublimius Rege ſedentem. Quamquam nobis admirandus videatur thronus regius, ob gemmas affixas, & aurum, quo circumcinctus eſt, tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec ultra poteſtatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis. Verùm Sacerdotis thronus in cælis collocatus eſt, & de negotiis cæleſtibus pronunciandi habet authoritatem.* Et ulteriùs addit: *Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicat, & hoc ille in ſuperioribus comprobat.* Quin imò nunquam ſatur os aureum deprædicandæ Sacerdotum eminentiæ exclamat in Pſalm. 37. *O venerabilis ſanctitudo manuum! ô felix exercitium! qui creavit me, (ſi fas eſt dicere,) dedit mihi creare ſe, & qui creavit me ſine me, ipſe creatur mediante me.* *Chryſoſt. tom. 3. in Ioan. 20. hom. 85.*

Imò non tantùm Regibus aſſimilare, iiſque majores declarare, ſed etiam Deo quaſi participativè æquiparare audet Sacerdotes Oleaſter. Pro quo ipſe inquirit, cur Chriſtus tum ex ſtirpe regia, tum ſacerdotali naſci voluerit, quod ſuo non arbitratur præfatus author carere myſterio. Etenim abundè unica ſufficere videtur. Et reſpondet, quia in Chriſto unico ſuppoſito duæ, unâ dumtaxat terminatæ ſubſiſtentiâ continebantur naturæ, humana nimirùm, & divina, conveniens erat, ut utrique ſua correſponderet dignitas, humanæ regia, divinæ ſacerdotalis. Quoniam Sacerdos ad inſtar alterius Dei eſt, juxta illud: *Ego dixi, Dii eſtis.* Quod & concione præcedenti parumper probatum eſt ex illo Exodi c. 30. *Caro hominis non ungetur ex eo.*

Quòd ſi itaque juxta Senecam, *Unuſquiſque alteri ſecundùm ſtatum & conditionem perſonæ honorem exhibere debeat*: quanto honore digni non ſunt illi, qui ſuper ſæculares evecti, nobiliorem attigerunt ſtatum? Fateor ingenuè, ſæculare in Eccleſiaſticos mordax eſſe judicium; ubique namque ſpernuntur, contemnuntur, vituperantur: ſed quoque addo, illud eſſe ſummoperè temerarium, & in Deum ipſum contumelioſum. Hoc evidenter dicit S. Chryſoſtomus ſuper hæc verba: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Audite illius verba, & attendite malevoli Eccleſiaſticorum detractores: *Qui perſequuntur Sacerdotes Dei, aut injuriant eos, vel lædunt: plerumque, aut infideles ſunt, vel hæretici: aut, ſi Chriſtiani, ſordidi ſunt & inſenſati; quia non conſiderant, nec intelligunt Sacerdotes Chriſti vicarios eſſe Chriſti, & Chriſtum. Et qui honorat Sacerdotem Chriſti, honorat Chriſtum, & qui injuriat Sacerdotem Chriſti, injuriat Chriſtum.* Et fundamentalem, Chriſtianam, & ſolidam ſub- *Chryſoſt. in c. 20. Ioan. ho. 17.*

nectit rationem: *An nescitis, quòd honor Sacerdoti collatus, ad Deum ipsum pertinet? Nè ergo illum despicias, cui honor confertur. Non enim debes propter illum, quod tuum est, facere, sed propter eum, cujus est Sacerdos.* Quia, ut jam suprà dixi, non persona, sed Domini ministerium maximè est ponderandum. Unde, si venenosæ linguæ, sive cum veritate, sive cum falsitate (quod abominabilius est) magni & principes in Ecclesiasticos, & Sacerdotes insultent, plebique ansam illos contemnendi præbeant, vos divinæ admonitionis memores, ad instar Alexandri Magni aulicis suis, iis respondete: *Non hunc adoravi, sed Deum, cujus principatu sacerdotii functus est.* Ex hoc legitimam licet, secundùm logicales regulas deducere consequentiam; si ad Deum Sacerdotum pertinet honor, ergò & ad eum detractio. Quam dilucidè comprobat magnus ille Doctor S. Gregorius, dicens: *Ne manum detractionis, aut vituperationis, aut dishonorationis quidam mittant in unctum Domini, quia eorum vexatio, sive detractio ad Christum pertinet.* Hinc Chrysostomus irreverentiam ergà Sacerdotes peccato Dathan & Abiron asserit esse graviorem. *Judicio quidem meo,* inquit, *qui istos despiciunt, contemnuntque, sceleratiores, & majori supplicio digni sunt, quàm fuerit Dathan unà cum omnibus suis.*

Greg. l. ep. epist. 31.

Quapropter Christus Christianam hanc doctrinam Christianos, non tantùm in moderno Evangelio, verùm etiam in quamplurimis vitæ suæ edocuit actibus. Hoc in primis ex fundatissimo probo Doctore Augustino, qui subtiliter inquirit, cur leprâ Aaron Sacerdos murmurans contra Deum, non sit publicè percussus, sic verò soror ejus Maria? Ah! manifesta facile elucet ratio. Aaron enim ministerio fungebatur sacerdotii, ideoque coram plebe ejus peccatum castigari non poterat, sed occultari, & clanculò reprehendi debebat; id namque exigit sacerdotalis dignitas: sic Augustinus: *Aaron castigatus Dei sermone, oleo unctionis à vindicta defenditur.* Quod idem ostendit Joannis cap. 8. Ecce ei adducitur mulier adultera, & mortis rea à Scribis & Pharisæis, quorum contra illam Jesus auditâ accusatione, *Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Ipsi autem à mystica Christi scriptura oculos avertentes, magis in nocentem stomachabantur: *Cùm ergo perseverarent interrogantes eum: erexit se, & dixit ei: qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra.* O actus mysteriosus! ô scriptura plena abscondito mysterio! quod, ut assequantur sacræ paginæ interpretes, & SS. PP. quàm plurimùm insudant. S. Hieronymus censet Christum primâ vice in terra exarasse fragilis mulierculæ peccatum, quo cum & ipsos Scribas, & Pharisæos accusatores maximè intueretur coinquinatos (desiderans superiorem docere, correctorem, & reprehensorem similis maculæ debere esse immunem) iis ad propriam confusionem jus addicit illam castigandi: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Secunda verò sustinet opinio, Christum in pulvere longe enormiora ipsorum Pharisæorum, & Sacerdotum scripsisse delicta; quorum horrendo spectaculo deterriti, ut ait Scriptura: *Unus post unum exibant, incipientes à senioribus:* ausi minime sunt in ream ferre judicium.

Aug. l. 1. de mirab. Ioan. c. 8. v. 6, 7, 8.

Vers. 9.

Verùm, quod proposito nostro quadrat, cur obsecro Dominus non in ære materia duratura, & permansura, aut plumbo litteraturam hanc in perpetuam futuræ posteritatis memoriam non exarat, sed in terra & pulvere? Ah! in nostrum hoc fecit Jesus documentum, indicans & erudiens, omnia peccata, defectus proximi, & crimina, & præcipue Sacerdotum, non æri inscribenda, sed cineri esse committenda; ut è memoria hominum evanescant, & quasi pulvis à facie terræ dispareant. Quin imò, ut attestatur Angelicus Doctor, dum in judicanda in veteri testamento lepra erraret Sacerdos, ut illius integra remaneret authoritas, & apud populum reverentia, defectum divina supplebat bonitas, leprosos miraculosè mundabat. *Contingebat quandoque,* inquit, *ut divino miraculo per ritum legis lepra corporalis mundaretur, quando Sacerdos in judicio decipiebatur.* Et idcircò agnus ille mansuetus Christus, qui coram tondente se non aperuit os suum, ingratam servi Sacerdotis accusationem audiens: *Sic respondes Pontifici?* Silentio seposito, justæ responsioni dedit locum: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* Nè scilicet cuipiam ansam præberet Sacerdotem despiciendi. Sic egregiè explicat S. Cyprianus: *Dominus in Evangelio, cùm ei dictum esset, sic respondes Pontifici? Custodiens, & docens sacerdotalem honorem servari, contra Pontificem nihil dixit, sed innocentiam suam tantummodo purgans respondit: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?*

D. Th. 1. 2. q. 101. dist. 2. ad 3.

Sed heu! nec Christi exempla, nec Dei quidquam valere videntur monita: *In tota anima*

tua time Deum, & sacerdotes illius sanctifica. Exod. cap. 22. v. 28. etenim, si minimum Ecclesiastici & sacerdotis insulsa plebs subolfaciat delictũ, dentes acuuntur, lingua exasperatur, ut mordaciùs in eum impinguat, arbitranturque sibi summæ verti gloriæ, si quid occulti in medium noverint adducere, non attendentes ad sanam Chrysostomi doctrinam, qui hujuscemodi malevolos aureis hisce pungit verbis: *An ignoras, quid sit Sacerdos? Angelus itaque Domini est: si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinavit: dicente Domino, qui vos spernit me spernit* Ah quàm justè in maligno hoc ævo Deus de similibus Ecclesiasticorum famæ & honoris devoratoribus per Prophetam Davidem posset conqueri: *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Sed quænam plebs Christi? Ah! non nisi sacerdos: plebs sancta, desiderata & maximè æstimabilis. Sed cur Spiritus S. Ecclesiastici detractionẽ panis comparat devorationi? etenim poterit escã carnis, piscis, aut alterius cibi assimulatione uti; cur itaque rectè panis usurpat vocabulum? S. Augustinus ex duabus cuilibet satis cognitis proprietatibus panis, solidum hujus elicit fundamentum. In primis inquit, si caro aut piscis comedatur, spinæ & ossa, ne gutturi inhæreant, timentur: verùm dum panis sumitur, absq; ulla prorsùs formidine deglutitur. Sic mundus agit de Ecclesiasticis: de sæcularibus gladium portantibus, potentibus & magnatibus, etiamsi vitia eorum viderint, linguam movere verentur, imò & quidem mussitare timent, ne eorum indignationem simul & vindictam incurrant. Sacerdotem verò arma tantummodò devotionis & pietatis, breviarium & rosarium tractantem, sine pavore suâ detractione absorbent, nullam exspectantes ultionem. Præterea panis omni convivio maximè est necessarius; quoniam mensa instrui potest ex piscibus, & quidem ex his, & ex illis: item è carnibus, his quoque & illis. Verùm, quod dignum notatu, quicumque apparetur cibus, opus est pane; dum itaque ait Spiritus S. plebem suam sacerdotes, infami devorari ab impiis linguâ, S. Augustinus lamentatur atque attestatur, eum tò panem assumpsisse, ut innueret juxtà depravatam hujus sæculi consuetudinem in quocumque convivio & consortio promiscuè illos diffamari: *Sicut enim panis,* inquit August. *comeditur & semper sapit, ita impii semper, cum delectatione, & sine timore detrahunt Ecclesiasticis, & numquàm satiantur.* Quod dum attentè perpendo, abstinere nequeo in vos sæculares ingratos formalem formare invectivam. Dicite obsecro filii, quid vos premit contra malevolas linguas honorem defendere parentum? Si auditis in eos minimum jactari improperium, in defensionem lingua parata est, & manus prompta ad vindicandum; nec unquam permittetis in genitorem conjici scommata. Idque ideò, quia vobis corporalem dedit vitam, & vos enutriit. Audebisne itaque ô iniquum os! occulta illius propalare delicta, illius, & bene attende, qui virtute Sacramenti baptismi tibi vitam largitus est spiritualem? Quo neglecto, de te justè poterat dici ô homo: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Quid? excandesco, dum tuam intueor insolentiam? Tunc detractoriâ in eum exurges linguâ, qui indies te cibat pane Angelorum & pascit Carne & Sanguine Christi, necessario sane animæ nutrimento, juxtà dictum Evangelistæ: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ah temerariè! præsumisne peccata illius manifestare, qui tua occulta dimittit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. Istumne audes diffamare, qui salutari & incruẽnto Missæ sacrificio animam tuam veris purgatorii flammis potens est eripere? Ah inquit Chrysost. *Præponuntur sacerdotes parentibus. Sacerdotes meritò majori honore, quàm parentes proprios honestare justum est, hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt, illi autem authores nobis sunt nativitatis ejus, quam à Deo habemus.* O execranda ingratitudo! ô detestanda hominum cœcitas! tanta sanè, ut S Gregor. audeat asserere, in fine & agone vitæ eos, qui sacerdotes contempserunt, illos quærere, ut peccata sua Sacramentali expient confessione, nec invenire justo Dei judicio morte præventos.

Chrysost. hom. 2. in Epist. 2. ad Timoth. — *Ps. 13. v. 4.* — *Matt. c. 26 vers. 24.* — *Ioan. c. 6. vers. 24.* — *Ioan. c. 20 vers. 23.* — *Chrysost. lib. 3. de sacerdotio.*

De statuæ Nabuchodonosoris materia, specialiter Sacra tractat Scriptura Danielis cap. 2. hujus *Caput ex auro erat optimo, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære, tibia autem ferrea, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis* & erecta, & immobilis consistebat superba hæc statua. *Verùm, donec abscissus* Daniel c. 2.
est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam vers. 32.
in pedibus ejus fictilibus, & comminuit eos. Et quid vers. 33.
quæso inde evenit statuæ? *Ecce tunc contrita sunt* vers. 34.
pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & re- vers. 35.
dacta quasi in favillam. Ah! si lapillus ille in caput aureum, aut in pectus argenteũ, aut in fœmora ærea impegisset, integra permansisset statua, sed inferiorem

riorem ac debiliorem partem tangens, eam dejecit, sicq; miserè evanuit. Sublimis & excelsa quoque in Ecclesia Dei erecta est statua, Ecclesiasticus nimirùm & sacerdos Caput habet aureum, & diademate est insignitus ardentis erga proximum charitatis, cui (ut experientia docet) ex charitate, quamvis quandoque colludat justitia, in omni necessitate summo cum zelo, indefatigatâ diligentiâ assistit. Eum imbuendo doctrinâ Christianâ, admonendo & corrigendo &c. sicque evidentissima fraterni amoris exhibet indicia. Etenim infirmos visitat, eosque spiritualiter pascit Sanguine & Carne Christi, omniaque administrat homini Sacramenta. Moribundis in agone contra diabolum acriter decertaturis, diu noctuque est adminiculo. Sed heu! abjectus venenosæ hominum linguæ lapillus, aurum non concutit, & inconsideratè notabilis tantæ virtutis & sanctitatis silentio premitur eminentia, illiusque tacitè negligitur splendor. Pectus habet argenteum & brachia: pectus, vobis peccatoribus indies è cathedra Dei verbum seminando: brachia argentea, egenis & pauperibus largam distribuendo eleemosinam. Nec hæc perpenduntur opera; porrò fœmora ex ære, & tibiæ ex ferro sunt, quia incessanter, tamquàm bonus Pastor ovium invigilat saluti: debilem sanâ doctrinâ confortando, devium ad rectam Christianæ vitæ deducendo semitam, ignarum docendo &c. sed hæc quid sunt? Sane non nisi ventus, umbra & purum nihil in cæcutientium hominum oculis. Verùm in tam honorificam & pretiosam virtutis statuam, annotato dumtaxat minimo luti, id est parvo peccato & crimine: ecce confestim acuitur exitialis execrandæ linguæ lapillus, qui cæteris statuæ partibus solidis, hoc est, laudabilibus operibus relictis & neglectis, lutum impetit, & malevolâ linguâ, sonorâ quasi tubâ sacerdotis defectum propalat. Et quid inde profectò idem contingit honestæ isti personæ, (quamvis fortè ex fragilitate in aliquod delictum lapsæ) quod Nabuchodonosoris statuæ: conteruntur pariter aurum, argentum, ferrũ, & æs, & cuncta rediguntur quasi in favillam: id est ille vir, qui à cunctis summæ æstimabatur sanctitatis, exemplaris vitæ, nunc, detecto à virulento ore unico crimine, fabula fit vulgi, eoq; magis illius extollitur casus, quantò ante recta vitæ illius laudabatur norma: sicque omnis omnium virtutum candor, bonæ famæ & reputationis decor evanescit. O maledica lingua! ô abominandum instrumentum! audite quomodo in vos perfidos, qui Christis Domini detrahitis, insurgat S. Basilius: *Vita splendorem, rectèque factorum magnitudinem nec aspiciunt quidem, ad marcida verò, mirum in modum feruntur.* Unde hujuscemodi maledicis quam optimè possemus appropriare illud Genesis cap. 42. *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis.* Hos interrogat Plutarchus, & simul acutè redarguit, dicens: *Nonne melius esset, ut consumeretis tempus inquirendi secreta naturæ, quàm vitam proximi? Scilicet, quomodo magnes ferrum, ambra paleam ad se attrahat. Quomodò calx viva aquâ accendatur, & oleo extinguatur.* Et respondet *Fortassis ea de causa non estis harum rerum curiosi, quod in his rebus nil sit mali.*

Basil. hom. de invid.
Gen. 2. 42. vers. 9.

Doctissimus Alciatus in ingenioso quodam emblemate hieroglyphicè & subtiliter desiderans detestandam iniquæ linguæ exprimere impietatem: artificiosè hominem à se muscam avertentem depingi curavit cum hac epigraphe, *contra detractores.* Verùm obscurum nimis Alciati mihi videtur emblema, & non adeò quoque clara ejus apparet epigraphe. Etenim, quæ ratio muscam detractoriæ assimilandæ linguæ? Plinius, rerum naturalium essentiæ & proprietatũ accuratus indagator, sustinet muscã morsu suo omne unguentum inficere & corrumpere, quod non tantum ex ipsa didicit experientia, verum etiam id haurit ex ipsius Sapientis verbis Ecclesi. cap. 11. *Muscæ perdunt suavitatem unguenti.* Sic & detractor, præcipuè vero contra Ecclesiasticos ad instar mordacis muscæ subdolè eorum virtutum perdit suavitatẽ, eas sub fuco falsitatis, vel ad minus sub larva iniquitatis, insimulans palliati criminis, obnubilat, & quandoque utinam non sæpe! serenam mentem delicti umbrâ obfuscat.

Sed adhuc manifestius suum in comparatione detractoris muscæ emblema ex evidenti illius natura egregiè comprobat Plinius. Etenim, dum hæc mordax & avida nutrimenti, pomum quoddam lædere appetit, sese circa illud continuò gyrat, an minima in eo adinveniatur macula prospiciens. Quod si non, illæsum relinquit; verùm, si partem macidam & corruptam videat, celeriter advolat, & in eam tenaciter impingit. Nonne insignis musca est sacerdotum diffamator? Totam illius maturè considerat vitam, gyrat & regyrat inspiciendo illius mores & normam vivendi, sed, si nil inveniat coinquinamenti & erroris, tacet, silet, & ne quidem muscitat. Sed dic mihi infamis lingua morale pomum, sacerdotem nimirùm linceis perlustrasti oculis, gyrum morum & virtutum considerasti, illum mundum & immaculatum

culatum

culatum reperiſt, cur hoc non propalas & denuncias, ut opera ejus ſecundùm Evangelicam doctrinam ponantur ſuprà candelabrum, & luceant omnibus, qui in mundo ſunt? O muſca, muſca! bene de te ait S Baſilius: *Muſca ſanis neglectis, ad ulcera contendunt*. Et adhuc vehementius in tuam ſtomachatur protervìam S. Auguſtinus divinis & aureis hiſce verbis: *Ante te eſt æquitas, unam linguam habes, ad quodvis eam vertes. Quare ergò potiùs ad iniquitatem, quàm ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri, & cibos iniquitatis das linguæ. Si eligis, quo veſcaris: elige, quod loquaris.*

Basil. hom. de invid. Gen. 2. 42 verſ. 9.

Aug. l. de natura & gratia.

Pierius lib. 3. Hieroglyphicorum calamitoſum cum energia ſtudens ſacerdotis deſcribere ſtatum, eum ſecundùm antiquum morem depinxit in manu dextra tenentem horologium, & ſiniſtra ſolem eclipſatum, adjunctâ curioſâ & ſubtili Epigraphe: *Non niſi cum deficit, ſpectatorem habet.* Quod, quàm acute dictum ſit, quotidiana nobis demonſtrat experientia. Etenim, ſi civitatis cujuſdam horologium juſtè & exactè diei & noctis deſignet horas, & id quidem per notabile tempus, non eſt, qui illius perfectionem laudet; è contra, ſi ſemel quieſcat, aut parumper aberret, cuncta in horologium aperiuntur ora, & tamquàm inutile reprobatur. Idem eſt de ſole. Lucet is, in omnia ſublunaria quotidianum & neceſſarium præbet influxum, conſuetum & naturalem in hominum ſervitium continuat curſum, nec aliquis de tam ſtabili motu admiratur; verùm, ſi eum eclipſari contingat, mox totus in illum inſurgit mundus, & imprudenter ab ignaris ejus accuſatur defectus. Haud aliter ſane agitur cum ſacerdote. Horologium eſt, quod annis & annis felicis mortis homini Chriſtiano indigitat horam, rectamque vitæ demonſtrat viam; ſed, ut jam dixi, hoc non conſideratur. Sed, ſi in minimum labatur peccatum: *Cum deficit ſpectatorem habet.* Sol eſt juxtà illud: *Vos eſtis lux mundi*: Vivat multo tempore ſumma cum populi ædificatione, ſi ſemel cadat, ejuſque lumen eclipſetur, actum eſt de ejus fama, reputatione atque honore; quia non niſi; *Cum deficit ſpectatorem habet.*

Matt. c. 5. verſ. 14.

Finio & vos interrogo ſæculares, cur tam temerariè contra omnem gratitudinem, bonos mores, probatam Chriſti & Evangelii doctrinam, mordacem veſtram acuitis in ſacerdotes linguam? Vobiſne quidem mica datur rationabilitatis, ubi è contra eis maxima denegari non poteſt conquerendi cauſa æquitatis. Ah malevola lingua! tuam moderare loquelam; & ſi ad hoc medium quæras, ſtatue te in ſpeculum, tuamque inſpice vitam, ut te egregiè docet Auguſtinus divinis hiſce verbis: *Conſiderate fratres, quàm facilè, quàm quotidiè homines erubeſcentes, accuſent, malè fecit, perditè fecit, ſceleratus homo eſt, hoc fortè propter homines dicit. Vide, ſi in corde tuo non conſpicis iniquitatem, ne fortè, quod reprehenderis in altero, cogites facere, & ideò in illum clames, non quia fecit, ſed quia inventus eſt. Redi ad te, intus eſto tibi judex. Ecce in cubiculo tuo abſcondito, in ipſa vena intima cordis tui, ubi tu ſolus es & ille, qui videt, illic diſpliceat iniquitas ut placeat Deo: noli illam* (ſcilicet alterius) *reſpicere, id eſt, noli illam diligere, ſed potius deſpice, id eſt, contemne & avertere ab ea.*

August. in Pſal. 65.

Sed ut acrius & fortiùs urgeat Auguſtinus, genuinam tuæ ſtoliditatis, atque temeritatis adducit rationem ad te clamitans: *Adulter non fuiſti in vita tua preterita, igitur nondum illuminatus, nondum bonum, malumque ſecernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem rogabat, hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Non defuit ſuaſor, non defuit locus, ut non conſentires ego deterrui.* Et concludit: *Agnoſce igitur gratiã ejus, cui debes quod non admiſiſti. Nullum enim eſt peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, niſi adſit rector, à quo factus eſt homo.* Hoc pia perpendat mens, ne impia in proximi & maximè ſacerdotis crimen inſiliat lingua. Sed cum Auguſtino clamat: *O veritas cordis mei erravi, & recordatus ſum tui. Audivi vocem tuam poſt me, & vix audivi propter tumultus peccatorum, & nunc, ecce redeo æſtuans & anhelans ad fontem tuum, nemo me prohibeat, ut hunc bibam, & tunc vivam, nam non ego vita mea. Si malè vixi, ex me mors mihi fui, & in te reviviſco.* Quilibet itaque quod non labatur, non ſuæ attribuat fortitudini, ſed divinæ benignitati & fratris delictum humanæ adſcribat fragilitati, & omnis anima laudet Dominum. Ad quod divinè ad noſtrum propoſitum ait Chryſoſt *Laudet eum oculus, qui non intuetur impudicè, & lingua, quia pſallit, & auris quando improbat cantilenas, & accuſationem proximi, & mens, quando dolos non ſtruit, ſed ſcatet charitate, & pedes, quando non currunt in vitium, ſed ob res bonas gerẽdas; & manus, quando non ad furta & rapinas, & verberandum, ſed ad eleemoſynã & eos defendendos, quibus fit injuria, extẽduntur.* Etenim hæc omnia comittere omiſit ſcelera homo, quia ab eo potenti manu ſpecialiter adjutus fuit, qui propter illum factus eſt homo. Condoleat

Aug. Ep. 106. ad Paulinum

Aug. l. 12. conf. c. 10.

leat ergò frater fratris infirmitati, venenosamque sæculares contra sacerdotes & Ecclesiasticos, compescant linguam, & pacem ineant stabilem, quam paucis articulis ambobus proponit S. Cyprianus dicens: *Vobis, O sacerdotes, melior vita, vobis sæculares melior lingua*: Ut ambo ab omni noxa liberi, æternâ potiri queant gloriâ, quam mihi & cunctis concedat Pater, Filius & Spiritus S. Amen.

FERIA QUINTA

Dominicæ secundæ Quadragesimæ.

Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Luc. cap. 16.

DUm luctuosum divitis epulonis finem, & tragœdicum exitum, è contrà pauperis mendici Lazari recumbentis in sinu Abrahæ felicissimum dudum considerabam statum, dolosam, & fraudulentam fallaci mundo tandem detrahere statui larvam: omneq; illius donum, delicias, divitias, voluptates nil esse demonstrare, pro hodierni discursus materia assumpsi, nisi fumum, ventum & umbram, & bonum tantummodò imaginarium. Fateor hominũ quidem hic fascinat oculos & mentem: sed heu! nos cum epulone ad æternum deducit barathrum. Mundanum enim est terrena æternis præponere: mundanum est falsâ bilance opulentiam & paupertatem, abundantiam & penuriam ponderare. Ideò ait Psalmista regius: *Mendaces filii hominum in stateris.* Et Augustinus ait rectè, eum malignantium attigisse mores, & exorbitantem animadvertisse mundi pravitatem. Nonne judicium hominum paupertatem postponit divitiis, prosperitatem adversitati, delicias penuriæ? nonne ille inconsiderato ore illum beatum & felicem clamitat, cujus vitam pertransiens, tot cernis prædia & villas. Ridet hanc hominum insaniam Augustinus dicens: *Aliquando transimus viam, & videmus amœnissimos & uberes fundos, & dicimus, beatus homo cujus hæc sunt.* Sed quàm mendaces sumus in stateris? Audi quid subjungat: *Cùm similia pensitamus & loquimur, vanitatem loquimur.* Et rationem subnectit: *Quia solus beatus est, cujus est Dominus Deus ipsius.* Deus autem divitis est aurum, quod neminem beatum reddere potest.

[margin: *Ps. 61. v. 10.*]

[margin: *Aug. sermon. 35. de verb. Dom. c. 5.*]

Dic mihi obsecro, ô obcœcate & cœcutiens mundane: si tu miserum & afflictum Lazarum ulceribus mordentibus plenum, ex evacuatione macidum, totaliter famelicum, & omni prorsùs intuitus fuisses destitutum hominum auxilio: ab altera verò parte opulentum epulonem, lautissimè enutritum, splendidissimè vestitum, delicatissimè decumbentem: quodnam de utroque tulisses judicium? Ah quàm felix, dixisses epulo, quàm miser Lazarus. Verum æquane est sententiæ tuæ statera? Sane erras, erras, Lazari enim paupertas longè præponenda est divitis opulentiæ: Et cum S. Augustino cogeris confiteri: *Vanitatem loquor.* Etenim, si respicias finem, qui secundum Christianismum includit æternitatem, ecce *mortuus est dives*: sed quid ei profuêre divitiæ, non profuêre profectò, sed obfuêre: Horribile, *sepultus est in inferno.* Lazarus verò miser & pauper æternam in sinu Abrahæ adinvenit requiem. Calamitosum hoc catastrophe annotans Augustinus, cunctosq; admonens Christianos divinè & valde breviter ait: *Cito perit, quod delectat, & manet sine fine quod cruciat.* Concludo itaque diabolicam hanc esse persuasionem in divitiis felicitatem, & in deliciis humanam consistere fortunam (si de mundana loquimur concedendum est, si de æterna negandum) ego itaque secundæ adhærens sorti in præsenti discursu conabor demonstrare divitias homini, non tantùm in altero mundo, verùm & in præsenti esse damnosas & nocivas, vanas & nullas, quod antequàm ostendamus, operæ pretium est, Spiritus S. expostulare lumen, ut ex hisce eruat tenebris, quibus totus involvitur mundus, idque per piissimæ Dei genitricis patrocinium, pro quo salutemus eam Gabrielis verbis

Ave Maria.

Mortuus

Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.

VT hominum nimia & insupportabilis toti mundo appareat dementia, lubet modò primum in proëmio meo tactum aggredi punctum: nimirùm miserum divitem in hâc quoque vitâ torqueri, Medici maximè, ut exitialem, Hydropisis extollunt morbum juxtà Galenum & Hypocratem; ast cui inquit Venerabilis Beda, meliùs & congruentiùs spiritualis divitum assimilari potest infirmitas, quam hydropisi. Hæc enim tantam causat sitim, ut hydrops, quò magis bibat, eò vehementiùs sitiat, tales sunt divitiæ: quò ipsæ in majori possidentur affluentia, eò majori desiderantur affectu, juxtà illud cujusdam dictum: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Audite modò Bedæ verba: *Proprium est hydropico, quantò magis abundat humore inordinato, tantò ampliùs sitit, & rectè comparatur diviti avaro, qui quantò est copiosior divites, tantò ardentiùs alia concupiscit.* Et hanc assimilationem apprimè comprobat summus Doctor August. dicens: *Habes aurum, habes argentum, & concupiscis aurum, & concupiscis argentum, & habes, & concupiscis, plenus es, & sitis. Morbus est, non opulentia. Sunt homines in morbo; nonne pleni sunt humore, & sitiunt humorem?* Ideoque ad fallacium divitiarum contemptum, & ad verarum amplexū,
Aug. tom. 10. ser. 10. de Sanctis. idem rursùs affirmans, instanter adhortatur: *Studeamus amare divitias, id est, castitatem, justitiā, pacem, & misericordiam. Illæ enim justæ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit. Istas verò divitias injustum est putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantò magis unusquisque ardebit egestate avaritiæ, quantò magis eas diligens, majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia, quæ amatoribus suis, quantùm fuerint ampliores, non auferunt satietatem, sed inflammant cupiditate divitem* Et experientiâ id edocēri sustinet August. *Videmus quosdam, cum haberent pecuniam parvam, parvis lucris fuisse lætatos: sed posteà, cum cœperint abundare, veris quidem copiis auri & argenti, sed tamen falsis divitiis, cum parva obtuleris, jam recusant. Nè credas eos esse satiatos; quia falsum est. Quia major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed extendit non*
Aug. hom. l, hom. 3. *irrigat, sed accendit.* Et enucleatim hic magnus Doctor volens divitiarum mundi fucatam detegere fallaciam, à magna ejus possidentium egregiè ar-argumentatur inquietudine. *Non sunt vera divitiæ sæculi, quia plus augent cupiditatem ei, qui eas possidet. Non est vera sanitas corporis, quia portatur infirmitas ubique defectiva. Quocumque se verterit, deficit. In ipso adjutorio no: venies firmamentum. Lassatus stando sedere vult, ..unquid vel sedendo durabit? Quod sibi elegit, ut non fatigetur, ibi habet deficere. Lassatus est vigilando, dormiturus est. Nunquid cum dormit non deficit? Lassatus est jejunando, refectus est. Si plus refecerit, indè deficit. In nulla re potest perseverare ista infirmitas.* Nec hoc tantum soli sentiunt SS. PP. verùm & ipsemet & æterna stabi- August. in Psal. 122.
per Psalmistam veritas: *Divites eguerunt & esurierunt.* Sed quomodò? Egeant pauperes nudi, esuriant famelici: sed divites granaria frumento, culinam omnis cibi genere plenam, cellaria & caveas vino impletas habentes, ac opulentia gaudentes? Hoc non capisco. Attamen ita est, inquit S. Remigius: *Divites hujus sæculi abundantes divitiis, & sibi sufficere credentes, tamen eguerunt bono illo, foris divites, intùs sunt pauperes.* Unde ait Jeremias: *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Psal. 33. vers. 11. Ier. c. 16.

Unde rectè ait Philosophus Seneca: *Cupiditati nihil; naturæ etiam parum satis est. Hinc qui planè præter naturalem rationem divitias, non ut instrumentum rei familiaris, sed ut finem appetunt (quos avaros nimiâ aviditate dicunt) numquam actionum suarum finem invenire possunt.* Et pergit: *Hoc agunt, ut semper addant opum acervo, numquā tamen perventuri eò, quò tendunt: non. Sed vitiosâ cupidine impulsi in gyrum circumaguntur. Et dum laborant, nè sit ditior alter, festinantibus locupletior obstat.* Et ulteriùs progrediens, avarorum culpat depravatam naturam & blandientem eorum irridet miseriam. *Imò, quantò majores nacti fuerint opes, tantò planè sibi deesse credent. Concitatior enim avaritia in magnarum opum congestu, & irritatur implendo dum, quidquid ei contingit, penitùs hauritur & conditur; cum non intersit, quantùm in id, quod inexplebile est, congeras.* Et ex hoc insatiabili divitiarum appetitu hanc sequelam eruit: *Hinc autem fieri solet, ut, dum avarus summam possessionum comparat ei cui inhiat, pauper in auro sit.* Et cap. 10. ait: *Sive enim acervis auri, argentique incubet & provinciarum nominibus agros colat, aut etiam sub singulis villicis latiores habeat fines, quàm olim consules Romani sortiebantur.* Et lib. de ira: *Semper tamen magnas inter opes inops erit,* inquit Horatius. *Etenim multa petentibus sunt plura.* Et tandem concludit: *Animus cupiditatum igne accensus, non lignis opum obruendus, sed sepulchri terrâ suffocandus est.* Sen. l. 2. de benef. c. 27. L. 7. benef. c. 3. Cap. 10. L. 3. Od. 16.

Doctrinam eamdem subtili subtilis similitu-

Hor. princ. l.1. c.34.

dine corroborat Guevarra linguâ Italicâ, quæ sic Latinè sonat, canis frustellam panis à Domino datam inhianti absorbet ore, & semper ad spem futuri adhuc cujusdam boli attendit. Idipsum avaris accidit: quidquid fortuna projecit, id sine ulla prorsùs voluptate dimittunt, statim ad alterius rapinam & furtum erecti & attenti. Et rursùs quasi ad hydropisim (de qua suprà) alludens, asseveranter sua manu tenet dicta: *Sed morbum hunc animi esse omnibus constat: indeque est, quod non dissimiles aliis ægrotis se gerant eo laborantes. Nec illam sitim, (aut potiùs morbum) ex æstu ardentium viscerum ortum, ullus humor restringere potest: quid mirandum, quod nec desiderium inexplebilis animi non ex inopia, aut recta ratione, sed vitio ortum, ullâ ratione expleatur.*

Sen. ep. 72.

Apprimè Senecæ celeberrimus concinit Historiographus Tacitus dicens: *Hâc libidine habendi pecuniam impulsi, dum toti in eo sunt, ut divites fiant, jam palàm beati, nisi unum deesset, animus, qui modestè isthac ferret. Dumque incertum voto petunt finem, miseris interim affliguntur modis, & vitam planè ærumnosam agunt. Suas, alienasque fortunas spe metuque versant.* Et rursus idem: *Non juvant eos divitiæ, sed onerant; & tantùm curis immensis fatigatos, & metu inopiæ fame ferè contabescentes, internecioni tradunt.* Ut verissimè Poëta:

Tacitus 14. ann. p. in 334.

P. in 653.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter:
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orte suo.

L. 3. eleg.

Proindè optimè ait Propertius: *Dicuntur hinc sollicit thesauri, quod possessorem mille sollicitudinibus, imò infernalibus curis torqueant.* Et idcircò antiquitùs fabulantur Poetæ, divitiarum cervici atram imminêre silicem semper lapsuram, & cadenti similem, innuentes earum possessores numquam securè quiescere, sed in continua vivere anxietate. Hinc dicit Horatius: *Nec avium cytharæque cantus somnum reducent, quem timor aut cupido sordidus aufert.*

L. 3. Od. 1.

Eja igitur Christiani, ex alto evigilate dementiæ somno, contemnite vanas mundi divitias, quæ corporis peritura sunt dumtaxat bona, & veras inquirite, nimirum nobiles animi dotes, virtutes, justitiam, pacem &c. quæ (ut ex August. supra dixi) vera dicenda sunt bona. Quod & ipsi etiam Ethnici confessi sunt. Undè Tacitus interrogatus: *Utrumnè divitiis homines, an sine virtute beati?* Respondit: *Rectius sapientes animi bona præstantissima judicant, & vitam hominis maximè iis perfici dicunt: perpendentes, quod vera bona dici nequeant, quæ fortunæ ictibus subjacent, & corruptioni & interitui noxia sunt qualia esse divitias potentiam, aliaque fortunæ inferiora, formam corporis &c. nemo negare ausus fuerit. Numquam enim non pendent à nutu suæ causæ mutabili.* Et ad prægnantem proferentem instantiam, subjungit: *Virtuti verò tanta vis boni inest, ut omnibus externis adminiculis destituta, subsistat tamen, & splendore suo æstimari possit.*

L. 6. Ann.

Quapropter piissimus Episcopus Paulinus divitiarum terrenarum vanitate maturæ perpensâ, à barbaris captivus, cunctis orbatus, in omnium Christianorum exemplum, hanc ad Dominum fudit orationem: *Oro te Domine, ut quemadmodū ad hoc usque tempus, ita deinceps me indemnem præstare velis: nosti enim, quod nihil, quæ ad me propriè spectant, hostes mihi eripuerunt.* Qui divitias animosè aspernantium numerosum gentilium desiderat catalogum legat. Arnisæii relect. polit. l.1. c.5.

Adeoque Christiane quasi de hac re disserit Seneca ut dicat: *Sed nec animus multùm à fortuna juvatur. Non enim inter duos bonos melior locupletior:* sed quid frustrà surdo canimus mundo? Etenim in divitiis luxuriosè abutendis in tantum insolescit & exorbitat, ut apposite hisce Senecæ uti queam verbis: *Quando Aristophanis Plutus cæcus, quod sæpè fieri solet apud improbos divertit, & fortuna, quæ rarò judicare solet, bona sua in immeritos effundit. Non ideò illi animum mutant aut à vitiis abstinent: sed improbo usu conspurcant opes, quæ in eos incidunt, quemadmodum denarius in cloacam cadit.* Quoniam non indigentium superflua destinantur adminiculo, sed equorum, & canum vano sustentaculo, non esurientium pabulo, verùm luxuriantium desiderio.

Epist. 73.
Ibidem.
Epist. 87.

Ex quo rectè solvi potest contra jam allegatam Aug. doctrinam replica: quomodò ipse divitias condemnet: quandoquidem eas citato suprà sermone à bonitate commendet. *Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum argentum, bonæ familiæ, bonæ possessiones. Omnia ista bona sunt.* Etenim si bonæ, cur nocivæ, & animarum saluti perniciosæ? nônne Loth, Abraham, Isaac & Jacob divites fuerunt & tamen amici Dei extitêre? Et ipsemet ait Deus per Prophetam Aggæum: *Meum est aurum, meum est argentum.* Ergo bonum, quia à Deo, nil nisi bonum promanat. Ah! Augustinus divitias in se non condemnat, sed pravum earum usum vituperat: quod vitium promiscuè, quid ni dicam ordinariò

Agg. c.2. vers.9.

Aug. l. 50. hom. hom. 20. in fine.

ordinariè ex affluentia pullulat. Audite refellentem hoc argumentum Augustinum : *Iam videtis, quàm magno errore, magnâque dementiâ in res ipsas, quibus malè homines utuntur, crimen malè utentium transferatur. Nam, si propterea vituperatur aurum & argentum, quia homines avaritiâ depravati, neglectis præceptis omnipotentissimi creatoris: in ea, quæ condidit detestabili cupiditate rapiuntur.* Vult dicere Augustinus, divitiæ, & aurum non te damnant ô homo, sed insatiabilis ergà eas affectus, qui illas te subdole, quasi ut idolum tuum adorare cogit, quod ob quam nescio fucatam reverentiam pro indigorum sublevanda necessitate vix ausus es attingere, sed ad luxum, voluptates, & mundanas delicias prodige expendere non vereris, sicque per consequens non tuo abuteris. Audite Augustinum mentem meam ex ipsamet scriptura jam citata stabilientem. *Meum est aurum*, inquit hic magnus Doctor, *ut ille, qui non vult cum indigentibus communicare, quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum non de re illius, aut cujuslibet, sed de re sua jubêre donare, & ille, qui porrigit aliquid pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne fortè, non tam confirmetur misericordiæ nomine, quàm infletur superbiæ vanitate. Non est vestrum ô divites terræ ! quid ergò dubitatis pauperi dare de meo ? Aut quid extollimini, cum datis de meo?* Unde Augustinus quærit, cui diviti rectum auri competat dominium : & divine respondet. *Illius est aurum & argentum, qui novit uti auro & argento. Nam etiam inter ipsos homines, tunc quisque aliquid habere dicendus est, qui benè utitur. Nam quod justè non tractatur, jure non non tenet. Et si suum esse dixerit, non erit vox justi possessoris, sed impudentis incubatoris improbitas.*

Aug. loco citato.

Hinc Propheta Job quamplurimum laudatur, quod mirificus terrenarum divitiarum extiterit contemptor, rectamque cunctos subsequentes succincte edocuerit disciplinam cap. 31. *Si putavi aurum robur meum.* 70. legunt. *Si posui aurum in conjugium meum.* Quæ comparatio multa in comprehendit documenta. Etenim matrimonium inter virum & fœminam facile aliquam producit zelotypiam ; sic & dives suorum maxime zelotypus est nummorum. Prætereà matrimonium legitimum consummatum est prorsùs indissolubile : ita quoque avarus neutiquam à suis divelli potest divitiis : dum continuò sese ipsum pauperem fingit & dicit, quando pauperem cernit & audit. Tandem optime dicitur conjugium : quoniam, ut dixit Christus : *Relinquit homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Sic ob terrena bona avarus filius suum deserit patrem, matrem, propinquos, imò quid ni & Deum ipsum, (cum, ut supra ostendi, de auri tractans potentia, pecunia experientiâ demonstret, sese omnium rerum Dominum, & moderatricem fore) asseverem ? Ipsamet namque veritas infamem avaritiæ & divitiarum cupiditati indidit titulum idololatriæ per Oseam prophetam. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Quam scripturam mature perponderans Augustinus divine ait : *Potuitne graviùs divinis eloquiis accusari avaritia, quàm, ut idololatriæ monstraretur æqualis, & ejus nomine appellaretur ? Potuitne majori dignâ pœnâ judicari, quàm ut inter illa crimina poneretur, quibus obsessi regnum Dei non obtinebunt.* Ideoque nimiam hanc Christiani reprehendens dementiam, saniorem illis inculcat doctrinam dicens : *Avarus amat aurum, plusquam animam suam, tu Christiane, ama Christum, plusquàm omnia tua. Ille fervet in amore auri, tu Christiane ferve in amore Christi & eris beatus in regno Christi.*

Vers. 24. — Marc. c. 10. vers. 7 — Oseæ c. 8. 12. v. 8.

Quapropter stultos hujus mundi fluxis divitiis inhiantes explodit & irridet Augustinus, verùm ironice, hâc methodo nobis meliorem indigitans semitam super hoc : *Chanaan in manu ejus statera dolosa. Nolite amare mundum, nec ea, quæ in mundo sunt. Vitam beatam quæritis in regione mortis. Sed multum deciperis : non est requies, ubi quæritis eam, beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illis, quomodo enim beata vita, ubi nec vita ?* Quia (ut ante dixi) mordicus suam Augustinus sustinet doctrinam, nimirùm hominem terrenis neutiquam posse satiari : *Certi estote, non satiabit vos, nisi solus Deus.* Teste Prophetâ : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Cui adstipulantur S. Basilius & Ambrosius : ille ait : *Non solùm crescendo non expletur, sed ardentior redditur divitiarum appetitus. Et qui repentè ditatus est, plura possidens, plura concupiscit.* Hic verò : *O dives nescis : quàm pauper sis, quantò plus habueris, plus requiris. Inflammatur latro avaritiâ, non restringitur. Quasi quosdam gradus cupiditas habet, quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat.* Quod, dum attente perpendit Venerab. Beda, in terrenis acquirendis, cœlestibus neglectis, hominum obstupescens solertiam, ingemiscens exclamat : *Heu nos ferventissimi sumus in terrenis, & frigidissimi in cœlestibus, & summam in rebus parvis exhibemus alacritatem, ad majora tabescimus, terrena*

Aug. lib. 4. Conf. c. 12. Psal. 16. Vers. 16. Basil. homil. 7. de avar.

sine

sine fine quæruntur; cælestes divitiæ, & immortales honores pigrâ quâdam dissimulatione negligimus. Cui concinnè correspondet Euseb. suprà hoc Lucæ cap.16. *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis.* (*Vers.* 8.) *Prudentiores sunt illi in malo, quàm isti in bono: vix enim inveniuntur aliqui, qui tantam prudentiam & curam habeant quærendis bonis æternis, quantam aviditatem, & calliditatem ista habent in acquirendis bonis temporalibus, & fugitivis; Pro his diu noctuque vigilant, angustiantur, laborant, & per fraudes, rapinas, furta, proditiones, perjuria, homicidia, & his similia, tales divitias acquirunt, quas conservare non possunt.* Quod quoque sanguineis lachrymis deplorans magnus ille eleemosynarius S.Thom. à Villa Nova ait: (*Thom. à Villa Nova feria 6. Domin. 2. Quadrag.*) *Pudeat in hoc à sæcularibus vinci. Utinam, utinam! eo fervore, ac sollicitudine spiritualia, & æterna, quo ista temporalia quæreremus! fœtidum lutum sedulò aggregamus, & aurum obryzum stultè negligimus.* Et alibi: *floccipenditur animæ perpetua vita, & mortalis amatur suprà modum & diligitur.* Dispar tamen maximè est secundùm August. divitis, & pauperis ex hoc mundo discessus, ut patuit in Lazaro, qui positus est in sinu Abrahæ & divite epulone, qui sepultus est in inferno. *Vides divitem*, inquit, *viventem, cogita morientem. Quid hic habeat attendis, quid secum tollat attende.* (*August. in Psal.* 8.) *Quid secum tollit? Multum auri habet, multum prædiorum, mancipiorum: moritur, remanent illa, nescis quibus. Et si enim dimittit, quibus vult, non servat, quibus vult, remanent enim illa omnia, & tulit secum quid? Fortè dicit aliquis: illud secum tulit, undè involvitur, & quod illi irrogatur ad pretiosum & marmoratum sepulchrum, ad instruendam memoriam, hoc secum tollit.* Et alibi suos ad divitiarum adhortans contemptum ait: *Fratres citò præterit, quod delectat, & manet sine fine quod cruciat.*

Et hunc divitiarum, terrenarumque rerum defectum, quàm plurimi confessi sunt Ethnici, solâ ratione naturali. Plut. de Mario Romanorum septies consule ait: (*Plutar. in Mario.*) *Primus omnium hominum, qui septies consul factus fuerat, multisque suffecturas regibus opes paraverat, is fortunam suam* (morti scilicet vicinus) *lamentabatur, quòd antè sibi moriendum esset, quàm quæ cupiisset, assecutus fuisset.* Seneca de quodam Rege narrat, quod ipse aulicum, quem ad summam dignitatem, sublimitatem, & divitias evexerat, rogarit; an modò totaliter animus ejus foret satiatus, & quietus? Qui ingemiscens respondit: *Non ex omni parte, quia unum est, quod deest.* Regique instanti quidnam illud foret; fortunam globo volubili insistentem, depictam ostendit, cum Epigraphe: *Clavus deest.* (*Seneca ep.* 15.) Cumque rursùs Rex urgeret, quid? Totanè & tanta felicitas, & tantæ divitiæ à clavo dependent? Obsecro dic, quid clavo ageres? *Hoc*, inquit, *fortunæ rotam stabilem reddam, & tunc felix ero.* Hinc quidam apud Plutarchum, (*Plutar. de tranquill. animi.*) cunctis amissis, (quæ in summa possederat abundantia) bonis, in hæc verba prorupit: *Scribam me opes, nec trabali, ut ajunt, clavo possidere.*

Ob eandem rationem Ausonius Hieroglyphicè volens mundi instabilitatem exprimere, rotam, quæ continuò volvebatur depinxit, cum dicto *stare nequeo*, ad quod egregiè alludit Ambros. *Bona hujus sæculi instabilia sunt, & rotarum more cum ipso sæculo volvuntur.* Hoc ipsum apertè innuit Job cap. 5. *Ego vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini ejus statim.* (*Iob. cap.* 5. *vers.* 3.) Ad quod egregiè S.Greg. (D. *Greg. l.* 6. *Moral.*) *Quasi firmâ radice stultus attollitur, quod hic temporali felicitate fulcitur; pulchritudini enim stulti maledicere, est ejus gloriam consideratâ damnatione judicare, quò altiùs in peccatis elevatur. Quia cum transit, quod tollit, permanet, quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur*: Cui accinit S. Aug. dicens: *Illis est in via prosperitas, in perventione infelicitas*, ut manifeste constat in epulone & Lazaro. Ille sepultus est in inferno, alter requievit in sinu Abrahæ.

Fundamentalem Augustinus hujus ex cordis humani figura, quam quasi triangularem (ut constat) esse asserit, eruit rationem. Pro quo notat: juxtà infallibiles Mathêsis regulas triangularem figuram nec circulo, nec semi circulo perfectè posse comprehendi; restant enim semper tres cuspides, sed ad id omnimode necessarium esse triangulum. Cum itaque cor hominis triangulare sit, mundusque sphæricus, & circularis, ipso sane satiari nequit. Verùm ad illud quietandum, & beatificandum triangulus SS. Trinitatis, & Deitas in personis una, & infinitè bona, absolutè requiritur, unde ipse semper clamabat ad Deum: *Inquietum est cor meum, donec requiescat in te.* Concludendum itaque est, fallaces mundi divitias cor hominis minimè satiare. Quod rursùs luculenter asserit, & confirmat idem Doctor August. ad Deum clamans: (*Aug. l. solil. cap.* 13.) *Hoc scio Domine Deus meus, quoniam ubicumque sum, sine te mihi malè est, præter te, non solum extrà te, sed etiam in me: quia omnis copia, quæ non est Deus meus, egestas est. Satiabor tantùm, cum apparuerit gloria tua.* Et hominis deplorans dementiam infrà pergit:

git. *Heu miseria super miseriam, cum misera anima mea à te refugit, cum quo semper abundat & gaudet: & sequitur mundum cum quo semper dolet & eget. Clamat deficio: tu clamas reficio, & miseria mea prava sequitur magis deficientem, quàm reficientem.* Patri suo quàm optimè consonat filius S. Thom. à Villa Nova, *An non stultus, qui pro modico temporali lucro æternum commutat regnum? Et pro momentanea voluptate atrocissimis perpetuisque seipsum suppliciis mancipat & vendit? Qui, cum facilè posset moderari passiones suas, ut illis satisfaciat, Deum, animam, famam, gloriam sempiternam amittit, & in abyssum sulphuris, & ignis sciens, vidensque seipsum præcipitat. Estnè aliquis adeò stultus, qui hujusmodi contrà seipsum faciat?* Ah utinam nullus!

D. Thom. in c.6. Gen.

Verùm quandoquidem ex Augustini mente adeò contemptibiles hucusque ostenderim hujus mundi divitias, ne forsitan mihi ejus vita improperetur, placet per parvulam præter solitum meam digressionem, demonstrare illum ad instar veri & Beati Doctoris fecisse, & docuisse. Ipse namque rogatus, ut Ecclesiæ suæ destinatum legatum à quodam patre familias admitteret; cum audivit hoc exhæreditato filio fieri, in hæc divinâ (sed modò exulantia) prorupit verba: *Quicumque vult exhæreditato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio neminem inveniat.* Idque tam constanter sustinebat, ut de illo ipsius discipulus attestetur Possidius: *Frequentius verò dicebat, magis securè, & tutò Ecclesiam à defunctis dimissa debere suscipere, quam hæreditates fortè sollicitas & damnosas: ipsa legata magis offerenda, quam leganda.* Et mox subjungit cunctis salutarem donans instructionem: *Ad hoc propositum quantum possum viribus alios exhortor.*

Aug. ser. 49. de diver.

Poss. c 24.

Discant itaque Ecclesiastici exemplo tanti magistri Augustini hæreditates inanium devitare bonorum: multò magis caveant eas importunè sollicitare. Studeant pietati & virtuti, non Mammonæ iniquitatis. Melior est enim Ecclesiæ paupertas, quàm vanæ hujus mundi divitiæ. Hæ namque tanquàm nocivæ tineæ rodunt humilitatis virtutem, & causant animi elationem teste Augustino dicente; *Primò divitias ad necessitatem implendam homo quærit: cum autem hæ abundaverint, incipit superbire de talibus. Tale est hoc, ac si se vulneratus quis jactet, quia habet multa emplastra in domo, cum hoc illi bonum esset, ut vulnera non haberet, & ne uno quidem indigeret emplastro.*

Aug. l. 2. Q. Evang. 29.

Insuper divitiæ fertilem Christianæ Ecclesiæ agrum inficiunt, atque spirituales diminuunt fructus. Unde rectè ait Hieronymus: *Ecclesia ipsa, quæ persecutionibus crevit, martyriis coronata est. Ipsa, postquam ad Christianos principes venit, potentiâ quidem, & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Et hæc veritas vivâ oraculi voce comprobatur, quam olim de cœlo auditam fuisse asserit noster Henricus de Gandavo in quodam quodlibeto apud Liranum in cap. 32. Deut. tempore, quo Constantinus Imperator Ecclesiam amplissimis opibus atque divitiis ditavit. *Hodie cecidit venenum in Ecclesia Dei.*

Quod idem non obscurè insinuare videtur Angelicus Doctor, ingeniosus horum verborum Gen. cap. 6. interpres: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Et sequentium: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam autem ingressi filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Quæ sic interpretatur: *A tempore, quò filii Dei, clerici scilicet, & religiosi, videntes filias hominum, id est villas, & civitates, & temporales divitias earum, quod essent pulchræ, & quod facilè generent multam & magnam prolem, acceperunt sibi pro libitu suo undequaque.* Et infrà pergit. *Ex nunc orti sunt in terra gigantes in magnis & mirabilius super se ambulantes, qui potiùs videntur Reges, vel Marchines, quàm Episcopi, vel Abbates. Et hi sunt fortes, & potentes à sæculo, viri famosi. Et ideò non mirum, si per eos erigatur imago bestiæ, & statua babylonis, & terrena civitas dilatetur.* Imò paulò post subjungit: *Et præcipuè hoc timendum est, si filii Evangelicæ paupertatis prædictas filias hominum amplectantur & ambiant ne ex eis generent pseudo Christos, & prodigia magna.* Ecce quàm nocivæ, quàm damnosæ sentiantur hujus sæculi divitiæ, & tamen tàm avide etiam usque ad Indias quæruntur, & filiæ istæ passionate adamantur.

D. Thom. in c.6. Gen.

Verùm, si à te pertinaci avaro solida SS. PP. doctrina suâ luce tam densam dementiæ non depellat nebulam: nônne te non pudet Christianum, & Catholicum ab Ethnico lumen quoddam mutare? Audi, audi insane detestandam unius Philosophi Senecæ auri cupiditatem, & omnes perituri desiderium explodentis sententiam, qui tamen non nisi rationi innitebatur naturali, cujus solius virtute didicerat omnia hujus mundi, quæ æstimantur bona, nulla esse, quia adventitia.

Verba illius sunt. *Quidquid est hoc, quod circà nos adventitiè fulget, liberi, honores, opes, referta vestibula, cæteraque ex incerta, & mobili sorte pendentia, alienique incommodatique apparatus sunt. Nihil horum dono datur. Alia ex his primo die, alia secundo auferentur, pauca usque ad finem perseverant*, Nimirum vitæ. Et tum, te invito, illa remanent, nihilque, nisi virtus & vitia sequuntur. *Opera enim eorum*, inquit Joannes: *Sequuntur illos*. Et adhuc luculentius idem alibi: *Quidquid vides currit cum tempore. Nihil est ex his, quæ videmus, quod manet, & ideò admiror dementiam, quod tantoperè amamus rem fugacissimam; corpus, villas, terrena bona &c igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliam faciem ferunt. Nihil horum stabile & solidum est, & nos tamen ea tamquàm semper futura, aut semper habituri quærimus. Mittamus animum ad illa, quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum formas; Deumque inter illas versantem.* Et hanc sane mundi instabilitatem juxtà dictum Socratis optime expertus est Perisarius, adeò charus Cæsari Justiniano, ut ipse in suo numismate sculpi jusserit: Perisarius primum Romæ locum tenet Pòst verò, inquit Socrates, deperditâ Cæsareâ gratiâ, ad tantam redactus fuit necessitatem, ut mendicus in plateis decumbens, à prætereuntibus pro necessario corporis sustentaculo parvulam exegerit eleemosynam clamans: *Date obulum Perisario Imperatori.*

Joan. c. 3.

Seneca Ep. 59. ad Lucill.

Et ob hanc rationem concludit Augusft. summæ esse dementiæ (quod Arist. quoque asserit his verbis: *Qui omissis melioribus, deteriora sectatur, stultus est*) æterna floccipendere, & peritura, atque vana arctissimè amplecti. Ideòque ad similes exclamat: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*? Omnia enim mundana fucus, ventus, & merum sunt nihil. *Quæris aurum, quare quæris mendacium? Vis esse sublimatus in sæculo, quare quæris mendacium? Et quidquid aliud quæris amando terram. Quare non cessas quærendo mendacium? Fallit vos, quod quæritis, mendacium est, quod quæritis.* O stulti & obcæcati ait Dionysius Carthusianus: *Quamdiu habebitis cor deorsum? Sursum corda: quamdiu in rebus transitoriis affectum demergitis, non quærentes, quæ sursum sunt?* Et tandem totum hoc apprime rursus comprobrat Augustinus hisce verbis: *Nulla major insania est, quàm pro delectatione momentanea perdere æterna gaudia, obligare se ad æterna supplicia.*

Aug. serm. 141. de temp.

Hanc dementiam amarè! sed seriùs) ut & mundani facient, dicentes, inquit, Sapiens: *Divitiarum jactantia, quid intulit nobis*) deploravit Rex Lisimachus, ut narrat Plutarchus, qui certo tempore ab hostili circumcinctus exercitu, sitibundus pro vili aquæ haustu, se liberos, uxorem, regnum, propriamque obtulit libertatem. Verùm enim verò iniquâ ab inimico acceptâ conditione, mox factus captivus, irreparabili recognito errore, maxime indoluit, atque in hæc verba prorupit: *Heu, quàm brevis voluptas me ex Domino fecit servum, & ex rege captivum.* Nonne ô Auditores vestro judicio quilibet dives, qui terrenis inhiat, perpetua contemnit, parvi facit animam, & plurimi æstimat opulentiam, mundana quærit, & divina relinquit, jure meritò cum divite epulone condemnatus, calamitosum suum deplorabit statum, & exclamabit adinstar alteriùs Regis Lisimachi: *Heu! quàm brevis voluptas me ex Domino servum fecit, & ex amico inimicum.* Imò, imò, sane. Quia pro nihilo tam pretiosum animæ, Christi cruore redemptæ, vendidit thesaurum; & se, qui ante liber, & filius existebat, & æterni regni hæres, regni vendidit hæreditatem, & se servum effecit diaboli, & peccati. *Qui facit peccatum*, inquit Joannes, *servus est peccati*, de quo loquens August. acute & nervose ait: O *miserabilis servitus! aliquandò sui Domini imperio fatigatus, fugiendo quiescit, servus pecati quò fugit, secum trahit, quòcumque fugerit seipsam mala conscientia! non est, quò eat: sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim, quod fecit intus est.* Ideòque optimè ait Sapiens: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringetur.*

Sap. c. 5. Vers. 8.

Joan. c. 8.

Aug. tract. 41. in Joannem.

Prov. c. 5. Vers. 22.

Et solidam hanc doctrinam, etiam ipsi Ethnici vi luminis naturæ cognovêre. Etenim Diogenes Alexandro magno de divitiis, victoriis, captisque mancipiis glorianti intrepidè, & ingeniosè respondit: *Nequaquam est Dominus, sed servorum eorum servus: vitia enim sunt Domini tui, & servi mei in te dominantur.* Quod quoque constanter approbat divinus Plato: *Quid tibi prodest*, inquit, *Dominum universi fieri, si tàm infima & abjectæ rei (qualia sunt peccata) servus es.* Et magnus quidem servus est avarus suarum divitiarum, quæ ipsum quàm maxime angunt, & ad varios labores pertrahunt. Ut ingenue protestatur divinis & exquisitis verbis August. serm. 50. de Sanctis, cap. 2. *Quantas angustias patiuntur, qui volunt rapere res alienas: Multi enim famem patiuntur, dum acquirunt, & faciunt lucra, quibus præcipimus jejunare, & excusant se stomacho. Vacat toto die solidos numerare, & jejuni dormiunt Quotidie*

die negotiatores de naufragio nudi evadunt, & iterum navigant ad periculum. Vndè quotidiè periclitantur homines, nisi propter divitias acquirendas? Avarus dicit in corde suo, qui forte non audet linguâ suâ. Quis separabit à cupiditate auri? Possunt & avari dicere auro, propter te occidimur toto die. Et audite, quid immediate post subjungat. *Optimè ergò dicunt Sancti Martyres in Psalmo: judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Discerne, inquit, tribulationem meam, tribulantur & avari. Discerne angustias meas, patiuntur angustias & avari. Discerne persecutiones meas, patiuntur & avari. Discerne famem meam, pro auro acquirendo esuriunt & avari. Discerne nuditatem meam, pro auro despoliantur & avari. Discerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari. Quid est discerne causam meam? Propter te mortificamur tota die. Illi propter aurum, nos propter te, similes pœnâ, sed discretâ causâ.*

Sed vultisne ulterius scire, quàm arctè ferrea peccati & præcipuè avaritiæ, atque terrenarum rerum concupiscentiæ, hominem stringat catena? Pro primo accipe Thomæ à Villa-nova doctrinalem sententiam: *Heu miseram peccati servitutem, quam, qui semel incurrit, catenis durissimis, & infragibilibus irretitur, & deprimentem peccatorum molem nulla potest virtus humana repellere.* Pro 2. annotandus est egregius & subtilis Doctoris Chrysost. conceptus. Hic namque sermonem instituens de triumphali Christi Domini cum SS. P. P. & Prophetis è limbo in cælum ascensu, miram & stupendam profert sententiam: *Secum latronem duxit, non confundens, calcantibus latronis pedibus Paradisum, sed honorem præstans Paradiso.* Etenim quod concipienti stuporem ingerit, est, quòd solum bonum latronem sui triumphi primariam extitisse æstimet gloriam, & nullius alterius Sancti, longè eo eminentioris faciat mentionem. Alii namque Sancti Patriarchæ & Prophetæ, innocens Abel, justus Noë, patiens Job, mansuetus David, prudens Moyses, zelosus Elias & glorioso Christi Domini in cæleste regnum ingressui plus pompæ viderentur attribuisse. Cur itaque ô Chrys. soli latroni adscribis præ cæteris præeminentiam?

S. Chrys. hom. de S. Cruce.

Rationem secundùm Aug. adducit Doctissimus Pineda: experientiâ inquit comprobatur & cuilibet patet ad oculum, divitem avarum adeò tenaciter, & radicaliter divitiis inhærere, ut solius sit divinæ virtutis, & specialis gratiæ cum ab illis avellere: non sic autem ab aliis peccatis; quia itaque latronem divitiis deditum converterat, in tam heroico actu suam constituit gloriam. Audite Pinedam Chrysostomi ruminantem verba: *Quem quæso honorem Christus Dominus exhibuit Paradiso, dum latronem Paradiso donavit? Sanè maximum: quia docuit hoc facto, tanti faciendum esse Paradisum, ut propter eum avari divitias contemnant. Quod quidem multum decorem adfert Paradiso.* Quia ita firmiter adhærent avari divitiis suis, ut eximium sit facinus, si eas contemnant etiam propter ingressum in Paradisum. Ac proindè justa tota & æqua statera diametraliter vertitur in oppositum, & homo cum Lisimacho pro re terrena, abjecta, & vili (quam Apost. ut stercus reputat) Deum abjurat, pro temporalibus acquirendis totam mundo dedicat vitam, eumq; ad instar miseri mancipii & servi sequitur decipientem (ut inquit Augustinus) & Christum refugit divinis suis reficientem donis, Verè *Mendaces filii hominum in stateris.*

In cap. 14. Eccl.

Ah infelix homo! impius mundus subdolè te decipit ad-instar alterius Jahel uxoris Cinæi Sisaram Jabini Cananæorum regis ducem. Etenim, hæc Sisaram cernens à prælio defatigatum, illius quasi miserta, ad domum suam convocavit. Verum dissimulans amicitiam, ut parum per sese refocillaret. Ait namque Scriptura: *Quæ aperuit uterem lactis, & dedit ei bibere, & operuit eum.* Verum, eo paulisper quiescente, ad fraudem & dolum se convertit: *Tulit itaque Jahel clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondite, & cum silentio, posuit suprà tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque in terram.* Haud dissimiliter fraudulentus obcæcatum hominem tractat mundus; plena divitiarum, commoditatum, atque voluptatum aperit ubera, & ad suavem, sed intoxicatum blandè allicit potum, non sanè, ut sitim illius extinguat, sed ut subdolè perdat, illum attrahit odore boni fucati, & ut ait D. Thom. ad-instar balenæ technas præparat. Etenim hæc famelica ex innato instinctu, ut pisces ad se invitet, monstruosum suum aperit os, & ex eo dulcissimum emittit odorem, quo allecti approximant ventrem balenæ, & intrantes miserè degluttiuntur, eique secura remanet præda. Ita inquam perfidus mundus promittit divitias, illecebras, lauta convivia omnemque voluptatem: sed non ut reficiat, sed ut devoret. Hinc ait Abbas Godefredus: *Væ divitiis, quæ non solum pereunt, sed suum etiam perire faciunt amatorem.*

Judicum c. 4. v. 21.

Similes obcæcati Christiani rectè assimilari queunt tribui Ruben & mediæ tribui Manassis; cum enim Israelitæ pervenerant ad terram Galaad, ut indè ad terram progrederentur promissionis, ipsi (visâ admirabili hujus terræ Jordani adjacentis fertilitate) *Quia habebant pecora multa, & in jumentis infinitam substantiam.* Spretâ terrâ, lacte & melle fluente, præsentibus allecti bonis, supplices Moysen accessêre, ac hisce verbis allocuti sunt, ut narratur Numerorum cap. 32. *Precamur, si invenerimus gratiam coràm te, ut des nobis famulis tuis hanc in possessionem, nè facias nos transire* Jordanum. De qua stultitia ait Psalmista: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, id est, nullius illam æstimarunt, oculi enim eorum obfuscati erant patriæ hujus fructuum affluentiâ. Sic iniqui cæcutientes agunt mundani, Deum, non nisi pro divitiarum deprecantur abundantia, terrena sola apud illos sunt in pretio, quæ, si affluant, pro nihilo habent terram desiderabilem, id est, cæleste regnum: nec studium & affectum eò dirigunt: audite Procopium: *His similes nonnulli sunt, qui curis hujus vitæ, studio ergà Deum elanguescunt. Etsi enim vocati ad fidem fuerint, tamen propter voluntatem in numero proborum manere volunt.* O stulti, & tardi corde! attendite, quàm diligenter vos admoneat August. *Væ tibi, si amaveris creaturam, & deserueris creatorem.* Quid enim omnia sunt, quæ in mundo videntur in comparatione Dei, qui illa produxit? Sanè fumus & nihil.

Num. c. 32

Psal. 105. Vers. 24.

Numquàm annotastis curiosi Sacræ Scripturæ interpretes Deum, jam creato cœlo nomen indidisse? *Vocavit Deus firmamentum cœlum.* Verùm cur non cæteris creaturis, volatilibus, & terrestribus animalibus, arboribus & virgultis? Eo enim munere functum fuisse primum parentem expressè constat ex cap. 2. Genes. *Omne, quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus.* Nodum hunc enodat Doctiss. Rupertus in hunc locum dicens: *Temporalia apud Deum nomine carent, licet apud homines magnum nomen habere videantur.* Etenim juxtà rectam stateram, & justum omnium judicium, nil est, nisi somnium & merum nihil, quidquid sapit mundum. Hinc S. Ambrosius curiosè ponderans diligenter Pincernæ pristino restituti statui fortunam, eam ipsum in somnio vidisse annotat: & rationem subnectit: *Per somnium reddi sibi principatum videt, sed hoc somnium est, omnis potentia somnium, non veritas est.* Quod quoque Ethnicus Philosophus Seneca ad magnam satis Christianorum confusionem apertè confitetur dicens; *Quid exultas homo? ista quibus veheris in somnum, nescis ubi te relictura sunt? Habent finem suum, non tuum.* Nimirum finis est te decipere, deserere, dum minimè cogitas, & tibi quam plurima, quæ ex inordinato divitiarum commisisti peccata, ad æternitatem tecum defers, affricare. Fundamentali Senecæ sententiæ pulcherrimum quadrat Solonis dictum, de quo Plut. narrat in vita Solonis; Crœsum demonstratis omnibus suis thesauris, ab eo petiisse: *Ecquid an ullum umquam se beatiorem vidisset hominem?* Respondit Solon: *Visum à se Tellum suum civem, qui pro patria occubuerat.* Indignatus Crœsus subolens illius dicti energiam, denuò rogavit: *An vidisset alium præter Tellum Crœso feliciorem?* Tum Cleobum, & Bitonem nominavit, qui summoperè indigi atque pauperrimi fuerant. Et pòst dixit ad eum Crœsus: *Nos ergò in numero beatorum non habet?* Respondit: *Cui res secundas ad finem usque Deus prorogavit, hunc felicem esse statuimus. At viventi adhuc, & in discrimine versanti felicitas, quæ tribuitur, non magis certa, atque rata est, quàm si victoriam, coronamque adhuc decertanti adscribamus.* Sed audite subsecutam luctuosam Crœsi fortunam. Is victus à Cyro, ignique adjudicatus, recordatus Solonis dicti, præsente Cyro ter ingemiscens exclamavit ô Solon! ô Solon! rogatusque à rege quis ille homo Solon, aut quis Deus esset, quem interpellabat: rem totam ei enarravit. Quâ auditâ, Cyrus fortunæ volubilitatis memor, ipsi vitam concessit: dictumque est de Solone: *Eum uno verbo dicto è duobus regibus unum servasse, alterum erudiisse.*

Gen. c. 1. Vers. 8.

Gen. c. 2. Vers. 19.

Ambr. l. de Josepho.

Seneca l. 3. moral. inquisitionum.

Ideòque Lucæ cap. 2. diabolus Christo Domino omnia mundi regna, omnem ejus gloriam, omnesque divitias & opes in momento temporis ostendit: idque sic indubiè decernente Deo, ut indicaretur cuncta esse vanitatem, & ad modicum patentia. *Benè*, inquit Ambros. *in momento temporis temporalia, & terrena demonstrantur, non enim tàm conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor* (& idem est de divitiis) *sæculi abiit, antequàm venerit.* Undè apposite Apostolus de mundi loquens vanitate utitur vocabulo figura. *Præterit figura hujus mundi*, quia sicut omnes docent Philosophi, & ipsamet ad oculum patefacit experientia, figura est modus quantitatis, quæ facile variatur; Cape namque ceram, eamque flecte, & inflecte manibus, aut

1. Cor. c. 7. Vers. 31.

aut instrumento, eâdem planè in essentiâ manente substantiâ, nunc figuram habebis planam, nunc sphæricam, nunc avem, nunc panem &c. Ita mundanæ divitiæ sunt figura, quia quandoq; deperduntur, antequàm possideantur. Pulchræ nunc tibi apparent, & delectant, ablatæ amaræ sunt, & cruciant. Nunc tuæ sunt, nunc alterius, quia *Præterit figura hujus mundi.* Audite Theophylactum: *Mundi verò ideò dixit figuram, quia ejus bona solo terminantur aspectu, & tantùm apparentia sunt, & nullo modo subsistunt.*

Seneca de tranq. vita.

Quod rursus egregiè comprobat Seneca: *Omnia extrinsecus diversas facies habentia, intus autem pariter vana.* Quod & Rex Herodes proportionatum saltatrici filiæ elargiens præmium apprimè affirmavit, nimirùm saltui dimidium regni deputans. Sicut enim saltus essentia in elevatione à terra, & in eamdem casus consistit, ita quoque mundi felicitas nil est, quàm quædam apparens præ cæteris elevatio, præsupponens tamen futurum subitaneum casum. Omnes enim post momentū, dissolutâ à carne animâ, pares futuri sumus, & omninò æquales secundùm mundi substantiam, sed juxtà æternæ gloriæ mercedem. Patet in Epulone & Lazaro; ille elatus assidens lautissimæ mensæ, vestitus purpurâ & bysso, à cunctis indubiè judicabatur beatus & felix, & famelicus Lazarus miser & infortunatus. Sed ecce vix saltus mundi desiit, vix fallax sæculi peracta est tragœdia, dives jacet in in inferni barathro, & pauper in Abrahæ in cœlis requiescit gremio: & qui ei micam panis de mensa cadentem negaverat, ab illo pro sitibunda sua lingua aquæ poposcit guttam. O lugubrem catastrophen! ô luctuosum spectaculum! heu, heu! ecce quò miserum hominem deducunt divitiæ. Non mirum inquit Anastasius: *Quia avaritia sufficit super omnia vitia ad reddendos homines obnoxios æterno supplicio.*

Ex quo (quamvis tum in hoc discursu, tum in alio dictis, in quo egimus de auri potentia idem pateat) manifestè deducitur divitias maximè esse periculosas, ideoque contemnendas exemplo Salomonis ad Dominum orantis: *Divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus alliciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus?* Ecce timet Salomon exitialem animæ ex hac peste ruinam. Quia divitiæ avaros promiscuè, imò ut plurimùm ad quæcumque enormia attrahunt scelera; Etenim iis obcæcati ad Deum non respiciunt, nec attendunt juxtà Psalmistam: *Non posuerunt Deum ante conspectum suum.* De quo

Prov. c. 30. v. 8.

Aug. 53.
Aug. hic.

neutiquam miratus Augustinus ait: *Quomodò proponent ante conspectum suum Deum, ante quorum conspectum non est, nisi sæculum.*

Verum anatomizemus parumper divitem avarum, illiusque perversam enucleemus vitam. Ipse in primis improbos in capite portat oculos; cum enim quo plus possideat, nunquam satur, eò plus accumulare desiderat (ut paulò suprà vidimus) alios autem adhuc aliquantulum habentes cernens, omni modo devorare & deglutire satagit, imò & pauperum, pupillorum & viduarum tenuem, per fas & nefas, invadere studet hæreditatem. Testatur id regius Propheta David; *Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Et hoc, non ut pauperem adjuvet, sed devoret. Sicut leo animalibus insidiatur transeuntibus, ut rectè confitetur Doctissimus Cajetanus: *Oculi ejus ad pauperem devorandum spectabunt, & ad hoc insidiatur vi & dolo, quasi leo in cubili suo: leo enim in spelunca sua insidians agit dolo, pro hoc latet, vi enim insurgendo ad vorandum eum, qui putat transire securus, sic rapiet pauperem trahendo ipsum in rete.*

Ps. 9. v. 9.

Ob quod infame scelus, Timandrida ab aliena patria in propriam reversus, admiratus philacteriorum filii sui (ut narrat Elianus) dilatationem, id est, nimiam ejus subitaneam divitiarum accumulationem, ei iratus improperavit: *Multos familiares atque hospites injuriâ affecisti.* Quasi vellet dicere: vereor, ne aliorum pinguedine sis impinguatus, id est, alienâ locupletatus hæreditate. Vix enim, inquiebat, possibile est, ut tam brevi temporis spatio, tantas tibi comparâris divitias absque notabili alterius damno. Ah! si hoc depravato sæculo compareret Timandrida! quot impinguatos alienis bonis non intueretur divites. Sed quid miseris ipsius tam detestandis & communis criminis intuitus depauperatis conferret emolumenti? Ah sane! sicuti proprii filii bonus pater deplorabat incrassationem, sic & luctuosè tot hominum detestaretur injustitiam. Meliùs itaque (meo judicio, salvo meliori) est, ut corvum & gruem ad lugubre hoc citem spectaculum, ut saltem, si miseris sua non restituantur, ad minus iniquè ditati confundantur.

Elian. l. 14.

Fabula habet, summum animalium regem Leonem, universum jussisse convocari (si ita dicere liceat) avium cœtum. Pavo ocularis suis comparebat plumis, non dubius, quin de tam præclaro vestitu gloriam & præeminentiam præ cæteris adipisceretur. Accessit maximum quoque regem adora-

adoratura simplex columba, niditatem ostentans alarum. Vulpes quoque non defuit, astutè suam denuntiando excellentiam. Successêre anser, cignus, perdix, gallus gallinaceus &c. quælibet melioribus ornata comparebat plumis. Contigit tandem, ut è longinquo miser ad tam solemne coràm rege consortium convolavit corvus; verùm auditis avium cachinnis atrum plumarum ejus explodentium colorem, stratagemate usus est. Ut namque innatam nigredinem, & miserum naturæ atq; propriæ conditionis tegeret statum, maxima cum industria pulcherrimam cujuscumque avis voraci rostro dulciter extraxit plumam; eâque variè intermixtâ ita sese ornavit corvus, ut præ omnibus videretur formosissimus; deque ejus venustate plumarum, rectâ dispositione cunctæ admiratæ aves, honorificum ad regem benevolè indigitârunt accessum. Qui totus superbiâ tumidus debitam regi exhibuit reverentiam. Leo, cognitâ fraude, utpote, qui leoninâ & regiâ scientiâ omnia penetrabat, secretò ad aves dixit: quælibet suâ plumâ privet superbam alitem, & spoliata irrideatur. Quo grus audito regis mandato, renitentibus aliis avibus, mox sibi videbatur deberi culpæ punitio. Quapropter summa cum velocitate ad collũ corvi convolavit, pertinaciter illi insidens, è quo omnes alienas plumas evulsit, cuilibetque avi suam restituit, sicque miser corvus hisce privatus, rursùs niger & miser apparuit, & explosus discessit.

Hanc fabulam pro præsenti instituto ad moralem liceat, ô auditores deducere doctrinam. Heu! quot corvi in mundo inveniuntur rapaces, qui per plateas, ut pavones superbi & elati, procedunt alienis ditati divitiis, quas subdolè & fraudulentâ praxi viduis & pupillis eripuêre, sibique appropriarunt? Fateor sunt ad instar alterius corvi, qui aliarum avium plumis apparebat formosus. Sed, si quoque alienæ ipsis detraherentur plumæ, ut corvo, si cuilibet viduæ, pupillo & defraudato suum restitueretur bonum: ah divites pauperes & inopes reperirentur; & quos modò, tanquàm potentes intuetur mundus, ut abjecti illuderentur & contemnerentur. Sed proh dolor? quia grus deest, corvus alienas retinet plumas. Totum meum assertum egregiè stabilit S. Hieronymus dicens: *Omnes divitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Unde & illa vulgaris sententia mihi videtur verissima: dives aut iniquus, aut iniqui heres.* Hinc in justam pœnam asserebat Lucianus Sophista (sustinens animarum transmigrationem) animam divitis corpus intrare

Hieron. in regul. Monach

pauperis: *Ut à pauperibus exagitaretur, sicut ipse pauperes exagitavit.*

Ob idem motivum Socrates apud Aristophanem amarè deplorabat mundum Nasturtio refertum esse, per hanc herbam symbolice divites avaros intelligens. Eò quod juxtà Plinium illa hanc innatam habeat proprietatem, quod tam vehementer omnẽ terræ ad se attrahat humorem, ut vicinæ plantæ necessario destituantur alimento, sicq; illæ pereant, dum hæc crescit. Unde verum Nasturtius herba viridis depicta, siccæ & mortuæ alteri plantæ proxima, olim avari habebatur Hieroglyphicum Ille namq; non crescit in divitiis, nisi cum proximi damno. Patet ad oculum. Etenim dum consiliarii, advocati, procuratores, secretarii &c. ex litibus impinguescunt, necesse est, ut litigantes deperdant. Hinc Jeremias descriptâ divitum opulentiâ, similitudinem vegetæ usurpat plantæ his verbis: *Quare via impiorum prosperatur? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum.* Et confestim eâdem metaphora vicini subjungit miseriam: *usquequò lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur!* Proh dolor! omnis planta arescit, quia una floret. Quamplurimi homines egent, quia unus abundat: qui ex officina sua nutrimentum & amictum honestè lucrari opinabantur, fame pereunt, quia dives eis mercium pretium persolvere differt: pauper languescit, quia dives ei injustam intentat litem. In summa dives est Nasturtium, & de eo lamentatur Deus per Prophetam Davidẽ. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut escam panis.* Verùm cur utitur τò panis & non carnis aut piscis nomine? Apposita sane comparatio, quæ duplex in se comprehendit mysterium. Scit quilibet, comedente carnẽ vel pisces, propter ossa aut spinas cum pavore & cura deglutire, ne gutturi noceant, dum panem verò masticat, nil timet offendiculi, ideoq; leviter absorbet. Haud dissimiliter dives agit, qui absque timore aut conscientiæ remorsu pauperem deglutit, ejusque bonorum reliquias absumit. Deinde quocumque cibi genere instituatur convivium, opus est pane, sicque semper communis; ita vulgaris est pauperum, & communis à divite suppressio. Optimè itaq; ait Propheta: *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

Ier. c. 12. vers. 2. vers. 4.

Psal. 13. vers. 4.

Propheta Zacharias divitem avarum assimilat quercui, eum ad horrendum citans judicium: *Ululate quercus Basan*: Chaldæus legit, *ululate satrapæ provinciarum.* Verum quare quercus? Respondeo primò, quia illa quoque ad instar alterius Nastur-

Zach. c. 11 vers. 2.

Nasturtii, nimium terræ ad se attrahendo succum, proximas plantas emori facit. Ita dives, ut jam vidimus. Secundò, quia, sicut ait Pineda: *Quercus non aliis fructum ferunt, quàm porcis.* Sic dives pauperes & inopes ab ostio arcet, bonaque sua luxui, & voluptatibus consecrat, & in sustinenda concubina aut meretrice, dissipat & turpiter consumit. Tertiò, quia quercus est inimica olivæ: *Quercus & olea,* inquit Pierius, *tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depacta moriatur.* Olea verissimum juxta Augustinum, misericordiæ est Symbolum: è contra quercus duritiei Hieroglyphicum. Bene itaque avarus dicitur quercus, quia durus ut rupes, atque immisericors erga pauperes existit. Patet in divite epulone, qui famelico Lazaro etiam micas de mensa cadentes denegabat. Sed quis finis? Finis illius sine honore. Etenim *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Ex his itaque legitimè concluditur, oculos avari aliarum opum esse rapaces.

Manus quoque proximi sanguine & sudore divitis avari infectæ sunt, quia incessanter substantiam illius iniquè rapit. Unde ait Propheta David: *In terra injustitias manus vestræ concinnant.* Pedes etiam iniquos habet, quia ad devorandum pauperem in abscondito, velociter currit. Os quoque malè olet, quoniam auro corruptus sæpe sæpius injustam pronuntiat sententiam, perjuria eloquitur, atque falsa dat testimonia. Cor iniquum possidet, & invito Domino legitimo id aufert, [illegible] namque Deo debetur dicenti: *Præbe fili [illegible] tuum,* & tamen illud divitiis donat [illegible] *est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* [illegible] itaque omni iniquitate est plenus,

Ps. 57. v. 5

Psal. 13. vers. 4.

Prov. c. 23 vers. 26, Matt. c. 6. vers. 21.

Citius deficeret tempus & animus, ô auditores, quàm exitiale avaritiæ venenum ad amussim possem describere. Quare desisto, arbitrorque me sufficienter in perniciosum hoc vitium insurrexisse. Audivistis enim mundi divitias esse vanas, perituras, non satiare hominum corda, fore nocivas, periculosas, & ad æternum divitem deducere supplicium. Quæ mala si te, ô avare! ab inordinato erga eas affectu non avellant, nescio, quæ medela tantæ sufficere possit insaniæ. Stultus est, qui vana & peritura hic quærit bona, & æterna negligit. Dementis est illa appetere, quæ in æternum cruciant, & hæc vilipendere, quæ in æternum beant. Insanus est, qui securitatem spernit, & periculum non odit. Quia *qui amat periculum, peribit in illo.* Stultus est, qui nociva amplectitur, & salutaria aspernatur. Et ut uno finiam verbo, stultus est, qui mundum sectatur deficientē & Deum deserit reficientem. Testem adhibeo S. Hieronymum: *Melius est,* inquit, *rem familiarem minui, quàm salutem animæ perire. Melius est amittere quod velimus, nolimus, quòd aliquando periturū est, quàm id amittere, quod æternum est, pro quo omnia dimittenda sunt.* Et Augustinum quoq; produco ajentem: *Quid ergò stultius est, quàm propter hominis victum & vestitum totam cœlestis regni perdere jucunditatem, & æternos cruciatus inferni, absq; consolationis præstolatione subire?* Et lib. de contemptu mundi c. 5. arduum atque perdifficile contra rerum terrenarum soliditatem, earumq; amatores proponit argumentum. *Si mundi gloria vana non esset, si divitiæ terrenæ vera bona essent, non earum possessoribus improperaret Dominus, væ vobis divitibus.* Et alibi: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Audiamus quoque quid suis dicat imitatoribus. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et fundamentalis rationem Christi Augustinus subjungit doctrinæ: *Vidit peritus magister suos discipulos luctaturos cum mundo, qui si haberent, unde tenerentur, leviùs de[illegible]entur.* In quo videtur Christum imitatum fuisse Alexandri Magni stratagema. De hoc enim co[illegible]at Plutarchus, ipsum publicum edidiss[illegible] cuncti milites barbam & capillos [illegible] ne forsitan iis apprehensi ad servi[illegible]biam deducerentur. Deus quoq; [illegible]d est superflua divitiarum reseca[illegible] casnos inimicus noster capitalis dia[illegible] non tantum arripere conatur, verùm etiam (quod maximè dolendum) sæpe sæpiùs arripit. Ideò antiqua apud Ethnicos vigebat consuetudo, quod, dum quispiam sese militiæ dabat, Delphis crines diis consecraret. *Tenebat adhuc,* inquit Plutarchus, *istis temporibus consuetudo, ut, qui pueritiam exirent, Delphos profecti crinem Deo consecrarent.* Quod & Theseus fecit & Arabantes. Unde pergit Augustinus: *Tulit ergò arma suis & nostris hostibus, dum nos privavit terrenis possessionibus. Nudus namque latrones non solet timere; qui verò mundanis se implicat, tela parat, quibus confodiatur.*

Aug. l. de 12 abus. grad.

Luc. c. 16. v. 44.

Matt. c. 19 vers. 24. vers. 21.

Plutarch. in Theseo.

Fateor pulchræ & dulces tibi apparēt divitiæ, & amara atq abominabilis paupertas; sed pone simul & illas, & hanc in justa bilance, & interroga te: quid sunt divitiæ? Indubiè, si sapis, respondebis ad instar alterius gentilis Philosophi Socratis, qui à quibusdam de Atheniensis civitatis pulchritudine, quid sentiret interrogatus, incolarū circumspiciens mores & genium, acutè respondit: *Pulchrā qui-*

Ier. c. 12. vers. 2. vers. 4.

Zach. c. 11 vers. 2.

quidem esse & amœnam ad ambulandum, ad habitandum verò perdifficilem, ac periculis expositam Respondebis inquam, si æquam bilancem attendas, divitiæ pulchræ sunt ad possidendum, sed periculosæ ad iis utendum. Ob quod periculum, si ipsi Stoici solâ ratione naturali inducti, cœlestibus inhiantes, nihili illas fecerint: non confunderis tu Christiane, quando ob eas cœlum deseris, & Deum tuum abjuras? Audi divinam rursùs, & cujuslibet cordi altè imprimendam Socratis sententiam. *In cœlum mente conscendi, solùm hoc, solemq; hunc despicio* Cui non dissonat magnus ille Philosophus Anaxagoras, qui elevatis in cœlum oculis, in hæc verba erupit: *Illa patria mea est, illam ego curo, non ea, quæ sunt super terram.* Nec pigeat in medium producere divina Senecæ verba: *Bona [illegible] fortuna concedit, & illa ait mihi dari, at ego dico, [illegible] accipere. Illa suadet, ut in corde illa reponam [illegible] verò extra illa colloco, ut, cum illa à me fuerint [illegible] non doleat* Obstupesco, dum hæc audio. [illegible] accuratiùs dicere, cum ipsi ipsummet Evang[illegible] Joannis attigerint dictum: *Nolite amare [illegible], nec ea, quæ in mundo sunt.*

Et tu, ô Christiane obcæcate! pe[illegible] hoc non times, cœlum perdere ob t[illegible] curas? Expergisce tandem & à tam alt[illegible]argo: aperi oculos mentis & intelle[illegible]mo-mentaneum cum æterno comp[illegible] tende obsecro pulcherrimam [illegible] quo finio) ad te exhortation[illegible] lis tuis epulonis exponent[illegible] Lazari felicitatem: *S[illegible] est*, inquit, *regnum cœlorum pauperum, restat, ut infernus sit divitum.* *Hoc* quoque nobis declarat Evangelium dicens, *homo quidam erat dives & sepultus est in inferno.* Et paulò post: *Erat autem & quidam mendicus, nomine Lazarus &c. factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.* Et, ut magis urgeat subjungit: *Non putet quisquam hæc verba esse Augustini. Non sunt hominis, sed veritatis, quia nec fallere potest, nec falli.* Et concludit: *Quisquis ergò vis regnare cum Christo, elige pauperem esse cum Christo, ut requiescas cum Lazaro mendico. Nemo enim potest gaudere in hoc sæculo, & regnare cum Christo &c. qui autem vult epulari cum divite, præparet se epulas vermibus gehennæ, in qua pro gaudio momentaneo, ardebit perpetuò cum capite suo diabolo. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio cœlesti privari regno. Felix paupertas, per quam cœlestis acquiritur hæreditas. Felix commercium, pro parvis magna & æterna recipicere: & quod ineffabile bonum est, cum Christo sine fine regnare.* Et ne affectum tuum, si fortè divitiæ affluant, iis & cor apponas, sed illud ad incommutabile bonum inflexibiliter convertas, instanter admonet dicens: *Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona: desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? Ibi est (nimirùm in cœlo) quidquid amas: ibi est, quidquid desideras.* Deus enim solus perfectè mentem satiare potest. Unde addit: *Certi estote fratres, quia non satiabit vos nisi solus [illegible].* Illum itaque ô homo! solùm quære, so[illegible], ut horrenda & æviterna possis evade[illegible]onis supplicia, & mendici Lazari æter[illegible] in cœlis gaudia. Quod mihi & vobis concedat Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

Aug. l. de contempl. mundi c. 7

August. in manuali tom. 9.

FERIA SEXTA

Dominicæ secundæ Quadragesimæ.

Malos malè perdet. Matth. cap. 21.

Potentissimus Imperator Maximilianus II. volens subditis suis Hieroglyphicè paucis sui regiminis exprimere methodum, subtile & ingeniosum adinvenit emblema, quod, ut luculenter cunctis appareret, illud artificiosâ quâdam dilucidavit picturâ, in qua summa cum industria delineata cernebatur aquila, quæ in ungue dextra auream tenebat coronam cum dicto: *Virtuti.* Ac si diceret, non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Tacitè ad suos clamans, O princeps, ô judex, ô nobilis, ignobilis, pauper & dives, sublimis & plebæe, si virtutem colas, hanc pretiosam

tiosam adipisceris coronam. In sinistra vero habebat fulmen, adjunctâ Epigraphe: *Expecto tamen.* Supra scriptum erat: *Secundùm opera tua te tracto.* Hoc rursus innuens, quod, quamvis lenta foret vindicta, & superabundans misericordia, tamen Domini spretâ benignitate, paratum secundùm delicta neutiquam deesse fulmen.

Haud dissimiliter supremus ille Imperator nobiscum agit benignus & misericors Deus; in dextera enim, quæ misericordiæ est, effulget regalis corona, forti in militante Ecclesia athletæ strenuè dimicanti destinata, cum dicto: *Virtuti.* In sinistra autem, quæ rigorosa est justitiæ, ignivomum apparet fulmen, cum dicto: *Vitio.* Ut eo illud congrue ab omni impuritate purgaretur. Expectat tamen, ut misereatur. Tandem nihilominus redditurus *Vnicuique secundum opera sua.* Tuncque ait cum Maximiliano, *Secundùm opera tua te tracto.*

Evidentissimè id deducitur ex moderno Evangelio. Tu namque ô homo ille villicus es iniquitate plenus & rebellione insignis, cui Deus pretiosam illam vineam, nimirùm animam tuam locavit: quam duræ crucis aratro aravit & coluit, sanguineque suo aspersit, ut copiosum omnium virtutum produceret fructum. Sed heu! piger agricola vineam negligens, & ad mundana te convertens, profers labruscas; mittit servos, scilicet concionatores, confessarios &c. pro suavibus colligendis bonorum operum botris, qui incessanter clamant: ô homo! declina à malo, & fac bonum. Sed eos cachinnis illudis, & explodis, immobilis fæci inhærens iniquitatis. Alios post mittit, nempe tribulationes, infirmitates &c. ut iis, tanquam torculari, ex anima tua exprimat succum pœnitentiæ & pietatis. Verùm in vanum, tandem tuam confundens pertinaciam, suum unigenitum tibi ob oculos ponit pro anima tua crucifixum. Sed quid? Loco quod tàm luctuoso spectaculo ad rectam viam converti deberes: econtrà quotidianis tuis sceleribus, ô obdurate illum rursus crucifigis, ut ait Apostolus. Sed quid faciet agricolis istis? *Malos malè perdet.* Teque tractabit ad-instar alterius Maximiliani, & fulmen, quo te quatiet, ostentans, dicet *Vitio.* Hoc ostendere hodierni discursus erit scopus, in quem, ut rectè collimemus, directionem deprecemur S. Spiritus per Mariæ Virginis intercessionem, illam salutantes Angelico illigio Ave gratiâ plena.

Malos malè perdet.

SEcundùm jam in prœmio tactam Maximiliani regendi methodum & policiam quam ipse indubiè in Christi didicit schola, pium Dominum suos tractare, extra controversiam est. Primò namque misericors strenuè certanti in Christiana militia, virtutemque sectandi offerens coronam, & vitio adhærenti, pravisque suis concupiscentiis servienti rigorosæ justitiæ dirum comminans fulmen, quantumvis ferire sæpè sæpius tardet, expectans, ut impius tandem ab iniqua vita resipiscat, & ad virtutem accedat. Hoc manifestissimè patet ex Apocalypsi cap. 18. ubi narratur Deum peccatis & sceleribus incolarum Babylonis irâ accensum, rigorem Divinæ Justitiæ apprimè demonstrasse. Ait enim Scriptura: *Quoniam pervenerunt* Apoc. c. 18.
peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Do- vers. 5. 6.
minus iniquitatum ejus: reddite illi, sicut illa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se, tantum date illi tormentum & luctum. Ex quo castigandi modo rectè deducitur, hominem à Deo justo secundùm opera sua tractari. Et quantò ferventiùs mundanas amplexus est delicias & voluptates, eò acrioribus in diem vindictæ torquendum reservari tormentis, Quia, ut benè ait S. Augustinus: *Quæ sunt oblectamenta hominis peccantis, sunt instrumenta Domini punientis.* Cujus irrefragabilis sententiæ veritas non longè quæri debet. Nónne enim tragica de qua heri egimus, Lazari abundè satis demonstrat historia? Ecce qui induebatur purpurâ & bysso, ac summâ per civitatem gradiebatur pompâ, modò nudus, ac mollibus vestibus spoliatus, in inferno jacet captivus; & qui luxui deditus, vanitati atque illecebris, cœlestium fuerat contemptor terrenorum amator, istorum deperditionem ad summum detestatur, & in æternum nocivam horum uberrimè, sed frustrà, deplorat pro modico fruitionem. Illa lingua, quæ indies delicato, & oris palato grato magna in abundantia vescebatur cibo, & amabili omnis generis refrigebatur mero, modò vehementi igne tosta in sui solatium & refrigerium, vilem frigidæ aquæ exposcit potum. Nec adhuc obtinet. O tremenda metamorphosis! O casus lamentabilis, ô inconstans fortunæ rota! O volubilis mundi status! dic quæso, ô pie Domine! cur misero æstuanti, & afflicto epuloni tantillum denegas sublevaminis?

Videor justi judicis æquum audire responsum: ego, ut me subsecutus est Maximilianus II. aquilam repræsento, quæ ex parte Divinæ Misericordiæ impio huic diviti coronam obtulit, modò virtuti, id est charitati, commiserationi cum proximo, aliis-

aliisque bonis operibus studeret. Ast crapulæ implicatus, gulæ addictus, indigorum immemor, justâ (& præcipuè linguæ) hac affligitur pœnâ. Vitio enim optimè apponitur divini fulminis Epigraphe: *Secundùm opera tua te tracto.* Ideoque pater Abraham de epulonis obstupefactus temeritate, cum flegmate respondet: *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque indè ad nos transmeare.* Ac si diceret: O stulte! O demens! quid tibi præsumis? putasne post terrenas delicias, fluxas mundi voluptates, & post omnia prætcrita in peritura vita sensuum, corporisque oblectamenta, æterna cœlestis patriæ possidere gaudia? Ah erras, ô perfide epulo! etenim *Oblectamenta* mundanarum illecebrarum, *hominis peccantis, sunt instrumenta Domini punientis.* Et, *qui volunt hinc transire ad vos, non possint neque indè ad nos transmeare.* Alia semita arcta, quæ ducit ad cœlum, alia lata, quæ deducit hominem ad infernum. Hinc qui hanc arripit, ab illa deviet necesse est. Ut egregiè docet magnus Doctor Gregorius: *Difficile, imò impossibile est, ut præsentibus quis, & futuris fruatur bonis, ut hìc ventrem, & ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.*

Luc. c. 16. vers. 25.

In antiquis Romanorum annalibus teste D. Augustino commemoratur: eos duo sumptuosissima, ac superbissima in urbe Romana erexisse ædificia, in formam templorum redacta, quorum primum *Templum* intitulabatur *Virtutis*, alterum *Templum honoris.* Quæ duo, tùm in vicina situatione, tùm in coadunatione, tali modo erant disposita, ut nulli aditus præberetur ad *Templum honoris,* nisi ingrederetur, & pertransiret *Templum virtutis.* *Hæ ædes,* inquit S. Augustinus, *taliter erant disposita, & contiguæ, ut solùm per ædem virtutis pateret ingressus ad ædem honoris.* Quo innuere intendebant Romani, nullum pervenire posse ad honorem coronæ, nisi mediante virtute.

Aug. l. 5. de civit. Dei c. 12.

Videtur mihi simile quid antiquæ legis præceptis insinuari. Quoniam Deus per Prophetam Ezechielem Israëlitis modum templi sui ingressus & exitus mandans ait: *Qui ingreditur per portam aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ aquilonis, non revertetur per viam portæ per quam ingressus est.* Hoc sanè mandatum quàmplurimi admirantur Sacræ Scripturæ interpretes. Etenim quid importat, si quis in templum Domini Deum suum adoraturus, hanc vel illam ingrediatur portam. Profectò vix rationem hujus humanum ingenium expiscari potest. Unde magnum indubiè sub cortice hujus scripturæ latitat mysterium. Ad cujus notitiam nos cæcutientes homunciones lumine suo iste, qui per antonomasiam lumen Ecclesiæ nuncupatur, deducet. Hic namque magnus Doctor templum asserit verissimum esse hujus mundi Symbolum, in quo duplex est porta: *Una felicitatis, altera miseriæ.* In hunc per nativitatem intrat homo, & per obitum egreditur. Sciat autem unusquisque si intraverit per portam viæ meridianæ, id est felicitatis, sese exire neutiquam posse per eamdem portam, sed per aquilonarem & miseriæ. Ut patuit in divite epulone & Lazaro. Ille enim ingressus per portam felicitatis, cogitur exire per portam miseriæ. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno;* Hic verò è contrà ingressus per portam miseriæ, egreditur per portam felicitatis: quia in sinu reponitur Abrahæ. Peccator enim secundùm opera sua tractatur & *Oblectamenta peccantis, fiunt ei flagella punientis:* & quidem in eadem quasi forma, & methodo.

Ezech. c. 46. v. 9.

Hoc fundamentaliter ab ipso mundi exordio demonstrari potest. Cunctis nota est astutia & calliditas serpentis, quâ miseram Evam decepit, & per eam Adamum protoplastem ad vetiti ligni esum fructus allexit, & totam illius propaginem infecit. Ob quam serpentis malitiam stomachatus Deus, illi maledictionem impertitus est, gravemque inflixit pœnam: ut registratur Gen. cap. 3. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: suprà pectus gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Verùm cur hanc Deus ipsi infligit pœnam? Cur pro ejus nutrimento non vehemens alicujus venenosi animalis venenum destinat, sed terram & pulverem? Ah respondet Barcesas, justus vult Dominus, ut pœna ad amussim correspondeat delicto, & ut *Oblectamentum peccantis, Dei sit instrumentum punientis.* Ecce perfidus serpens fraudulenter primum parentem mediante morte, quæ per peccatum in mundum intravit, in cinerem & pulverem redegerat. Hinc in sceleris sui pœnam cinere vesci cogitur. *In pulverem redegisti primos parentes, igitur pulvere vescêris totâ vitâ.*

Gen. c. 3. vers. 14.

Rursùs id ipsum apprimè comprobat, tùm Evæ, tùm Adæ delicto inflicta pœnitentia: *mulieri* *Vers. 16.*

quo-

quoque dixit, multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. O ſevera ſententia! ô rigoroſum judicium! ecce miſera Eva omnium viventium mater, triplici, & quidem gravi percutitur flagello. *Multiplicabo ærumnas, in dolore paries, ſub viri poteſtate eris.* Dura profectò pœna. Quòd ſi tam ſeveram Divina Juſtitia excandeſcens exegerit ſententiam: cur O pie Deus eam miſericordiâ & benignitate tuâ parumper non mitigaſti? Cur unicum obſecro non ſufficit flagellum? ad hoc curioſè annotandum eſt, quot peccata commiſerit Eva. Primum fuit perfidæ incredulitatis: plus namque fidei adhibuit fallaci ſerpenti, quàm veraci Deo. Hic ait: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ille econtrà: *Nequaquam moriemini.* Cui confidens: *tulit de fructu illius, & comedit* Sicque etiam peccatum gulæ perpetravit. Tertium & omnium graviſſimum fuit (quod totam Adæ progeniem peccato commaculavit originali) quod blanditiâ, & ſuavibus verbis maritum ſuum ad tàm exitialem lapſum, & tam virulentum crimen induxerit, *Deditque viro ſuo, qui comedit.* Et heu! dentes filiorum obſtupuerunt. Quapropter quàm juſtiſſimè triplex Evæ infligitur pœna, inquit Doctiſſimus Rupertus: *Mulier triplicem pœnam habet, quia peccati quantitas triplo major quàm in viro eſt. Vndè triplici peccato triplex quoque vindicta, præter communem ſibi cum viro mortem, reddita eſt. Quia oblectamenta hominis peccantis, ſunt inſtrumenta Dei punientis.*

Gen. c.2. verſ.17.
Gen. c.3. verſ.4.
Verſ.6.
Rupert. l. 3. in Gen. c.21.

Deinde Adæ præcipuo transgreſſori condignum tantæ culpæ decernens ſupplicium ait: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo* Verùm à quamplurimis Sacræ Scripturæ interpretibus curioſè inveſtigatur genuina hujus, & non cujuſdam alterius pœnæ ratio, quia eam abſque myſterio ab infinita Sapientia reo inflictam eſſe, aſſerere, directè repugnat Divi Auguſtini doctrinæ dicentis: *Neque enim nos fruſtrà in peccato noſtro pœnam accipimus, ut in ſudore vultus noſtri panem manducemus.* Sed quis illud nobis pandet? Fideliſſimus ſanè ejus diſcipulus Angelicus Doctor Thomas Aquinas. *Iſta pœna cibi optimè competit, quia de ligno vetito guſtavit delicioſè, ideo debet vivere laborioſè. Quia, cum pœna ſit medicina quædam contrà culpam, & remedium, ſi in culpa fuit libidinoſa delectatio, in pœna debet eſſe laborioſa afflictio.* Quia oblectamenta &c. quod rurſus ſecunda in delictum Adæ lata comprobat ſententia. *In quocumque die comederis, ex eo, morte morieris.* Juſtè enim & meritò indagari poſſet, an omnipotenti Deo alia magis congrua caſtigandi non ſuppeditarit methodus; Cur rectè mors in hujus peccati vindictam conſtituitur? Denuò ex hoc labyrintho nos ſuâ luce deducit idem S. Doctor, perpensâ transgreſſionis eſſentiâ: *Sicut peccatum*, inquit, *conſiſtit in averſione à Deo, qui eſt bonum incommutabile, & in converſione ad creaturam, quæ eſt bonum commutabile. Ita mors etiam non conſiſtit, niſi in averſione animæ à corpore, & corruptione corporis in cinerem.* Rectè itaque hæc in peccati vindictam ſtatuitur pœna. Quia oblectamenta &c.

Gen. c.3. verſ.14.
Auguſt. in Pſal. 138.
Thom 1.2. q.9 & in c.3. Gen.
Gen. c.2. verſ.17.

Hinc, ut mihi apparet, linceos oculos Sodomitas punientis Dei conjiciens modum S. Chryſoſtomus, ſummoperè miratur: cur ipſe de cœlo ignem deſcendere juſſerit (quod ſecundùm omnes Philoſophos illius elementi naturæ planè eſt contrarium) conſiderato ante, diverſa divinum manum percutiendi in promptu habêre media: & non inventâ Dei providentiæ meliori ratione, reſpondet: *Erat juſta retributio his, qui leges everterant, fœminas in viris inquirentes, ut invertatur eis ordo naturæ, & fiat naufragium ex igne, ſicut ex aqua.* Etenim, quia illi impii turpiſſimè naturalem ordinem, fœdâ inſtigati libidine, ſubverterant, ignem ſuper eos pluit contrà ipſius proprietates & naturam, quæ ſurſum tendere innato appetitu expoſtulat, ut delicto perfectè correſponderet pœna & punitio. Quia *Oblectamenta peccantis, ſunt inſtrumenta Dei punientis.*

Idipſum ex quibuſdam pœnis, quibus iratus Dominus olim Pharaonem & Ægyptum ſeverè, ſed juſtè caſtigavit, luculenter confirmat Doctiſſimus Liranus. Exodi inquit cap. 9. narratur eum, ut turgentia ulcera ſuper homines & jumenta ſuperinduceret, mirâ uſum fuiſſe methodo. *Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron: tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone. Sitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti.* Sed cur rogat Liranus inſolitum vindictæ Deus arripit flagellum? Cur Ægyptios cinere de camino ſumpto acriter punit? Juſtiſſimè reſpondet præfatus author. Nonne inquit unquam annotaſtis illos in quotidiana laterum in camino decoctione Iſraelitas graviter oppreſſiſſe, & crudeliter tyrannizaſſe. Æquus itaque Deus iiſdem cineribus eos torquêre decernit, ut crimini & culpæ æqualis ſtatuatur punitio: *Cineres illi accepti de camino ardenti oſtendunt, Deum velle, ut correſpondeat plaga iſta culpæ Ægyptiorum,*

Exod. c.9. verſ.8.

rum, qui afflixerant Hebræos in decoctione laterum ignis ardentis. Quia oblectamenta &c.

Et rursùs alia intentum hoc comprobat plaga registrata Exod. cap. 7. *Dixit Dominus ad Moysen,*
Exod. c.7. *dic ad Aaron, tolle virgam tuam, & extende manum*
vers. 19. *tuam super aquas Ægypti: & super fluvios eorum: & rivos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Ægypti.* Verum denuò hic instari potest, & inquiri, quare Dominus flumina Ægypti in sanguinem commutari mandet? Quare justitia divina, non tantùm in Ægyptios, sed etiam inficiendo flumine
Vers. 21. in pisces desæviat? Ut testatur Scriptura: *Et pisces, qui erant in flumine mortui sunt.* Qui tamen communem in universali aquarum inundatione evasêre ruinam (cujus rationem dedi in tractatu meo Mariali) appositè ad quæsitum respondet celeberrimus scriptor Oleaster, subtiliter animadversâ execrandâ Ægyptiorum crudelitate, & detestandâ tyrannide, quam in innocentes & parvulos Israelitarum fœminarum impii exercuerant masculos, eos nimirum in Nilo famosissimo Ægypti flumine submergendo, ne gens Hebraica amplius multiplicaretur: *Adverte,* inquit Oleaster, *etiam quomodo, per quæ quis peccat, torqueatur: peccaverunt Ægyptii aquas fluminis suffocando, & submergendo filios piorum, & ideo voluit Deus, quod ab aquis punirentur bibendo sanguinem pro aqua.*

Nimirùm, ut video, institutum præsens probarem, nisi parumper ad salutatem adducendam Christianis accederem doctrinam atque moralisationem. Idque quàm maxime, quia quàmplurimi multum afflicti, infortunii, contradictionis, adversitatis &c. solidam non penetrant originem, & verum fontem. Si vir dives suas deperdat divitias, nudum & merum reputat fatum: si formosa puella variolis, aut alterâ infirmitate vultus sui privetur pulchritudine, & venustate: si pater & mater rebelles habeant filios & filias, obstupescunt Judex à judice superiori citatus, & in vincula conjectus, iniquam suam detestatur fortunam. Pater & mater amarè unicæ prolis deplorant mortem &c. & nemo reperitur, qui veram divinæ iræ in hominem concitatæ, perscrutatur scaturiginem. O miser homo! ô insane peccator! cæce tuum in inconstantem fortunam refundis infortunium. Verùm quàm plurimùm à veritate aberras: Dic mihi obsecro opulente, obedistine divinæ legi præcipienti: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors*
Luc. 6.6. *est.* Esne elargitus eleemosynam pauperi indigenti
vers. 36. ex superfluis, quæ tibi in proximi sublevanda necessitate divina commisit providentia? O impie! tu è contra durus persistens ad instar rupis, ad commiserationem immobilis, nuda & frigore fracta per plateas gementia currere cernis Christi membra, famelicos lachrymabili voce frustum panis expostulantes audis, nec ullum præstas sublevamen. Verùm, unde tanta animi Christiani durities? Ah inquit Augustinus, quia bona hujus mundi non recto, sed perverso destinantur fini. Epulo crapulæ, concubinarius concubinæ sustentandæ, aulicus canibus & equis alendis, & pretiosæ supellectili suos reditus impendit. Audi citati Doctoris verba: *Ut ipsi habeant currentes canes, volantes aves, equos spumantes, denudantur Domine Iesu in pauperibus viscera tua.* Et tu, ô dives! dum divina justitia (nec sine magna misericordia) in hac vita te tuis spoliat bonis, quæ luxui dedicasti, admiraris, & deploras tantum infortunium? Sanè perditio hæc ex te, O homo! dignum enim, & justum est, ut divitiæ illæ, quas impiè, & inutiliter consumis, tibi detrahantur. Quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Et idem est de cæteris. Quod hæc namque puella suam deperdat pulchritudinem, unde? Nisi, quia in illa summoperè sæpe sæpiùs sibi complacuit, aut quia hâc juvenes ad illicitos amplexus, inhonestos concubitus pollicere studuit. Quòd potentes quandoque de sede potentiæ, & majestatis deponantur, unde? Non nisi, quia superbientes in sua dignitate, innocentes injustè condemnant: pauperes, & pupillos supprimunt, omnesque subditos tanquàm canes contemnunt. Quod pater unicâ orbetur prole, unde? Non nisi, quia irregulari, & obcæcato amore ergà eam captus, Deo mavult displicêre, & eum derelinquere, quàm illam affligere, aut corrigere. Quod si parentes filios habeant grandævos, omni eorum reluctantes voluntati, & mandato, unde? Ah! non nisi, quia ipsi similem suis parentibus ostenderunt contumaciam. Et meritò, quia oblectamenta peccantis &c. & per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Et ut lex habet: *Prout quis delinquit, debet puniri.*

Unde narrat Valerius Maximus Cambisem Potentissimum Persarum Regem jussisse Sisennam iniquum judicem vivum excoriari: quia nempe quamplurimos pauperes, pupillos, & viduas decorticarat, iis tenuem minusculæ hæreditatis, aut parvuli nummi detrahendo corticem, prudenter, lumine dumtaxat naturali edoctus, æquum judicans, oblectamenta peccantis, vera & justa fore instrumenta punientis. O utinam injusto judici tàm congrua in jure politico intimaretur sententia! quot

quot pingui pelle, pauperum sanguine inflatâ, spoliarentur. Sed attende, O inique judex! hoc tibi prædico, & veritatem fore protestor, si hic non luas, subsequens Dei persenties judicium, idque horrendum; quia: *Malos malè perdet*, & judicium etiam ei fiet sine misericordia, qui in judicando sinceram non exercuit justitiam.

Parem vindictæ modum peritissimus sui ævi artifex, summo suo damno expertus est Pericles. Is namque à crudeli quodam tyranno summopere instigatus, atque sollicitatus, ut invisum barbariei, & sævitiæ ad totius reipublicæ terrorem erigeret instrumentum, maxima cum industria æneum conflavit taurum, fermè ad-instar fornacis, in quem jam accensum, si quispiam mittebatur, gemitus, ejulatus, atque humana vox taurinam repræsentabat. Idque sese summâ arte effecisse asserebat, ne adstantes ad condemnati clamores quâdam commiseratione commoverentur. Hoc facto, Rex Periclem suæ arti decrevit facere periculum, & ut voce propriâ cunctos inventam experientiâ edoceret artem, coactus est, & in ardentem taurum primus injectus. Ecce quomodo Deus etiam per infideles, Ethnicos, & tyrannos justam delinquenti infligi permiserit pœnam.

Sed quid antiquis ulteriùs historiis hanc satagimus ad lucem deducere, veritatem. Redeamus ad sacram & infallibilem scripturæ historiam, quæ evidentes dicti nostri manifestabit probationes. In campum prodeat Sampson. Hic insatiabili ergà quamdam formosam Philistinorum filiam, nomine Dalilam, amore obcæcatus, & inescatus, instantibus precibus, etiam contra Dei mandatum, à parentibus expostulavit, ut eam sibi in conjugem
Iud. c. 14. vers. 3. adsciscere liceret. *Accipe mihi hanc, quia placuit oculis meis*. Et ecce inter totius corporis illius membra incitativi ad divinæ legis transgressionem puniti sunt oculi. *Eruerunt oculos ejus*. O tu lascive! te cu-
Iudi. c. 16. vers. 21. jusdam pulcherrimæ puellæ impudica oculorum deprædatur gesticulatio, & quid pœnæ superest, nisi visionis beatificæ carentia? Tu detractor non cantabis canticum Domini in regno cœlesti, qui execrandâ tuâ lingua irreparabiliter famam læsisti proximi. Et discurre consequenter ad alia. Quæ omnia confirmat D. Gregorius: *Quia fiunt instrumenta pœnarum, quæ erant delectamenta culparum*.

Illud ipsum expertus est rebellis Davidi patri filius Absalon, dum capillis quercui appensus, tribus à Joab lanceis transfossus est. Etenim cur formosi crines illi, serviunt in laqueum (Ah! quia suprà eos paternam decreverat ponere coronam, illius lethale extitêre exitium. Sic apprimè hunc stabilit conceptum S. Chrysostomus: *Coma tenebat tyrannum, ibi eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat*. Sic erit & finis vester, O superbæ mulieres! quæ in crinium ornamento maximam constituitis venustatem, & vanitatem. Constantius Imperator Augustæ Filius summoperè in alienis eruendis delectabatur oculis; verùm correspondente post delicto pœnâ, idem ex propriæ matris mandato subivit supplicium. Saltatrix Herodiaca justam hanc Dei nequaquam poterit negare sententiam, quæ super glaciem pro S. Joannis Baptistæ capite caput rependit, ut narrat Nicephorus: *In glacie ipsâ saltionem lethalem exhibet, eoque spectaculo omnibus exhibito, in memoriam ea quæ fecerat spectantibus revocavit*. Niceph. l. 2. cap. 20.

Constat è Sacra Scriptura perfidos Jacob filios impiè in innocentem Joseph sævientes seni & afflicto patri illius persuasisse mortem, ostendendo vestem sanguine hædi tinctam Gen. cap. 37. *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hædi,* Gen. c. 37.
quem occiderant tinxerunt: mittentes, qui ferrent ad v. 31. 32.
patrem, & dicerent, hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit an non. Et sic à filiis delusus & deceptus est pater. Quod non absque mysterio peractum fuisse autumat Doctissimus Theodoretus. Pro cujus notitia ait in memoriam revocandum esse id, quod contigit Gen. cap. 27. scilicet quod ipse Jacob patrem suum Isaac vestibus fratris, instigante Rebeccâ, deceperit: & ita paternam primogenito debitam fratri suo Esau fraudulenter eripuerit benedictionem. Et hinc Deus quoque permisit, inquit hic Doctor, ut simili pœnâ plecteretur, atque deciperetur à filiis, qui patrem veste deceperat. Audite ejus verba: *Divino consilio id factum esse puto, quia ipse eodem modo patrem & fratrem deceperat*.

Imò annotant quamplurimi SS. PP. & Sacræ Scripturæ Interpretes, Deum in peccatorum punitione, non tantùm pondus & mensuram observare, verùm etiam quandoque circumstantiam temporis. Pro quo advertunt, quod florentissimum illud Græcorum imperium a Barbaris Turcis armorum vi sit subactum & debellatum 28. Maii, in quem diem rectè cadebat solemnitas Pentecostes; quia ipsi Spiritui S. injuriosi, illius divinam a Filio seu Verbo denegabant processionem. Sic contra Græcos scribit Gemiadides. *Hinc in die Pentecostes, scilicet in festivitate Spiritus S devenerunt in potestatem Turcarum, quia illum à verbo non procedere mordicus sustinebant*. Item ob can-

dem rationem perfidi etiam Judæi in die Paschatis Romanorum facti sunt, inquit Tertullianus, mancipia, quia ipsi Christum tempore Paschatis crudeliter crucifixerant. Verba ejus sunt: *Quia Iudæi sacrum Paschatis diem Christi Domini sanguini crudeliter effuso, profanarunt, hinc paucis annis recurrentibus, eam pœnam subierunt, ut eandem Paschæ celebrationem proprio sanguine cruentarent capti à Romanis.* Quinimò curiosè ad præsens institutum observat Philo Judæus, quod tùm temporis, eò quòd ipsi Judæi Salvatorem mundi, infiniti & inæstimabilis pretii Thesaurum, infami traditori Judæ 30. argenteis vendiderant, 30. Judæos pro unico fuisse divenditos: 30. *Iudæi,* inquit, *pro uno numismate dabantur, ut pœna corresponderet delicto.* Quam miseriam Prophetico spiritu præsagiens Psalmistâ David, eam acertimè deplorat Psal. 43. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, deripiebant sibi. Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio; & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.*

Psal. 43. v. 11. 12. 13. 14.

Doctissimus Rupertus ingeniosè satis indagat, an illud Sophoniæ Prophetæ vaticinium: *Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis qui dicunt in cordibus suis: non faciet benè Dominus, & non faciet malè:* Ex nunc sit adimpletum: an verò tempore futuro adimplendum? Hæc quæstio duas habet opiniones, & multùm probabiles: quibusdam asserentibus, illud dumtaxat in horrendo extremi diei judicio verificandum, in quo æquus Judex Christus minutim, & exactè omnes omnium hominum peccatorum, & scelerum fæces, iniquas cogitationes, dolosa & vana verba, impios actus &c. perscrutabitur, & malos malè perdet, & bonis benè remunerabitur: quibusdam verò sustinentibus, ex nunc illud fore adimpletum. Quibus, quia proposito meo quadrat, pro nunc adhæreo. Ast contrà, urgetur quandò S. Hieronymus hujus sententiæ præcipuus fautor respondet, id factum esse tempore Romanorum Imperatorum Titi & Vespasiani; quando, dirutâ Jerosolyma, eorum milites, ut rapidi canes, Judæos quærebant in cloacis, speluncis, sepulchris, lucernis & facibus: *Legamus,* inquit Rupertus, *S Hieronymum, qui ait: attendamus Iosephi historias, & ibi reperiemus scriptum de cloacis, & speluncis extractos principes, & sacerdotes, qui se in eis metu mortis absconderant.* Idque in delicti eorum justam pœnam, quia ad mortem Christum Dominum lucernis & facibus quæsierant, teste Evangelistâ Joanne: *Iudas ergò, cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus.* Audite modò Ruperti verba: *Meritò retributum illis, ut gladius eorum intraret in corda ipsorum, ita ut pro una cohorte Romana, quæ lucernis adversùs Deum, & Regem suum armata adducta erat, universa Romanæ fortitudinis impetum adversùs rebelles commoveret.*

Soph. c. 1. vers. 12.

Ioseph. de bello Iudaico c. 17.

Ioan c. 18. vers. 3.

Nunquam annotastis O auditores! mysteriosam illam, quæ narratur à Matthæo cap. 8. querelam? Christus, cum veridicam & cælestem æterni Patris totum mundum edocêre conaretur doctrinam, à diabolis interruptus fuit, ut dicit Scriptura: *Et ecce clamaverunt, dicentes: quid nobis, & tibi IESV fili Dei: Venisti hùc antè tempus torquêre nos.* Verùm repulsam passi ab obsessis exire coacti, in porcos avolarunt, quia injustè de nimia Christi Domini præmatura conquerebantur castigatione, inquit Chrysologus: etenim ipsi etiam homines, adhuc vivos, antè tempus torquebant, illos sepulchris imponentes teste Scripturâ: *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.* Undè & sequitur, quod eadem mensura eis congruebat, quia *Oblectamenta hominis peccantis, sunt instrumenta Dei punientis.* Audite Chrysologum: *Sic de tempore conqueruntur, quasi ipsi cum tempore fecerint, ut vivos condiderint in sepulchris.* Asseveranter itaque concludendum est: quòd, si punimur à Deo, culpa nostra sit; quia nos ipsi Domino contrà nos ipsos flagella suppeditamus: Undè ipse ait per Prophetam Isaiam: *Non indignatio est mihi: quis dabit me spinam & veprem in prælio: gradiar super eam & succendam eam pariter.* Id est, ego nulla bellandi arma habeo; verùm si quispiam mihi illa subministret, iisdem contra eum præliabor. Et idipsum attestatur Sapiens: *Iniquitates suæ capiunt impium & suorum funibus peccatorum constringitur.* Quod denuò confirmat Propheta Jeremias loquens in persona Christi: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* At tu homo econtrà cogitationes malitiæ & iniquitatis. Tuum animum, mentem & cor impendis avare, ut per fas & nefas pro ditanda tua prole mundanas accumules divitias, & tùm miraris, dum eæ, Divinâ Providentiâ permittente, etiam violenter tibi eripiuntur? Tu obcæcate pater (ut antè dixi) filiorum unigenitum plusquam unicum adoras & veneraris Deum, & dum tenerrima illa præmaturè demetitur her-

Matt. c. 8. vers. 29.

Vers. 28.

Chrysol. serm. 16.

Isaiæ c. 27. vers. 4.

Prov. c. 5. 22.

C. 29. v. 11.

ba,

ba, obſtupeſcis? Tu vindicative inimici avidè inhians ſanguini in divinam (quaſi ut ita dicam) blaſphemas providentiam, cum tertius proprio tuo ſanguine quandoque ſatiatur? O Belgium! O Chriſtianitas! quod undequaque à potentibus impetamur hoſtibus, debellemur, proſternamur, undè provenit? ah nemo id conſiderat, & tamen ſacra ſcriptura tàm luculenter hoc indicat: *Regnum,* inquit Sapiens,
Eccl. c. 10. Verſ. 8. *de gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Si nullæ fraudes hîc committerentur, ſi perjuria, iniqui contractus, ſi exularent doli, & ſubdolæ conventiones, nil contra miſerum Belgium, & contra Chriſtianitatem ſevera Salomonis militaret ſententia. Ac proindè divinam mundus aliqualiter incuſare præſumeret providentiam (quam quantumvis, utpote infallibilem, excuſare non debeam) pro ea tamen judicem ſtatuo hominem, delicta, & propriam uniuſcujuſque conſcientiam. Clamamus namque filii Eccleſiæ cum Eccleſia: *Sic nos tu viſita, ſicut te colimus.*

Unde S. Gregorius Epiſcopis Africanis, ſalutare contrà malignam, totam Africam inficientem peſtem, expoſtulantibus remedium, litteras reſponſorias dedit ad Epiſcopum Carthaginenſem, quarum titulus erat: *Pro peſte Africæ.* Contentum verò hoc: unicum ſupereſſe auxilium, ut ſubditos ſuos à peccatis deſiſtere adhortaretur, auream hac ſubjungens ſententiam: *In flagellis poſitos, flagellis digna committere, contrà ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſævientis acriùs iracundiam provocare: atque eſt primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis ſuis juſtè quieſcere, & Deum injuſtè à ſua velle ultione ceſſare.*

Hinc Salvianus juſtam afflictorum hominum (ſecundùm mundum loquitur) cernens punitionem, eorumque profundè penetrans impietatem, ſimulque querimoniam, optimè omne malum ſuperveniens rectam delicti conſtituit vindictam, & è peccato neceſſariam deducit pœnam: *Nihil,*
Salv. l. 4. de gubern. Dei. inquit, *mirum eſt, ſi deteriora quotidiè patimur, qui quotidiè deteriores ſumus: & nova equidem mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergo cauſationis locus? quantumlibet aſpera & adverſa patiamur, minora patimur, quàm meremur. Quid querimur, quod durè agat nobiſcum Deus? Multò nos cum Deo duriùs agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus noſtris, & ad has puniendum trahimus invitum. Cumque ejus natura ſit mens Dei, atque majeſtas, ut nullâ iracundiæ paſſione moveatur: tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio eſt, ut per nos cogatur iraſci. Et vim (ut ita dixerim) quodammodo facimus pietati ejus, aut manus offerimus miſericordiæ ejus. Cumque ejus benignitatis ſit nobis jugiter parcere, cogitur mala noſtra, quæ admittimus, vindicare.*

Ex omnibus dictis (nemine diſſentiente) ſubtile & ingenioſum approbari debet Juliani emblema, quod tale erat. In nitido linteo artificioſè delineata cernebatur avium regina aquila, ſagitta propriis plumis alata transfixa, cum nervoſa epigraphe: *Ab ipſa contra ipſam.* Etenim peccatum ab homine, & contra hominem; & peccatum, quod ab homine fit, contrà hominem retorquetur. Quia Deus. *Malos malè perdit, & oblectamenta hominis peccantis, ſunt inſtrumenta Dei punientis.* Si itaque à prava noſtra non deſiſtamus vita, neceſſe eſt, ut etiam puniti cum Davide clamemus: *Ego in fla-* Pſal. 37.
gella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo verſ. 18.
ſemper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & Verſ. 19.
cogitabo pro peccato meo. Id eſt, O Domine Deus, benigne, & miſericors! quidquid mihi in hoc mundo contigerit, divinâ tuâ providentiâ permittente, & ordinante, infelicitatis, iniquitati meæ adſcribam. Et in doloris ſublevamen peccatum meum in conſpectu meo ſtatuam, dicamque cum fratribus Joſeph in ſumma conſtitutis anxietate: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem* Gen. c. 42.
noſtrum. verſ. 21. Meritò tot regni patimur invaſiones, meritò ſuſtinemus infirmitates, meritò hoſtilibus patria noſtra obruitur, & devaſtatur armis, meritò cuncta ingruunt mala, quia peccavimus, non tantum in fratrem noſtrum Jeſum Chriſtum, ſed in Deum purum, & creatorem noſtrum. Concludo itaque, O auditores! deſiſtat homo à delicto, & Deus deſiſtet à flagello. Quia indignatio non eſt ipſi. Illa itaque ne excitetur, oblectamenta peccantium ne ſubminiſtrent Deo puniendi inſtrumenta; ſed hic ab omni peccato immunes vivamus, Deum & proximum diligamus, ut cum Patre & Filio & Spiritu S. in æterna beatitudine lætari mereamur incolumes. Quod mihi & vobis concedat Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

DOMI-

DOMINICA TERTIA

Quadragesimæ.

Erat Iesus ejicens dæmonium, & illud erat mutum.
Lucæ cap. 11.

CUm præsens imbecillibus & lippientibus oculis attentè considerabam Evangelium, ignorabam, undè discursum meum exordirer. Verum incidens casualiter in illum
Vers. 1. Isaiæ locum cap. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi, & forti super Leviathan serpentem veterem, & super Leviathan serpentem tortuosum &c. occidit cætum, qui in mari est.* Arbitror tunc illud Isaiæ vaticinium fuisse adimpletum. Etenim, si unquam in dæmoniaci curatione (qui dumtaxat a Luca mutus, sed & à Mat-
Matt. c. 12 thæo dicitur cæcus. *Tunc oblatus est dæmonium*
Vers. 22. *habens, cæcus & mutus*) enituerit Christi Domini potentia, sapientia, & potestas, in hoc profectò apparet obsesso. Quoniam loquelam muto dare, cæco visum restituere, & surdo quoque (ut tenet S. Chrysostomus in cap. 20. Matthæi) auditum præbere, mysteriosum erat. Sed in quo obsecro hoc latet mysterium?

Venerat Christus humanam reparare naturam, & nociva animæ nostræ, per protoplastis Adæ peccatum inflicta curare vulnera, ideòque in dæmoniaco hoc, vera sanè Adami figura, luculenter suam demonstravit medicinam, ut rectè ei posset appropriari illud Epist. 1 Joan. cap. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Etenim Adam, commisso peccato cæcus effectus est, quia mentem illius, ut ait Augustinus, obnubilârat ignorantia rerum agendarum. Surdus effectus
Gen. c. 3. est, ut patuit, quia vocante Domino, *Adam ubi es?*
Vers. 9. Non comparuit. Fuit redditus & mutus, quia gravissimum suum delictum, quod totam humanam infecit progeniem, debilibus uxoris imposuit hu-
Gen. c. 3. meris: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mi-*
Vers. 12. *hi de ligno, & comedi.* Cernens itaque Deus diabolum astutiâ suâ suæ servituti incautum subjugasse Adamum, delicti immemor, clementiæ memor, tantæ potestati obviam statuit gratiæ phalangem. In statu legis naturæ Deus ejêcit dæmonium, castigans universali aquarum diluvio carnalem & sensualem hominis concupiscentiam, tribuitque genti isti, & Noë successoribus, Abrahæ nimirum Isaac & Jacob sermonem, & loquelam, & fidem Messiæ futuri, quàm plurimis diversorum sacrificiorum figuris, atque infallibilibus promissis stabilitam; Gen cap. 22. *In semi-* *Vers. 18.*
ne tuo benedicentur omnes gentes. Tempore Moysis rursus dominium suum recuperârat infernalis potentia, devicto infamis idololatriæ telo populo Dei electo, in cujus magnificæ victoriæ trophæum aureum erexit vitulum. Indignatus tanto scelere Deus, ejecit dæmonium, mandans Moysi, ut elingue idolum in pulverem redigi curaret: reddensque populo, qui mutus & surdus effectus erat, auditum. *Audi Israel Dominus Deus noster, Deus* *Deut c. 6.*
unus est. Et Tobiæ cap. 11. *Adora Dominum De-* *Vers. 4.*
um tuum. Tempore legis scriptæ, cum videret *Vers. 7.*
Dominus, diabolum inter populum Israeliticum puram & meram induxisse legis naturalis oblivionem, sicque mutum reddidisse, sine lege, sine confessione, sine luce Dei, dæmonium ejicit Dominus, decem Moysi decalogi exhibenda populo donans præcepta. Eodem stratagemate, melius dixero eâdem versutiâ, à tempore Moysis usque ad Christum inclusivè usus est diabolus, persuadens Herodi, ut Christum interficeret, ejecit Deus dæmonium, fugit namque in Ægyptum Matth. cap. 2. & solvit linguam Magorum: *Vbi est, qui*
natus est Rex Iudæorum? Pastorumque dicen- *Vers. 2.*
tium: *Transeamus usque in Bethlehem* Luc. cap. *Vers. 15.*
2. tandem Verbum incarnatum Christus Juxta Isaiam venit visitatum plebem suam; verum aliis contra Leviathan resplendens armis, in gladio duro, grandi, & forti. Sed quisnam quæso ille tam acutus gladius; Ille sanè talis est, ut omnes resecet criminum capillos, ut omnes planè expellat errores, & culpæ reatus, teste ipso Christo, dante Apostolis suis mirabilem, & absolutam in peccata authoritatem: *Quorum remiseritis pecca-* *Iac. c. 20.*
ta remittuntur eis &c. confitemini itaque juxta *Vers. 23.*
Jacobi

Jacobi admonitionem: *Ergo alterutrum peccata*
Iac. 5. 16. *vestra;* etenim Sacramentalis confessio acutus iste gladius, quo formidabilis fugatur, & prosternitur Leviathan, quapropter omne ejus studium est, omnis industria, & omnis zelus hominem mutum, & peccata sua tacentem efficere. Hâc itaque occasione hodierno die ostendam, quàm necessario crimina legitimo aperienda sint confessario; quoniam absque confessione, vel actu, vel voto (est enim secunda post naufragium tabula) nullus in peccatum mortale lapsus, salvari potest. Addamque quomodo illa, ut salutarem animæ conferat salutem, debeat fieri. Ad quod exequendum pariter invocemus Spiritus S. gratiam per Deiparæ Mariæ Virginis intercessionem, dicentes, Ave gratiâ plenâ &c.

Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.

VElocissima illa aquila, & Doctorum Romanæ Ecclesiæ columen & fulcrum Augustinus volens solidam homini post baptismum in peccatum mortale lapso, & relapso inculcare doctrinã, sublimibus ingenii sui pennis ad altissimam convolat cedrum, inde medullam hausturus, è qua verum pro peccato confici posset antidotum, sivè pharmacum: nimirum sacramentalis pœnitentia:
Aug. l. 5. *Accipe,* inquit, *sacrificium confessionis iniquitatum mearum de manu linguæ meæ, quam formasti,*
Conf. c. 1. *& excitasti, ut confiteatur nomini tuo, & sana omnia ossa mea, & dicant: Domine quis similis tibi? Neque enim docet te, quid agatur in se, qui confitetur tibi, quia non excludit oculum tuum cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum, sed solvis quando voles, aut miserans, aut vindicans.* Quod pharmacum adeò necessarium est, ut sinè eo neutiquam sanari queant læthalia animæ vulnera per peccatum mortale inflicta, teste Dionysio Cathusiano: *Impossibile est, ut anima post peccatum ad thronum gloriæ perveniat, nisi mare pœnitentiæ pervaserit.* Etenim illa maturè considerans B. Ægidius noster ait: *Peccatum debilitat, quia facit nos languidos, leprosos inficiendo, ac mortuos, gratiam & charitatem, per quam vivimus, tollendo.* Quæ damna per debitam reparari manifestè & asseveranter asserit confessionem S.
Aug. tom. Augustinus: *Pœnitentia languores sanat, leprosos*
4. c. 1. solil. *curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtute exornat, mentem munit & roborat, omnia sanat, omnia curat, omnia redintegrat, omnia vivificat, salutem auget, claudit gressum* (nimirum clamantibus cum Propheta David: *Infixus sum in limo profundi & non est substantia &c.*) *cæcis* Psal. 68.
restituit visum. Unde concludit Chrysostomus: V. 3.
Peccatum vulnus est pœnitentia impacti vulneris medela.

Quod exitiale animæ detrimentum quandoquidem è peccato resultet, & tanta illius medicina ex confessione promanet, neutiquam mirum est duos animæ nostræ competitores diversimodè eam venari; scilicet redemptorem Christum, & infernalem nostrum inimicum diabolum. Hic hominem mutum reddere omni studet industriâ, ille linguam facit esse disertam, ut habet Evangelium: *Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, & cum ejecisset, locutus est mutus.* Venerat enim, ut visitaret super Leviathan, & dissolveret opera ejus. Audite, ô auditores, quàm divinè id explicet Augustinus: *Quomodo nobis peccatorum* August. l.
vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis hom. ho. 12
medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, ut confiteamur peccata nostra, quod ea ipse scire non possit; sed quia diabolus hoc desiderat, ut inveniat, quod nobis ante tribunal judicis æterni objiciat. Ideò vult, ut magis defendere, quàm accusare peccata nostra velimus. E contrario autem Deus noster quia pius & misericors est, vult ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim confitemur nos, ille parcit. Si nos agnoscimus, ille ignoscit. Sed serpens ille, quomodo instituit, ut homo caderet, qui stabat: sic agit, ut qui cecidit, non resurgat. Ideò adversus incantationes, & insidias, quibus nunc impedire nobis vult confessionem peccati, quia scit nos non posse redire, nisi per humilitatem, qui per superbiam lapsi sumus. Et infra concludit. *Sanat te Deus, confitere tantum vulnus tuum. Iaces sub manibus medici, patienter implora auxilium. Fovet, urit, secat, æquanimiter tolerat, tantum noli attendere, nisi ut saneris. Sanaberis enim, si ostendas te medico, non quia ille non videt si tu ei abscondas, sed ipsa confessio initium sanitatis est.*

E contra verò muti certa dæmoni remanebunt præda. Patuit in fratricida Cain, qui Deo benignè ad confessionem provocanti. *Ubi est Abel* Gen. c. 4.
frater tuus? Obcæcatus respondit: *Nunquid cu-* V. 9. 10.
stos fratris mei sum ego? O obcæcate Cain! an infinitam providentiam, & incomprehensibilem creatoris tui ignoras scientiam. Forsitan, qui finxit ocu-

oculum, non considerat? Erras, erras sanguisuga *Tenebræ non obscurabuntur abeo, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Psal. 138. v.11.

Cur itaque ingenuè innocuum te fratris tui confiteris impiè effudisse sanguinem, & non clamas, peccavi? Non prævides quanto pertinax in peccato subticendo tibi futurus detrimento sit animus? Heu! heu! crudelem mox accipies sententiam: *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Vagus & profugus eris super terram.*

Vers. 11.

Quam maledictionem indubiè juxta S. Thomam à Villa-Nova sincerâ evasisset confessione: *Propter hanc,* inquit, *obstinatam imprudentiam à facie Dei projectus, & damnatus est, qui, si peccatum suum confessus fuisset, & pœnitens misericordiam postulasset, procul dubio mitiorem sententiam accepisset.*

Th. à Villa Nova serm. Dominica 3. Quadr.

Nec mirum, quia tanta est vis Sacramentalis confessionis, tantaque efficacia, ut S. Isiodorus in hæc non vereatur prorumpere verba: *Procul dubio confessio sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam donat, omnis spes in confessione consistit, in confessione est locus misericordiæ, nulla tam gravis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.*

Hanc è diversis scripturæ locis vim evidenter eruit, & deducit Augustinus. Et in primis ex illis Davidis verbis: *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Psal. 93. v.19.

Etenim de hoc summoperè obstupescit hic S. Doctor, Prophetam dumtaxat salutare delicta sua confitendi habuisse propositum, & tamen Deum illius dimisisse iniquitatem. *Confitebor,* in futuro, *& remisisti,* in præterito: *Magna Dei pietas,* inquit, *nondum pronunciat, sed promittit se pronunciaturum, & Deus peccatum dimittit.*

Aug. in hunc. Psalmum.

Tantæ scilicet virtutis est perfecta de perpetrata impietate contritio, implicitè, & virtualiter includens confessionem, ut etiam ipsa absolutè peccatorem justificet (sed de hoc forsitan infra) hinc Deus in peccata populi sui vehementer stomachatus, attamen antiquæ suæ recordatus misericordiæ, ad illam tanquam ad securum asylum, eum invitat per Prophetam Osæam: *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.*

Osee c.14. v.2.3.

Verum quo medio? Subjungitur: *Tollite vobiscum verba.* Chaldaicè habetur: *Afferte vobiscum verba confessionis.* Sed in quem finem? *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Et quid indè emolumenti misero adveniet peccatori? *Et dicite Deo: omnem aufer iniquitatem.* Quod rursus nobis inculcat, inquit Augustinus, David dicens: *Veritas de terra orta est, & justitia,* id est gratia, *de cælo prospexit.*

Psal. 84. v.12.

Vis homo *terra* tuorum impetrare veniam delictorum? Desiderasne animæ adipisci justificationem? Oriatur à te veritas nuda confessionis. *O terra, quæ quando peccasti, audisti terra es, & in terram ibis, oriatur de te veritas, ut respiciat de cælo justitia, confitere peccata tua, juxta illud Davidicum, præcinite Domino in confessione.*

August. in psal. 84.

Et eandem incessanter urget doctrinam Augustinus: *Sic peccatum tuum coram te semper sit ante te, quod non vis esse ante Deum. Si enim post te esse feceris peccatum tuum, retorquebit illud Deus ante oculos tuos: & tunc retorquet, quando jam pœnitentiæ fructus nullus erit.*

Aug. tr. 12 in Ioan.

Cui apertè consonat S. Chrysost. *Peccatorem,* inquit, *bonus absolvit, justus condemnat, qui confitendo bonum sentire contempserit, justum sentiet reticendo.*

Chrysost. serm. de Confess.

Patriarcha Jacob decreto è patria sua in Ægyptum descensu, ut filiorum, proregis Joseph (qui eum impiè vendiderant) procuraret reconciliationem, fraternamque amicitiam, Judam præmisit teste Scripturâ: *Misit autem antè se ad Ioseph &c.*

Gen. c.46. v.28.

Ubi occultum autumo sublatere mysterium. Etenim, cur non primogenitum suum Ruben, Simeon, aut Levi, sed quartum in occursum Joseph dimisit filium Judam? Imò vel Benjamin uterinum fratrem, & præ cæteris ei chariorem? Quæsitum hoc rursus justè excusatur ex alia, quam Jacob Judæ adscribit, prærogativa; in universali filiorum ante mortem benedictione: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accquievisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

Gen. c.49 v.8.9.

E quibus verbis non minor prætacta pullulat difficultas; nimirum cur verbum Divinum potiùs è tribu Juda, quàm ex alia humanam elegerit assumere naturam?

Ad hunc intricatum nodum dissolvendum operæ pretium est consulere cap. 38. Gen. ubi registratum reperio, quod Judas, cognito pro scorto Thamar, pronunciataq; in eam mortis sententia: *Producite eam, ut comburatur,* agnitâ suâ culpâ, ex illius verbis: *De viro, cujus hæc sunt, concepi* (nimirum annulus, armilla & baculus) ingenuè suum confessus est delictum dicens: *Iustior es*

Gen. c.38 Vers. 25. Vers. 26.

me. E quo loco, & etiam ex Hebraica ethymologia *Iudas*, eruunt SS. PP. Sacræque Scripturæ interpretes Judam *confessionem* prætendere. Quod itaque Jacob ante impios innocentis Joseph venditores Judam ad novam ineundam præmiserit amicitiam, factum est, ut innueret nobis pòst personalem in peccatum mortale lapsum, si denuò Deo nostro desideremus reconciliari, nos debere divinæ justitiæ obviam mittere Sacramentalem

Psal.92, v.2.

confessionem juxta illud: *Praeoccupemus faciem ejus in confessione.* Quia, ut rectè ait Augustinus:

Aug.to.4. l.de salut. document. c.52.

Si transgredimur in aliquo peccato post baptismum, pius Deus dedit secundum baptismum, & ordinavit nobis pœnitentiam propter fragilitatem nostram. Tunc laudabunt te ô peccator! fratres tui S.S. scilicet angeli, qui plus in uno gaudent pœnitente, quàm in nonaginta novem justis. Manus quoque in cervicibus inimicorum cernentur, id est peccatorum, quæ acuto hoc gladio prosternuntur. Ac proinde huic Sacramento optimè appro-

Gen.c.48. v.9.

priari potest: *Ad prædam fili mi ascendisti.* Quia illud animam pretioso Domini Jesu Christi cruore redemptam, per peccatum diaboli factam prædam, infallibiliter illi eripit.

Hinc & Christus de hac tribu nasci voluit, quia ipse salutare hoc pòst naufragium instituturus erat medicamentum :

Ioan.c.20 v.23.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur &c. Et quidem adeò singulare, ut absque eo nulla remissionis delicti supersit fiducia, ut attestatur luculenter Augustinus ruminans illa prophetica verba :

Psal.117. Aug.l.50. hom.ho. 46.

Confitemini Domino, quoniam bonus. Fratres charissimi, inquit, *remedia purgandi facinoris Spiritu S. instruente didicimus, non aliter veniam posse mereri, nisi nostra facinora, Deo jubente, fuerimus confessi. Quid enim celat peccator, quod Deo teste commisit? Quid erubescit fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari? Diluit ergò confitendo, quod peccando infecerat, satisfactione abluat, quod delictorum maculis sordidaverat. Sic cautior pòst delictum, qui antè fuit segnior. Sequatur bonis actibus Christum, qui in malis diabolum sequebatur. Confitemini inquit Domino, quoniam bonus; non vult ulcisci malitiam, qui confiteri peccata persuadet. Optat absolvere confitentes, nè contumaces punire cogatur. Quare admonitio te faciat sollicitum, nè severitas faciat punitum.*

Silentium suum, & ex eo ortum animæ detrimentum amarè deflebat David :

Psal.31. v.3.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die. Verum ô Propheta! clamare, & tacere inter se quàm maximè repugnant; quomodò itaque potest fieri, ut aliquis taceat, simul & clamet? Optimè inquit S. Gregorius, fundatur enim hisce primæ veritatis verbis :

Gen.c.19. v.20.

Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est : Quid est clamor Sodomorum? Peccatum cum voce, culpa est cum actione. Peccatum cum clamore, culpa est cum libertate. Tacebat itaque David, nec clamabat ad Dominum *peccavi.* Et idcircò inveteraverunt omnia ossa ejus, id est virtutes, modestia, zelus, probitas &c. ast infame ejus adulterium, atque homicidium, adinstar alterius Caini fratricidii clamabat in cælo vindictam.

Deut.c.22. divina hæc constituitur lex :

Deut.c.22 v.20.

Si autem vir invenerit puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus. Sed cur hæc libera dimittitur, & innocens approbatur? Quia, ut ait textus, *clamavit.* Haud dissimiliter omnis peccator, qui clamat, id est suam legitime, & legitimo confessario aperit iniquitatem, non morietur. E contrà, qui tacet, damnabitur, teste sapiente Prov.c.28.

Vers.13.

Qui abscondit scelera sua, non dirigitur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequitur. Hinc ad omnem peccatorem in Lazaro præfiguratum clamat Deus : *Lazare veni foras.* Id est, pande delictum tuum, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

De confessionis absoluta necessitate, non tantum paulisper, verum etiam satis abunde actum arbitror, quandoquidem ab Ecclesia, & Christo illius fundatore secunda constituta sit pòst personalem lapsum tabula. Progrediamur modò illius demonstrare efficaciam, quam in tantum S. Cyprianus extollit, ut pœnitentiæ Sacramentum universale contra omne iniquitatis genus audacter asserat fore antidotum: *Pœnitentia,* inquit, *respuit avaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, format amorem, calcat superbiam, continet linguam, componit mores, edit malitiam, excludit invidiã.* Hæc, ut evidentius manifestentur, operæ pretium est admirabile Divinæ Providentiæ, & judicii curiose annotare mysterium, latitans sub hisce Christi Domini verbis Matth. cap.12. *Viri Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt eam :* nimirum generationem pravam, & adulteram. Quis enim non obstupescet, & in excessu demirabitur populum illum, qui ob enormia, & detestanda crimina justo supremi judicis Dei judicio totali destinatus erat ruinæ:

Iona c.3. v.3.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur? modò ab ipsamet veritate decla-

declaretur electum esse, ad peccatorum iniquitatem dijudicandam, *surgent & condemnabunt?* Quoniam hanc irrefragabilem, & ubicumque terrarum receptam in cunctis politicis reperio regulam: non potest esse reus, qui reos vult condemnare. Quare itaque iniquus & omni injustitiâ plenus constituitur populus, legitimus peccatorum judex? Licurgus (ut narrant historiæ) Lacedemoniorum legislator & judex ab Apolline Delphico assumptus, publicè testabatur sibi tale ob innocentiam vitæ demandatum esse ministerium. Numa Pompilius asserebat sibi leges Romanis promulgandas, ob animi candorem atque æquitatem traditas esse à dea Ageria. Quapropter Plato solitus erat asserere, delinquentes non nisi ab innocentibus congruè argui posse. *Si quis*, inquit, *ob aliquod delictum in carcerem injectus fuerit, ad illum vadant optimi quique cives inculpata vita, qui ante oculos delinquentis ponant sceleris enormitatem.* Quomodo itaque Deus sceleratos constituit judices etiam contra Scripturam dicentem:
Ps. 140. 5. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit*
Gal. 6. v. 1. *me.* Et Apostolum Paulum: *Vos qui spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis.* Genuinam justi
Cap. 6. 20. Dei decreti Scriptura subnectit rationem: *Quia ipsi pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* O stupenda pœnitentiæ virtus, quæ reum in reorum commutat judicem. Hinc S. Hieronymus attentè ruminans hæc Evangelistæ Matthæi verba cap. 6. *Thesaurizate vobis thesaurum in cælo*, dicit hominem hic admoneri, ut sibi thesaurum procuret pœnitentiæ: *Thesaurizate vobis thesaurum cælestem pœnitentiæ per quam cælestis gratia conquiritur.* Quo vocabulo appositè & nervosè stupenda Sacramentalis pœnitentiæ indicatur potentia. De thesauri namque efficacia mentionem faciens celeberrimus scriptor Ælianus ait: *Si ante ignotum fuerit, quantum thesauri pecunia valet, in hoc nunc apprehendet: quod etiam sibi victrix de natura triumphet, imperfectum in perfectum mutet.* Cui apprimè concinit S. Chrysost. loquens de pecunia: *Ius delet, fas nefasque confundit, solvit defectum, & in perfectum mutat.* Et hoc ipsum præstat pœnitentia, defectum corrigit, & in perfectum transmutat, justitiam divinam coercet, & misericordiam impetrat, è filio diaboli efficiens fi-
Matth. 11. lium Dei. Unde ait Matthæus: *à diebus autem*
v. 12. *Ioannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et ratio hujus
Marc. 1. 5. violentiæ clarè indicatur à Marco: *Fuit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Cujus eminentem virtutem animadvertens S. Antonius de Padua in ejus encomium exclamat: *Pœnitentia est divina quasi punitio, eò quòd ipse homo jam punit pœnitendo, quod malè peccando admisit, & dum per ipsam quasi per potentissimum tribunal, anima cruciatur, & mortificatur caro, Deus coactè peccatoribus parcit.* Huic quoque adstipulatur magnus ille Doctor Augustinus: *Si semel aliquis, vel secundò peccaverit, & sine dissimulatione aliqua ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet.* Juxta illud Jeremiæ c. 3. *Tu fornicata es cum* Ierem. 3. 1.
amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego te suscipiam. Meritò itaque ei honorificum (quod modernus quidam orationi adscribit) elogiũ attribuere licet: *O pœnitentia, tuum est regnum, tua est potentia, tu vincis invincibilem, tu ligas omnipotentem.* Patuit hæc in admirabili boni latronis justificatione. Ecce, ex intimis cordis sui penetralibus perfectam elicit contritionem, suamque confitetur iniquitatem, increpans blasphemantem socium: *Neque tu times Deum quòd* Luc. 23. v.
in eadem damnatione es. Et nos quidem justè, nam 40, 41.
digna factis recipimus. Et promeruit audire suavisonam Christi sententiam: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quam stupendam Dei nostri clementiam, & immensam confessionis potentiam considerans Augustinus, ait: *Vide quanta res sit confes-* Aug. ser.
sio. Confessus est latro, & paradisum aperuit, con- 13 de temp.
fessus est, & tanta fiducia robur accepit, ut de latrocinio regnum deposceret. Et Chrysostomus: *Ecce quantum præstitit confessio.*

Ad hanc cunctos Propheta David paucis egregiè adhortatur peccatores: *Revela Domino viam* Ps. 36. v. 5.
tuam, & ipse faciet: id est, indica legitimo Confessario animæ tuæ delicta, Deo perfectissimè cognita: *Et ipse faciet.* Verùm, quid interrogat Origenes? *Et sine dubio sanum faciet.* Idcircò ait Au- Aug. de
gustinus: *Damna quod es, ut merearis esse, quod* spiritu &
non es. Ejus pulchritudinem amas? Vis esse pul- litera, c. 9.
cher? Confitere. Fœdus eras? Confitere, ut fias pulcher. Si amamus pulchritudinem, eligamus confes- Bern. E-
sionem, ut sequatur pulchritudo. Cui consonat pist. 113.
Bernardus, dicens: *Ama confessionem, si affectes decorem. Confessioni jugiter decor jungitur & pul-* Ps. 85. v. 6.
chritudo. Juxta illud Davidicum: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus.*

Ex eo deduco, nullum planè fore tantæ enormitatis & gravitatis delictum, quod adeò divinam provocet justitiam, quin verâ confessione possit,

imò

imò debeat deleri; etenim ipsa ex gratuitis Domini promissis: *Revertere ad me, & ego te suscipiam.* Nimirum in gratiam, imperium habet in misericordiam. Quod optimè confirmat Propheta Malachias, disserens de Christi in hunc mundum, ad humanam restaurandam naturam, adventu:
Malach. 4. v. 2.
Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol justitiæ Christus Deus noster. Sed quid adferet emolumenti? *& sanitas in pennis ejus.* Quod Christus aptissimè secundùm sensum mysticum assimilari possit Soli, non est, qui ambigat. Ipse namque spiritualiter *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed quod mysticum hoc jubar pennis adornetur nobis salubribus, apparet difficile. Aristoteles & Plinius docent, plumas talis esse naturæ & proprietatis, ut nequaquam in stomacho aliquo digeri queant, ne quidem struthione. Vult itaque indicare Spiritus S. Christum sanitatem peccatorum, & misericordiam in pennis apportare: quia nulla iniquitas eam digerere, & consumere potest. Sic sentit antiquissimus Doctor
Orig. hom. 16.
Origenes: *Sicut nullum animal potest digerere plumas, ita nullus peccator potest viscera pietatis annihilare Christi,* modò humilis adsit Sacramentalis Pœnitentia, quæ cuncta penitùs tollit delicta, & divinæ absolutè imperat misericordiæ, ut apertè satis insinuat Propheta Oseas, peccatoribus efficax
Osea 14. 3.
contra omne peccatum demonstrans antidotum: *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum.* Sed quid inde sequitur? *Et dicetis ei, omnem aufer iniquitatem. Accipe bonum, & reddamus vitulos labiorum nostrorum.* Ad quod divine & succinctè ait S. Hieronymus: *Tollite verba, tollite delictorum confessionem.* Ideò nec Job veretur asseveranter Deo judici dicere, imò &
Job. 10. v. 1.
mandare: *Noli me condemnare,* quia in illius clementiam absolutam pro se habet imperatricem confessionem: *Dimittam, inquit, adversum me eloquium meum, loquar in amaritudinibus animæ meæ.* Id est, impietatem, & delicta mea contrito corde coram Deo detestabor, meque reum atque peccatorem agnoscam, & tunc dicam: *Noli me*
1. Cor. 11. v. 31.
condemnare. Et solido loquitur Job cum fundamento, quia ait Apostolus: *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Lepidam ad præsens institutum Gellius narrat historiam de quodam rustico, à Gallieno Imperatore ob homicidium ad mortem condemnato. Hic omni industriâ & stratagemate tentans necis evadere sententiam, astu perfracto carcere, è civitate fugit. Cùmque celerrimo gradu tremens & timens aliquot leucas itineris confecisset, defatigatus ad parumper respirandum & quiescendum sese sub quadam arbore prostravit, & casu fortuito baculo terram percutiens, clangorem quemdam percepit, quam suffodiens, ut videret, unde ille oriretur, magnum adinvenit thesaurum. Quo reperto, exultans & gaudens ad urbem regressus est, & Imperatorem adivit, eique hæc dixit verba: *O Cæsar! nondum tempus est miseriam meam benigno oculo aspiciendi, & errorem meum condonandi? Ego in persona adsum, & misericordiam efflagito.* Quam audaciam admirante Imperatore, is, ut stuporem augeret, subjunxit: *Crastino die agnosces, & favebis*: cogitans summo mane comparere cum thesauro, delictum suum illo redempturus.

Similem plane eventum comperio in persona David. Hic ob fraudulentam Uriæ cædem, & infame commissum cum Bethsabee adulterium, severe à Domino castigatus: *Non recedet gladius de domo tua in æternum.* Unde erat fugitivus: *Er-* 2. Reg. 12. v. 10.
ravi sicut ovis, quæ periit, donec tandem veræ contritionis baculo suam prudenter percusserit conscientiam, & pretiosum compererit pœnitentiæ thesaurum, dicendo Nathan, *Peccavi Domino.* Psal. 5. 2.
Hoc enim ditatus, ecce confestim summum aggreditur Imperatorem, & audacter ait: *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum*: seseque ut reum ante divinum sistit tribunal: *Mane astabo tibi, & videbo, mane exaudies vocem meam.* Volebat dicere David, inveni divinâ tua elucente gratiâ inæstimabilem pœnitentiæ thesaurum, & cras mane, transactâ densissimâ peccatorum nocte, in conspectu tuo conferam illum, cujus splendore obcæcatus, nullum in me intueberis delictum, sicque misericordiam impertieris, & me in gratiam recipies. Sic explicat Augustinus, dicens: *Quid sibi vult David, quod superiùs in hoc Psalmo de præsenti dixit: verba mea percipe Domine, &c. & statim posteà de futuro subdit: mane astabo?* Et respondet: *Iure hoc fecit, quasi diceret, peractâ erroris mei nocte, & discedentibus peccatorum meorum tenebris, nunc per pœnitentiam exaudies vocem meam. Mane pœnitentiâ peractâ, intelligam me esse exauditum.* Concludamus itaque, & audacter clamemus: *O pœnitentia! tua est potentia, tuum est regnum, tu vincis invincibilem, tu ligas omnipotentem*: imò & divinæ imperas voluntati.

Libro 1. Reg. c. 15. Spiritus S. tam horribiliter Vers. 2.

Dei ad furorem peccatis nostris concitati exaggerat justitiam, ut illam quasi absoluto decreto in iniquitatem absque ulla clementia vindictam sumpturam asseveret: *Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam super malo, quod cogitaveram, ut facerem ei.* Hanc tamen pia è contrito exorta corde confessio coërcet, ejusque vim perfringit, teste Jeremiâ: *Si pœnitentiam ege-*
Jer. 18. 8. *rit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaveram, ut facerem ei.* Ad quod Oleaster: *Mira Dei dignatio! quem quæso non pœniteat peccatorem, cùm Deum videt pœnitere pœnarum.* Quin etiam dicere audeo, eam divinæ dominari sapientiæ & memoriæ. Propheta Jer. c. 1. ait: *Peccatum Iuda scriptum est in stylo*
V. 1. *ferreo in ungue adamantino.* Hoc innuens, Deum adeò tenaciter memoriâ suâ peccatoris retinere delicta, ut eorum non facilè obliviscatur; attamen ea tam radicaliter tollit, & tam nitidè delet confessio, ut S. Bernardus dicat: *Quod ibi scribit transgressio, hic delet confessio.* Quod plurimis corroborari potest S. Scripturæ locis.

Actorum cap. 3. narratur, principem Apostolorum Petrum, ob perpetratum in claudi bases consolidando miraculum, stupentibus Judæis, magnam improperasse incredulitatem. *Viri Israë-*
Act. c. 3. *litæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini,*
v. 12. 13. *quasi nostrâ virtute ac potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, Deus patrum nostrorum, glorificavit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati.* Hîc tuam ô Petre! in reprehendendo summopere demiror audaciam: quòd dicas, *Quem vos tradidistis*, rectum & justum fore lubens concedo; verùm, quòd etiam addas, *Et negastis ante faciem Pilati*, planè temerarium apparet. Etenim, nonne jure merito replicare possent Judæi, & infamem tuam in te retorquere Domini abnegationem, qui tribus vicibus te eum non agnoscere affirmasti, & dicere: *Medice, cura te ipsum, & ejice trabem de oculo tuo?* Optimè tamen, inquit Ambrosius, Apostolus eos increpavit, quòd impie verum Messiam denegarint: nec solidè illi prætactum obtrudi poterat improperium.

Pro quo ostendendo plane necessarium est ad quemdam Scripturæ locum registratum Eccles. cap. 49. recursum capere: ubi dicitur: *Præter Da-*
V. 5. *vid & Ezechiam, omnes peccatum commiserunt.* Qui directe videtur repugnare aliis Scripturæ locis. Etenim, si David non peccaverit committendo adulterium & homicidium, quomodo Propheta Nathan illius culpam ex parte Dei denunciat esse dimissam, dicens: *Deus quoque transtulit peccatum tuum.* Tamen præter David omnes peccatum commiserunt. De Ezechiâ quid dicam? Loquatur Propheta Isaias, ejus increpans insolentiam, eò quòd Assyriis jactitans & superbiens universum ostenderit thesaurum: *Non fuit res,* Cap. 39.
quam non ostenderim eis in thesauris meis. Et di- v. 6.
xit Isaias ad Ezechiam, audi verbum Domini: ecce, dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua: Idque adhuc in pœnam superbiæ, quâ intumescens, post miraculosam contra Zennacherib victoriam, sese quasi totius mundi præsumebat fore rectorem, sibique illam, & non Domino adscribebat. Attamen ait Scriptura, quæ alteri loco neutiquam potest contrariari: *Omnes peccatum commiserunt præter Ezechiam.*

Hæc difficultas me movet, ut indagem genuinam rationem, cur Evangelista Matthæus c. 1. describens Christi Domini genealogiam, suppresso SS. mulierum, à quibus descendebat Christus, nomine, dumtaxat de peccatricibus mentionem faciat: *Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar.*
David genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ, sci- Matt. c. 1.
licet Bethsabee. Quod curiosè advertit S. Hie- v. 3. 6.
ronymus: *Notandum, inquit, in genealogia Salva-* Hieron. l. 1.
toris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, Comm. in
quas Scriptura reprehendit. Quod videtur abso- initio.
num Domini nobilitati, & gloriæ maximè injuriosum; etenim, si aliquis nobilis in sua prosapia impios, & à virtute degeneres habeat, eos magnâ curâ, ne horum pravitatis tenebris splendor progeniei obfuscetur, è genealogica arbore expungi curat, nominaque subticeri. Quorsum itaque genealogista Matthæus stemmatis Christi peccatrices fœminas adducit, & sanctas prætermittit? Id namque vel casualiter, vel ignoranter, & absque mysterio factum fore, neutiquam credendum est.

Verùm, quandoquidem modò de genealogia Salvatoris inciderit mentio, omittenda, ac silentio prætereunda non est alia, quæ in hâc primâ fronte apparet, difficultas. *Liber generationis Iesu*
Christi, filii David, filii Abraham. Ubi ordo Matth. 1. 1.
præposterus evidenter cernitur. Quomodo enim David in capite genealogiæ ponitur, cùm inter Abraham & Davidem tredecim intercesserint generationes? Deberet sane Matthæus dicere: *Liber generationis Iesu Christi, filii Abraham*, & sic usque

que

que ad Davidem descendere, & deinde ad Christum. Nec id quoque casu, aut ignorantiâ evenisse, præsumendum est: quandoquidem ipsemet Apostolus illam clarissimè comprobet, dicens: *Factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Cur non dicit è semine Abraham? cùm promissio Christi venturi immediatè ipsi sit facta: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* De quo quoque obstupescit B. Ægidius noster Romanus, & clamat: Cùm facta repromissio Abrahæ sit, cur dicit Apostolus, Christum factum potiùs ex semine David, quàm ex semine Abrahæ? Et quæstioni suæ respondet hisce verbis: *Dicendum est, quòd volens Apostolus commendare gratiam* (sicut & Evangelista Matthæus) *maluit Christum dicere factum ex semine David, qui erat criminosus, quàm ex semine Abrahæ, qui erat justus.*

Rom. 1. 3.

Gen. 22. v. 18.

Sed, quid ais Ægydi? exorbitanter sanè loqui videris. Præponeturne criminosus justo, nocens innocenti, & adulter homini casto? Ubi æquitas divina, ac infallibilis supremi Rectoris justitia? Optimè tamen dixisti, fundamentalis Doctor, & nostrum profectò (si aliter sentiamus) hallucinatur & aberrat judicium: etenim impium Deus non præponit pio, sed impium pœnitentem innocenti, quia omnis Christi gloria in peccatoris consistit conversione & pœnitentia. Quod satis apertè declarat Evangelista Lucas: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Cui egregie concinit Concilium Tridentinum, expresse dicens: *Iustificationis causa finalis est gloria Dei & Christi.* Quod rursus confirmat Apostolus: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei,* id est, misericordiâ & gratiâ Dei, quæ peccatoris conversionis vera est causa, & per consequens gloria. Sic apposite explicat Apostolum S. Anselmus, dicens: *Verè gloria Dei, id est, gratia Dei gloriosa, quâ justificantur impii.* Idcircò dicebat dux Israëlitarum Josue Achab: *Fili mi, da gloriam Domino Deo tuo Israël.* Sed quomodo? Subjungit, *& confitêre:* nimirum delictum tuum, quia summa Dei gloria est, confitenti & pœnitenti elargiri veniam. *Manifestare,* inquit doctissimus Cajetanus, *& indicare, quid feceris, erit ponere honorem Deo, & dare confessionem laudis illi.* Et Hugo: *Confessio peccatoris pertinet ad gloriam, peccatum dimittentis.* Quibus adstipulatur fundamentalis Ecclesiæ Doctor Augustinus: *Tuam iniquitatem confitêre, gratiam Dei confitêre, te accusa, illum glorifica, illum lauda, ut & ipse veniens inveniat te punitorem tuum; & exhibeat se tibi Salvatorem tuum. Quid times confiteri? Deo ne fortè confessum damnet? Si non confessus lates, non confessus damnaberis. Times confiteri, qui confitendo esse non potes occultus. Damnaberis tacitus, qui jure meritò exclamas, ejà potes liberari confessus.* Etenim illud delictum, quod anteà apud Deum mirabilem edebat fœtorem, vera expurgatum confessione, stupendam producit oris suavitatem.

Luc. 15. 7.

Sess. 6. c. 7.

Rom. 3. 23.

Iosue c. 7. v. 19.

August. in Psal. 36.

Unde benignus Dominus cum peccatore pœnitente & converso agit, ad instar Vitellii Imperatoris, de quo Romani commemorant annales, eum, devicto hoste, cùm per campum putridis cadaveribus coopertum pertransire vellet, admonitum ab aulicis, ut aliam viam, insupportabilis fœtoris evitandi gratiâ, arriperet, respondisse: *Numquam victi victoribus malè olent.* Haud dissimiliter, inquam, si à divina justitia petatur, abominabilem execrandorum hominis criminum non abhorreat odorem; verùm eum, ut bene olentem, intimo amplectatur amplexu, respondebit Christus: *Numquam victi victoribus malè olent.* Peccator namque pœnitens, & legitimè confessus, inimicus Dei existens, potenti gratiæ divinæ influxu devictus, non fœtet; & sicut prostratus miles non mediocriter victoris adauget gloriam: ita peccator conversus summopere divinam augmentat, id est, manifestat magnificentiam. Cujus adeò est zelosus, ut Propheta Jeremias cap. 13. clamet ad populum, divinum quoddam maximi momenti documentum declaraturus: *Audite, & auribus percipite,* &c. *quia Dominus locutus est.* Pro quo intelligendo sedulam exigit attentionem. Vers. 15. Sed quæso, quodnam illud? Subjungit: *Date Deo vestro gloriam.* Quod explicans S. Hieronym. ait: *Eos, quibus dixerat sermo divinus: audite, & percipite auribus, nunc provocat ad pœnitentiam.* Audite, quàm apposite conceptui huic subscribat S. Chrysostomus: *Vide, quanta sit clementia Salvatoris, peccata nostra mali odores sunt: tametsi agamus pœnitentiam propter peccata nostra putrida, unguentum efficiuntur.*

Ex hoc concludo, quòd si peccator pœnitens divinæ gloriæ sit augmentum: ergò tum Evangelista Matthæus, tum Apostolus non abs re Christi genealogiam à Davide adultero quidem & homicida, sed pœnitente, exorditur, & silentio justis suppressis fœminis, peccatrices recensentur conversæ. Quoniam eæ nobilitatem & magni-

ficen-

ficentiam stemmatis Christi accumulant. Item & optime dixisse Spiritum S. per Sapientem: *Præter David & Ezechiam omnes peccatum commiserunt.* Quoniam peccata dolorosâ deleta pœnitentiâ, pro non factis apud Dominum æstimantur, quia hæc peccatorem in integrum restituit, ita ut non vereatur asserere Ambrosius: *Tanta est virtus Christi Domini, ut quantumvis peccator, qui undâ se laverit sanctæ Pœnitentiæ, non meminerit antè quod fecerit, & redivivâ nativitate infantiæ innocentiam præferat, & juventutis scelera non agnoscat.*

Ambros. serm. 30.

Et idcircò confidenter, ut inculpatæ vitæ, nec minimè magistri denegationis sceleris reus, negantes Christum increpat Judæos Petrus, quia illud veraci pœnitentiâ, contritione & lachrymis affatim diluerat, ut annotat S. Leo: *Felices lachrymæ, sancte Apostole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere Baptismatis.* Et hoc clarissime eruitur ex illis Isaiæ verbis, cap. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates, & memor non sum.* Optime itaque huic adscribi potest prædictum elogium: *O pœnitentia! tuum est regnum, &c.*

Vers. 25.

Pro toto jam præsentis discursus progressu efficaciter comprobando, non abs re erit, mentis oculos in Apostoli Petri & Pauli, præ cæteris in Ecclesia præeminentiam conjicere, eorumque peccati gravitatem justâ sanctorum Patrum trutinâ perscrutari. Petrus infame, Dominum suum negando, commisit scelus, testibus S. Bernardo & Chrysostomo: *Peccatum grande, & quo grandius nullum,* inquit ille; hic verò: *Post crudelem illum casum, nullum negationi* (nimirum Petri) *par malum.* Et epitheta nervosa, atque aggravantia subjungit: *Tetrum & insolitum malum.* Attamen supremam Ecclesiæ Dei promeruit accipere potestatem, & audire: *Quia tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et quare? Respondet S. Ambrosius divine & succincte: *Non nisi pœnitentia hoc fecit, major gradus est datus ploranti, quàm fuerat ablatus neganti.* Cui accinit S. Basilius dicens: *Petrus tertiò negavit, collocatus est in fundamento.* Et genuinam tantæ promotionis S. Hieronymus allegat rationem: *Ut intelligeremus, quanta sit virtus pœnitentiæ, per quam non solùm veniam consequi, sed etiam majorem dignitatem recuperare ac obtinere possimus.*

Bern. serm. 1. de Petro & Paulo. Chrysost. hom. 1 de Pœnit.

Hieron. ep. 149.

Apostolus Paulus maxima cum acrimonia primitivæ Ecclesiæ fautores est insectatus, & ex Scriptura, & S. Stephani lapidatione apertissimè constat, & ex Augustino asserente: *Acrior nemo inter persecutores, quàm Paulus.* Imò & idipsum proprio confirmat testimonio ipsemet Apostolus: *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Id est, maximus in ratione peccatoris. Verumtamen elevatus est & electus, ut gentibus veram denunciaret fidem: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes.* Et sicut Petrus meruit audire: *Tu es Petrus,* &c. ita & Paulus, *Vas electionis est mihi.*

1. Tim. 1. v. 15.

Gal. 2. 8. Matth. 16. v. 18. Act. 9. 15.

Obstupesco, & maxime admiror, dum Litanias majores, quas Ecclesia cantat, attentâ mente contemplor. Etenim, cui mirum non apparet, quòd in his impudica mulier & meretrix castis & veris, tanquam eminentior, præponatur virginibus Maria Magdalena, *S. Maria Magdalena, S. Agatha, S. Agnes* &c. Hæ namque ante illam omnino nominari debebant. Ah, inquit Chrysostomus, prudenter & juste agit Ecclesia: *Quoniam illa in Evangelio meretrix virgines quoque ipsas superavit.* Quia quantumvis plurima enormia carnis & incontinentiæ commiserit delicta, attamen illa lachrymis & pœnitentia detestata est, cujus virtute ac efficaciâ tam exacte delentur, ut ipsa in oculis divinis præ cunctis virginibus in meritorum æqualitate, ut loquitur Damianus, eminentior & perfectior appareat. *Accessit,* inquit, *Magdalena immunda, ut rediret munda, accessit ægra, ut rediret sana, accessit confessa, ut rediret perfecta.* Quia tantæ est potentiæ pœnitentia, ut pristinam (si perfecta omninò sit) animæ sine mora, & sine ullâ fœditate restituat incolumitatem. Quod sedulò perponderans Thomas à Villa Nova, obstupefactus in hæc prorumpit verba: *O levissimam satisfactionem! O facillimam recompensationem! & quid obsecro magnum est, ut cognoscat, & confiteatur peccator se esse, quod est? Quid grande, ut ei displiceat peccatum tam fœdum & malum?* Et antithesim faciens inter humanam & divinam justitiam, pergit: *O! si nullam aliam satisfactionem exigeret justitia sæcularis à reis pro criminibus, nisi ut cognoscerent delicta, & secretò confiterentur judici, se fecisse flagitium, & absoluti abirent! quis reus ad horam maneret in carcere?* Suppositâ igitur confessionis necessitate, utilitate, & invictâ potentiâ, nonne jure merito possum exclamare.

Thomas à Villa Nova, Dom. 3. Quadr.

Eja itaque peccator, verum est fateor, in abysso malitiæ sub dura diaboli ferreis criminum constrictus catenis, jaces servitute, mox in æternum cruciandus: sed tantummodò age pœnitentiam,

attripe

atripe acutissimum confessionis gladium, confer tecum humilis agnitionis verba, hæc inferni carcerem disrumpet, catenas criminum dissecabit, pristinamque restituet libertatem. Noli, noli Deo tam levem pro peccatis recusare satisfactionem: hanc namque dementiam cum cæteris damnatis in æternum deplorares. Audi quid dicat S. Thomas noster: *Hoc est, fratres, quod nimis cruciat damnatos, & furere facit contra seipsos, & se suis morsibus consumere, cùm recordamur, quod uno suspirio, & unâ lachrymâ, & brevi confessione peccatorum suorum totam illam pœnam æternam evadere potuerunt, & neglexerunt.* Et subjungit instantius urgens: *Gratis fratres, & scienter perdimus nos, qui tam facile salvari poteramus. Pro nihilo, ait Psalmista, salvos faciet illos. Utique pro nihilo: nam agnoscere peccatum, & confiteri te esse, quod es, qualis est satisfactio pro delicto? Utique de se nulla: sed Dei misericordia dignatur salvos nos facere pro nihilo: quia pro peccatis nostris debitam satisfactionem suscepit in filio.*

Ex dictis deducit S. Bernardus, hominis linguam bonos & malos posse proferre fructus. *Ventus est sermo, inquit, sed non semper urens. Est quoque magna nihilominùs sermonis utilitas, frequenter in lingua fructus protiosissimus reperitur. Nec solum mors est in manibus linguæ (ut ait Apostolus Iacobus) sed & vita.* Quam ut eripiat Dæmon utilitatem, hominem mutum reddit. Hunc confessionis effectum famelicus mirè expertus est filius prodigus, verum peccatoris hieroglyphicum, suam protestans culpam: *Pater, peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, &c.* Sed quid inde subsecutum est emolumenti? Ah! attendite: *Dixit autem pater ad servos suos: citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus: & adducite vitulum saginatum, &c.* de quo summopere stomachatus primogenitus, eò quod juniori prodigo, & patri refractario prima stola, primogenituræ sibi debitæ symbolum tribueretur: justas visus est deponere querelas, dixitque: *Ecce, tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum.* Verùm, quid ad filii querimoniam benignus respondit Pater? *Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.*

Luc. c. 15. v. 21, 22, 23.

V. 29, 30, 31.

Haud dissimiliter cum reo pœnitente sese pius gerit Pater æternus; ille prodigus spiritualium donorum, gratiæ sanctificantis, virtutum moralium, &c. ut suis indulgeat illicitis desideriis, mundano appetitui, atque carnali concupiscentiæ, dum ex contrito corde clamitat: *Pater, peccavi in cælum, & coram te.* Confestim omnium delictorum immemor, mandat ei tribui stolam primam, nimirùm gratiam, per peccatum deperditam justificantem: adduci vitulum saginatum, id est ei proprium corpus, quod omnem spiritualiter enutrit & fovet animam, præbet ad sanctè epulandum. Reddit quoque annulum charitatis, quo homo oppignoratur Deo: addit & calceamenta adjuvantis, atque prævenientis auxilii, ut in via virtutis simpliciter & rectè queat ambulare. Sed ubi vindicativa in eum (ut ita dicam) quasi insurgit justitia, illius accusans nimiam, facilem, & promptam erga peccatorem clementiam: benigne respondet Dominus, ô justitia! nonne in misericordiæ favorem, in sanctissimæ Trinitatis tribunali latum est decretum, & peccatori factum promissum: *Revertere ad me, scilicet à via tua prava, & ego suscipiam te?* Nonne ego per Prophetam Isaiam jussi meo nomine promulgari: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor?* Ecce, peccator revertitur ad me, & qui culpâ mortuus erat, pœnitentiâ revixit. Nunquid itaque justum est, ut ei, qui debitam delicti donat satisfactionem, omne dimittatur debitum! O mira unius *peccavi* vis! quæ pœnitentem peccatorem justo præfert. Audite quàm egregie hunc conceptū confirmet S. Chrysologus, dicens: *Pater igitur pœnitenti filio, & ex naufragio venienti annulum porrigens, & stolam primam donans, ostendit hunc primogenitum esse dilectionis suæ, & præ cæteris charum.* Unde ubi textus Latinus habet: *Præcinite Domino in confessione,* Græcus legit: *Incantate Deum, &c.* quia ipsa iratum & offensum in clementem & placatum commutat.

Ierem. 3. 1.

Isaiæ 43, v. 25.

Ps. 146. 7.

Hujus efficaciam in excessu demirans S. Thomas à Villa Nova, admirabile ipsi adscribere non veretur elogium, dicens: *O eximia pœnitentiæ virtus! ô forte lixivium! quod omnes peccatorum maculas tam facilè diluis. O victoria salutaris, lepram animæ tam suaviter sanans! O tiriaca potentissima, quæ omne virus cordis extinguis! hoc est unguentum illud, nardi pistica pretiosa, quo anima ungi-*

S. Thom. à Villa Nova, Dom. 4. Quadr.

ungitur & sanatur, & tota domus repletur ex odore unguenti. Hæc est illa aqua viva piscina, quam movet Angelus per dolorē in corde: in quam qui intrat, per hujusmodi aquæ motum sanatur, & mundatur ab omnibus plagis, & infirmitatibus suis. Hæc est illa virga Moysi, quâ percussum mare concupiscentiarum exæstuans dividitur in divisiones, ut electi Dei sicco pede in Promissionis terram pertranseant. Hæc est illa farinula Prophetæ, dulces faciens colocynthidas pœnitentiarum amaras. Hic sal ejusdem Prophetæ, aquas salsas lachrymarum potabiles faciens. Hæc sapiens illa mediatrix inter Regem & filium Absolon, id est, Deum & electum ejus, ipsum reconcilians, & reducens ad patrem. Hæc filium prodigum elongatum à patre, post consumptam cum meretricibus spiritualium donorum circumstantiam, post famem, & miseram servitutem verecundum reducit ad patrem, & vestibus splendidis, & novis induit gratiarum, quibus peccando antè fuerat nudatus, & vituli saginati, splendidique convivii, in quo mira resonat symphonia, participem facit. Et paternæ hæreditatis, id est, cælestis regni honorem & dignitatem restituit: & supernorum civium in æterna illa beatitudine facit esse consortem.

Sed heu! quot inveniuntur in mundo surdi, qui auribus quidem Concionatores, Confessarios, & probos exhortatores ad confitenda peccata instigantes percipiunt, mente tamen non concipiunt, nec persuasum actu consumunt. Ah heu! quot sunt, qui delictum suum confiteri Christi vicario erubescunt, quod committere non erubuerunt. O dementes! ô insani! quid celare vultis unico, quod universo manifestari debet mundo? Audite, quàm egregiè tantam SS. PP. irrideant atque explodant proterviam: horum Coriphæus Augustinus, ait: *Heu! cur erubescis confiteri, quod facere non erubuisti?* Et prosequens arctiùs stringit & urget: *Meliùs est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum tabescere.* S. Chrysost. *Quid horres fateri, quod libenter, ac properè commisisti? Cur confunderis dicere, quod non confusus es perpetrare? Cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipso præsente committere?* Et tandem S. Bernardus: *Cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? Aut, cur erubescis Deo confiteri, cujus oculus non potest abscondi? Quod, si fortè pudor est tibi uni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita sua conscientia patebit?* Confitere itaque audacter, da gloriam Deo, glorifica ipsum, & suavem mereberis audire sententiam: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.*

Aug. l. 2. de visit. infir. c. 5.

Chrys. ser. de Confess.

Bernard. in Cant.

Verùm proh dolor! quot reperiuntur muti, qui quantumvis clament, & confiteantur, attamen tacent, & possunt sibi illud appropriare Davidicum: *Quoniam tacui, cùm clamarem totâ die.* Quot sunt, qui Judam non præmittunt, id est, veram confessionem, & ad benigni Domini deperditam recuperandam gratiam.

Psal. 31. 5

Judas, ut suprà dictum est, significat *Confessionem*, & verè omnes nominis ejus idipsum indicant litteræ, docentque, quomodo Domino confitendum. 1. Integritatem innuit confessionis; etenim, qui unum peccatum omittit & occultat, omnium apud Deum est reus. Et quia hoc est certum, & etiam minimo notum Theologo, imò & vulgo, non desidero illud prolixiùs examinare, ne tempus me illudat, solummodò insistendo sententiæ Augustini: *Erat tanquam in statione Medici curandus Pharisæus, sed sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus teget vulnera, non tu: nam si tu tegere volueris, Medicus non curabit. Medicus tangit & curat: emplastro etiam tegit, sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub regimine vulnerati celatur vulnus.* V. Veritas declaratur; verùm in quo illa consistat, operæ pretium est bene enucleare.

August. Enarr. 2. in Psal. 31.

Inprimis nulla peccatorum rei sufficit palliata confessio, quæ tamen tam obvia est, ut Confessariorum pœnitentes disturbent aures, & lingua obmutescat, corde non dicens, quod ipsa propalat. Accedit reus vir, & delicta sua in uxoris, aut prolis suæ retorquet iniquitatem. Supervenit fœmina, & similiter marito & pueris suos imputat errores: uterque sua diluere alterius studet delicta. Vitium sanè enorme, quod in primo parente fuit vituperatum, cùm ipse culpam uxori adscripsit, imò, ut quàm pluri interpretantur, ipsi Deo: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Et vicissim mulier serpenti: *Serpens decepit me, & comedi.* Cujus facti detrimentum, toti Adæ illatum posteritati, egregiè annotans S. Thomas noster, ait: *Quantum verò profuerit ab initio coram Deo ad veniam impetrandam confessio peccatorum, & quantum è contrario obfuerit nolle confiteri peccatum, ostendit satis luculenter B. Chrysostomus in serm. de Pœnitentia pluribus exemplis sacræ Scripturæ. Peccavit Adam, venit ad eum Dominus deambulans*

Gen. 3. 12.

S. Thom à Villa Nova, Dom. 3. Quadr.

bulans

bulans in paradisum. Vbi es Adam? Nunquid nescis Domine? Non ignorantis, inquit Glossa, sed ad confessionem adducentis verba sunt. Sed miser ille, qui prostratus in terram confiteri debuerat peccatum suum, & dicere, peccavi Domine, miserere mei: se potiùs cum muliere excusavit, & quodammodò in Deum culpam suam retorsit, dicens mulier, &c. mulier quoque interrogata, quare fecisti hoc? In serpentem culpam rejecit, dicens: serpens decepit me. O si humiliati fuissent, & confessi peccatum, procul dubio (ut ait Bern. lib. de præcepto & dispensatione) minori, & leniori pœnâ mulctati fuissent: sed propter impœnitentiam morte cum sua posteritate damnantur. Hinc quàm optimè concludit: Ecce, quantum obfuit, mundo non confiteri peccatum. Et ut urgentiùs suum exaggeret intentum, aliud subjungit exemplum: Simile, inquit, Cain contigit, nam post occisionem fratris sui Abel, venit ad illum

Gen. 4. 9. Dominus, & interrogavit: Vbi est Abel frater tuus? Sed heu! ad tam piam interrogationem iniqua subsecuta est responsio, & nulla delicti &

V. 10. fratricidii confessio! Nescio: Nunquid custos fratris mei sum ego? Quanta impudentia! ô perfide fratricida! sic respondes Altissimo? Non eras custos, nunquid homicida? Ast annotate & animadvertite peccatores, quid inde miser passus fuerit detrimenti. Prosequitur Thomas: Propter hanc obstinatam impudentiam à facie Dei projectus, damnatus est. Atque perditionis justam indicans rationem, subnectit: Qui, si peccatum suum confessus fuisset, & pœnitens misericordiam expostulasset, procul dubio meliorem sententiam accepisset. Hujuscemodi imitatores non intelligunt Davidicam pœnitentiam: Confitebor adversum me injustitiam meam. Verùm è contra tales absorbere student in tò Iudas litteram a, quæ nudam accusationem significat. O socors Christiane, attende quid ad te clamet S. Thomas: Audi quid facias. Lazare veni foras, prodi, exi, veni in publicum, manifesta teipsum. Cur latebras quæris? Cur sub doli pallio lates? Qualis intùs es in conscientia, talis foras confessione prodito. Non vulnera tua pallies, non excuses, non defendas. Si enim operam medicantis expectas, necesse est, ut vulnera tua detegas. Revela uni te, ne aliquando reveleris universo mundo, sustine nunc verecundiam unius Sacerdotis, ne postmodum sustineas verecundiam orbis. Sicut enim ad Dei justitiam pertinet, ut nullum malum maneat impunitum, ita ad Dei veritatem, ut nullum malum maneat occultum. Et tandem concludit: Miserum te ostende, si vis Dei misericordiam obtinere: ille enim, qui non confitetur offensam, quis unquam præstabit veniam? Aut quis miserebitur obstinati? Pauperes in bivio, ut transeuntium misericordiam obtineant, vulnera sua propalant: tu fac similiter coram Deo: confitere te peccatorem, & invenies Deum propitiatorem. Et timidos confortans, indoctos docens, & erubescentes exhortans, ait: Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris: dic quod es, & eris, quod non es. Quid magnum est, si latro confiteatur se esse latronem? Qui coram judice confitetur, furca suspenditur: qui coram Deo confitetur, inferni furca liberatur. Apud sæculi judicem confessio judicium perficit, apud æternum judicem confessio judicium tollit.

Verùm, quandoquidem modò in hac verser materia, non me piget D. Thomæ à Villa Nova contra hæreticos, in confessionem stomachatos, arguentis solidam adducere rationem. Audite: Sed dicit aliquis, quòd justa & necessaria sit confessio peccatorum ad veniam obtinendam, bene video, sed Deo, non homini. Tibi soli peccavi, tibi soli confiteor: ad quid opus fuit peccatum contra Deum commissum homini revelare, maximè, cùm hoc sit nimis onerosum & verecundum? Ad quid, inquam, voluit Christus legislator benignus, & suavis, fideles suos ad hoc onus tam molestum obligare? Difficile enim est, ut homo omnia peccata sua, & desideria mala & pravas cogitationes homini manifestet. Ad hoc argumentum breviter respondet præfatus Doctor hisce verbis: Quòd quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri: sed postquam filius Dei factus est homo, jam pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, quia filius hominis est: ex tunc ergo peccator hominis Christi à Deo Patre foro commissus est, & in illo reddere rationem suam tenetur. Sed quia Christus ascendit in cælum, & non est ubi præsentiâ corporali visibili, ut ei homo rationem possit reddere de peccatis, ideò, antequam ascenderet in cælum, commisit vices suas Sacerdotibus, & eos subdelegavit, ad audienda, & judicanda peccata; dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ecce, propter quid ex tunc homo peccata sua Sacerdoti à Christo subrogato confiteri tenetur.

Dominica 3. Quadr.

Et aliam objectionis refutans partem, divinè ait: Quid dicis de gravitate præcepti? Vtinam, utinam intelligeres, quàm grande beneficium, & quàm grandis misericordia fuerit hac. Duas super

hoc legimus commissiones in Evangelio : prima, quæ facta est filio à Patre : secunda, quæ facta est Sacerdoti à Christo : utraque fuit in favorem magnum peccatoris. Et dicti sui fundatam subjungit rationem : *Quis enim tam mirandus favor, quæ major clementia, quàm ut causa nostra committeretur fratri nostro, qui est os de ossibus nostris, & caro de carne nostra?* Et illam ampliùs exaggerans, addit: *Quis in cælo vel in terra invenire poterit judicem favorabiliorem, quàm hominem Christum Iesum, qui propter hoc descendit de cælis, propter hoc judicatus & crucifixus est, ne homines damnarentur? Quomodo me nimio rigore gravabit, quem suo sanguine pretioso redemit? Quomodo me damnabis, qui propter hoc mortuus est, ne damnaret.* Et paulò infrà : *Si Salvator est & Redemptor, quomodo erit damnator? Propter hoc obnixè Psalmographus orabat, dicens : Deus, judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Ille me judicet, qui pro me mortuus est : ille sit judex, qui stetit & Salvator.*

Nec minùs secunda favorabilis fuit commissio : *Nam quòd pater,* inquit, *filio suo tam sublime judicium committeret, licet pio, & misericordi, recto tamen & justo, & patris zelatori mirum non videtur, sed quòd filius Sacerdoti peccatori tantum judicium committat, hoc vehementer mirandum & stupendum. Quid namque faciet ille Sacerdos, peccator cum peccatore alio, nisi quod vellet secum fieri de peccatis suis? O mirabilem commissionem! ô ineffabilem dignationem! quòd veniat peccator peccatis onustus ad alium peccatorem sibi similem, & ille judicet eum, & absolvat, & deducat de inferno, & restituat Paradiso : & quod iste fecit in terra, ratum & firmum habeatur in cælo. Benedictus Dominus, qui talem potestatem hominibus dedit.* Et in hujuscemodi confessionis detestatores, contemptores & irrisores acriter invehitur, oneris prætaxati fallax rejiciens argumentum. *Hoc est onus? Ita est, onus est mirabile, & onus maximum, sed immensi beneficii, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis. Vnde optimè David dixit Christum in mundum divinam apportasse misericordiam. Verè ex quo filius Dei descendit ad homines, misericordiâ Domini repleta est terra.*

Et hanc solidam doctrinam genuinus è mellifluis Patris sui Augustini uberibus suxit filius : quia ait tractatu 2. de Visitatione infirmorum capite 4. *Sunt, qui sufficere ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil est occultum, & quem nullius conscientia latet, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur ostendere suis Sacerdotibus, quos tamen inter lepram discernere per legislatorem constituit Dominus, sed nolo, ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Dei vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ indignatione. Nam ipsius humiliter subeundum est judicium, quem Deus suum non dedignatur esse vicarium. Ergo ad te venire roga Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitùs participem. Non seducat te illa somniantium superstitio, quæ in visitando confirmat, quia salvat inconsulta ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter deferenda confessio. Beatus enim, qui tenebit, & allidet parvulos, vel maximos suos ad petram: petra autem Christus est; sed testamur, & testatur illud sacra doctrina. Vnde, inquit, ostende te Sacerdoti. Responsum est divinum. Et confitemini alterutrum peccata, ait Iacobus. Cicatricum ergo tuarum arbiter Dei vice adhibeatur presbyter, & revela ei vias tuas, & ipse exhibebit tibi antidotum.*

Digressum feci, & forsitan lectori ingratum. Attamen, nisi hanc controversiam magis ad Scholasticos, quàm ad Concionatores pertinere judicarem, prolixiùs de ea tractarem. Idcircò pro nunc, illâ relictâ, festinus (ne cuipiam sim fastidio,) ad reliquas litteras tò *Iudas* progredior. S. nimirum & D, de S. quæ satisfactionem pœnitentis significat, vix est difficultas: quandoquidem tantummodò Sacramenti Pœnitentiæ pars à Theologis censeatur integralis, quapropter & prætereunda. Verùm, cùm de tò D, quæ dolorem peccatorum repræsentat, maxima oriri posset controversia: perplacet paulisper prolixè & maturè examinare, quisnam ad sacramentalem confessionem dolor sit sufficiens & necessarius.

Variæ de hac materia Scholasticorum sunt sententiæ, ut ostendit doctissimus Suares 3. p. tom. 4. disp. 10. sect. 4. sed ego iis omissis, sententiæ adhæreo radiantis illius studiosissimæ Societatis Jesu luminis Suaresii, qui, rejectis aliorum opinionibus, pro solida tuenda doctrina ait : *Dicendum nihilominus est, attritionem veram & supernaturalem de omnibus peccatis mortalibus in confessione declaratis, quorum pœnitens conscientiam habet, esse de essentia hujus Sacramenti.* Ex hoc fundamento præfatus Doctor duas irrefragabiles elicit conclusiones. Prima est, *attritionem*

ad

ad valorem Sacramenti debere includere efficacem voluntatem non peccandi de cætero. Rationes illius vide loco citato. Secunda verò hæc, *non ſufficere ad valorem hujus Sacramenti dolorem ex motivo merè humano conceptum.* Quam ſic probat: *Si dolor procedat ex motivo naturali & humano, quantum eſt ex ſe, non avertit voluntatem ab effectu culpæ, ſed ad ſummum continet ab actu externo : unde non ſufficit ad veram accuſationem coram Deo, ſed potiùs videbitur illa eſſe narratio quædam periculi proprii, aut incommodi.* Et ulteriùs progreditur, magiſque ſuam conſolidat opinionem: *Si verò actus ille eſt ex aliquo motivo honeſto, & virtutis, tamen merè naturali, etiam merè eſt inſufficiens ad veram attritionem, quam deſcribit & requirit Concilium Tridentinum.*

Ex hac ſolida Suareſii doctrina evidentiſſimè deducitur, illos quàm ineptiſſimè in hac materia cæcutire, qui ſentiunt, dolorem peccatorum merè ex timore infamiæ, dignitatis, aut boni nominis deperditione, aut ex mera & pura pœnarum infernalium formidine excitatum, ſufficere ad veram attritionem, requiſitam ad hoc Sacramentum. Etenim hic actus nihil planè in ſe continet ſupernaturalitatis, nec voluntatem avertit ab affectu culpæ : nec ſic dolens efficaciter (quod requirit Suares, dicens: *De eſſentia hujus Sacramenti eſt, ut pœnitens accedat deteſtando efficaciter omne peccatum mortale,*) ſua abominatur delicta, ſed dumtaxat ſui detrimentum & pœnam. Ac proinde virtualiter, qui ſimiliter dolet, in corde ſentit, niſi hoc & illud è peccato oriretur incommodum, libertime illud committerem: neque actus injuſtitiam, neque Dei attenderem offenſam. Tollatur itaque pœna, & ego amplectar peccata. O inſignis dolor ! ſanè talis, qui ex ſui ipſius amore oritur, & ſalutis ſuæ corporalis affectu; adeoque non majoris apud Deum eſt pretii, neque majorem ad juſtitiam adipiſcendam habet proportionem, quàm quò quis corporis ſui amat integritatem. Unde quomodo talis amor ſui, ad Sacramentum Pœnitentiæ proximè diſponat, neutiquam capio. Quidquid enim homo effecerit ex aliquo motivo, non majoris meriti eſt, quàm cauſa, quam intendit: nec ſufficit dicere, talem actum aliquid induere ſupernaturalitatis, quatenus nobis per fidem, & revelationem manifeſtatur, Deum juſtum hujuſcemodi pœnas impiis eſſe inflicturum. Etenim æſtimandum non eſt, idcircò dolorem aliquem ſupernaturalem eſſe, quia fides proponit objectum ejus. Quoniam, fide aliquid proponente, dolor aut amor naturalis exercere & producere poteſt ſuos actus. Etenim, ſi pœnæ infernales viſibiliter homini apparerent, pari prorſus modo amor ſui, vehementi excitatus pavore, pœnas iſtas exhorreſceret. Et quid quæſo magnum eſt corporis amare integritatem, & pœnas ejus abominari ? Ipſa peccata, & Dei offenſæ ſunt deteſtandæ, ut egregie dicit Auguſtinus : *Hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ : ſcilicet, ſi ideo non occidat, quia injuſtum eſt, etiamſi facere poſſit impunè, non ſolùm apud homines, ſed etiam apud Deum.* *Auguſt. in epiſt. ad Galat.*

Becanus, quantumvis ſervili huic dolori omnibus modis conetur ſuffragari, preſſus tamen quodam argumento, quod ſibi ipſi objicit Tract. de Sacram. in ſpecie, cap. 15 q 1. *Qui deteſtatur culpam propter pœnam, plus odit pœnam quàm culpam,* reſpondendo ſibi videtur contrariari, & ad noſtram deſcendere ſententiam: *Quamvis ille actu plus deteſtetur pœnam, quàm culpam: hoc tamen non obſtat, quò minùs poſſit alium actum elicere, quò magis deteſtetur culpam, quàm pœnam.* Ergo ſecundùm ipſum ad rectam attritionem, & debitam ac ſufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitionem, dolorem, actus ſecundus ſuperaddi debet primo, qui eſt ſupernaturalis, ortus ex deteſtatione culpæ & offenſæ, quod neceſſarium fore nos conſtanter aſſerimus.

Ægydius Coninck ſuam ſententiam palliat irrefragabili Concilii Tridentini authoritate, quod dicit ſeſſ. 14. cap 4. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm, non hominem facere hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus S. impulſum. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Attende Ægidi, concilium expreſſe definire, dolorem illum debere abſolute excludere omnem peccandi voluntatem. Ergò definit, illum nude & pure non poſſe perſiſtere in ſolo gehennæ metu, & peccati turpitudinis motivo, ſed ulteriùs ut progrediatur, neceſſe eſt, & feratur in Deum offenſum, & deteſtationem culpæ.

Quod probatur evidentiſſimè à ſummo illo Doctore S. P. N. Auguſtino propter ſolidam ſuam doctrinam à Pontificibus, & variis conciliis tot honorificis decorato elogiis. Audi, ipſe expreſſe hujuſcemodi dolorem non excludere peccandi voluntatem aſſerit : *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem times. Nam ille timor, ne in ignem mittaris cum diabolo, non eſt caſtus, non enim venit ex amore Dei.* Et ſerm 18. de verb. Apoſt. cap. 7. *Cum ideò adulter eſſe non cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno, nondum laudandus es, non quidem ita dolendus, ut ante, ſed tamen nondum laudandus. Quid enim magnum eſt timere pœnam?* Dic mihi obſecro nonne vi naturæ, & proprio inſtinctu latro deteſtatur commiſſa latrocinia, fur furta, & homicida homicidia, quia ſibi parata cernunt ſupplicia? Facta diligunt, ſed pœnam averſantur. Similes nec voluntatem habent deſerendi crimina, niſi in quantum perſeverant tormenta. Pariformiter hi pœnitentes, qui gehennam merè & ſimpliciter verentur, alieni non ſunt à voluntate peccandi, teſte rurſus Auguſtino : *Profectò in ipſa intùs voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore peccat.* Et clarius alibi : *Qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus eſt à voluntate peccandi.* Et epiſt 144 *Inimicus ergò juſtitiæ eſt, qui timore non peccat, amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare.* Et rationem ſubjungit alibi : *Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere, ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum, ſicut gehennam odit.*

August. tract. 9. in epiſt. Ioan.

Aug. l. 1. ad Bonif.

Aug. lib. de natura & grat. cap. 57.

Magnam inter timorem ſervilem, & timorem caſtum, ſive filialem S. Aug. agnovit differentiam dum ait : *Eſt timor, ne patiamur pœnam : eſt alius, ne amittamus juſtitiam. Timor ille, ne patiamur pœnam, ſervilis eſt, ille timor nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet, timore facit, quidquid boni facit, non timore admittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum.* Et de ſervili tractans ait, *Servilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere ; timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere.* Et epiſt. 120 idem affirmat : *Timor ſervilis eſt, quo cum ſe quiſque ab opere malo abſtinet, pœnâ terretur ; non juſtitia delectatur. Timor caſtus eſt, quo timet anima, ne Deus eam deſerat, etiamſi nullis cruciatibus puniat.* Et concione 25. Pſalmi 118. *Timor namque iſte,* inquit, *quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna : ſervilis eſt. Timor autem caſtus, qui hunc timorem foràs mittit, peccare timet, etiamſi ſequatur impunitas.* E pulcherrimè idipſum aſſerit in Pſalmum 127. ad peccatorem clamans : *Si Deus veniens, voce propria loqueretur nobis : & diceret homini : peccare vis, pecca : fac quidquid te delectat, quidquid amaveris in terra, tuum fiat. Abundent tibi omnia iſta terrena, quæ concupiſti, & vive in illis, non uſque ad tempus, ſed ſemper, faciem tantùm meam nunquam videbis : fleret & gemeret timor caſtus, & diceret : imò tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret : Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret unam petii à Domino, hanc requiram. Quid? ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Quid ſi propter terrenam felicitatem? Audi, quod ſequitur : ut contemplar delectationem Domini.*

Pſal. 127.

Ser. 18. de verbis Apoſt. s. 9.

Verùm, nè forſitan ex jam dictis quiſpiam eruat, me actum hunc, ut malum condemnare: perplacet ex S Aug. aliquot teſtimonia adjicere, quibus timorem ſervilem à quàm plurimis bonis effectibus multùm commendat. In primis namque hominem à peccando deterret, ſicque bona ſcientia reſervatur. Et quantùmvis timor ſervus ſit, & charitas libera : attamen ſervus præcedit in corde hominis, & retinet charitati Dominæ venturæ locum. Serm. 214. de tempore ait Auguſt. *Cum timetur pœna, quam minatur Deus, diſcitur amore præmium, quod pollicetur, ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe, qui ſemper vult eſſe ſecurus. Vt enim dicit Ioannes : timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Et Pſalm. 127. *Homines habent timorem, & per timorem, continent ſe à peccato, cum autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum eſt amari, & dulceſcit Deus : & jam incipit homo juſtè vivere, propterea, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* Et multo luculentiùs timorem ſervilem à vitio & culpa excuſat ſerm. 18. de verbis Apoſtoli cap. 8. dicens : *Timor iſte, quo gehennam times, & ideo mala non facis : continet te : & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit : eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, littera eſt minans,*

nans,

nans, nondum gratia adjuvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniat charitas. Intret in cor tuum, & quantùm illa intret, tantùm timor exit. Timor id agebat, nè faceres, charitas id agit, nè velis facere, etiamsi impunè possis admittere. Et timendam esse pœnam expressè docet magnus hic Doctor serm. 13. de verbis Apostoli cap. 13. *Qui adhuc ideo benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum est inter filios: utinam tamen, vel pœnam timeat! timor servus est, charitas libera est: & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, & præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. Fac, fac, vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.*

Concludo itaque verum fore, quod jam jam dixi, nimirùm actum illum aliquid sibi annexum habere bonitatis, quia est custos malorum, ut abstineant sese homines à peccatis, & abstinendo digni sint ad se accipere charitatem. Timor servus est, charitas libera est: præcedit servus in corde humano, præparat & servat Dominæ charitati locum. Non itaque timorem servilem, ut inutilem rejicimus (quandoquidem S. August. asserat Psalm. 117. *Timor servilis bonus est, & utilis est*) sed eum nudè secundum se ad debitum pœnitentiæ Sacramenti dolorem esse sufficientem asseveranter negamus. In supradicta de dolore irrefragabili doctrina patri tenaciter adhæret fidelissimus filius S. Thomas à Villa-Nova. *Dicitur dolor,* inquit, *de peccato, non de damno, vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine, & vilitate peccati. Sed dolendum est de peccato prout offensa Dei: sic, ut etiamsi nullum incommodum è peccato proveniret, neque aliquis esset infernus, aut judicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus.*

Greg mag. 3. p. Past. curæ adm. 14. Augustino quoque suffragantur quàm plurimi tùm Scholastici, tùm S S. P. P. Gregorius Magnus ait: *Neque in hoc suppliciorum timore permaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat spiritus timoris.* Cui adstipulatur solemnis Scotisticæ scholæ author Scotus: *Scotus in 4 dist. 20. q. unica concl. 2.* *In 4. dist. 13. q. 1.* *Ad veram pœnitentiam, sivè intrinsecam sivè ad dignam susceptionem non oportet solùm timere judicem, sed diligere.* Et rationem subnectit, *Arbitrii enim libertatem quærit, ut delere possit commissa: non necessitatem, sed charitatem: non timorem, sed amorem.* Dionysius Cisterciensis succinctè similes condemnat pœnitentes: *Pœnitudo interior est ex amore legis & justitiæ, propriæ offensæ voluntaria detestatio, in effectum vindictæ.* Et paulò post: *nisi quis ex amore legis & justitiæ pœniteat, & tantùm timore pœnæ, nihil sibi prodest. Nulla pœnitudo de culpa præcisè ex metu gehennæ est sufficiens ad salutem.* S. Bernardinus sic asserit: *Ex his apertè elicitur, quod, qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei.* *Bern. Sen. tom. 1.* Sacra facultas Lovaniensis damnosum hunc clarissime condemnat dolorem: *Art. 3. & 4* *Pœnitentiæ Sacramentum complectitur contritionem, confessionem, & satisfactionem. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus: præparat tamen terror & gehennæ metus ad veram animi contritionem: intelligitur autem nomine offensæ, non ira Dei, vel voluntas vindicandi, sed indignatio amoris, quo nos quasi filios & amicos specialiter diligit ad paternam suam hæreditatem.* His omnibus adstipulatur Soto dicens: *Soto q. 3. a. 2. in 4.* *Qui peccati, quatenùs offensa Dei est, non pœnitet, certè non convertitur, nam ad amicitiam resarciendam requiritur pœnitentia offensæ amico illatæ, reverà enim, qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.*

Sed quid tanta testium nube (& præsertim in materia hac, quæ magis Theologiam, quàm cathedram olet) tàm fundatam, tàm veram, tàm solidam obnubilare pergo doctrinam? Finem & coronidem imponat Doctissimus Martinus del Rio Societatis Jesu singulare lumen: qui lectione 29. de laudibus Deiparæ ait. *Vel odit, vel amat anima Deum, nihil est tertium: quare dicere, quod, qui Deum timet metu gehennæ, is nullo modo amat Deum: est dicere Deum odisse; hoc verò nihil aliud foret, quàm asserere, quod timor servilis sit, non modo malum secundum, sed malorum maximum. Nonne hoc foret viam sternere, & substernere Lutheranorum delirio?* Et lectione 30. inquit: *Tota timoris substantia bona est, quia tota consistit in eo, quod est timere pœnam, ut magnum malum, quod est rectæ rationi consentaneum. Attamen ab extrinseco quoddam maculosum & mendosum ei assuitur, vel potius decoris quiddam & ornamenti necessarii à prædone animarum detrahitur libera ingenuitas, non ex parte timoris, quâ timor est, sed ex parte hominis, qui timet: quia hic homo nondum planè convaluit, adhuc æger est. Non tàm movetur, ut Deo soli placeat, quàm, ut ipse malum effugiat; quod*

servi-

servilis est ingenii. Nonne satis clare del Rio? Quid vobis videtur?

Plura vellem dicere, si non deficeret tempus, & aliter hujus discursus exigeret requisita brevitas: quapropter hoc unicum addo, rogans, nè concionatores in cathedra rudi & indoctæ plebi biviam, dubiam, & incertam pœnitentiæ persuadeant se-
Anton. p. 4 mitam admoniti sancti Antonini Ord. Prædica-
tit. 14. c. 5. torum adhortatione: *Pœnitentes præcipuè in infirmitatibus gravibus oportet admonere, nè ad pœnitendum, & confitendum propter pœnas inferni, & Deum justum inferentem tales pœnas peccatoribus principaliter moveantur, nam inutilis esset iis talis pœnitentia.* Quod probat ex dictis cujusdam scholaris Parrisii externâ summis cum lacrymis pœnitentiâ ex hoc mundo egressi ei apparentis, & dicentis: *Pœnitentia mea, & lachrymæ illæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter timorem inferni, nè ad illum deputarer: & ideo mihi non valuere.*

Ex quo deducitur, quòd multi clament, & tamen muti sint ex eo, quòd Judas ratione D. Dolor
Ps. 31. v. 3. non præcedat. Unde iis illud Davidicum apposité potest appropriari: *Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea, dum clamarem totâ die.*

Verùm dic mihi obsecro, ô regie propheta! quis clamor est necessarius, quæ taciturnitas nociva, quæ ossium spiritualium, id est virtutum, causat inveterationem! Pro hoc nodo dissolvendo duorum specialiter enucleare oportet regum clamorem Davidis scilicet, & Saulis. De hoc 1. Reg. c. 15. dicitur, quod ipse ob præcepti Domini prævaricationem, intellectâ per prophetam Sa-
Vers. 23. 24. 25. 26 muelem justâ sententiâ: *Pro eo ergò, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, nè sis rex.* Confestim ingemiscens exclamarit: *peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta quæso peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum*: Nimirùm pro
Vers. 28. tàm abominandi delicti expiatione. Sed heu! quæ responsio? Auditores: *Ait Samuel ad Saul, non revertar tecum, quia projecit te Dominus, nè sis rex super Israel.* Atque stupendam ac mysteriosam tàm severæ & irrevocabilis sententiæ subnectit rationem: *Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.*

Hæc sanè primo intuitu non exiguam mihi parit sententia admirationem; quoniam contrà omnia suprà dicta directè militat, atque centenis, aperte videtur sacræ Scripturæ contradicere locis. Etenim ipsemet pius & benignus Dominus per Jeremiam ad homines peccatores clamat: *Re-* Ierem. c. 3.
vertimini filii revertentes, dicit Dominus: quia ego v. 14.
vir vester: & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et v. 22. *Convertimini filii revertentes, & ego curabo aversiones vestras.* Quomodò itaque audet dicere Samuel. *Non parcet, & pœnitudine non flectetur?* Attamen immutabilis manet sententia, & non obstante eo, quod Saul rursus, ut misericordiam obtineret, peccatum fuerit confessus v. 30. dicens. *Peccavi*, non est exauditus. Imò quam-
quis Samuel amare luxerit Saulem, ut testatur 1. Reg. c. 15
Scriptura vers. 35. *Verumtamen lugebat Samuel Saulem.* Nihilominùs omnis conatus, omnes preces in vanum. Dixit namque Dominus ad Samuelem: *Usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet super Israel?* Ubi tamen eadem ve-
ritas infallibilis per Jeremiam ait: *Si steterit Moy-* C. 15. v. 1.
ses & Samuel coràm me, non est anima mea ad populum istum. Id est furore delicta illius non puniam, sed misericorditer dimittam. O dura sententia! ô absconditum judicium! *Non parcet &c.*

Stuporem hujus non parùm adauget secunda, quam registratam comperimus de Davide, historia 2. Reg cap. 12. is demandato Dei per Prophetam Nathan admonetur & accusatur fraudulenti
homicidii, & abominandi adulterii: *Quare con-* 2. Reg. c. 12
tempsisti verbum Domini, ut faceres malùm in v. 9. 11. 13
conspectu Domini? Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Itaque hæc dicit Dominus: suscitabo super te malum de domo tua &c. Qui sua agnita fœditate, confestim deprompsit pœnitentiæ verba, humiliter Domini deprecans clementiam: *Peccavi Domino.* Sed attendite diligenter ad præsens institutum quid meruerit audire responsi. Ait Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris*, ah quæ differentia inter David & Saul! cum ille gratum accèpit judicium, hic vero duram reprobationis sententiam? uterque Israel rex, attamen rejicitur, ille accipitur: hic dumtaxat Achab regis Amalei misertus fuerat; ille duo detestanda commiserat scelera: hic bis ingemiscens clamat: *Peccavi*, ille tantummodo semel; nihilominus hic non exauditur, illi vero dicitur: *Transtulit quoque Dominus peccatum tuum &c.* O Domine! quàm inscrutabilia sunt judicia tua, & investigabiles viæ tuæ! quis hominum modò

non

non diceret te verè fore perſonarum acceptorem? rectum tamen Domine judicium tuum.

Ierem.c.? v.14. Nodum hunc diſſolvere oportet ex aliis ſcri-
Verſ.7. pturæ verbis regiſtratis 1. Neg. cap.16. *Dixitque Dominus ad Samuelem : nè reſpicias vultum ejus: neque altitudinem ſtaturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxtà intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* Latebat itaque intrinſecè aliquis pœnitentiæ Saulis defectus, & quamvis forinſecus ſincerus æſtimaretur dolor, attamen vitiatus erat eo, quòd peccatum ſuum non deteſtaretur ob Dei offenſam, verùm ob ſuam infamiam, undè dicebat: *1.Reg.c.15* *Sed nunc honora me coràm ſenioribus populi.* Et regni quoq; deperditionem; plus enim cor ejus percuſſerant hæc Samuelis verba: *Projecit te Dominus nè ſis Rex,* quàm divini mandati tranſgreſſio. Unde quamvis clamaret Saul *peccavi*, attamen obmutuit, quia ei tertia *Iudas*, id eſt *confeſſionis* ne- *C.15.v.1.* ceſſaria defuit littera, D. & debitus atque eſſentialis ad veniam impetrandam dolor quoniam ut rectè ait Auguſtinus; *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. In peccatoris igitur converſione eſt Dei operatio cor convertentis. Deindè actus fidei, & timor ſuppliciorum ex fide conceptus.* Neque hic ſiſtit Auguſtinus (quod attentè contrariæ parti eſt annotandum) ſed pergit: *Poſteà motus, ſpei de venia conſequendæ. Poſtremò actus charitatis, quo peccatum diſpli-* *2.Reg.c.12 v.9.11.13* *cet propter ſeipſum; & non propter timorem pœnæ.*

Davidicum *peccavi* permaximè diſſimile erat, quoniam nudè clamabat *peccavi*, ut Saul, ſed addebat *Domino*, nullum habens planè ad temporale reſpectum, ſed dumtaxat perponderans graviſſimam Dei offenſam, ideòque audire meruit ſummo cum gaudio & ſolatio *Tranſtulit quoque* &c. quod non obſcurè videtur ipſemet inſinuare
Verſ.19. Pſalm 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ad quod ait Hieronym. *Hoc eſt quod dicit, quotidiè egi pœnitentiam, totiès me conſolatus es. Vnam fudi lachrymam, unam merui conſolationem, decem fudi lachrymas, decem merui conſolationes, quantùmcumque fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit & conſolationum numerus.*

Sed dicet aliquis quo modo humanum cor peccatis induratum poterit emolliri, & ad tàm perfectum dolorem excitari? Audi, ô Chriſtiane! ſalutare à S. Thoma à villa nova conſilium. *Conſidera*, inquit, *Dei bonitatem, clementiam, & amorem ergà te, & multiplicem ejus beneficentiam & dona, quæ tibi dedit; quomodo te ſuſtinuit, & expectavit in multa patientia, quomodo pro offenſis multa dona dedit. Offenſus rogat, ut redeas ad illum: & conſidera tuam duritiam, pertinaciam, ingratitudinem, & pravitatem. Quàm malè reſpondiſti tàm bono patri, quomodo contemnis monentem, deſpicis vocantem, ſinè timore & verecundia pro nihilo habes illum offendere, & mille injurias facere.* Et infrà: *Hæc & ſimilia profundè conſidera, & ſi lapis non es, movebitur certè cor tuum, & molleſcet in lachrymas tantâ Dei bonitate, & tantâ ingratitudine, & malitiâ tuâ conſideratâ, & in meditatione tua exardeſcet ignis amoris, & doloris calore ſuccenderis. Etenim ſedula & pia conſideratio, utpotè efficax ad Dei amorem motivum ſervilem timorem contemnet, & filialem amorem cordibus noſtris imprimet.* *In Domini cumpaſſionis.*

Audiſtis auditores, & finio, valdè prolixè, & forſitan uſque ad tædium pœnitentiæ, & confeſſionis potentiam, atque neceſſitatem: percepiſtis, ut ſpero, & quomodò illa ſit facienda: intellexiſtis inter Davidis & Saulis *peccavi*, maximum diſcrimen, rationemque cur grata illius Deo extiterit pœnitentia, alterius ingrata. Adhortor itaque vos in viſceribus JESU Chriſti, ut imitemini Davidis veſtigia, & rectè clametis ad exauditionem, & non cum Saule vociferante obmuteſcatis ad perditionem, quatenùs debito dolore ex Dei offenſa excitato, cuncta obliterentur, & deleantur veſtra delicta, ut mereamini audire cum Davide, tranſtulit quoque Dominus tuam iniquitatem, atque ſic æternam adipiſci beatitudinem, quam vobis omnibus & mihi impertiatur miſericors Dominus Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA SECUNDA

Dominicæ secundæ quadragesimæ.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Lucæ cap. 4.

FULGENTISSIMUM illud ecclesiæ Romanæ jubar S. P. N. Augustinus lynceos subtilis ingenii sui oculos in varias abominandas, quæ in depravato suo ævo dominabantur, iniquitates conjiciens, ardentissimo ad proximum suum erudiendum instigatus zelo, omni studio, atque industriâ perniciosissimum omnium, quod in agro fallacis mundi disseminavit infernalis agricola, divino suo calamo exprimere conatur venenũ; quod nõ tantùm animæ est nocivum, verùm etiam corpori pœnibile. Quod, ut assequeretur, pro infallibili, atque irrefragabili statuit fundamento, mensuram impietatis, ac peccati gravitatis debitam, & justam debere desumi ex perniciosis ejus effectibus; etenim sicut causa à bonis laudatur, ita à malis vituperatur. Hoc posito, clamat illud fore invidiam ergà fratrem, & confestim à damnis, quæ infert, suam stabilit sententiam dicens: *Quia omnes virtutes concremat, omnia mala generat.* Et exaggeratis quàm plurimis malis ab invidia promanantibus, concludit: *Quidquid boni operis virescit in homine, pestis invidiæ perdit.*

Aug. serm. 18. ad Fr. in Erem.

Hæc Augustini doctrina videtur inniti communi omnium theologorum opinioni unanimiter asserentium, charitatem inter omnes virtutes tàm infusas, quàm acquisitas, tàm Theologicas, quàm morales, adinstar solis inter alia firmamenti astra eminêre. Et benè, quia, sicuti omnia astra suum lumen à sole emendicant, ita omnia opera moralem suam bonitatem à charitate participant, & sicuti sine sole ejusque influxu, cunctis viventibus necessario, inferiora suam deperdunt; ita quoque omnia hominum pia opera, nisi à calore charitatis foveantur, emoriuntur, atque languescunt, teste Apostolo: *Si habuero prophetiam: & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex hoc fundamento legitimam Augustinus elicit consequentiam; ergò, quò vitium aliquod magis contrarium est charitati, eò majorem in se continet malitiam, & violentius evomit venenum. De invidia verò ait Augustinus: *Ubi est invidia, amor fraternus esse non potest: quia, qui invidit, non amat. Et qui non diligit,* inquit Joannes, *manet in morte.*

1. Ad Corint. c. 13. v. 2.

Aug. to. 9. tr. 5. in ep. Ioan.

Idcircò Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas magistri sui Augustini insistens doctrinæ, invidiam maximum asserit fore mortale peccatum, quia directè opponitur charitati. Est enim capitale, quia ex eo plurima alia pullulant vitia. Primò *susurratio*, quâ quis studet clanculò alterius diminuere, imò quandoque extinguere gloriam. Secundò *detractio*, invidus enim occulta proximi sui revelabit peccata, plenâque buccâ propalabit, imò quod detestandum est! etiam falsa ei affinget, ut illius impediat promotionem, & ex eminentiori deturbet statu. Tertiò *gaudium in adversis proximi.* Quartò *afflictio in prosperis proximi*, invidus namque in confratris exultat damno, & in illius torquetur emolumento, teste S. Cypriano dicente: *Quot sunt prosperitates hominum, tot sunt tormenta invidorum.* Quod clarissimè quoque attestatur S. Augustinus? *Et reverà fratres, quod infelici viro præstat invidia, quem in secreto conscientiæ quibusdam ungulis livor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum illius facit, quam inquam, mercedem ex odio suo recipiet, nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mentis horrorem, qui vultu semper animoque mœrentium voto, quo vult alteri nocere, se cruciat, quem sævissimis exagitatum stimulis ab omni consilio & mentis sobrietate deturbat.* Et infrà ait: *Sicut enim ærugo ferrum, ita invidia ipsam*

D. Th. 2. 2. q. 36. art. 3

Cyprian. ser. de zelo livore.

Aug. serm. 83. de tempore.

animam,

animam, in qua est, interimit & consumit. Et sicut ajunt viperas, dilacerato & disrupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci, ita & invidiæ natura illam ipsam animam, à qua concepta est, & consumit & perdit.

Patet hoc luculenter in perfidis Judæis, qui Christi Domini veri Messiæ gloriosa cernens opera, manifesta miracula, præ rabie insaniunt, illaque irridēt & malevolâ linguâ student extinguere. Etenim, si si dæmonium ejiciat, id virtuti adscribunt diaboli: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Si aquam in vinum convertat, ei potatoris attribuunt nomen: Si populum rectam & veram doceat doctrinam, seductor nuncupatur. Si Capharnaum signa & portenta demonstraturus ingrediatur, incolæ invidi infami blasphemiâ, etiam ea cum proprio damno impediunt, potiùs volentes cæcos suos, claudos, mutos &c. retinere, quàm stupenda ipsius aspicere miracula. *Medice cura te ipsum.* Undè ait S. Ambrosius: *Dominus aspernator invidorum est, & ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ majestatis avertit.*

Luc. c. 11. v. 15.

Lib. 4. in Luc. c. 4.

Verùm, quia hoc pestiferum vitium à Pharisæis, & antiqui testamenti plebe promiscuè ad depravatum hoc descendit sæculum, idque inter Christianos passim regnat, & dominatur; in præsenti discursu conabor illius gravitatem, damnum, venenum, & invidorum tormentum paulisper pro viribus exaggerare: Pro quibus augendis unanimiter imploremus Spiritus S. gratiam per dilectam ejus sponsam Mariam, salutantes illam Angelicâ salutatione, Ave gratiâ plena &c.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

S. P. N. Augustinus mentis suæ oculos in abominandum hoc conjiciens monstrum, considerans que ipsorummet invidentium remorsum, atque internam inquietudinem, aliorum peccatorum excusat gravitatem, nimirum luxuriam ob delectationem, ac voluptatem, avaritiam ob aurum & argentum, ebrietatem & crapulam ob sensualitatem, ambitionem ob honores, atque dignitates diminuit. Verùm, nec micam; nec umbram delectationis, sed è contra, quàm plurimùm tormenti & vexæ in invidia comperiens, exclamat. *O invide! qui nunquam quiescere potes. An ignoras, quod omnis malitia habet aliquam felicitatis umbram? Sed tu ipsa invidia, nequissima pestis, tormentum sinè refrigeriò, morbum sinè remedio, laborem sinè respiratione, pœnam sinè intermissione, famam sinè saturitate habere videris.* Et concordat cum Augustino S. Cyprianus: *Mala cætera habent terminum; invidia autem jugiter permnens, & sinè fine peccatum.*

Horum S. S. P. P. conceptum egregiè attigit princeps Philosophorum Aristoteles dicens: *Cum multa in se mala habeat invidia, hoc solùm bonum habet, quòd maximum sit malum invidentibus.* Hesiododus Aristotelicæ subscribit opinioni, dum ait: *Invidia est pessimum quid, sed habet quoddam pulchrum in se, consumit enim invidentium oculos, cor, manus* &c. S. Gregorius pulcherrimum (non per ironiam loquor) eminenti huic vitio attribuit encomium, *Invidia æquissima & iniquissima.* Et rectè ac ingeniosè. *Iniquissima* juxtà insigne (modò ironicè, ob præclaros effectus illius elogium, quod ei adscribit S. Gregorius: *Invidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immitissimum convertit. Per eam mors venit in mundum, propter ipsam Abel est interemptus. David cædis periculum subiit, & quod summa rei est, maximèque detestabile, & Judæi Christum interfecerunt:* Juxtà illud Marci: *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.* Et pergit, laudi invidiæ quidpiam detrahere veritus S. Doctor: *Invidi adversâ aliorum fortunâ, ut Scarabæi alieno stercore nutriuntur. Æquissima* verò, quia propriæ iniquitatis est ultrix. *Nullus invidus,* inquit Augustinus, *ut alterum lædat, non sibi antè tormento est, pœnam peccati sui patitur, dum nocet.* Unde Augustinus quemlibet hominem conans à tanta avertere pernicie, vehementius in illam invehitur loco jam citato: *Reverâ fratres, quid infelici viro præstat invidia,* &c. Idcircò ridens & explodens abjectam invidorum naturam, & stupendam dementiam, ait in ipsorum solatium: *Vellem invidos habere oculos, & aures per omnes civitates, ut de omnibus profectibus torquerentur.* Rectè itaque concludo, quàm optimam fore S. Gregorii de hac peste sen-tententiam: *æquissima, & iniquissima.*

Gregorius Naz. ord. de seipso.

Marc. c. 15 v. 10.

Aug l. contra secundum c. 4. Aug. serm. 83. de tēp.

Verùm ea, quæ de invidiæ malitia succinctè dicta sunt, ejusque effectibus, ut luculentiùs cuilibet innotescant, operæ pretium est parumper prolixiùs de ea disserere. Exordior à scriptura Gen. cap. 4. Cain ob execrandum fratricidium à Deo misericorditer dumtaxat mulctatus è propria terra exilii, vehementer contra latam conqueri videtur sententiam dicens: *Omnis, qui invenerit me occidet me.* De quo non tantum ego,

ſed quàm plurimi exactiſſimi S. Scripturæ obſtupeſcunt interpretes. Etenim, qui poſſibile eſt, ut ille, qui unicâ ſolummodò fruitur vitâ: eam ſibi à quolibet obvio vereatur ademptum iri?

Ad hunc nodum diſſolvendum, aut labyrinthum evadendum, non abſonum fore judico priùs alium ſcripturæ locum pro Ariadnæ filo tantiſper enucleare, qui regiſtratur lib.1.Reg. cap. 22. Saul, neſcio quo inſtinctu in aulicos ſuos ſtomachatus, in aſperrima hæc prorupit verba: *Quoniam conjuraſtis omnes adverſum me, & non*
Verſ.8. *eſt, qui renunciet mihi, maximè cum filius meus fœdus inierit cum filio Iſai. Non eſt, qui vicem meam doleat ex vobis.* Quoniam nemo è tota ſcriptura tanti doloris & mœſtitiæ poteſt genuinam expiſcari rationem, niſi ex exitiali peſte invidia, quæ adeò jam Saulis poſſidebat animum, ut Textus
1.Reg. cap 28.v.6. dicat: *Porrò cùm reverteretur percuſſo Philiſtæo, David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael: & præcinebant: percuſſit Saul mille, & David decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte: dixitque dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum* ? Et paulò pòſt ſubjungit ſcriptura: *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David.* Et quid obſecro inde? Inſatiabile profectò in innocentem odium, & inſanæ ſubſecutæ ſunt perſecutiones, ut tantiſper ſcripturiſtæ evidenter conſtat. De hac tortura, de crudeli hoc tortore invidia lamentabatur Saul, & neminem ſibi eſſe ſolamini conquerebatur: *Et non eſt, qui condoleat mihi,*

Hoc ipſum malum intima cordis Cain torquebat viſcera; etenim, ſi contigiſſet eum in obvium quemdam incidere hominem felicem, invidiâ crepâſſet: ſi verò in miſerum, gaudio & lætitiâ exultâſſet: ſicque in bonis proximi triſtitiâ, & in illius miſeriis complacentiâ peccando, mortuus fuiſſet. *Anima enim, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Ita divinè hoc explicat S. Bonaventura in opuſculo intitulato ſalutis: *Comparatus invidus Cain de quo dicitur: omnis qui invenerit me, occidet me: invidum namque interficit omnis homo, quia, aut videt bonum in homine, & tunc dolet, aut malum, & ſic gaudet. Et ſic in omni homine peccat, & moritur per peccatum.*

Hinc Auguſtinus ſuſtinet Doctiſſimum Plutarchum optimè invidum comparare tigridi; quoniam tigris ex innata ſua natura nullâ dulcedine demulcetur, ut docent naturaliſtæ. Imò, cum omnia animalia quantùmvis ſæva utcumque ſuaviſono muſices concentu parumper manſueſcant juxtà Plinium, & Clementem Alexandrinum, aſſerentes cervum, ſerpentes &c. ſolo fiſtularum ſono à venatoribus capi, ſolæ tigrides muſicalis inſtrumenti ſuavitate ampliùs incenduntur, fiuntque crudeliores, imò in tantam aguntur rabiem, ut in ſe quoque vindicativæ, ſeipſas diſcerpant & dilanient.

Haud diſſimiliter invidus, dum felicia & proſpera de proximo audit, fortunamque ei intelligit ad nutum deſervire, triſtatur, & quod rectis corde placet, ipſum crudeliter torquet. Unde divinè ait Auguſtinus: *Invidus agit cunctis diebus vitæ ſuæ, intùs & extrà. Seipſum primò vulnerans, ſeipſum primò infeſtans, ſeipſum primo lacerans.* Invidus quoque optimè aſſimilari poteſt cuidam avi nominatæ Nibo in India valdè communi: quæ, ut ipſi rursùs docent, ſole ſplendente, ſerenâque exiſtente aurâ, in nido ſuo triſtis remanet, nubilo verò tempore, & tempeſtuoſo evolat, ſuavique ſuo cantu audientium aures demulcet. Etenim in proximi felicitate invidus gemit, & tacet, ſi verò tempeſtas ingruat infortunii, atque adverſæ fortunæ contrà eum, exhilareſcit, & ſummo cum applauſu cunctis luctuoſam ejus enarrat ruinam.

Poteſt quoque quàm optimè comparari invidus, ut ſentit S. Bonaventura, noctuæ. Audite illius verba: *Similis eſt invidus noctuæ, quæ de nocte videt, de die excæcatur: ſic invidus luce excæcatur, unde deberet illuminari, de nocte videt, quia oculatiſſimus eſt in videndis defectibus. Imò quod magis eſt, in cunctis aliorum invidus peſſimè interpretandis actionibus ſtudet. Invidus,* ſi Baſilio credamus, *Fortitudinem vocat audaciam: modeſtiam verò ſinè ſenſu hominem: juſtum immitem: liberalem, ut prodigum taxat. Domeſticè frugalem, avarum dicit. Etenim omnis virtutis ſpeciēm vicina vitiorū nomine convertit, nuſquā calumniā rebus laudatis deficiente.*

Unde de Attico narrat Pontanus, ipſum interrogatum, quodnam collyrium aptius, efficaciuſque eſſet oculorum perſpicacitati à Friderico Imperatore, ingenioſè reſpondiſſe: *Nihil invidiâ huic malo præſtantius æſtimaverim.* [Divinè id totum comprobat Auguſtinus in hunc Matthæi
locum: *Nonne hic eſt filius fabri? Non ſic nubes* Aug. ſerm. 48. de tēp.
cælum, nox diem, ſolem caligo, quomodò mentem cæcat & tenebrat invidia. Livor Iudaicus hoc probat, qui Chriſti ſapientiam miratur, virtutes ſtupet, attollit opera, dicta ſuſpicit & nè in ipſo divinitas videa-

videatur, Deitas sentiatur, carnalium parentum naturam commemorat ac divulgat. Et infrà: *hic est fabri filius. sed fabri non dicebant cœli & terræ, ut arte vili lateret Authoris & Deitatis nomen, & sub fabrili nomine absconderent.* His rursus adstipulatur Basilius, invidum vulturi & muscæ comparans: *Sicut vultures*, inquit, *ad malè olentia corpora, præteritis amænis & odoriferis locis, feruntur, & muscæ sana prætervolantes, ad ulcera festinant: sic invidi splendida, & magna, & præclarè facta ne intuentur quidem, sed putrida invadunt, & ut ærugo ferrum, sic invidia, quem infecit animum, consumit.* Hoc ipsum quoque Ethnici ingenuè fuêre confessi. Ut Themistocles, dè quo narratur, eum adhuc adolescentem, dum nondum aliquid præclari facinoris ostentârat, dixisse: *Nondum invideri sibi. Nam sicut cantharides vegeto maximè tritico innascuntur, & rosis pulcherrimè florentibus: sic invidia maximè invadit viros bonos.*

Dixi anteà invidiam intimè invidum cruciare. Sed vultisne scire quantùm? Ausim dicere plus, quàm intolerabilia inferni tormenta. Luc. cap. 16. mentionem faciens pœnæ damnatis infligen-
Vers. 25. dæ ait: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* In quo summoperè demiror; etenim cur ibi voraces non asserit fore ignis flammas, fœtores, tenebras, vermem conscientiæ &c. sed dumtaxat fletum & dentium stridorem?

Ad hanc difficultatem enodandam, operæ pretium erit divitis epulonis libellum supplicem in memoriam revocare. Hic præ ardenti nimiùm æstuans igne, totaliter sitibundus pro linguæ suæ refrigerio ad patrem Abraham sic exclamavit:
Vers. 26. *Miserere mei. & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quam petitionem maturè perponderans S. Chrysologus subtiliter notat tò *intingat*, & ait: *Mitte Lazarum, ut intingat, non, ut deferat aquam*: ex quo argumentatur, *ergò juxta te est aqua. Sed si juxtà te aqua, quare de proximo non sumis?* Sed passus infamem repulsam, aliam offert supplicam, inquit Chrysologus: *Rogo ergò te pater, ut mittas eum ad fratres meos. Antè dixit mitte ad me, modò dicit mitte ad fratres meos.* Sed cur tam instanter *Aug. serm. 48. de tẽp.*
Epulo Lazari è cœlo expostulat dimissionem? Ah invidia eum terribiliter torquet, pati namque non potest tantam pauperis & abjecti in sinu Abrahæ decumbentis felicitatem, & summam suam in æternis tormentis miseriam. Sic divinè explicat præfatus Doctor: *Dolet, ait infelix, ne videat felicem, quem aliquando viderat infelicem. Et sub* *Chrysolog. serm. 123.*
specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem primâ petitione ad suos devocare non potuit cruciatus. Et post pergit: *Ut video non est novelli doloris, sed livoris antiqui, & cœlo magis incenditur, quàm gehennâ.* Et hinc ait Evangelista, relictis aliis pœnis inferni, *ibi erit stridor dentium*, id est, summa invidia, quæ plus damnatos, quàm ipsemet ignis cruciabit, juxta illud Psalmistæ: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* *Psal. 111. v. 10.*

Et illud ipsum ipsimet ingenuè confitentur damnati; de iis enim ait Sapiens: *Videntes* (nimirùm aliorum felicitatem) *turbabantur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Hæc dixerunt in inferno, qui peccaverunt.* *Sap. c. 5. v. 2. 3. 4. 5.* Verùm quare de horrendis gehennæ flammis, aliisque ineffabilibus pœnis non conqueruntur miseri? Ah? quia vehementiùs torquentur alienæ felicitatis aspectu & invidiâ, quàm crudeli & formidabili ignis ardore. Hinc Deus ad tormentorum complementum damnatis ob oculos ponit prædestinatorum quietem ac securitatem. *Cum videritis*, inquit Lucas, *Abraham, & Isaac, & Iacob in regno Dei, vos autem expelli foras.* Ut testatur *Luc. c. 13. v. 28.* Cajet. dicens: *Ad cumulum damnatorum pœnæ adjicitur salus futura nationum mundi. Nihil enim sic invidum torquet & discruciat, quàm si felicitatem aliorum videat.*

Quapropter invidus tantâ exagitatur rabie, ut etiam cum proprio suo detrimento damnum proximo studeat inferre. Ad quod evidenter demonstrandū optimè quadrat sacra quædam è scriptura eruta historia, registrata lib. 1. Reg. cap. 5. ubi narratur, quomodo Philisthæi à populo Israelitico arcâ captâ usi fuerint, quidve de ea fecerint. Collocârunt illam primò in templo Dagon idoli sui, quod bis concidit & comminutum est, attamen, nec ideò eam conservare destitêrunt. Verùm, videntes Azothii continuò magis & magis manum Domini aggravari, ut ait Scriptura: *Et facta* *Vers. 7.*
est confusio mortis magna in civitate. Plagā & stragem communem veriti, exclamârunt: *Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est ma-*

nus ejus super nos, & super Dagon Deum nostrum. Sed obsecro ô curiosi auditores annotate! quò arcam remiserint? Inquit textus ipsos hoc super negotio maturum iniisse consilium: *Et mittentes,* Vers. 8. *congregaverunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se: & dixerunt: quid faciemus de arca Dei Israel? Responderunt Gethæi, circumducatur arca Dei Israel.* O insanum consilium! ô perniciosa suggestio! ô Gethæi, necdum ruinâ, strage, atque Azothiorum abundè satis edocti estis damno? parum est; videntur respondere, *circumducatur.* Sed quid indè evenit? Audite scripturam: *Illis autem circum-* Vers. 9. *ducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Ast quod notatu dignum, adhuc in sua persistentes pertinacia, arcam in Accaron miserunt, & tandem continuantem cernentes plagam, ad Israelitas.

Nunc quæro, cur obcæcati Philisthæi tot jam experti damna, citiùs ad Israel Dei, arcam non destinârint, sed iis non obstantibus, eam penes sese septem mensium spatio retinuerint? Ad hoc quæsitum dissolvendum, placet lepidam simulque stupendam commemorare historiam. Versabantur in aula potentissimi Darii Regis duo fideles ipsius aulici, quibus gratus princeps in prompti servitii mercedem desiderans gratificari, quodam tempore ambos ad se accersiri mandavit. Petiitque ab utroque, quod quilibet sibi impertiri cuperet beneficium. Hâc tamen adjunctâ conditione, quod primo eligenti unum dumtaxat, secundo verò duplum tribueret. V. g. si primus mille demandasset aureos, alter duo millia recepisset. Cumque hi, intellectâ Regis mente, inter sese diu fuissent altercati (erat enim uterque alteri invidus) quisnam primò suum aperiret desiderium, tandem unus in hæc prorupit verba: *Ego ô Rex expostulo, ut mihi mox dexter eruatur oculus*: de quo summoperè obstupefactus Rex, rogavit, quæ eum invaderet dementia? Cui ipse: *Hoc summo mihi est solatio, ac gaudio, me coclitem tantùm futurũ, & adhuc potentem intueri inimicum meum utroque orbatum oculo.* O pestiferum malum! ô exitiale venenum! ecce, quid crudelis hæc efficere possit bestia invidia. Etenim invidus proprium vilipendit, æquoque animo patitur damnum, dummodò majorem in inimico intueatur afflictionem. Unde Thales magni & rari ingenii vir, sciscitatus à quodam, *quo pacto adversæ fortunæ ictus quispiam ferat facillimè?* Acutè respondit: *Si inimicos videat deterius affectos. Tanta enim est invidiæ vis, ut omne nobis malum extinguat, si inimicum pejus habere intelligimus.*

Nunc capietis pertinacium & obcæcatorum Philisthinorum intentum. Experientiâ didicerant hanc mirificam Dei arcam stupenda sæpe sæpius in Israelis favorem ostentasse portenta atque prodigia; veriti itaque, ne forsitan jurato hosti par, & simile rursùs beneficium ex illius præsentia adveniret, maluerunt propriam stragem pati, quàm inimici prosperam fortunam intueri: *Circumdatur,* inquiunt. Hoc appositè sic explicat Josephus: *Qui hostibus invidebant, eosque tanto* L. de antiq Iud. *præsidio destitutos optabant, retinendam esse suadebant, tolerandaque propria damna, ne ex reditu arcæ hostibus immensa lucra provenirent. Hæc est enim invidentium natura, ut malint propria mala pati, quàm aliena bona intueri.*

Hoc apprimè corroborari potest ex quibusdam sacræ Scripturæ locis. Quorum unus registratur Matth. cap. 8. ubi legimus, quod Christo Domino intranti regionem Gerasenorum, occurrerint *Duo, habentes dœmonia de monumentis exeuntes sævi nimis, ita ut nemo posset pertransire per viam illam*: Vers. 28. Alter verò Marci cap. 5. ait enim Evangelista. *Occurrit,* scilicet Christo, *de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in* Vers. 2. *monumentis: & semper die ac nocte in monumentis erat.* Ad quod obstupefactus Chrysologus curiose indagat, cur infernalis hostis miseros homines in sepulchris, in quibus nil nisi fœtores, corrosa ossa & putrida caro reperitur, vivos quasi reconderet, & cur illos ad campos amœnos & spatiosos non deduxerit, sicque & ipse loci gratâ gavisus fuisset amœnitate. Ah respondet hic S. Doctor, hunc fœtum rursùs enixa est fatalis mater invidia. Ecce, ne homo bono aliquo fruatur, sed, ut malo torqueatur, mavult etiam ipse fœtores & maleolentiam sustinere. *Die ac nocte in monumentis erat, nam, ut invidus potiùs vult cum homine putredine & fœtoribus affici; quàm cum eo inter delicias versari.*

Quapropter Chrysologus attentè perpondetans inextinguibile diaboli in hominem odium, & execrandam invidiam, asserit indefatigatum ejus laborem, omnem industriam, qua miseras animas voracibus suis unguibus deprædari, & ad æternum deducere satagit præcipitium, ex ea, tanquam ex vero & unico fonte scaturire. Unde. annotatis his Patrisfamilias responsi verbis roganti- bus: *Domine, numquid bonum semen seminasti in* Vers. 27. *agro tuo? Vnde ergò habet zizania?* Matth. cap. 13. *Inimicus homo hoc fecit.* Divinè respondet: *Vt periret divina messis* Vers. 28. (scilicet ex superseminatione zizanio-

zaniorum) *sed hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? Nisi quod invidiæ spiritus hominum damnum, suum computet lucrum. & quod perierit hominibus, hoc æstimet acquisivisse.* Sed quantum diabolo invidia intulerit damnum, mox infrà ostendam.

Verùm quid ulterius tempus tero enarrando horrenda enormis invidiæ peccati damna? Etenim vel unica, pro notabili invectiva videtur sufficiens Doctissimi Demosthenis sententia dicentis: *Invidiæ prorsus indicium est malitiæ & vitii naturæ, nec excusationem habet, propter quam consequatur veniam hoc malo affectus.* Attamen quandoquidem à mundanis detestabilis hujus sceleris scabies speciosâ quandoque cooperiatur chirothecâ; non displicet (modò auditorio non sim fastidio) plura ejus depromere nocumenta.

In primis invidia sanguinem sitit etiam consanguineorum, quia istâ in tantùm invidi obcæcatur mens, ut omne damnum proximi sibi æstimet lucrum. Nonne annotastis in quantam rabiem iniquissima hæc bestia egerit filios Jacob in innocentem fratrem Joseph? Ecce eminus eum aspicientes, statim illius sanguini, ut furiosi leo-
Gen. c.37. v.19. nes, inhiantes ajunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Verùm primogeniti Ruben precibus liberatus, in cisternam veterem injicitur, tandemque Judæ consilio ex ea eripitur & Ismaelitis venditur. Ast quod maximè notandum est, tanta adhuc ipsis restat sanguinis sitis, ut etiam eam umbrâ & specie illius conentur extinguere,
Vers. 32. tunicam ejus in sanguine tingendo: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt.* Idque ut ex ejus intuitu miser pater, quia præ cæteris diligebat Joseph, acriùs affligeretur. *In speciem*, ait Basilius, *vestem compositam patris offerunt manibus, quasi nequeant sine sanguine invidiam extinguere.* Hinc Jacob cer-
Vers. 33. nens cruentatam tunicam exclamavit: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Et optimè sane, quia invidia crudelissima est bestia, quæ nemini parcit.

Plutarchus famosus historiographus de generoso quodam Reipublicæ Atheniensis duce commemorat, quod ipse post triumphalem in urbem ingressum, ob insignem reportatam de inimicis victoriam, atque debellatam civitatem *Sisto*, rogatus à senatu, ut coràm populo tam difficilem expeditionem, præliique successum enucleatè enarraret, seriè rerum recensita, gladio suo incubuit, sesèque propriâ manu necavit, in hæc prorumpens verba: *Colligo me invidiam acquisivisse per hanc victoriam: hæc non quiescet, nisi me mortuum videat. Gloriosiùs autem judico propriâ manu mori, quàm invidorum.*

Idem ad hoc propositum insigne refert Phocionis dictum. Hic à suis (quantumvis optimè de republica foret meritus) ad mortem condemnatus, jus judicii indagans, hæc protulit verba: *Iurene, an injuriâ occidere me vultis?* Ad hoc Senatus: *Respondemus, quibusdam videtur jure.* Ad quod divinè replicuit Phocion: *Quando modo hoc scietis, non cognita causa?* Verùm cum ipse obturatas judicum experiretur aures, propius accessit, altiúsq; exclamavit: *Ego fateor me injustè* (ironicè loquebatur) *egisse, & morte dignam fore meam reipublicæ admistrationem.* Sed asseclas nullius criminis reos (sicut nec illi sunt) indigitans condemnatos, subjunxit: *Istos verò cur occidetis, qui nihil deliquerunt?* O iniqua! ô infamis! & toti posteritati non tantùm ludibrio futura, sed maximo opprobrio sententia? vix certè eam ausus essem declarare (nisi me innocentia Phocionis, & quàm plurimorum etiam in moderno ævo commune illud, tum in Ecclesiasticis, tùm in sæcularibus urgeret vitium) attendite illam itaque Auditores: *Responderunt: quia amici tui sunt.*

Sed heu! quantùm dolendum est & plangendum, quod tam nocivum in hoc sæculum serpserit venenum? Fateor diabolus pater est invidiæ & hujus mali origo: sed insignes ubique & sedulos filios habet sequaces. Pro proba mea (ut brevior sim) aperiam status cujuslibet conscientiam. Nonne videmus & indies experimur, in omni statu à non interessato alterius arripi causam (quod tamen frequenter in extremum amati vergit detrimentum) ubi nulla contra tertium vindictæ aut inimicitiæ subest materia. Lex Christi habet: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē*
Christi. Et mundani è contra onus alterius humeris, alterius onere onustis superaddunt. *Ad Gal. c.6. v.2.*
Sed quæ æquitas? Quæ justitia? Ah! hujuscemodi respondebunt interrogati, quæ æquitas, &c.? Quare talem persequimini? Ad instar Phocionis judicum: quia amicus talis est.

Nec certè hoc vitium à claustro, clericatu & monachismo exulat, sed evidenter quàm maximè regnat. Unius enim causam, quamvis tamen non adeò grati, ob alterius invidiam assumere, etsi non judicem obvium, attamen arbitror non adeò rarum. Quod autem hæc bestia invidia (& quidem promiscuè) in aula regia dominetur, docebit nos miser & afflictus David, profugus à facie

Saulis,

Saulis. 1. Reg. cap. 29. ubi narratur illum, quantumvis Regis Achis percharum, ex aulicorum invidia ex aula fuiſſe ejectum. *Ait Achis ad Principes Philiſthiim : nonne ignoratis David qui fuit ſervus Saul Regis Iſrael, & eſt apud me multis diebus vel annis, & nunquam inveni in eo quidquam in die, quâ transfugit ad me , uſque ad diem hanc?* (Verſ. 3.) Quibus auditis regis de Davide encomiis, irâ ac furore accenſi ſunt ſatrapæ, & invidiâ contabeſcentes in innocentem vehementer inſurrexerunt, Regiq; perſuaſerunt, ut eum dimitteret. *Irati ſunt autem adverſus eum Principes Philiſtiim, & dixerunt ei : revertatur vir iſte.* Achis intellectâ hâc invidiâ, veritus forſitan perniciosâm eorum conjurationem, petitioni privatæ acquievit, etiam invitus. Ait enim Scriptura ibidem verſ. 6. *Vocavit ergò Achis David, & ait ei : vivit Dominus, quia rectus es tu , & bonus in conſpectu meo : & non inveni in te quicquam mali ; ſed ſatrapis non places. Revertere ergò & vade in pace.* (Verſ. 4.) O maledictum malum ! quod etiamnum in depravato noſtro ævo in Regum aulis quamplurimùm graſſatur. Nonne enim præ oculis indies videmus pios & rectos reipublicæ moderatores, & juſtos communium bonorum adminiſtratores ex invidia ab aula arceri, à ſtatu atque dignitate deturbari & fures, ſanguiſugas ac iniquos, qui publicum peculium in proprium vertunt commodum & lucrum, iis ſubſtitui, ſicque rempublicam corrumpi ? Res hæc adeò obvia & clara eſt, ut vix etiam cœcutienti occultari queat. Quæ damna maturè perpondeerans S. Thomas à Villa Nova in tam execrandam ſatyrico invehitur ſarcaſmate, ei quàm plurimas adſcribens veneficas qualitates. Placet ipſius verba ad amuſſim proponere. *Primò hoc peccatum,* (Fer. 6. Domin. Paſſ.) inquit, *diabolicum eſt & purum malum : nam alia vitia* (in quo fidelis cum patre Auguſtino concordat filius) *aliquod bonum prætendunt, licet inordinatè. Nam ambitioſus quærit honores : avarus divitias : lubricus voluptates : guloſus ſaporem : acedioſus quietem : & hæc omnia bona ſunt, ſi non nimis, & præter divinæ legis & rationis ordine quærerentur : ſed invidia pura malita eſt, nihil habens commodi, ſed tormenti plena : nihil ſolatii, nihil voluptatis, nihil habet bonum invidia, niſi quod torquet habentem. Secundò invidia eſt vitium infame & vile, non cadit in animum generoſum. Tertiò eſt vitium periculoſum, nam unus invidus ſufficit evertere unum populum : non enim cavetur, quia non ſentitur. In vidus nemini parcit Sic detrahit amico, ſicut inimico. Unde benè comparatur baſiliſco, qui ſolo viſu occidit. Habet enim viſum faſcinantem & oculum veneno ſum. Si te viderit lætum & proſperum , ſtatim detractionis virus oſtendit, etiamſi eum genueris.* Et infrà concludit : *niſi miſerum te viderit , non ceſſabit : ſola enim miſeria & paupertas cavet invidiam* Quod quoque confirmat Laertius : *Felicitas ſemper eſt ſubjecta invidiæ : ſola ergò miſeria caret invidiâ.*

Hanc impietatem lynceis ſubtilis ingenii ſui oculis perſcrutans Demoſthenes illam in tantùm exaggerat, ut eam omni veniâ & clementiâ indignam fore judicet. Audite ejus verba : *Invidia prorſus indicium eſt malitiæ, & vitii naturæ, nec excuſationem habet, propter quam conſequatur veniam hoc malo affectus.* Cujus doctrinæ ego quoque lubens adhæreo, & præcipuè, cum eam ſolido opinionis S. Bernardi fundamento comperio fulcitam, audeoque audacter aſſerere, invidiam, divinam non mereri miſericordiam ac benignitatem, illamque dico fore peccatum ad mortem de quo ait Joannes: *Non pro illo dico, ut roget quis.* (1. Epiſt. c. 5 v. 17.) Quia eſt quaſi irremiſſibile. Pro quo evidenter demonſtrando.

Operæ pretium eſt curioſam parumper ventilare difficultatem, quàm agitant SS. PP. ac ſacræ ſcripturæ Interpretes : nimirùm cur Dominus Deus erga peccantem protoplaſten in tantùm extiterit miſericors miſericorditer illum recipiens in gratiam : è contrà verò in Angelos rebelles adeò vindicativus, eos in æternas detrudens flammas. Quod apertè contrariari videtur veridico S. Pauli teſtimonio. *Deus non eſt acceptor perſonarum.* (Ad Rom. c. 2. v. 11.) Intricatior ſanè hæc eſt quæſtio , quam quis primâ fronte autumet ; pro qua enodanda quàm plurimi plurimùm deſudant. Communiter cuncti differentiam in minorem & majorem rejiciunt peccati gravitatem ; verùm quàm multùm laborant, ut praviùs Angelorum, quàm hominis peccatum fuiſſe oſtendant. Quidam enim malitiam Adæ delicti diminuunt propter humanam fragilitatem. Alii ex diverſitate adjutorii divini rationem expiſcari conantur. Sed horum rationes prolixè propoſui, & refelli concione de Feria 3. Quadr. ubi oſtendi, peccatum Adæ Angelorum delicto extitiſſe gravius. Vide locum citatum. Remanet ergò indiſſoluta quæſtio.

Ibidem quæſitum diſſolvi aliâ interpretatione. Modò ad præſens inſtitutum alio utar fundamento, quod mihi ſuppeditat Bernardus. Suſtinet hic S. Doctor Deum omnipotenti ſuâ manu in eminenti excellentia creatis Angelicis ſpiritibus, iis

ſtatim revelaſſe futurum myſterium incarnationis, illiſque verbum divinum uniendum humanæ naturæ adorandum commendaſſe. Verùm Lucifer cum ſuis aſſeclis ſuperbiâ inflatus, & invidiâ concuſſus, eò quod humanam naturam, angelicâ in perfectione longè inferiorem, ſupra omnes Angelorum choros elevatam & ſublimatam cerneret, contra divinum reluctatus eſt mandatum, & ſeſe humiliare recuſavit. Quæ iniquitas fatalis Angelicæ ruinæ extitit cauſa. Audite Bernardi verba: *Creatis Angelis, Deus Pater ſtatim oſtendit filium ſuum incarnandum, & eis omnibus obtulit adorandum, unde Lucifer ſuperbiâ tumeſcens, & invidiâ contabeſcens in hominem aſſumendum* (loquitur tantùm Bernardus de natura humana) *à filio noluit ſubjici, ſed ſeipſum æqualem facere appetebat Deo, & ideò meritò corruit, & ſic in diabolum commutatus eſt.* Quoniam invidia tantâ ſcatet malitiâ, ut ſalutiferum divinæ miſericordiæ obturet fontem. Et hinc eſt, quod ad æternum abſque ulla clementia detruſus ſit barathrum. Imò in tantùm inquit Chryſologus, contra hominem accenſa eſt invidia, ut maluerit in diabolum commutari, quàm cum homine, eo inferior, æternâ frui beatitudine & gloriâ: *Authoris lex refert, quod Deus hominem propriam creavit ad vitam. Quod homini terram juſſit proferre fructus ſpontaneâ ſervitute: quod beſtias, pecudes, armenta humanæ juſſit ſubjici poteſtati, ut homo laboris neſcius, doloris ignarus, beatas delicias poſſideret, ſed omnia hæc, ne haberet homo, Angelus, qui inter primos habebatur, invidit & maluit in diabolum commutari, ne hominem plenum gloriâ* (ſcilicet ſic ſuprà ſe elevatum) *videret.*

Chryſolog. ſerm. 148.

Audiſtis benevoli Auditores, potentiſſimam exitialis veneni invidiæ efficaciam ac mordacitatem: intellexiſtis ſpero horrenda ex ea animæ noſtræ promanantia damna; ſed modò pro coronide attendite & ruminate, ut tantam commoveamini execrari malitiam, tremendam Auguſtini ſententiam, qui invidum putridum Eccleſiæ & Chriſti veridicè conſtituit membrū, ac per conſequens, cum capite Chriſto in gloria non uniendum, ſed in perpetuum abyſſum cum diabolo comburendum. Verba Doctoris ſunt: *Ecce patitur aliquis tribulationem, aut damnum, in corpore Eccleſiæ conſtitutus es. Si non doles præciſus es. Si enim ibi eſſes, ſine dubio doleres. Conſiderate & diligenter perpendite, quia tam diu dolet membrum, quàm diu in corpore continetur; ſi autem abſciſſum fuerit, nec dolere poterit, nec ſentire. Talis eſt Chriſtianus, qui de alterius aut damnis, aut tribulationibus, aut morte, non ſolùm non dolet, ſed quod pejus eſt, fortè etiam gaudet. Et quia jam eſt alienus à corpore, ideo affectum charitatis non tenet in corde.* Et adjungens inſignem ad te, ô homo exhortationem, ut Chriſtiani recorderis nominis & officii, exclamat: *Nos autem ſi veram & perfectam charitatem volumus cuſtodire, omnes ſicut noſipſos ſtudeamus diligere: ut, quia caput noſtrum Chriſtus eſt, & membra ejus eſſe meruimus, cum Chriſtus apparuerit in gloria ſua, etiam & nos per concordiam charitatis, quaſi vera & perfecta membra illius, abſque ullo dolo mali vel invidiæ, omnes homines ſicut nos ipſos amantes, cum ipſo mereamur apparere in gloria.* Quod cunctis concedat, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

FERIA TERTIA

Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ.

Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Matth. cap. 18.

Celeberrimus ac famoſiſſimus orator Claudius in quadam de Glibrio panegyrica oratione, poſteritati laudabilem Romanorum reliquit conſuetudinem. Hi (ut ipſe refert) ad excitandos ad virtutes, ad politiæ ſcientiam, aut ad militaris paleſtræ peritiam juveniles nobilium animos, pro more habebant quemlibet condignâ pro meritis & ſtrenuitate condecorare coronâ. Et uti ea varia erant, ita & illa Prima nominabatur *triumphalis*, quâ ſolus inſigniebatur ipſe-

ipſemet imperator, aut belli dux, inſigni & notabili contra hoſtiles phalanges parta victoria, triumphalē in urbem Romam celebrans ingreſſum. Secunda *obſidialis,* quæ attribuebatur iis militibus, qui proprio ſanguine, generoſa conſtantia, atque invicta patientia obſeſſam civitatē è faucibus hoſtium eripuerant. Tertia *muralis,* quâ donabantur illi, qui primi fortalitii, aut propugnaculi cujuſdam perfregerant muros, ac ſuprà eos militare Romanorum erexerant vexillum aquilâ inſignitum. Quarta *caſtrenſis,* quæ dabatur illis, qui animoſâ audaciâ imperterriti hoſtilem in cruento certamine diſſipârant exercitum. Quinta *navalis* legitima deſtinata merces illis, qui adverſarii naves audacter aſcenderant, & ſumma inimicorum ſtrage interceperant. Præter jam enumeratas, inſuper Roma coronâ utebatur *civicâ,* deſerviente in honorificum elogium cuidam civi, qui concivem charitativè à morte, & à magno vitæ diſcrimine liberat.

Modò notatu dignum eſt, quod quinque primæ coronæ, juxtà præfati authoris receptum teſtimonium, confectæ eſſent ex puriſſimo auro, pretioſis gemmis, atq; raris unionibus intertexto, quorum pretio, & valore, tanquàm juſta mercede, heroica militum facta Romani ſatagebant remunerari, eoſq; ad validiora perpetranda excitare. Sola autem *civica* è vili ligno exciſa erat. Cujus differentiæ genuinum nunquam imbecilli meo ingenio aſſequi potuiſſem fundamentum, niſi illud ſuo lumine Doctiſſimus illuſtraſſet Plinius. Qui ſuſtinet Romanos hoc facto innuiſſe, cætera omnia ſtrenua atque nobilia opera juſtè & æquivalenter corona aurea poſſe recompenſari, verùm in univerſi mundi viſceribus impoſſibile fore adinvenire tam pretioſum munus, quod ei ex rigoroſa juſtitia ſatisfaceret, qui ex pura charitate confratrem ſuum è corporalis mortis diſcrimine erueret. Ideòque illud præmium prudenti Deorum ſuorum deſignandum relinquebant judicio: in quorum theſauro credebant deliteſcere inæſtimabilem margaritam, pretioſamq; coronam, qua condecorari decebat hominem tantæ virtutis. *Cum reliquas* inquit Plinius, *coronas auro commendarent, ſalutem civium in pretio eſſe noluerunt.*

Plinius l. 16. c. 5.

Ex hac magna Ethnicorum cœcitate irrefragabilem & Catholicam *à minori ad majus* eruo concluſionem, innixam divinæ & notatu dignæ S. Gregorii doctrinæ ſic argumentantis: *Si magnæ mercedis eſt eripere carnem à morte, quanquam morituram; quanti eſt meriti à morte animam liberare in cœleſti patria ſine fine victuram?* Verùm quodnam congruum ſupereſt peccatoris animam lucrandi & ab æterna morte eripiendi medium? Audi ô Chriſtiane, & attende Chriſti dictum: *Si peccaverit, &c. Vade & corripe, & lucratus eris fratrem tuum.* Et ecce tam pio & heroico actui non convenit pro juſta mercede corona temporalis, ſed neceſſaria a S. Jacobo judicatur æterna: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.* Occaſione hujus Evangelii hodierno die oſtendam correctionem fraternam debitis conjunctam circumſtantiis fore neceſſariam & meritoriam æternæ gloriæ. Quod antequam exordiar, obnixè obſecro, ut mecum Spiritus S. imploretis gratiæ ſubſidium per potentem D.V. Mariæ interceſſionem dicentes, *Ave gratia plena.*

Greg. hom. 26. in mor.

Iacob ep. c. 5. v. 20.

Si peccavit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.

PRiuſquam de propoſita in prœmio meo incipiam diſſerere materia, non abſonum, verùm è contrà neceſſarium judicavi (ſalvo meliori judicio) tantiſper hujus præcepti ſubſtantiam ſedulò inſpicere. Et præcipuè, dum diverſas de hac reperio ſententias, e quarum falſitate mihi apparet veritas. Primam in mundo ſtabilire ſatagunt mundani & libertini, in ſchola apprimè edocti diaboli: aſſerentes præceptum hoc, *ſi peccaverit &c. Vade & corripe* non eſſe abſolutum, & correctionem fraternam non eſſe præcepti, ſed dumtaxat conſilii, quæ iniqua & fallax opinio veneni ſui exitiali virtute tantam jecit radicem, ut ad alia quoque Dei præcepta ineptè ſerpat. Dicunt namque etiam Chriſti mandatum, inhibentis contra inimicum vindictam, non præcepti, ſed conſilii tantùm fore: *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Verùm quàm protervè diabolica vos Dominos ſcholares, confratres Cain & Phariſæorum decipiat & eludat impreſſio, vel ipſi judicate.

Dicite mihi obſecro, ô periti mundi academici! ſuntne aliquæ divinæ leges, ſive monita de præcepto, an tantummodò de conſilio? De præcepto, reſpondebitis indubiè quaſdam eſſe. Modò ſic arguo: unde colligis hoc mandatum: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: honora patrem & matrem: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* fore præcepti, & illud *corripe, &c. Et ego dico tibi, &c.* Tantùm conſilii? Profectò, ne micæ quidem ſolidi ſupereſt fundamenti. Quod ſi forſitan dicatis, id ex eo patere, quia præallegata mandata ſunt juris naturalis, attamen mox refellemini per rejectio-

ctionem istius sententiæ, quæ sustinet proximum proximum, fratrem fratrem, consodalem consodalem non teneri, nec obligari juxtà regulas justæ correptionis corrigere vi legis naturæ, verùm tantummodò vi legis charitatis. De lege charitatis non est, qui dubitet. De lege naturali probatur authoritate D. Augustini, & fidelissimi ejus sequacis Doctoris Angelici: *Licet autem præceptum sit naturale, quod semper omnes obligavit admodum, &c.*

August. serm. 16. de verb. Domini. D. Thom. 1.2 q 35. n. 2.

Hanc veritatem evidenter & fundamentaliter videtur eruere Apostolus ex analogia Ecclesiæ corporis mystici & naturalis (ut rectè tenet Doctissimus Lanuza fundatus in doctrina Pauli: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*) etenim quid naturalius, quàm ut, si pes spinâ offendatur, si caput baculo contundatur, oculi pulvere aut minusculis animalculis torqueantur, manus membris læsis illæsa succurrat, spinam pede eruendo, capiti salutare emplastrum apponendo, oculos fricando, & sic de cæteris. Quia ut ait Apostolus: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Cur itaque ô Christiane! contra naturam mysticum negligis, non corrigendo fratrem, corpus, cujus caput est Christus, & tu membrum? Hoc neutiquam credo à sano Christiano posse approbari judicium (de quo parumper latius in hoc discursu) quare ergò rursus repeto, in procuranda confratris & proximi tui salute, adeò ô Christiane es incurius? Mihi nihil rationis dari potest, nisi academiæ infernalis politia, & in ea approbata Caini responsio Deo interrogati: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Ego replico, nonne manus tua est custos pedis, cruris, cæterorumque membrorum corporis naturalis? Sic est inquis; quia unum membrum pro sui conservatione alterius indiget adjuvamine. Rectè dixisti: sed in cura mystici corporis membri infamiter errasti. Audite ô Auditores! quid dicat summus ille Ecclesiæ Doctor Augustinus: *Tu vulnus fratris tui contemnis, tu eum vides periisse & negligis, pejor es tacendo, quàm ipse convitiando: quod ergò aliquis in nos peccet, habeamus magnā curam, non pro nobis, sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui.* Dissimulatio enim absque justa quandoq; ad tempus ratione directè repugnat charitati, teste rursus Augustino: *Emendet me in misericordia justus, & arguat; oleum autem peccatoris, quo impinguatur caput ejus, absit à manibus atque oculis tuis, id est, vel assentatio indecens adulantis, & deceptoria lenitudo blandientis. Quod si emendare negligis, cum videas emendandum: adversus charitatem facis.* Et tamen ut rectè ait Joannes: *Qui non diligit manet in morte.*

Ad Rom. c. 12, v. 2.
1. Corinth. c. 12. v. 16
Augustin. 16. de verb Domin.
Aug. tom. 7. l. 2. de orig. animæ c. 3.
Ioan. c. 3. v. 14.

Verùm heu! virtus hæc adeò animæ saluti necessaria (ut severam in contravenientes Deus per Prophetam Ezechielem pronunciet sententiam, *si non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia: sanguinem ejus de manu tua requirā.* Tam alto sopita est silentio, tam atro occulitur cinere, ut vix illius eluceat splendor, sicque universus mundus densis involvitur tenebris, unoquoque adinstar Pharisæorum Judæ peccatum confitenti respondentium, dicente: *Quid ad nos? Tu videris.* Quam damnosam in Christiana republica incuriam accuratè perponderans Augustinus ait: *Dicit homo, quid est mihi curare peccata aliena? Sufficit mihi animam meam integram servare Deo.* Sed audi, quid subjungat: *Eja non tibi venit in mentem servus ille, qui abscondit talentum, & noluit erogare? Nunquid accusatus est, quia perdidit? Non, sed quia sine lucro servavit?* Itaque non satis suæ, sed etiam proximi satagere opus est salutis. Sed utinam tantummodò diceret homo, *quid mihi est curare peccata aliena? &c.* Eorum enim notitiæ diligenter invigilat, & supinè dormit, ut corrigat.

Ezech. c. 3. v. 18.
Matth. c. 27. v. 4.
Aug. loco citato.
Vers. 8.

Hæc verba Augustini jam prællegata me acriter instigant, ut mysticum cujusdam sacræ Scripturæ loci indagem sensum registrati 2, Reg cap. 5. ubi dicitur: *Cæcus & claudus non intrabunt in templum.* Mirum enim mihi apparet miseros cœcos & claudos à templo, id est, ab æterna beatitudine & paradiso, ut interpretatur S. Cyprianus, arceri; defectus enim naturæ animæ culpam non induit. Et sane dicetne aliquis Isaac cœcum, Jacob claudum à regno cœlesti esse exclusum. Hoc mehercule asserere foret temerarium & sanæ fidei repugnans. Quid itaq; sibi hæc volunt verba; *Cæcus & claudus non intrabunt in templum?*

Pro discooperiendo abscondito, quod sub illis latitat, mysterio, operæ pretium est in alium scripturæ locum adhuc magis intricatum oculos conjicere, illumque justa trutinare bilance. *Isaias* Propheta c. 43. volens universo mundo evidenter declarare, quisnam hominum indignus æternâ censeatur felicitate, ait: *Educ foras populum cæcum & habentem oculos.* Sed heu! quid est hoc? Ergòne omnis homo damnabitur cœcus & videns? Hujus difficultatis nodū facile dissolvemus, si relicto rudi litteralis interpretationis cortice ad mysticum

Vers. 8.

sensum progrediamur. *Educ foras populum cœcum*, id est, eos, qui vident fratrem suum in æternam præcipitem cadere ruinam, & tamen cæcutiunt, dissimulando nimirùm illius peccata, tacent, nec corrigunt. Educ foras iniquos judices, qui Argi sunt in pauperum & plebæorum perlustrandis erroribus, & prompti in iis castigandis; cæci verò sunt in magnatum vitiis discutiendis. Educ superiores, qui subditorum delicta ob respectum aliquem humanum, aut vile interesse cæcè transeunt, & ea non puniunt. Educ parentes, qui insano filiorum obcæcati amore, aut eorum depravatos mores non cernunt, aut si cernant, illos, ne fortè affligerentur, non reprehendunt, qui tamen tantam eos piè educandi habent obligationem. Educ habentes oculos, id est perversos & impios, qui aliena peccata lynceis inspiciunt oculis, eaque sedulò indagant, non, ut fratrem corrigant, sed ut ei infamiter detrahant. Hi enim æterno digni sunt barathro, non cælesti excipiēdi regno. Ex hoc jam patet solutio ad primum punctum primi loci: *Cæcus non intrabit in templum*.

Sed quid de claudo dicemus? Quid enim deest misero claudicanti? Nunquàm annotâstis curiosi, quodnam primum fuerit, quod Petrus perpetravit miraculū? Constat hoc ex cap. 3. Act. extitisse basium cujusdam claudi ante portam templi speciosam jacentis consolidationem: *Petrus autem*
Vers. 6. 7. *dixit: aurum & argentum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do; in nomine IESV Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensâ manu ejus dexterâ, allevavit eum, & protinùs consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.* Verùm quare initium signorum Petrus à claudi curatione incēpit, & cur secutus magistrum suum Christum primò aquam in vinum non convertit? Hoc enim nec suo carêre autumo mysterio.

Nôrunt Philosophi Aristotelem Athenis famosam illam erexisse scholam vocatam Peripateticam: unde & ejus discipuli appellabantur Peripatetici, id est, ambulantes. Quapropter ad eam non admittebatur claudus. Quo innuebat Aristoteles, studiosum celeriter studiis debere invigilare. Petrus erat constitutus magister Christianæ scholæ, & caput Romanæ Ecclesiæ; sanat itaque primò claudum, significans neminem huic esse aptum, qui segniter suæ & proximi satagit salutis. Claudus ergò non intrabit in æternam requiem, id est ille, qui evidens fratris sui animæ intuētur discrimen, & tamen ei scelera & peccata ob oculos ponere formidat, corrigere differt, sicque miser sæpe sæpius frater subitaneâ correptus morte in æternùm damnatur. Non sic impii, non sic. Audi Christum inculcantem, *Vade & corripe*. Ne suspendas gradum, ne moram injicias, festinatione est opus. Vade, vade, imò curre, & divinâ assistente gratiâ, animam ejus lucraberis pretioso Christi sanguine redemptam.

Christus, dum discipulos suos misit per universum mundum ad disseminandum Evangelicæ doctrinæ semen, & gentibus deprædicandum verbum Dei, expresse inhibuit, ne calceati incederent: *Nolite portare neque sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Imò quod magis est, mandat, ne aliquem obvium officiosè salutent: *Et neminem per viam salutaveritis.* Simile quid reperio 4. Reg. cap. 4. Eliseus mittit Giezi famulum suum ad resuscitandum viduæ Sunamitidis unigenitum: additâ hâc admonitione: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* In quo profectò etiam latet mysterium. Sed quod? Ah tractatur utrobique de animæ salute, ibi totius mundi, hic pueri, hominem spiritualiter mortuum repræsentantis. Quia itaque calcei impedimento sunt celeriter incedentibus, salutationes expeditioni ac accelerationi injiciunt moram, vult Deus, ut omnis moræ ansa præcaveatur. Tanti enim momenti est unicæ animæ salus, ut omnis rei creatæ pretium antecellat. Audite Chrysostomum: *Nihil est, quod animæ comparari possit, nec universus quidem mundus apud Deum, visibilium nihil homini par: & cœlum, & terram, & mare propter eum fecit, & in eo plus delectatur, quàm in cœlo.* Eja igitur ô Christiane! dum ruinam confratris videris, noli desistere à correctione salutari, omnem morā rumpe, ecce mortuus est frater tuus, vade, corripe & resuscita eum, ne tibi tanquàm claudo æterni regni inhibeatur aditus. Juxtà datam contra charitatem fraternam peccantē sententiam: *Si non annunciaveritis* &c.

Luc c.10. vers.4.

4. Reg. c.4 vers. 29.

Chrysost. hom. 3. in Epist. 1. ad Corinth.

Pro intento meo comprobando, rectè in manum incidi S. Chrysostomi, qui duo irrefragabilia pro illo exaggerat argumenta, quæ solidæ non tantùm in Evangelico ac libertatis, sed & Judaico & servitutis statu, naturalis legis & charitatis innituntur basi. Sic arguit ad te clamans: *O ficte adulator, aut timide dissimulator: dic obsecro, nonne cum vides fratrem per præceps ferri, manum ei porrigis? Nonne reprehendis & arguis? Et in his majoribus credis non offendere, & non haberi pro inimico, quàm salutis ejus curam habere? Et quam habiturus es apud Deum veniam, vel quam defensionem?* Huic argu-

Chrysost. hom. 1. ad popul. Antioch.

argumento pro fortiori robore adjungit aliud, extractum è sacra & infallibili scriptura: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinū odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum.* Hæc lex etiam tempore legis duræ statuitur, & legi gratiæ quis Christianorum obsistet, præcipue cum audit clamantem Christum cunctis vetas pro anima proximi salvanda charitatis præscribentem regulas juxtà illud: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, vade & corripe.* Non est hic de asino aut de bove salvando quæstio, negotium majoris urget momenti. In summo æternæ damnationis anima versatur periculo, accurre obsecro, manum suppone, exhortare lapsam ad erectionem: quoe si renuas ô Christiane! attende, & bene perpende aurea S. Chrysostomi simulatum, timidum & vecors tuum cor ad fraternam correctionem commoventis verba: *Nonne audisti quod Deus Iudæis præcepit, nempe nè errantia inimicorum jumenta despiciant, & lapsa, nè pereant? quod cùm Iudæis præceptum nè inimicorum bruta contemnant nosnè fratrū animos, qui quotidie supplantantur, despicimus? Et quomodò non est summa inhumanitas & ferina crudelitas, nos non tantùm curæ hominibus impendere, quantùm alii jumentis?* Et in Christianorum confusionem & vituperium meritò subnectit: *Hoc est, quod omnem ordinem evertit.*

Exod. c.23 Vers. 4.

Ad Gal. c. 6. v. 1.

Tertium argumentum, nec prætactis minus efficax, tangit Thomas noster à Villa-nova attentè ruminans illa S. Joannis verba: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo?* Ex his enim deductâ eleemosynarum necessitate, & divitum in pauperibus sublevandis, stricta obligatione: à minori ad majus sic arguit: *Nolo tamen putes, eleemosynam solâ pecuniâ, & exterioribus munusculis æstimari: quid enim est eleemosyna, nisi subventio pauperis propter Deum? Anima plùs est, quàm corpus, & animæ necessitas quàm corporis major est: & ubi major indigentia, ibi potior eleemosyna. Si subvenire corpori perituro eleemosyna judicatur, quantò potiùs animo in æternum victuro, nè pereat?* Et ad hanc cunctos strenue adhortans virtutem subjungit: *Corripe fratrem, obsecro, increpa, argue, adjuva, cohibe à peccato quantum potes, consule doce, carpe, ut à peccatis resurgat, & optimam coràm Deo eleemosynam tribuisti.*

Ioan. c.8. Vers. 4.

Th. à Villa nova conc. de S. Martino.

Verùm proh dolor! hominis in proximi animæ salute procuranda, in tàm præstanti elargienda eleemosyna segnities & incuria à tempore D. Thomæ ad maledictum nostrum ævum insensibiliter serpsit, & visibiliter nocet. Audite quàm amarè hic S. hanc Christiani deploret negligentiam. *Sed heu! animarum nulla cura, nulla memoria est, si cæcum viderimus in foveam irruentem, perhiberemus eum, invitumque etiam & renitentem à præcipitio removeremus. Quotidiè animarum præcipitia videmus, & nemo est, qui moneat, nemo est, qui teneat, sic fratres perturbare timemus, ut perire potiùs permittamus.*

Ah Christiane! attende ad animæ præstantiam & indubie tuam, in ea, mediante salutari correctione, à devia via peccatorum ad rectam reducenda, condemnabis socordiam, & summam ex hujus contemplatione hauries curam. Etenim, si tanta pietate corporis proximi necessitati succurris, quid animæ, quæ nulli creaturæ comparanda est, non præstabis. Audi nobilitatis ejus elogia deprompta à summo illo Ecclesiæ lumine Augustino: *Nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quæ ad imaginem & similitudinem Dei facta est. Civitas Hierusalem meritò appellanda est; quia ad fruendum visione illius summæ pacis, quæ fecit utraque unum, creata est. Mens ejus paradisus est, in qua cum cælestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patrisfamilias est, anima per unitatem morum: sponsa Christi per dilectionem: templum Spiritus S. per sanctificationem: civitas regis æterni per pacem & concordiam civium.* Et ne quis id tantùm de anima justa intelligat, alibi ait: *Semper corpus, quoniam corpus est, infrà animam est, & quævis anima vilis excellentissimo corpore excellentior invenitur. Nec vobis hoc mirabile videatur, quia & vilis anima qualibet peccatrix, melior est quolibet magno & præstantissimo corpore, non est melior meritis, sed naturâ &c.* Concludo itaque, ô Christiane! potiori jure in anima confratris adjuvanda, quàm corpore tibi incumbere curam. Id apprime exemplo suo docuit Christus Matt. c. 9. ubi narratur eum paralyticum sanaturum, primò animæ illius intendisse saluti: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et quidem cum adstantium scandalo dicentium: *Hic blasphemat.* Pòst verò corporis egisse curam: *Surge tolle lectum tuum, & vade in Domum tuam.* Quo innuit facto Christus, nostrûm fore diligentiùs animæ, quàm corporis satagere salutis, inquit Dionysius Carthusianus: *Majus est animam à languore peccati curare, quàm corporalem infirmitatem sanare.*

Aug. lib. de spiritu & anima c. 37.

Vers. 6.

Idipsum nobis inculcavit in modo creandi mundum. Primò enim creavit cælum *In principio creavit Deus cælum.* Deinde terram, quod est (ut per se patet) contrà rectam architecturæ methodum, quæ docet primò de ædificii cogitandum esse fundamento, quàm de tecto. Cur itaque hanc regulam non observavit peritissimus opifex Deus? Respondeo cum S. Chrysostomo; quia cælum animæ destinabatur habitaculum & centrum, terra verò corpori determinabatur requies. Ideòque priùs animæ, utpote infinitè quasi perfectiori, quàm corpori prudens providit Deus. *Deus*, inquit, *præter humanum morem suum prospiciens ædificium, priùs cælum extendit, posteà terram substernit, priùs culmem, & posteà fundamentum: quis tale quid vidit in hominum sanè operibus nil tale unquam fuit. Et ratio est, quia anima longè præminet corpori.*

Gen. c. 1. Vers. 1.

Eia itaque Christiani, si animam in summo æternæ damnationis versari intueamini discrimine, si eam in profundam peccatorum abyssum lapsam videatis, accurrite velociter, adjutricem adhibete correctionis manum, atque erigite confratrem vestrum. Audite incurii, clamantem Apostolum: *Charitas Christi urget nos*, nimirùm, ut animæ proximi pretio sanguinis ejus redemptæ succurramus. Charitas Patris nos urget, qui pro anima filium unigenitū dedit. Charitas Filii urget nos, qui pro eâdē, è sinu patris egressus, immemor divinæ majestatis, vili humanitatis sacco indutus, in terram descendit, de virgine nasci dignatus est, pannis involvi, circumcidi, flagellari, & tandem in infami crucis trabe mori non recusavit. Spiritus Sanctus urget nos, cujus cooperatione stupendum hoc incarnationis mysterium adimpletum est. Quoniam si tanti æstimarit tota Trinitas animam, nosnè eam miserè nostrâ negligentiâ perire permittemus? Audite Bern. *Magna res est anima, magnus animæ casus, qui non potuit, nisi cruce Christi reparari.* Imò in tantùm Christus adamavit animam, ut etiam pro unica omnia, quæ passus est tormenta paratus fuisset subire. Hoc apertè attestatur Apostolus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* Sed quid ais Paule? Nonne pro omnibus pius mortuus est Dominus? Attendite quid respondeat Salvianus: *Christus enim sicut pro omnibus mortuus est: & totum se dedit universis, & totum singulis, ac per hoc quidquid passione suâ Salvator præstitit, sic totum ei debent universi, & totum singuli.* Unde ait Paschasius: *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Concludit Bernardus: *O anima erige te, tanti vales.* Et tu, ô homo! jacentem proximum tuum in lutum vides: nec accurris, ut eligas! *Unicuique*, ait Sapiens: *Mandavit Deus de proximo suo.* Imò quod intollerabilius est, dum confratris errores conspicis, sæpè sæpiùs rides & exultas. Attende ô Christiane! ad divinam illam Ezechielis sententiam, quæ juxtà Augustinum omnes præcludit corrigendi fratrem excusationes: *Si non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, ipse impius in sua impietate morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus &c. Ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* E contrà verò, qui animam proximi negligit, sanguinem Christi pro ea in tanta effusum abundantia, conculcat, imò pro ea crucifixum rursùs crucifigit juxta illud Pauli: *Sed quantò putatis deteriora mererè supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum fecerit.*

2. Ad Cor. 5. v. 14.

Ad Gal. c. 2. v. 20.

Eccli. c. 17. Vers. 12.

Aug de corrept. & gratia.

Ezech. c. 3. Vers. 18.

Ad Hebr c. 10. v. 29.

Verùm per transennam & digressionem perscrutemur semel, quodnam vitium maximo tanto, tamque laudabili & meritorio (ut pòst videbimus) charitatis actui sit obstaculo. S. Augustinus non veretur asseveranter sustinere, fore adulationem, quæ ex proprio adulantis oritur interesse & emolumento; malunt enim hujusmodi homines errantium extollere delicta, eaque laudare, quàm propria deperdere lucra. Audite magni illius Doctoris verba. *Vendunt adulatores oleum, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errores mittunt, & eis vana gaudia quasi fatuis consiliando, aliquem de his mercedem, sivè ciborum sivè pecuniæ, sivè honoris, sivè alicujus commodi temporalis accipiunt ab intelligentibus, quod dictum est, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Meliùs est autem objurgare à justo, quàm à peccatore laudari. Emendabit me inquit justus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Et Epist. ad Demetriadem, quæ reperitur inter opera D. Hieronymi ait: *Corrumpunt adulatores fictis laudibus lenes animas, & malè credulis mentibus blandum vulnus infigunt. Crevit hoc in nostra ætate* (sed heu nec à nostro moderno exulat ævo) *vitium, & in ultimo sine stetit, nec augeri potest. In hanc enim scholam, studiumque omnes nos dedimus, ut officium putemus eludere. Quodque ipsi ab alils libenter accipimus, id*

Aug. l. 83. qu. qu. 59.

aliis quasi quoddam munus offerimus, & spe recipiendæ laudis eos à quibus laudari volumus ante laudamus.

Psal. 140. Vers. 8. David non sine magno mysterio dixit: *Oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Ast de quo oleo hic loquitur Psalmista? An forsitan de oleo rosaceo, de oleo nardi pistici &c. Certum quod non (ut indicat tò *oleum peccatoris*) & cur quæso oleo caput suum renuit aspergi propheta? Galenus de essentia & proprietatibus olei docet illud nullas planè ex natura sua proprias habere qualitates; sed si materia, cui applicatur, sit calida, illud fit calidum: si frigida, frigidum. Quapropter oleum est adulationis habitum apud Ægyptios verissimum hieroglyphicum. Etenim adulatores sese promiscuè regum, principum, superiorum, atque majorum conformant genio. Si luxuriosi sint, luxuriam frigido humanæ concupiscentiæ contegunt pallio, vitiumque naturæ conforme quasi deprædicant; si vindicativi, animositatem laudant; si prodigi, liberalitatem extollunt; si fraudulenti, politiam & astutiam appellant; denique omne vitium in virtutem commutant. Sicque loco, quod peccantium crimina reprehendant, ea fovent. Unde veteres quàm plurimi adulatorem aeri assimilârunt.

Pro hujus comparationis fundamento notandum est, cur propheta Moyses in universa omnium creaturarum productione omnium faciat mentionem, exceptis Angelis, igne & aere? Quod suum indubiè continet mysterium. Genuinam de Angelis reddit Theodoretus rationem dicens: id factum esse, nè posteri & Judæi, comprehensâ tantâ Angelicæ naturæ excellentia, tantis cognitis nobilibus proprietatibus, illos pro Diis adorassent: *Si enim tam facilè sibi Deos finxerant jumentorũ simulachra, quid facturi essent invisibilis naturæ notitiam assecuti.* De igne quoque, cur subticeatur, respondet Doctissimus Rupertus, ignem fore verum ingratitudinis Symbolum, ex se enim nullam subministrat materiam, sed eam consumit, aut ut melius dicam, ad aliam recipiendam formam suâ activitate cogit. *Ignis,* inquit, *sterilis est & infœcundus, nihil ex se, vel in se gignit, propterea de hoc elemento non importunè silet.*

Verùm enim verò, de aere nec mica aut scintilla, cur tacitè prætereatur, solidi apparet fundamenti. Nec ex hoc unquam egredi potuissem labyrintho, nisi, ad instar alterius Thesei ab Ariadna, à S. Gregorio recepissem filum: qui sustinet aerem non esse nominatum, *dixit Deus, fiat aer:* Quia aer genuinum adulationis est hieroglyphicum. Quoniam aer quoque propriis quasi caret proprietatibus; etenim si aura sit clara, & ipse est clarus, si obscura, ita & ipse, si nubila &c. sic & ille. Ac proinde recipit omnes qualitates nunc frigidus &c.

Haud dissimiliter adulator sese Domini humori & genio plane conformat. Si adblandiens sit fortuna, lætatur, simul & exultat: si adversetur, ingruente infortunio, tristatur, sic & ipse melancholiam ex facie ostendit. Si princeps aut rex irascatur, simul quoque aulici excandescunt: si in divino cultu sit tepidus, si veneri deditus, aut gulæ &c. pariformiter sese gerunt. Unde, Agislao Rege existente coclite, omnes aulici ejus sibi unum eruêre oculum, ut ei in vultu quoque essent conformes. Audite modò verba Gregorii: *Aer non nominatur, nec de ipsius creatione mentio fit in scripturis, quia fortassis naturâ molli, & facilè cedenti præditus, omnes res in se suscipit, easdem præ se fert, cum nec colorem, nec figuram habeat ad omnium rerum motus, quas suscipit, sese accommodat: talis est adulatorum conditio.* Idcircò S. Athanasius nuncupat adulatorem Protheum; & optimè quidem: quoniam sicut Protheus (ut fabulantur Poetæ) diversas assumit figuras, ita pariformiter adulator omni momento animum & linguam immutat, ut Principibus & magnatibus complaceat. *Verè,* inquit hic S. Doctor, *adulator idem, ac Protheus esse videtur. fit enim non facie solùm semper sibi dissimillimâ: verùm & sermones semper habet diversissimos.*

Simon à Cassia curiosè indagat, quare Christus, qui juxtà testimonium Apostoli non est acceptor personarum, utrique latroni misericordiam non fuerit impertitus, & veniam? Et respondet pestiferum adulationis venenum in causa fuisse, audite ejus verba: *Quia latro, qui à dextris erat, quando dixit: nos quidem digna factis recipimus, hic autem, quid mali fecit? Dixit confitendo: alter vero, qui à sinistris erat, quando dixit: si filius Dei es, descende de Cruce &c. non dixit confitendo, sed adulando.* Ecce quàm odiosa divinis oculis sit adulatio. Ideò de adulatore ait Propheta Ezech. cap. 13. *Væ qui faciunt cervicalia sub capite ad capiendas animas:* id est qui principes, & magnates molliter tractant, ut eos capiant & perdant, suumque interesse promoveant. Quapropter ajebat Simonides teste Plut. *Hujusmodi homines sese semper magnatibus adjungere, non pauperibus. Et hinc,* ait Plut. *magnarum familiarum, amplarumque rerum ruinam, morbumque esse qui sæpe etiam regna imperiaque subvertit.* Comparat

verò

verò eos pediculis : *Etenim pediculi morientes deserunt, abeuntque ab eorum corporibus, extincto, quo alebantur, sanguine : sic numquam eo se conferre videbis adulatores, ubi res occisæ, & homines frigent, ubi gloria est, & potentia, eo advolant, & mutante fortunâ celeriter diffluunt.* Hoc pestiferum vitium volens culpare in aulicis suis Amasis nuncupatus, Diametidis è pelvi, in qua pedes lavabat, jussit confici Jovis statuam, & pòst erigi. Cumque eam adorantes aulicos cernebat, factum improperans exclamavit: *Quid adoratis, quod hesterno die vas abluendis pedibus meis deserviebat?* Cui omnes responderunt : *Non aspicimus quid fuit, sed quod est.* Sic adulator, qui heri plebeum contemnebat, modò consulem veneratur.

Imò quod ad summam ascendit iniquitatem, estque intolerabilis error, è quo (ut testatur Philo Judæus) promanat animarum, tàm adulantis, quàm delinquentis ruina. *Linguæ adulatorum*, inquit Augustinus, *Ligant homines in peccatis.* Si enormia ab aliis committi cernant crimina, non tantum ea juxtà divinum mandatum non corripiunt, *Vade & corripe* &c. Verùm etiam illa in virtutes commutant, laudant & extollunt. O perfidi adulatores ! audite quid de vobis dicat rursùs Augustinus & exhorrescite super illa verba : *Os tuum abundavit malitia & lingua tua concinnabat dolos. Malevolentiam & dolositatem quorumdam hominum dicit, qui per adulationem, quamvis sciant mala esse, quæ audiunt, nè offendant eos, à quibus audiunt, non solùm non reprehendendo, sed tacendo consentiunt. Parum est, quia non dicunt, malè fecisti, sed dicunt, & benè fecisti. Præcipitas incautè hominem vitia sua proferentem, & an sint vitia nescientem : tu qui scis vitium esse, non dicis corruisse illum. Si illum videres incautum ambulare in tenebris, ubi tu puteum esse scires, & taceres, qualis esses? Nonne inimicus deputareris animæ ejus? Et tamen si in puteum caderet, non anima, sed corpore moreretur. Præcipitat se in vitia sua, prædicat apud te malefacta sua, tu nosti mala esse, & laudas & irrides apud te. O si convertatur aliquando ad Deum ille, quem irrides, & quem corripere noluisti, & dicat : confundantur, qui dicunt mihi euge euge.* Et corrigere dissimulantium pœnam adfert idem Doctor lib. 1. de civ. Dei c. 9. dicens: *Plerumque à malis docendis, admonendis, etiam objurgandis & corripiendis malè dissimulatur, vel cum laboris piget, vel cum os eorum verecundatur offendere; vel cum eorum inimicitias devitamus, nè impediant & noceant in istis temporalibus rebus. Iure ideo istam vitam, quando divinitus affliguntur, cum malis amaram sentiunt, cujus amando dulcedinem, peccantibus eis, amari esse noluerunt.*

August. in Psal. 49. Vers. 19.

Abundè satis credo ostensum fore, correctionem fraternam esse necessariam, & celebrem charitatis actum. Impedimenta, ob quæ ex hoc depravato sæculo exulet, quoque intellexistis. Quòd si prædicta argumenta, & fortia S.S. P. P. documenta obduratum tuum cor, ô obcæcate Christiane ! non emolliant, & ad hanc virtutem non pertrahant, saltem proprium te commoveat commodum, & ex ea proveniens emolumentum. Perpende attentè quantùm hoc opus charitatis spirituale sit meritorium. Ecce in tantùm : ut illud exercens, titulum ipsius Dei mereatur. Sicuti patet ex l. Exod. ait namque Deus duci Israelitarum Moysi : *Ego constitui te Deum Pharaonis.* Idque dumtaxat ideò, quia obstinatum regem Pharaonem de omni malitia, impietate, idololatria, atque dura in Hæbræos tyrannide corrigendi, & admonendi in se susceperat mandatum, Et sanè meritò hoc elogio similis condecoratur.

Exod. c 7. Vers. 1.

Pro quo annotandum est, quænam inter omnia Dei opera præcipuè faciant elucescere divinitatem? Ad quod ordinariè respondetur fore actionem creativam, & redemptivam. Etenim soli Deo (saltem ut causæ principali, sicut communiter docent Physici) aliquid creare, & ex nihilo producere competit. Deindè hominem redimere solus Deus poterat, ut offensæ rigorosè, & ad æqualitatem satisfieret. Hoc utrumque suo modo quadrat zeloso correctori. Quod probatur ex cap. 11, Gen. ubi refertur, quomodò certo tempore Dominus mandarit Abraham, ut relictâ patriâ suâ Haran, & omni cognatione, ad aliam terram, quam Dominus ei erat demonstraturus, migraret. Cui præcepto absque ulla interjecta mora obtemperans Abraham, ab Haran discessit teste Scripturâ : *Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Dominus. Tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran: & egressi sunt, ut irent in terram Chanaan.*

Vers. 5.

Hic locus difficilior est, quàm primò aspectu apparet; etenim, cùm anima rationalis secundùm Catholicam fidem à Deo solo creëtur, & materiæ in utero materno ultimatè debitis dispositionibus informatæ infundatur : qui consistere potest, Patriarcham Abraham secum assumpsisse animas, quas fecerat ? Respondebis forsitan

per

per animas hic intelligi filios, quos ipse cum Sarai in terra Haran procreaverat. Sed hæc solutio nullatenùs satisfacit, estque expresse contrà Sacram Scripturam, qua constat luce clariùs Abraham tunc temporis omni caruisse prole. Quoniam ei diu post in terra Chanaan natus est ex Agar Ismaël, ut dicitur cap. 16. *Igitur Sa-*
Vers. 1. 2. *rai, uxor Abram non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar: dixit marito suo: ingredere ad ancillam meam.* Ex quo concubitu concêpit, & peperit Ismaëlem. Manet itaque indecisa prætacta difficultas, quàm nobis enodat Periphrastes legens loco τὸ *fecerat*, quas converterat in Haran (nimirùm ab idolatria ad veri Dei cultum pio suo exemplo) salu-
Exod. c. 7. Vers. 1. taribus admonitionibus, atque continuis instructionibus. Quod opus, quia excellentius, quàm creare cælum & terram, ut ait Augustinus, quod soli Deo competit, dicitur facere, seu producere animas, quoniam eas convertit; sicque spiritualem idololatris istis tribuit vitam. Quam ut foveret in recenter illuminatis pius Abraham, prudenter illos è terra Haran secum eduxit, ne incolarum falsâ & inani religione rursùs in idololatriam relaberentur. Docens insuper cunctos peccatores conversos omnes peccandi debere rescindere occasiones, & incitamenta. Præterea etiam animas illas redemit, quia à prava vita eas ad rectam attraxit, & à morte animæ ad vitam reduxit juxtà illud Jacobi: *Qui converti fece-*
C. 5 v. 20. *rit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus à morte.*

Pro confirmanda hac veritate S. Gregorius efficax adducit argumentum erutum è cap. 12. Gen. ubi mira enarratur prompta Abrahæ obedientia, simulque dignum tantâ virtute denun-
Vers. 2. ciatur præmium: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Rursùs in meritum mirificæ & voluntariæ patris unigeniti filii immolationis, & odoriferi holocausti Dominus illi mercedem constituit seminis innumerabilem multiplicationem Gen. cap. 22. *Quia fecisti hanc rem;*
Vers. 16. *& non pepercisti filio tuo unigenito propter me:*
Vers. 17. *benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Verùm, quod videtur notatu dignum, est, quod Deus Abrahæ etiam seipsum tribuerit in mercedem, inquit Gregorius, ut habemus Gen. cap. 15. *Ego protector tuus sum, &*
Vers. 1. *merces tua magna nimis.* Ecce pro obedientiæ actu, pro humili filii sui oblatione in præmium fluxa & terrena destinat Deus bona; sed huic infinitum, æternum, incomprehensibile, nimirùm seipsum constituit bonum, omne planè in se comprehendens bonum. Verùm quem actum tam excellentis obsecro Abraham exercuit virtutis, ut tanti boni promissionem accipere promeruerit?

Pro hoc advertere operæ pretium est ea, quæ referuntur gesta cap. 14. Abraham, intellecto, per quemdam nuntium, Lot filium fratris sui ab Amraphel rege Sennaar, & quatuor aliis regibus captivum fore simul cum uxore, absportatâ quoque omni illius substantiâ, vehementi amore & charitate instigatus, confestim de Lot adjuvando deliberavit: *Numeravit expeditos ver-* Vers. 14.
naculos suos trecentos decem & octo: & perse- 15. 16.
cutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos &c. reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum. Qui charitatis actus adeò divinis complacuit oculis, ut modò non terrena nec transitoria, sed rem in sempiternum duraturam promittat semetipsum, & quidem signanter hanc annotans charitatem, *His itaque peractis, factus est sermo Domi-* Gen. c. 15.
ni ad Abram per visionem dicens: noli timere A- Vers. 1.
bram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Quod maturè considerans Gregorius totaliter obstupefactus exclamat: *O rem mirabilem! propter obedientiam & holocaustum filii sui promittit Dominus terrena, sed propter amorem proximi, & animæ fratris sui salutem, quasi aliam non haberet mercedem, semetipsum tribuit.*

Undè mihi videtur benignum nostrum Dominum egisse cum Abraham ad instar Epaminondæ cum strenuo suo commilitone nominato Cynthio. Etenim cum Epaminondas ob raras militares virtutes, heroicaque gesta, juxtà meritum ei, ut militum dux, recompensasset; is non immemor beneficii, sed memor gratitudinis, intellectâ in exercitu contrà Epaminondam nefandâ conspiratione, conjuratos accessit, tantique in tantùm eos inculpavit criminis, ut ab incepto salutari Cynthii adhortatione destiterint scelere. Hoc à quodam reorum percepto, Epimanondas Cynthii ingressus est tabernaculum, collo catenâ ferreâ, ut mancipium accinctus, seseque in terram antè illius pedes prostravit dicens: *Non mea nunc Cynthi, non mea, sed me quæris*

quærit actio fidelissima tua, me igitur, ut servum pro digna mercede recipias. Sic inquam cum Abraham egit Deus, qui justum tantæ charitatis ergà Lot non adinveniens in toto terrenorum bonorum ærario præmium, præbuit seipsum: *Ero merces tua magna nimis.*

Ex hoc legitimam, ut puto (quamvis parumper prætactam) elicio conclusionem: si Deus pro opere charitatis corporalis, sicut fuit Lot adjuvamen, tantum fecerit, ut seipsum talis actus constituerit pretium; quanto majori zelo, ferventiori cura charitativè saluti animæ, utpotè corpore eminentiori, invigilanti illud ipsum (quo nihil pretiosius donari potest) promittet? Quid igitur tàm segnis es in reprehendendo & corrigendo confratrem: & tantam (ut suprà dixi) corpori adhibes solertiam? Profectò cæcus es, ô Christiane! & dux cæcorum. Cæcus, quoniam animam perdis, quam à te petit Deus, atte-
C.3.v.18. stante Propheta Ezechiële: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Dux cæcorum, quia quos salutari admonitione servare potuisti à fatali animæ damnatione, tacendo in horrendam infernalis abyssi incidere permisisti foveam. Euge, euge ergò ô homo! indue viscera charitatis, & præsertim, ubi de animæ in æternùm duraturæ tractatur conservatione. Attende ad propriam animæ tuæ utilitatem, & clama in corde: si proximo in spirituali medicina fuerim adjumento, sustentaculo & medelæ? ô Domine Deus tu eris mihi merces magna nimis. Huic namque operi teipsum, id est Paradisum, & visionem retribuis beatificam.

Quod facile potest probari ex boni latronis libello supplice: hic namque reus, pariter cum innocente Christo crucifixus, Domino supplicavit
Luc.c.23. hisce verbis: *Domine memento mei cum veneris in*
Vers.42. *regnum tuum.* Sane, dum petitionem hanc mature perpendo, cogor exclamare; ô audax & infamis latro! quò temeritatis processisti, ut cœlestem exigas thronum? An forsitan abominanda tua latrocinia stulte arbitraris æternæ vitæ fore præambula? An insulse autumas tot, tantaque execrabilia homicidia supernæ hæreditatis esse præmia? Errare profectò videris latro. Quippe, quis pro crimine expostulabit mercedem, pro scelere præmium? Nihilominus quàm plurimi. S. S. P. P. recte illius justificant petitionem.

Pro cujus intelligentia, operæ pretium est sedulò indagare, ob quod motivum Christus JESUS dignatus fuerit in limbo quadraginta diebus commorari, & non immediatè post resurrectionem ad cælestem suum ascenderit patrem? Extrà omne dubium est: quin benignus Dominus pro stabilienda primitiva Ecclesia solidâ discipulos suos intenderit imbuere doctrina. Verùm quanam? Varia fateor fuere Christi doctrinalia dogmata, attamen primarium videtur registrari Act.
cap.1. *Præbuit seipsum vivum post passionem suam* Vers. 3.
in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Ast quod maxime annotandum, quodnam quæso ultimum Christi Domini ante ascensum extitit opus? Me hercle, tale quod æternum merebatur regnum, opus nimirùm charitatis, opus fraternæ correctionis, ut annotat Evangelista Marcus: *Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit: & ex-* C.16.v.
probravit incredulitatem eorum & duritiam cordis. 14.
Et ecce tàm excellentis operis, mox debitum Sacra Scriptura subjungit præmium vers. 19. *Et Dominus quidem IESVS postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Quo Dominus Apostolis suis à patre æterno, non tantùm cælestis regni expostulavit thesaurum, verùm etiam rectam ad illum adipiscendum demonstravit scalam. Vade, corripe, increpa incredulitatem impiorum, qui vitiis involuti, per iniquitatem æternâ potiri autumant beatitudine. Inculca iis pio tuo exemplo opus charitatis, cui de repente correspondet meritum felicis æternitatis: Ut patuit in bono latrone (& hæc est propositæ quæstionis solutio) etenim vix perfidi & obstinati consodalis charitativam præmiserat admonitionem: *Neque tu times Deum, quod* Luc.c.23.
in eadem damnatione es. Et nos quidem justè, quia v.40.41.
digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei &c. Ecce confestim in tanti actus mercedem cælestis regni promeruit audire promissum: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* O admirabile opus, quod tot atque tanta valuit diluere delicta, & tam optanda præstare præmia! quæ, ut secure assequi mereamur, peccantem corripiamus proximum cum debita circumstantia, & circumspectione.

Et primò quidem corripe eum, ô Christiane! inter te & ipsum solum, ut consulit, & admonet Augustinus: *Si secretò peccavit in te, id est coram te, vel in te, secretò corripe: nam si solus nosti, & sum*

eum vis coram aliis arguere, non es correctior, sed proditor. Quibus aureis verbis egregiè exhortatur S. Doctor: superiores tàm sæculares, quàm Ecclesiasticos, ut abscondita subditorum delicta clanculò reprehendant; & ne tam leviter publicè illorum detegant infirmitates. Hoc ipsum sæpe sæpiùs inculcavit sequacibus suis benignus Christus. Quando namque ei Joan. cap. 8. à Pharisæis dijudicanda sistebatur adultera, volens ad accusantium confusionem propria eorum corrigere crimina: *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Ubi duo necessariò veniunt annotanda. Primum, quòd ipse à voce & loquela abstinuerit, ne nimirùm turbæ sacerdotum peccata innotescerent. Secundum, quod ea in terra & pulvere, non verò in ære exararit, indicans correctorem pravitatis culpatæ debere oblivisci: quia characteres pulveri impressi minimo vento dissipantur. Rursùs Samaritanam carnalis, & inordinatæ volens incusare concupiscentiæ, attende quid agat. Ecce discipulos suos ad civitatem pro emendis cibis mittit, ut solus solam ream reprehendat, & infirmam curet. Corripe itaque confratrem exemplo magistri tui secretò.

Vers. 6.

Secundò respice, ne tu ejusdem, ô corrector, cujus proximum arguis, sis sceleris reus. Alioquin mox tibi objiciet correptus: *Medice cura teipsum.* Quod apertè satis insinuat Scriptura. *Corripiet me justus*, tandem fiat correctio suaviter, ut docet Apostolus dicens: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Hic enim modus ad fratrem à morte animæ ad vitam spiritualem revocandum maximè est congruus. Rigor enim peccatorem potius in desperationem aget, quam à culpa deterrebit.

Psal. 14.1 Vers. 5. Ad Galat. 6. 6.

Nonne annotastis, ô curiosi! nihil valuisse rigidum Giezi baculum ad resuscitandum viduæ Sarepte filium: sed opus fuisse ipsiusmet Elisei præsentiâ, ut calido halitu, os super os ponens, frigidum cadaver calefaceret, atque mortuo vitam restitueret. Sic quoque ad emendandum peccatorem, non rigore opus est, sed lenitate & halitu charitatis. Et id sanè, ô homo observabis! si intimè propriam perscruteris conscientiam, animæque tuæ sedulò recogites statum. Compatieris indubiè lapso & peccatori, nec eò pervenies temeritatis, ut ii, (de quibus Psalmographus ait: *Inimici mei, dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt*) id est, dum vacillabant ad rectè ambulandum pedes mei, & in peccatum labebar, internè de mea exultabant ruina, & inter sese de delicto meo murmurabant, quod detestandum sanè est scelus. Vis itaque ô Christiane! proximi commisereri infirmitatis, mentis tuæ penetralibus divinam duorum magnorum Ecclesiæ Doctorum doctrinam Augustini & Chrysostomi inscribe. Quorum primus ait: *Agnosce igitur cui debes, & quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non potuit facere alter homo, nisi adsit rector à quo factus est homo.* Alter verò super hoc, *omnis spiritus laudet Dominum*, dicit: *Laudet eum oculus, qui non intuetur impudicè, & lingua quia psallit, & auris quando improbat cantilenas, & accusationem proximi, & mens, quando dolos non struit, sed scatet charitate: & pedes, quando non currunt in vitium, sed ad res bonas gerendas: & manus, quando non ad furtum & rapinam, nec ad verberandum, sed ad eleemosynam & eos defendendos, quibus sit injuria extenduntur: omnia enim hæc omisisti gratiâ Dei adjutus.* Cui profectò omninò debes, quod proximo tuo & confratri peccatori non sis similis. *Non ergò gaudeamus*, exclamat Ambrosius: quia scriptum est Mich. cap. 7. *Ne lateris inimica, quia cecidi, &c. Nec immeritò, quoniam, qui lapsu alieno gaudet, diaboli gaudet victoriâ. Et ideo condoleamus magis, dum audimus periisse hominem, pro quo Christus mortuus est.* Nec tantummodò doleamus: verùm ad eum erigendum festinemus; ut satagentes salutis proximi & nostræ (quoniam ad illum corrigendum & adjuvandum sub gravi, ut vidimus, tenemur peccato) tandem tantæ charitatis actus condignam mereamur adipisci mercedem, scilicet Deum ipsum, cujus æternam nobis concedat fruitionem, Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

Psal. 37. v. 17.

August. hom. 23.

Vers. 8.

FERIA QUARTA.

Dominicæ tertiæ quadragesimæ.

Honora patrem & matrem. Matth. cap. 15.

TRactaturus in præsenti discursu de debita filiorum erga parentes obedientia, reverentia & honore, attentè perpensa perfidorum Pharisæorum interrogatione: *Quare*
Vers. 2. *discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?* Christique responsione: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Summopere obstupesco, eum pro capite opprobrii iis improperasse transgressionem præcepti de honorandis parentibus, subjungit enim:
Vers. 3. *Nam Deus dixit honora patrem & matrem.* Etenim, cur Dominus alia ipsis non objicit, quibus scatebant, delicta? Nimirùm subdolam hypocrisim, sordidam avaritiam, maledicam detractionem, aut etiam infamem idololatriam, vitium sanè omnium maximum, quandoquidem scriptum quoque sit in lege: *Non adorabis Deos alienos?*

Cuilibet Christiano manifestum est, legem decalogi in duas distinctam esse tabulas. Cujus prima tria comprehendit mandata, immediatè ad Deum spectantia, ut habetur Exod. cap. 2. *Non*
Vers. 3. *habebis Deos alienos, coram me: memento, ut diem sabbathi sanctifices, &c.* In secunda verò septem continentur directè ad proximum pertinentia præcepta, quorum primum ponitur, *honora patrem & matrem.* Verùm hîc notatu dignum est, quod Deus observantiæ præceptorum primæ tabulæ nullum attribuat præmium & mercedem, sicut nec transgressioni pœnam. Secùs verò primo secundæ tabulæ præcepto decernit remunerationem, & vindictam. Et hoc sanè suo neutiquam carère arbitror mysterio: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Ideòque de eo ait
Ad Ephes. cap. 6. Apostolus: *Hoc est mandatum primum in promissione honora patrem tuum, & matrem tuam* Verè primum, quia, ut ad Titum scribit: *Promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* Contravenientibus autem huic mandato gravissimè comminatur Deus, ut liquidò constat ex epistola hodiernæ diei. Hoc mysterium nobis pandit S. Cyprianus docens, Deum hoc cunctis Christianis intendisse innuere delicti hujus gravitatem, & quantum ei illud displiceat, ut divina afflante gratiâ in moderno discursu vobis conabor patefacere. Pro qua impetrandâ imploremus Spiritum sanctum per intercessionem D. Mariæ dicentes, Ave gratiâ plena.

Honora patrem & matrem.

HOnorare parentes filiis competere ex jure naturali nullus sanæ mentis est, qui ambigat. Etenim solius naturæ lumine ethnici & infideles hanc agnovere obligationem. Unde divinus Plato ait: *Parentes negligere nec Deus, nec homo mentis compos ulli consulet.* Ipsi namque vi luminis naturalis dumtaxat cognoverunt, filios jure naturæ arctissimè fore adstrictos parentum suorum sedulam curam gerere, eisque debere in omni necessitate esse sublevamini & adjutorio. Quod egregiè & piè reipsa toti mundo Amphimonus & Anaxus fratres demonstrarunt. De quibus narratur: illos intuentes (Catanâ Ceciliæ urbe ignivomi Æthnæ montis conflagrante flammis) patrem in summo versari vitæ discrimine, in illius velociter accurrisse subsidium, eumque è medio igne, quo miser undequaque erat circumdatus, adinstar pii Æneæ Anchisen, eripuisse.

Pios hos fratres egregiè pius imitatus est Antigonus, cujus stupendam in patrem suum Demetrium pietatem veteres sic referunt annales. Contigit quodam tempore, post varia inter Seleucum Regem potentissimum, & Demetrium commissa prælia, in cruento certamine, fortunâ Seleuco arridente, Demetrium vivum in ejus manus incidisse. Hic tantâ victoriâ tumidus, tamque optatâ prædâ ditatus, à Demetrio pro lytro omnium thesaurorum claves, urbium atque propugnaculorum totius regni deditionem, atque absolutam universi

versi Dominii exegit abdicationem. Quid ad tam rigidam quæso petitionem Demetrius? Ecce confestim, arrepto calamo privatas ad Antigonum filium exaravit litteras per amicum fideliter tradendas, quibus ei insinuabat sese à crudeli Seleuco cogi ipsi imperare, ut omnem thesaurum, regiumque depositum, civitatum & cunctorum regni fortalitiorum claves pleno illius imperio subjiceret. Quas quantumvis brevi esset transmissurus, admonebat tamen neutiquam suæ esse voluntatis, ut tali mandato obtemperaret, dicens: sese absolutè malle inediâ, carceris squalore, aut durâ quavis morte enecari, quàm legitimum hæredem regno suo privari. Subjungens: *Noli tu idcircò solicitus esse, libenter feram hanc captivitatem meam, dummodo tu maneas rex.* Ac proinde è contra præcipiebat, ut cunctis regni propugnaculis, ac arcibus de annona & omnibus militiæ necessariis sedulò provideret, seseque ad strenue Seleuco resistendum præpararet.

Verùm quid ad hæc Antigonus? tantùm abfuit, ut ipse, ambitionis plenus præsentisque regni avidus, duræ patris immemor servitutis, copias militares adscripserit, omnem apparatum ad bellum fecerit; verùm econtrà, perlectâ epistolâ, regni, & imperii contemptor, paternæque intentus libertati, hæc verba Seleuco scripsit: *Regnum tuum est: hoc tibi cedo, omne jus, omnem thesaurum gaudens abdico, quando placet. Tantùm mihi redde patrem senem, pro quo vel ego lubens captivus ero & pauper, dummodò ipse liberetur.*

O admiranda Antigoni Ethnici in patrem pietas! quid vobis videtur, ô Christiani? Ah! quàm pulchrum hoc est inter patrem & filium rari affectus certamen! pater filium amans in duris præponit permanere vinculis, ut paterno filius potiatur throno, pius filius patrem redamans renuit imperium, ut pater vitæ & libertatis fruatur gaudio. Ubi nunc obsecro simile inter Christianos, Christi fide imbutos, supernaturalique lumine illustratos comperies exemplum? forsitan parentes quosdam adinvenies, qui adeò tenere filios diligunt, ut pro tutanda illorum vita, propriam prostituant; attamen filios, qui pari gradu parentes redament perpaucos, imò & nullos. Potissima namque (proh dolor! proh nefas!) liberorum pars parentes suos senes, & gravi senectute decrepitos abominantur, aversantur, contemnunt, proprio studentes emolumento. Idque quàm maximè dum ad eminentem statum sublimati, divitiis locupletati, eos pauperes & abjectæ fortunæ conspiciunt; imò eò usque procedunt impietatis, ut eos etiam pudeat parentes cognoscere & confiteri. De quibus ait Sapiens: *Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.* Hic 70. interpretes legunt: *Est generatio, quæ dicit patri suo & matri suæ, non novi vos.* Hi profectò muli titulum apprimè & justè merentur, quippe is (ut habet fabula) quis pater ejus foret, interrogatus, cum asinum patrem denunciare erubesceret, equum generosum patruum suum professus est. *Proverb. c. 30. v. 11.*

Haud dissimile præfato celeberrimus historiographus Plutarchus narrat de Metello Quinto Juniore pietatis exemplum: is, intestino ingravescente Romanorum bello ob discordiam & inimicitiam inter Octavianum Cæsarem, & Marcum Antonium exorto, patre ad partem Antonii deflectente, ipse Octaviani partes assumpsit, strenueque pro ejus defendenda authoritate & dominio omnes exeruit vires, vitamque simul fidelissimè exposuit Accidit, ut tandem, devicto in quodam prælio Marco Antonio, inter cæteros captivos proprius illius pater jam morte plectendus (eò quòd partes rebellium foverat, armisque defenderat) Octaviano sisteretur. Quo viso, pius in patrem filius Metellus velociter accurrit illi suffragaturus. Cumque ad Cæsarem pervenisset, immoto vultu hisce verbis interpellavit: *Hic imperator tuus hostis, quia in te dominum suum ensem strinxit, mortem promeritus est; at ego sum præmio dignus, qui tibi inservivi pro patria, tuique salute contra Marcum Antonium, & proprium patrem impavidè dimicans. Igitur impero, ut pro illo munere, quod mihi debes, hunc mihi incolumen reddas; vel si renuis, pro illo me interficias.* Ecce Metellus, modò pater liber evadat, neutiquam veretur neci tradi. Liquet igitur gentiles hanc pietatem erga parentes ex ipsius solo naturæ instinctu atque impulsu imbibisse. Unde Socrates, cum vidisset filium Lamproclem, ut narrat Zenophon Lib. 2. memorabilium, matri suæ refractarium, ab eo petiit: *Dic mihi, nostine fili quosdam homines, qui vocantur ingrati? omninò inquit.* Tum pater *animadvertistinè, quid illi faciant, quibus hoc nomen tribuunt? imo inquit, nam illos ingratos vocant qui affecti beneficiis, cum gratiam referre possint, non faciunt.* Ad hoc instat Socrates: *& numquid videtur Lamprocles, quod ingrati sint injusti? ita inquit, & quanto majoribus beneficiis quis fuerit ingratus, tanto quoque fit injustior, ma-*

ſeremque injuriam infert benefactori. Et cum ita reſponderet, ſubjunxit Socrates: *& quis poteſt reperire affectos majoribus beneficiis quàm filios à parentibus? & inter utrumque parentem, quis puero plus præſtat, quàm mater? illa te novem menſibus geſtavit in utero, &c.* Et tandem concludit dignam filio Chriſtiano inculcans doctrinam: *fili mi, ſi ſapis, Deos deprecare, ut tibi ignoſcant hanc tuam magnam erga matrem ingratitudinem.* Imò abundè ſatis conſtat ipſoſmet Ethnicos ſtrictiſſimè reverentiam hanc filiis inculcaſſe, ut teſtatur Plutarchus in Lacon: *Percunctanti,* ait, *quare mos eſſet apud Spartanos, ut juvenes aſſurgerent ſenioribus: ut,* inquit, *aſſueti honorem habêre nullâ propinquitate junctis, magis honorent parentes. Optima ratio conſuefaciendi ad debitum officium, ſi ultra, quàm debetur, doceantur præſtandum.* Erubeſcite itaque ô tepidi Chriſtiani! dum hæc auditis, debita erga parentes omittere officia; & diſcite vel ex ipſa Ethnicorum erga patres pietate, iis reverentiam, amorem, omneque ſolamen exhibere.

Quod ſi induratum veſtrum, ô contumaces parentibus liberi! lex ipſa naturæ cor non commoveat, ſi obcæcatorum gentilium laudabilia vos non flectant geſta, ſaltem mollefaciat obſtinatum animum ducis veſtri Chriſti vivum exemplum; qui cunctis Chriſtianis, tum initio practicæ vitæ ſuæ & prædicationis, tum in ultimo vitæ termino debitam parentibus à filiis exhibendam inculcavit reverentiam. De primo conſtat evidentiſſimè ex cap. 2. Joannis, ubi narratur matrem Jeſu, perceptâ vini in nuptiis Canæ Galilææ penuriâ miſericordiâ motam, filium pro
Verſ. 3. ſubſidio interpellaſſe. *Et deficiente vino, dicit ma-*
V. 4. v. 5. *ter Ieſu ad eum: vinum non habent.* Ad quod reſpondit Jeſus: *Quid mihi & tibi mulier, nondum venit hora mea.* Nihilominùs tamen, ne malum filiis videretur præbere exemplum: in matris gratiam, reverentiam, & reſpectum, miraculum ſuum anticipavit, aquamque in vinum convertit, ut rectè annotat: *Nondum venerat hora ejus, ſed tempus fuit, quia mater dixerat, fili vinum non habent.* E contra ô filii! quomodo vos geritis? proh dolor! quandoque parentes vos malæ vitæ arguunt, increpant veſtram luxuriam ac incontinentiam, proinde ad legitimum adhortantur ineundum matrimonium; verùm quid reſponſi? ah! *nondum venit hora mea.* Oportet me priùs mundanis parumper frui deliciis & voluptatibus. Si patres filios admoneant, ut enormia, quæ indies committunt, relinquant ſcelera, reſpondent: *Nondum venit hora noſtra.* Juveniles enim annos ſimilis decet vita. Senectus mores depravatos ſat citò eſt correctura: ſicque parentum (contra Chriſti Domini exemplum) contemnentes admonitionem, in præceps ruunt, & inextricabilibus tandem involvuntur mundi technis & dolis. Sed nonne talis paterfamilias juſte poſſet ſimili filio improperare hoc: *Si pater tuus ſum, ubi eſt honor meus?*

Quod autem idipſum in extremo vitæ ſuæ ſedulò docuerit, patet ex cap. 19. ejuſdem Evangeliſtæ. Etenim, poſtquam ſecundùm alios Evangeliſtas legem à ſe latam de inimicis diligendis & benefaciendis ſanxierat, utpote magni momenti & neceſſitatis, clamans: *Pater ignoſce illis, non enim* Luc. c. 19.
ſciunt quid faciunt: ad matrem juxta crucem mæ- v. 27.
ſtam & deſolatam ſtantem converſus, ſolitæ memor pietatis, jam coactus in alterum migrare mundum, Joannem Evangeliſtam in alium matri deſtinavit filium: *Deinde dixit diſcipulo: ecce mater tua.* Quod totum factum eſſe in matris reverentiam, & filiorum eruditionem audacter aſſerit magnum illud lumen Auguſtinus dicens: *Exem-* Auguſt.
plo ſuo ſuos inſtruit præceptor bonus, ut à filiis piis im- tract. 129.
pendatur cura parentibus. Tanquam lignum illud, in Ioan.
ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra 1. ad Tim.
fuerit monentis. Ex hac doctrina ſanè didicerat Pau- c. 5.
lus Apoſtolus, ſi quis autem ſuis, & maximè domeſticis non providet, fidem negavit, & eſt infideli deterior, quid autem tam cuique domeſticum, quàm filii parentibus.

Ah Paule, quàm ſevera tua eſt de execrando hoc crimine ſententia! heu! ſi vera eſt, ut vera à quolibet ſuſtineri debet Chriſtiano, quot, quot indies fidem negant. Quot filii decrepitos parentes aſpernantur, & indigos ſuſtinere renuunt! miſerum ſanè, & luctuoſum filios ſuperbos, omnibuſque affluentes divitiis cernere, & eorum parentes à quibus vitam & eſſe receperunt, inedia conſumptos, paupertate ſqualentes aſpicere. Ah quàm benè vobis appropriari poteſt illud Amos: *Qui dormitis* Amos c. 6.
in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: qui v. 4. 5. 6.
comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterii: ſicut David ſe putaverunt habere vaſa cantici, bibentes vinum in Phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil compatiebantur ſuper contritionem Ioſeph. Quoniam vobis ſufficit lautè vivere, & penuriæ parentum non recordamini. Immò ulteriùs progreditur Terentius, qui miſeri ſenis etiam divitis, juſtam enarrat

rat in impios filios querelam, deplorantis tantam suam eos ditandi curam & solertiam, detestantisque accumulatas divitias, forsitan per fas & nefas, quæ non longævæ parentum in filiis vitæ generant desiderium, verùm celerioris mortis provocant appetitum, ut desideratis fruantur deliciosè bonis. Verba lamentantis sunt patris: *Porrò autem, dum studeo illis, ut quàmplurimum facerem, contrivi in quærendo vitam, atq; ætatem meam, nunc exactâ ætate, hos fructus pro labore ab his fero odium, Meam mortem avidè expectant.* Sed audite ô perfidi filii! quàm acriter, & meritò in vos insurgat Hieronymus: *Fauces tuæ necdum lacteum perdiderunt saporem, quem tibi pia mater infundens, linguam tuam pavit potu corporis sui, impendi patri matriq; servitium, qui nunquàm tuos vagitus horrentes totum in te lambebant osculis corpus.* Attendite quoq; ad salutiferum Sapientis monitum: *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi.* Ecce mater tua ô fili! proprio te enutriit lacte, lacte suâ te ad virilem ætatem deducit industriâ, sustentavit te summo cum labore, & tu jam decrepitum negligis, & impiè contemnis? si amor non urget te, verere, non sine fundamento, comminantem Spiritum Sanctum: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.*

Hieron. lib. de honore parentum.

Marc. cap. 24. v. 24.

Juniores viperæ juxta naturalistas, dum in lucem prodeunt, ventrem maternum dissecant teste Galeno. Et ecce idem ipsis dum matres fœtum producunt, evenit incommodum. Quapropter antiquitus viperam in culsum patricidarum solebant includere, in symbolum, quod pariformiter à bestiâ parricidâ omnes forent interficiendæ. Cespii, uti refert Celius Rodoginus, parentes suos necant, & quidem fame; idipsum à propriis post patiuntur filiis. Bractiani parentes decrepitos, senes, aut tabido oppressos morbo, vivos famelicis projiciunt in escam canibus teste eodem, simili & ipsi modo finiunt vitam. Diobices, instructo convivio, non abhorrent à tam infami crimine parentes in frusta concidendi, & edendos proponendi teste S. Chrysostomo; & illud ipsum exterminium tandem in ipsos recidit. Undè Petrarchus in dialogo 44. conquerenti patri & dicenti: *habeo filium contumacem.* Respondit: *æquum est* (noverat enim ipsum quoque patri parvum, aut nullum detulisse respectum) *ut qui patrem ferre non poteras, filium feras, utiq; sarcinam graviorem. Magis animum premit, pungitq; acrius superbi filii verbum unum irreverenter prolatum, quàm severa patris quæcumq; durities; ille enim injuriam facit, hic jure suo utitur.* Undè ô patres, O matres, si filios, si filias habeatis contumaces atque rebelles, intrate penetralia cordis vestri, & diligenter inquirite, an patri, an matri etiam non fueritis refractarii & inobedientes. Quod si sic, exclamate: *justus es Domine & rectum judicium tuum.* Perditio mea ex me, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Si itaque ô filii desideretis in senectute à filiis vestris honorari, & tu debitam parentibus tuis exhibe reverentiam.

Lib. 10. c. 24.

Hom. 10. in Matth.

Verùm si adhuc nec Christi magistri vestri, ô insulsi juvenes! obstinatum animum ad amorem parentum inflectat exemplum, adamate saltem hanc virtutem, ob præclaram illi à Deo decretam mercedem: vel exhorrescite inobedientiæ & irreverentiæ scelus ob horrendam ei destinatam pœnam. Merces filialis erga genitores pietatis multiplex est, ut apprimè liquet è sacra scriptura. Per sapientem Deus iis pollicetur vitam longævam: *qui honorat patrem suum vivet vitâ longiore.* Et hoc parvum arbitraris Christiane præmium? ecquis obsecro est, qui bonam non desideret senectutem? nemo sanè. Omnis enim sedulò studet vitæ prolongationi. Secundò promittitur ipsis prosperitas & felicitas in suis posteris: *Qui honorat patrem jucundabitur in filiis.* Quod tantoperè exoptant parentes, ut omnem suam voluptatem, lætitiam, & animi quietem in filiorum promotione & gloria reponant. Cole itaque ô fili parentes tuos, & tu jucunditatem hauries in filiis tuis. Tertiò, quia non nisi humiles & obedientes filii à patre benedicuntur, è quo plurimum emolumenti ipsis redundat. *Benedictio Patris firmat domos filiorum,* inquit Ecclesiasticus. Et hoc solidè confirmat inauditus Esau ejulatus & insolitus, intellecto, sibi à fratre Jacob ereptam esse paternam benedictionem, planctus; cum enim expostulanti Esau benedictionem, *comede de venatione filii tui: ut benedicat mihi anima tua,* respondisset obstupefactus Isaac: *Quis igitur ille est, qui dudùm captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, antequam tu venires? benedixiq; ei, & erit benedictus:* ipse vehementer expavit: *Auditis ergò Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno.* Hieronymus notat aliter haberi in textu Hæbraico: *Esau clamavit voce magnâ & amarâ.* Cajetanus dicit: *Et consternatus dicit: benedic etiam & mihi pater.* Tò inquit *consternatio* vehementem significat animi commotionem. Cumq; Isaac benedictionem ipsi à Jacob fraudulenter surreptam allegaret, miser replicavit:

Eccl. c. 3. vers. 7.

Eccl. c. 3. vers. 6.

Vers. 6.

Gen. c. 27. v. 31. v. 33. v. 34.

Num-

Verſ. 36. *Numquid & mihi reſervaſti benedictionem? cumq́; ejulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad illum: in pinguetudine terræ, & in rore cœli erit deſuper benedictio tua.* Ecce Eſau, quamvis impius & perverſus, omnem à paternâ benedictione dependêre rectè judicabat felicitatem, omniaque bona eam comitari. Illâ namque domus filiorum, tanquam firma baſi fulciuntur, abſque ea neceſſariò labuntur. Si itaque ô filii! domus veſtræ ſtabilitatem & incolumitatem exoptetis, parentes honorate & diligite, ut ab iis ſalutarem promereamini accipere benedictionem. Quartò reverentiales filii, ſi quandoque in anguſtia & tribulatione poſiti ad Deum pro adjuvamine & gratia impetranda preces fundant, facillimè exaudiuntur, & petita feliciter obtinent: *Qui honorat patrem ſuum, in die orationis*
Eccl. c. 3. v. 11. *ſuæ exaudietur.* Quod ſanè nec infimum filialis ergà parentes reverentiæ arbitrandum eſt præmium.
Verſ. 13. Quintò huic actui debetur honor & gloria: *Gloria hominis ex honore patris ſui.* Deindè pio filio, qui patri ſuo neceſſitate laboranti eſt ſublevamini, Spiritus Sanctus pollicetur præmium majus omni pretio, nimirum veniam & remiſſionem peccatorum: *Eleemoſynâ patris ſicut in ſereno glacies ſol-*
Verſ. 17. *ventur peccata tua.* Et tandem, tùm in præſenti, tum in futuro omnium bonorum additur cumulus: *Honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat.* Si itaque ô rebelles nati! rursùs repeto, vos ad filialem reverentiam ergà parentes non commoveat jus naturæ, ſtrictum Dei mandatum, & Chriſti Domini perſonale exemplum, urgeant vos tot tantaque nobili huic actui à Deo compromiſſa dona & munera.

Nec profectò mirum eſt tantam mercedem ipſi deſtinari. Etenim compati parentum miſeriis & egeſtati, eorumque exactam gerere curam, opus eſt, in quo aliquid relucet divinitatis. Quod, ut clarè probetur, operæ pretium eſt maturè annotare Matthæum, Lucam, & Marcum inſtinctu Spiritus S. quamplurima calamo exaraſſe, quæ tempore paſſionis Chriſti in infami crucis trabe pendentis contigerunt portenta. Matthæus refert cuncta mirabilia, quæ contrà naturam, quæ ſuum variis oſtentis demonſtrabat pati creatorem, evenerunt. *A*
Matth. c. 27. v. 45. *ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.* Renuente naturali ſole, eclipſato myſtico ſole Chriſto, ingrato mundo ſolitum ſuum lumen. Rursùs ait monumenta aperta eſſe, multoſque mortuos reſurrexiſſe, quaſi Chriſto Domino ſepulturæ locum exhibentes, & velum templi ſciſſum eſſe, indicans ſanctiſſimæ animæ ipſius à corpore ſeparationem. *Ita ut,* ſicut ait S. Athanaſius: *univerſa rerum fabrica confitebatur eum, qui in corpore apparebat & ſupplicia patiebatur, non hominem ſimpliciter, ſed Dei filium, ac Salvatorem eſſe omnium.* Similiter & eadem duo alii narrant Evangeliſtæ in evidentiſſimum Chriſti divinitatis teſtimonium. His enim viſis, quamplurimi eam agnovêre, ut atteſtatur Lucas: *Et omnis turba eorum, quæ ſimul aderat ad* Luc. c. 23.
ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, per- v. 48.
cutientes pectora ſua revertebantur. Centurio quoque cum militibus ſuis eandem confeſſus eſt, ut ait Matthæus: *Centurio autem, & qui cum ipſo e-* Matth. c.
rant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ 27. v. 54.
fiebant, timuerunt validè, dicentes verè filius Dei erat iſte.

Verùm (quod non factum abſque arcano autumo) Evangeliſta Joannes hæc omnia alto involvit ſilentio; nullum tangit portentum, ſolis prætērit tenebras, ſtupendum in reſurrectione mortuorum ſubticet miraculum, nec concuſſam inſolito motu commemorat terram. Quod ſanè mirum. Quandoquidem enim præ cæteris Evangeliſtis ſpecialiter ſategerit de divinitate tractare: cur modò, cum hæc tantoperè obfuſcata ſit per opprobrium crucis, eam non propalat? Cur nulla illius ſigna enarrat. Audite, quid de zelo ejus divinitatem Chriſti deſcribendi dicat Auguſtinus: *Cæteri Evangeliſtæ tamquam cum homine Deo in terra* Aug. ſer.
ambulabant, de divinitate ejus pauca dixerunt; iſtū 34. in Ioan.
autem quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe, non ſolum ſuper terram, ſed ſuper omnem ambitum aeris, & cæli, & ſuper omnes etiam exercitus Angelorum. Scilicet dum intonare incêpit: *In principio erat Ver-* Ioan. c. 1.
bum, & verbum erat apud Deum. Quare itaq; iterū verſ. 1.
rogo, de divinitate nihil diſſerit, ſed taciturnus hæret? Ecquis quæſo illud arcanum nobis pandet? Benedictus ſit S. Ambroſ. qui nos ex hoc labyrintho educit, & in tam denſis tenebris illuſtrat. Subtiliter hic advertit, cæteris omiſſis, Joannē ſignanter annotaſſe anxiam Chriſti Domini matris ſuæ curā, quæ vel ſola ipſius apprimè declarabat divinitatem, ideoq; ſuperfluum judicaſſe alia portenta in divinitatis judicium ab aliis Evangeliſtis enarrata repetere. Audite Ambroſii verba: *Dominus pen-* Ambroſ.
dens in Cruce, qui ſua pericula contemnebat, pio ma- in c. 23.
trem commendabat affectu, dicens: ecce mater tua. Lucæ.
Quod non otioſè Ioannes pluribus proſecutus eſt. Alii Mundum ſcripsêre concuſſum, cœlum tenebris obductum, refugiſſe ſolem. Solus ergò me docet, quod alii

non diluerunt. Concludo itaque, neutiquam esse
admirandum, si divina bonitas & liberalitas huic
operi tanta decernat præmia.

Attamen, si nec actus eminentiæ, nec præfata
ex eo promanantia alliceant vos lucra, nec quid-
quam valeant ad induratam vestram mentem e-
molliendam, instigent vos horrenda ex irreve-
rentia, & parentum contemptu scaturientia dam-
na: gravesque ad minus, quas Deus inobedi-
entibus & rebellibus filiis constituit, pœnæ de-
terreant. Deut. c. 21. rigorose hoc scelus puniri
Vers. 18, mandat: *Si genuerit homo filium contumacem,*
19, 20, 21. *& protervum, qui non audierit patris ac matris*
imperium, & coërcitus obedire contempserit, ap-
prehendent eum & ducent ad seniores civitatis
illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: fi-
lius noster protervus & contumax est, monita no-
stra audire contemnit, commessationibus vacat,
& luxuria, & conviviis: lapidibus eum obruet
populus civitatis, morietur, ut auferatur malum
de medio vestri & universus populus audiens
pertimescat. O dura, sed justa pœna! Ah, si in
præsenti depravato ævo filii rebelles parentibus
& contumaces lapidarentur, juro, lapides de-
ficerent. Ubi enim nunc debita iis viget reve-
rentia, quid dico reverentia. Immò è contra flo-
ret senum parentum contemptus & despectus.
Si pater decrepitus, si mater vetula, si vidua filii
inordinatam incuset vitam, si eum increpet, quòd
omne tempus, omne studium luxui, ebrietati, &
mundanis devoveat illecebris, admonentem ex-
plodit, & præ senectute incipere delirare, & re-
puerascere asserit, ipsique tantummodò mundi
displicere voluptates, quia effœta, & ad eas inha-
bilia portat corpora. In summa, omnem con-
temnit correptionem, & relaxato fræno, ad om-
nia promptus advolat scelera, juvenilesque annos
diabolo, mundo & carni consecrat. Quæ filio-
rum rebellio, & salutaris parentum, ad meliorem
vitæ frugem adhortantium, admonitionis con-
temptus, quantum Deo displiceat, vel ex ipso
patet, quòd tantum nefas condonare recuset. Ita,
ut hoc videatur peccatum, de quo Joannes: *Pec-*
catum est ad mortem, non pro illo dico, ut roget
quis. Testatur id S. Scriptura; 1. Reg. c. 3. *Jura-*
Vers. 18. *vi domui Heli: non expietur iniquitas domus ejus*
victimis & muneribus in æternum. O severa sen-
tentia! ô strictum judicium! quid hoc benigne
Deus? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, quas
promisisti offendentibus te? Nonne tu dixisti,
quotiescumque ingemuerit super delictum suum
peccator, quòd non recordaberis ampliùs iniqui-
tatis illius? Quomodo itaque nunc clamas impie-
tatem familiæ Heli summi Sacerdotis tui non ex-
piandam, nec sacrificiis, nec oblationibus in æter-
num? Quodnam obsecro, ô pie Domine, scelus
tam grande, quod benignitatem tuam ad tantam
concitavit iracundiam? Ah, attendite contuma-
ces filii! hoc non fuit aliud, nisi paternæ admoni-
tionis filiorum Heli despectus. Ipse enim, audi-
tâ perversâ eorum vivendi normâ, ipsos, ut ab in-
cepta vita desisterent, & rectam vitam arripe-
rent, sedulò est adhortatus, ut constat ex cap. 2.
Heli autem erat senex valde, & audivit omnia, Vers. 22,
quæ faciebant filii sui universo Israëli: & quo 23, 24.
modo dormiebant cum mulieribus, quæ observa-
bant ad ostium tabernaculi: & dixit eis: quare
facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessi-
mas, ab omni populo? nolite filii mei: non enim est
bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis
populum Domini. Verùm hi paternæ correctioni
refractarii, & non acquiescentes ejus consilio, in
incepta vita perrexerunt, *& non audierunt vocem*
patris sui. Quod nefandum crimen paulò pòst
justo Dei judicio in cruento contra Philistheim
certamine morte luerunt: *Duo quoque filii Heli*
mortui sunt, Ophni & Phinees, sed non diluerunt,
quia talis iniquitas non expiabitur in æternum,
eò quòd quasi fontem divinæ obturet miseri-
cordiæ.

Ad hoc attendentes filii, horrescite salutares
parentum aspernari admonitiones, discite iis om-
nem exhibere reverentiam, præbete illis aures,
ipsos honorate. Alioquin filii nomine estis in-
digni, meritòque à patre pro degeneribus repel-
lendi. Unde Aristippus, incusante quodam, quòd
filium sic abjiceret, negligeretque quasi ex ipso
natus non esset: *An etiam,* inquit, *& pituitam, &*
pediculos è nobis natos, velut inutiles procul à no-
bis abjicimus: sensit eos non habendos pro filiis, qui
nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui
commendent, nisi quòd ab ipsis progeniti sint. Ita
senex in comœdia: *Tantisper te volo meum, dum*
id, quod te dignum facit, præstas. Imò etiam ge-
nitores patris nomine judicabimini indigni; et-
enim titulum patris non meretur, qui patri re-
bellis extitit filius. Patet hoc ex 2. lib. Reg. c. 18.
ubi infallibile Spiritus Sancti reperimus testimo-

nium,

℣.18. nium, quod de refractario donat Absolone: *Porro Absolon erexerat sibi titulum, cùm adhuc viveret, qui est in valle Regis.* Et rogatus à quibusdam, cur similem curam suis superstitibus, & filiis legitimis hæredibus non committeret: sese filiis orbatum fore respondit, ut videtur colligi ex textu ibidem: *Dixerat enim: non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei.* Qui locus, quoniam, ut apparet, apertissime contrariatur alteri, è c.14. deprompto, suâ indiget interpretatione, Versu enim 27. habetur: *Nati sunt autem Absalon filii tres: & filia una, nomine Thamar, elegantis formæ.* Quomodo itaque audet dicere ipsemet Absolon, *non habeo filium*? nec est, quòd quispiam dicat, omnem prolem ipsius tempore extructionis sepulchri sui fato cessisse; quippe de nullius morte ne minimam quidem sacra pagina facit mentionem. Quæ ratio quantumvis in tantum non urgeat, attamen contraria me corroborat SS. PP. opinio, & præcipuè S. Hieronymi, qui ad præsen-
℣.25. tem sic respondet difficultatem: *Ob peccatum, quod in patrem commiserat, dixit, filium non habeo.* Judicans eum filium parentis titulum minimè promereri, qui pertinaciter suo rebellis obstiterat patri.

Ast, cùm nobis de Absolone non abs re aliqualis inciderit mentio, & superiùs parumper attigerimus tum hujus pravitatis gravitatem, tum strictam illius vindictam: annotemus semel, in quantum infamis in benignum patrem Davidem Absolonis rebellio divinam excitârit iracundiam. An forsitan putatis, condignâ regium filium plexum non fuisse pœnâ? Memores estis, ut credo, nos dixisse, hujuscemodi prolem lapidibus obrui debere, quam sententiam (quamvis post mortem) ex justo Dei judicio exactè persolvit parricida. Etenim non obstante, quòd sibi monumentum ædificasset, adhuc eo habitus quasi indignus, à populo abjecto inhumatus est loco, teste Scripturâ 2. Reg.
℣.27. c.18. *Et tulerunt Absolon, & projecerunt eum in saltu, in foveam grandem, & comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis.* Ejusque sepulchrum, tamquam pestiferum locum, universus fugit populus. *Omnis autem Israël fugit in tabernacula sua.*

Quid ad hæc respondetis insulsi filii? quid vobis felicitatis & prosperitatis spondetis, aut, ut meliùs dicam, quid accipere præsumitis emolumenti, ô rebelles nati? sanè multum aberratis, si quid prosperi, tum in hac vita, tum in futura expectetis: filiorum enim rebellio iniquitas est, quæ non expiatur, nisi miserrimo fine, & luctuosa clauditur catastrophe. Ut nobis vivum regii filii ostendit exemplum. Attendite itaque filii ad vestram obligationem, subvenite parentibus indigentibus, vestris etiam bonis proprio labore atque industriâ comparatis.

Patienter eorum in decrepita ætate tolerate molestias, debitam iis exhibere reverentiam, insistite vestigiis piorum filiorum Regis Aragoniæ, & Decii Imperatoris filii, qui solidam imperii & regni (ut ex ipsorum vita constat) erga parentes pietatem & reverentiam jecerunt basim. De primo enim narrant Aragoniæ annales, quòd tantum Patri Ferdinando detulerit respectum, ut etiam jussus equum ascendere præsente patre, renuerit, dicens: *Pater, aliis sit liberum facere, quod voluerint, & ego nunquam adducar, quin patrem Regem pedibus subsequar.* De altero verò refertur à Petro Blosio, quòd vivo Imperatore Decio patre, etiam jubente, imperium animosè respuerit, blandè ei respondens: *Vereor, ne, si Imperator fiam, dedis- Epist. 47.
cam esse filius. Malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator, & filius indevotus.* Hos inquam imitamini, & divinum servate mandatum, quod intonat ad quemlibet, *Honora patrem & matrem*, ut gravissimam contravenientibus destinatam evitetis vindictam, & hanc legem observantibus decretam recipere mereamini mercedem, nimirum in hoc mundo vitam longævam, & in altero æviternam beatitudinem, quam mihi & vobis omnibus concedat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA QUINTA

Dominicæ tertiæ Quadrageſimæ.

Et ſurgens IESVS de ſynagoga, introivit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.
Lucæ cap. 4.

ANtiquæ fabulantur hiſtoriæ, atque Poëtarum referunt figmenta, olim celeberrimam Inſulam Cretam (cujus quoque mentionem facit doctiſſimus Virgilius,) certo tempore peſtilentiali, maximeque nocivâ aëris infectione adeo fuiſſe oppreſſam, ut malum illud brevi temporis ſpatio centum potentiſſimas civitates miserè infecerit, populumque copioſum totius ferme Inſulæ ad internecionem deleverit. Nec mirum: etenim, quia etiam peritiſſimis iſtius ditionis Medicis incognitum erat peſtiferum hoc malum; nemo ſalutare ei noverat adhibere antidotum, ſicque eò faciliùs graſſabatur, & intimiùs ſerpebat.

Quapropter Incolæ ad Deos ſuos converſi, humanæ diffidentes induſtriæ, tandem à Jove, precibus ad pietatem commoto, Apollinem cæleſtem Medicum receperunt, tantæ ruinæ certam medelam apportaturum. Qui jam è cælo in terram dilapſus, ad Cretenſes clamavit: *Surgite ergo miſeri, & priſtinam, quam perdidiſtis ſalutem, accipite.*

Hæc fateor Ethnicorum inſana ſunt deliramenta ſed quid ni mihi, illa ad veram Chriſtianam doctrinam, atque moralia dogmata deducere liceat; quæ ex præſenti facile eſt eruere Evangelio. Ecce, ſocrus Simonis, id eſt, inquit S. Bernardus, natura humana, tenebatur magnis febribus, eratque mirabiliter ſauciata per primam parentum noſtrorum prævaricationem: ideoque pro tam incurabilibus reſanandis vulneribus à ſummo Jove, æterno Patre, lachrymoſo accentu cæleſtem expetebat Medicum. Nemo enim, niſi Deus homo tanto medelam adferre ſufficiebat malo. Ac miſera natura humana ad cælum, ad inſtar alterius leproſi ante piſcinam probaticam 38. annis morati, intonabat, *Hominem non habeo.* Ait enim
Pſal. 48. v. 8. Propheta David: *Frater non redemit, redimet homo.* Nimirum & ſimul Deus. Quibus gemitibus & lachrymis ad clementiam provocata æterna Bonitas, Pater cæleſtis ait: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Et ecce pius Filius, Verbum immenſum ardenti erga genus humanum æſtuans amore, ſuum ultrò offert obſequium: *Ecce, ego mitto me.* Sicque ad inſtar unius Apollinis è cæleſti throno, ſinuque paterno in mundum deſcendit, intravitque domum ſocrus, id eſt, realiter incomprehenſibili unione hypoſtaticâ divinitati ſuæ copulavit humanitatem, & homo factus eſt, habituque inventus ut homo. *Magnus*, ait Auguſtinus, *de cælo deſcendit Medicus. quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Ut eum ſanitati priſtinæ teſtitueret, inquit Bernardus: *Mirabiliter natura laborabat humana, nam facilis erat ad ſeduci, debilis ad operandum: & fragilis ad reſiſtendum; venit ergo Chriſtus, ut in nobis habitans, noſtram corroboraret debilitatem, in nobis manens adjuvaret fragilitatem, & pro nobis ſtans noſtram labendi facilitatem protegeret.*

I. Iac. c. 6. v. 8.

O ſtupenda Dei benignitas! ô inſcrutabilis divini noſtri Prothei metamorphoſis! ô infinitus amor! hunc demirans exclamat Zeno: *O charitas, quàm potens es! tu Deum in hominem commutare potuiſti:* id eſt, hominem effeciſti) *tu virginali clauſtro novem menſibus relegaſti: & cur? ut ibi ſumeret membra, ut traderet cruci.* Hoc eminentiſſimum charitatis Chriſti teſtimonium ergà vilem & abjectam creaturam nos urget & compellit amorem Dei noſtri pro viribus exaggerare atque extollere, ut amori ejus amore noſtro correſpondeamus: *nam cùm amat Deus, nihil aliud vult, quàm amari; quippe non aliud amat, niſi ut ametur*, inquit Bernardus. Simulque in hoc diſcurſu oſtendam, quàm indignum, quàm barbarum ſit, tam fervidè amantem non redamare, ut increpat Auguſtinus acerbis hiſce verbis: *Pudeat non redamaſſe, pro tanto amore tuo pudeat, & vehementer pudeat.* Verùm priuſquam difficile hoc Auguſt. in Solil. c. 11.

 moti-

motivum exordiamur, recurramus ad amorosam matrem nostram Mariam pro impetranda Spiritûs S. assistentia, salutantes eam Angelicis verbis, Ave gratiâ plena.

Antequam ad immensum Christi Domini ergà humanum genus descendam amorem, operæ pretium est, paulisper annotare, quid de amoris essentia, attributis, & effectibus antiqui olim senserint Ethnici Philosophi, & quomodo amoris Deum depingi curarint. In quo tam variæ extitêre opiniones, & hieroglyphicorum mentes, ut tempus nullatenus permittat cunctas recensere. Attamen quædam subtilia emblemata, & hieroglyphicas epigraphes in medium producam. Quidam Cupidinem delinearunt dexterâ tenentem aliquas frumenti segetes in fasciculum congestas: sinistrâ piscem, volentes eruditis indicare, omnes terræ & maris fructus à Deo amoris promanare. Quapropter hoc emblema ingenioso adornarant dicto, *Huic omnia.* Alii ipsi falcem in una manu dedêre, in altera pharetram & sagittas, in humeris duas portabat alas, adjunxeruntque epigraphen, *Quis resistet?* & quod magis mirum, eum obvelatis oculis constituerunt; etenim si juxta Plinii dictum, *Amor sit anima mundi :* aut secundùm Baldum *sit vinculum perfectionis, & funiculus cœli & mundi.* Aut si credamus Platoni, *quòd amor sit cœlorum motus.* Quodque perfectum, tum in cælum, tum in terram possideat dominium, ut Virgilius sentit: *Cœlos subjicit atque Deos.* Quo fundamento amor cæcus effingi potest? attamen puto eos optimè posse excusari, si bene intelligamus subtilem ipsorum scopum, simul & rectam attingamus intentionem. Quid enim aliud hi prætendêre hoc emblemate intimare, quàm amorem quamplurimos excæcare? quod quàm verum sit, vel ipsi nôrunt, qui id ipsum experientiâ proprio cum detrimento probârunt. Loquatur pro me infelix ille nobilis, qui interrogatus, quomodo ipse tantis ditatus à parentibus divitiis, ad summam redáctus foret miseriam? in sui excusationem respondit: *Hoc amor fecit.* Cùmque amici instarent, cur non exactiùs computum suum perpendisset; emblema protulit, in quo depictus erat pellicanus, qui sese alis quasi videbatur elevare, ut pullis suis, in nido adhuc imbellibus jacentibus, igne à venatoribus accenso, in tanto discrimine subveniret. Epigraphes adjuncta erat sane ingeniosa: *Non discurrit amor.* Ea enim hujus avis est natura, tantus illius erga pullos suos amor, ut pro eorum salute flammas & mortem non pertimescat, ut testatur Petrus Valentianus: *Saluti filiorum potiùs intenta, quàm suæ, mortis genere atrocissimo conficitur, tanta in ea charitas, tantus amor, tanta vis pietatis elucescit.* Et si quis peteret, unde tantus ardor & fervor? si posset, responderet cum illo juvene: *Non discurrit amor.*

Ah, quàm egregiè hæc emblemata ipsi essentiali quadrant amori Christo, *Deus charitas est.* Quis illi quæso falcem denegabit, naturam nimirum humanam, quâ infernales devicit potestates, mortem & diabolum prostravit, & lolium tot jam millibus annorum ab impio agricola in fertili hoc mundi agro disseminatum demessuit? quis ipsum pharetram, id est, arcenale armorum omnium virtutem in peccatorum defensionem in hac vitæ militia constituisse inficiabitur, ipsomet dicente: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Quis ipsi detrahet suaves amoris sagittas, Matt. 9. v. 13.
quibus indies induratum quandoque hominis cor amanter trajicit, atque inflammat igne divinæ charitatis? an forsitan ei desunt alæ, ut velociter in nostrum advolet subsidium? Ubi ait Malachias: *Orietur vobis timentibus Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Nullus sanè hoc affirmabit; Cap. 4. v. 2.
promptus enim est ad instar Apollinis, qui Cretensium abstulit morbum, ut humanam resanet naturam. Aut quis non videt Christum amantissimum fore pellicanum? Non illum dico, qui ex naturali instinctu suis conatur in periculo, etiam cum propriæ vitæ dispendio, securo esse auxilio; verùm de nostro ago pellicano, qui ex puro amore, ex libera voluntate, non filiis amicis, sed etiam inimicis totum se effudit. (Ut latius videbimus infrà Deo favente) an forsitan erro? minime, ô piissime Jesu, amor noster! nonne manus pro reo Adamo, transgressore mandati tui, & fœdifrago, qui furtivè fructum, cujus nullo potiebatur dominio, abstulerat, duris ligandas funibus, acutisque perforandas clavis tradidisti? quare supremam in tantum exinanivisti majestatem? Ah, quid responsi pius dabit Dominus? *Non discurrit amor.* Nonne pedes quoque pro illius diluendo delicto cruci obtulisti, quia abscurrendo, auditâ Domini voce: *Adam ubi es?* à facie tua sese absconderat, quem nihil latere poterat? Ah! cur tam mansuetus in eum existis, qui, ut Athæus, tuam denegare videtur providentiam? *Non discurrit amor.* Nonne caput spinis terebrandum spontaneè subjecisti, ut superbiam Adæ, qui tuam insulsè appetebat Divinitatem, expiares? quodnam tantæ

obla-

obsecro humiliationis ô pie domine motivum? *Non discurrit amor.* Fatigor interrogando, quandoquidem tuum non penetrem responsum. Finio, sed dic quæso, nonne totum corpus flagris, dirisque fustibus obtulisti, ut protoplastis sensualitatem in vetiti ligni esu perceptam persolveres, & pectus crudeli Longini Lancea transfodi permisisti, ut illius pectoris noxam, quod plus mulieri, quam infinitæ tuæ devoverat majestati, dilueres? nunc domine diffinitivam exhibe resolutionem, cur tot, & tanta justus injustè passus es tormenta, rursus nil aliud, quam *Amor hoc fecit, & non discurrit Amor.*

In his ambiguum Christi Domini continuatum responsum, quàm plurimum me instigat, ut aliquot subtilia & curiosa hieroglyphica emblemata ex Ægyptiorum monumentis deprompta (quos S. Augustinus in hac arte omnibus nationibus asserit longè præeminuisse) in medium adducam. Hi volentes doctè & dextre naturam, vim, potentiam, atque proprietates exprimere amoris, ludum inter nobiles instituere digladiatorium; in quo quilibet, tum diversitate vestis, tum epigraphibus intentum demonstrare conatetur. Perventum est ad actum; & ecce primus candidissimâ comparuit vestitus togâ, in testimonium amantium sinceritatis cum dicto: *Animi candor.* Alter nigrâ indutus in arenam descendit, indicans amorem nulli debere patere, nisi ambobus amantibus, & sub tetro colore sublitescere ignitas amoris sagittas secundum epigraphen additam: *Intus flamma ardet.* Post quatuor alii in medium exilière tunicâ rubro colore tinctâ circumcincti, per hanc adscribentes amori vindictam omnium injuriarum amatæ illatarum. Primus eorum hieroglyphicum in manu tenebat, in quo artificiosè delineata erant duo amantium corda simul artè unita, cum epigraphe *Amoris nexus.* Secundus emblema ostentabat, in quo depictum cernebatur cor flammeis transfixum jaculis cum epigraphe *sic mea me tractat.* Tertius in rasa tabula jusserat depingi gementem turturem, rostro tenentem ramusculum exsiccatum cum dicto, *tulit illa meos.* Quartus denique Cinephalum fixè aspicientem lunam cum epigraphe, *tecum vitam perdo & acquiro.*

Haud dissimiliter incomprehensibilem Christi ergà humanum genus nobis ob oculos ponere conatur amorem sancta mater nostra ecclesia. Etenim ipsa toto unius anni spatio in diversis Evangeliis illum diversimodè introducit indutum. In celeberrimo nativitatis festo veste carneâ circumdatum repræsentat: *Et Verbum caro factum est.* (Ioan. c. 1. v. 14.) Cum dicto, *spes publica.* In circumcisione octavo ætatis suæ die rubrâ indutum, sanguinem innocuum fundentem exponit cum dicto infrà rubram rosam, *festinat dare odorem suum.* In cruenta passione lividâ indutus exhibetur, quia *à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Cum epigraphe infrà pellicanum (qui sanguinem suum fundit, ut pullis suis vitam suppeditet) appositâ, *sic urget amor?* In resurrectione candidâ tectus comparet cum phœnice, qui ex incenerito corpore jam redivivus avolat in altum cum dicto, *ut vivam.* In ascensione ceruleâ cum aquila ascendente nubes cum dicto, *æthera scando.* In festo Pentecostes habitu linguis igneis insignito, cum dicto, *ardent & non consumunt.* Fateor ex his omnibus (nec ullus inficias ibit) aliqualis nobis charitatis Dei nostri micat scintilla. Verum possum apposite hic uti illo Ecclesiastici cap. 43. (Vers. 36.) *Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus:* nimirum charitatis Christi. Quam in tantum extollit S. Bernardus, dum audit Apostolum eam *nimiam* intitulantem, ut audacter exclamet: (Bernard. serm. 4. de Pass.) *Verè nimiam, quia modum superat, planè supereminens universis, majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis: tu majorem habuisti ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & patri.* Et id tam abjecto & indigno modo, quod clamet Propheta Job: (Cap. 7. v. 17.) *Quid enim est homo, quia magnificas eum.* Et quidem in tantum te humilias, ut divinam tuam naturam omni majestate corruscantem, mediante mysteriosâ unione hypostaticâ, contemptibili carnis obveles sacco. Sed legitimum illius responsum in promptu est, *non discurrit amor.*

Narrant veteres historiæ lepidum quemdam, simul & ingeniosum cujusdam senis actum. Athenis pro juvenibus academia instituta erat amoris, in eaque ars amandi, & cum juvenculis filiabus honestè discurrendi docebatur methodus. Ad quam, cum vir iste canis crinibus, lippientibus, imò quodammodo cæcutientibus oculis, totus decrepitus comparuisset, talem risum petulantibus illis scholaribus commovit, similem amoris omnino incapacem judicantibus, ut planè confusus (præcipue audito eorum scommatico dicto *turpis amor senum*, confestim discesserit, cogitans, sese de inflicta injuria opportuno tempore vindi-

care. Intereà ſubtile à magno artifice depingi curavit emblema, in quo delineata erat virga piſcatoria, quam immediatè ſuprà aquam tenebat cupido, cujus hamo affixus extrahebatur ſupremus deorum Jupiter cum dicto, *nec Deus immunis.* Secundùm Virgilii mentem *amor cælos ſubjicit atque Deos.* Significans tantam fore amoris efficaciam; ut etiam Deum ipſum vincat. Ac proindè neutiquam mirum erat, quod illius ſagittis, ſenis & decrepiti pectus trajectum videretur. Idem contingit Deo noſtro: miramur & obſtupeſcimus cuncti illum, qui æternus eſt, infinitus, incomprehenſibilis, immenſus, creator, finitam, comprehenſibilem, commenſuratam adamet creaturam. Sed amori, inquit Bernardus, id eſt attribuendum. Sic namque rogat: *Quis hoc fecit? Amor*, reſpondit, *dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triũphat de Deo amor; ut etiam ſciamus amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt.*

Damianus attentè contemplans, ſimul & demirans charitatis Dei ergà nos magnitudinem, ingenuè confitetur, eam non tantum humano intellectui, verum etiam angelico fore incomprehenſibilem. Quod hoc argumento probat. Si inquit vehemens Jovis ergà Europam amor totam gentilitatem, cunctoſque diſertiſſimos poetas reddiderit attonitos & mutos, qua è cœleſti deſcendit throno, terramque incoluit pelle bovinâ coopertus, teſte Hieronymo dicente: *Iupiter Rex terrenus, qui & cælorum Rex dictus eſt, poſt Europam mugire coactus eſt. Ecce quem bonitas ſuper cælos extulit, fœemina bruto comparavit.* Idque dumtaxat, ut amatâ ſuâ frueretur; quis non ſtupore complebitur, ait Damianus, dum verum & ſupremum Deum paternum deſeruiſſe ſinum, humanam aſſumpſiſſe carnem, ſe tot ſubjeciſſe tormentis, ut tandem adoptatâ prædâ potiretur; lapſumque hominem, & in mundo imbellem jacentem corroboraret, atque ad cælos uſque elevaret? *Niſi*, inquit Hieronymus, *Deus humanam ſuſcepiſſet naturam, numquam homo ad cæleſtem pertingeret gloriam. Niſi Deus humiliaretur infrà ſe, nequaquam exaltaretur ſuprà ſe. Niſi paulò minus ab angelis minoratus eſſet Deus homo, numquam æqualis angelis fieret purus homo.*

Sed cur quæſo tanta cura Deo, tantaque ſollicitudo hominem ad paradiſum deducendi profectò *Amor hoc fecit.* Illud namque habet eſſentiale amor, ut nullatenus quieſcat, niſi amans ſuâ fruatur amata. Deus clamabat, *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Prov. c.8. v.31. A quibus ſi avellatur, ille, qui in ſe perfectiſſimè glorificatur, & beatificatur, quaſi ut ita dicam, inquietus videtur, & omnia deperdidiſſe cenſet. Quod apertè ipſemet indicat per Prophetam Iſaiam: *Et numquid mihi eſt hic dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis.* C.52. v.5. Ac ſi diceret inquit doctiſſimus Hugo: *Ex quo genus humanum exulat in mundo, & premitur à diabolo, quid mihi eſt hic, id eſt in cælo? quaſi dicat, non reputo me aliquid habere in cælo habendo angelicos ſpiritus, qui ſunt quaſi nonaginta novem oves in deſerto, niſi habeam ovem errabundam in exilio.* Undè ipſemet dicit: *Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Quæ ſcriptura prima fronte apparet fallibilis. Quomodo enim Chriſtus, qui ſecundùm SS. PP. intelligitur per granum frumenti, niſi mortem ſubiiſſet, ipſe in cælis reſtaſſet ſolus? quandoquidem apertiſſimè atteſtetur Daniel: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* C 7. v.10. Ad hoc reſpondet apprimè aſſentiens Hugonis doctrinæ S. Antonius de Padua: *Solum manet, quamvis ſocietatem haberet angelorum, quia deliciæ ſuæ, & ut ita dicam ipſius gloria eſt, eſſe cum filiis hominum.* Serm. in Domin. 3. poſt Pent.

Id ipſum evidenter comprobatur ex Evangeliſta Matth. c. 22. Ubi narratur, quomodo Rex locum intrans nuptiarum, ut videret diſcumbentes, viſo ibidem homine non habente veſtem nuptialem, ira accenſus eum juſſerit expelli. Ait enim Scriptura: *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores.* Verſ. 13. Quod Rex ille Deum ſupremum omnium hominum judicem ſignificet, conſtans & communis SS. PP. eſt opinio. Verum hic maximè notandum eſt eum ſubjungere datæ ſententiæ, *multi enim ſunt voc[ati] pauci verò electi.* Quæ verba difficultatem pariunt non exiguam. Quomodo enim hæc duo conſiſtere queunt, ut unus tantum ejiciatur, & tamen benigus Deus conqueratur, *pauci verò electi.* Hanc enodat magnus ille Doctor Auguſtinus dicens, tam ardentem ipſius amorem fore ergà quamlibet animam, ut dum unicam dumtaxat perire cernit, paucas ſalvari arbitretur. *Certè unus erat ille, qui non habebat veſtem nuptialem, projecit eum, quare projecit? multi ſunt vocati, pauci verò electi. Dimittit paucis, ſuſcipit multos, & tamen unus erat.*

Sed ferventem hunc Dei noſtri ergà hominem

nem amorem clariùs adhuc attestatur Apostolus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit, seipsum pro me.* Ob hoc obstupefactus exclamat S. Chrysostomus: *Quid facis ô Paule? dum communia propria tibi vindicas, cum, quæ pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria?* cui interrogationi respondet, eum quam optimè dixisse *pro me*: *quo*, inquit, *declarat hoc par esse, ut qui, quenostrûm non minùs agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob unum tantum exhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominem pari hæreditatis modo dilexit, quo diligit orbem universum.* O immensa Dei nostri benignitas! ô piissime Domine! tantine valet anima mea, ut pro ea sola tanta paratus fueris subire supplicia: *Non discurrit amor.* Et ut rectè ait Ambrosius, *vulnera doloris non timet, qui vulnera amoris sentit.*

Chrysost. homil. 24. in Gen.

Ah quàm egregiè ille elucet in sacra Scriptura num. c. 1. Deus mandat Aaroni & Moysi, ut exactè plebis electæ examinetur numerus: *Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas.* Ad quod Oleaster obstupefactus, curiose observat pauco antè tempore multitudinem Israelitarum fuisse ad amussim computatam, & petit: *Non est Domine completus annus, quo eos numerari præcepisti, & jam iterum computari vis? quid est, quod tam crebro eos numeras?* ad exaltandum mirificum misericordis Dei nostri ergà hominem amorem, dilucidam ex similitudine adfert responsionem. Nonne inquit quandoque animadvertistis sordidum avarum indies nummos suos computare? sed quorsum quæso? non nisi, quia iis summopere delectatur: Deus noster, non avarus, at liberalissimus gentem suam, animas nostras recenseri, ex vehementi, quo in eas ardet charitate, præcipit. Ita Oleaster: *Nam quemadmodum qui pecunias diligit, continuò eas supputat, ita Deus eos, quos diligit supputare non desinit.* Undè sub avari nomine posset Christo nostro accommodè appropriari illud Salomonis, *unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis.* Id est nobis juxtà interpretationem Gregorii Nazianzeni: *Quia Deus nos pro divitiis habet.* Et si quæratur quare? *Non discurrit amor,* ait divina bonitas.

Vers. 2.

Oleaster in hunc locum.

Eccl. c. 4. v. 8.

Sicut mox insinuavi, amatæ præsentiam amanti fore animi satisfactionem; ita è contra illius absentia intolerabilem ipsi adfert afflictionem. Quod in amante mundano locum possidet, in Christo quàm affluenter abundat. Ut ab illo incipiamus: nonne luce clariùs est, longâque experientiâ comprobatum, quòd si amans longo itinere à sua divellatur, imò & parvo, eum in tantum tempus tædere, ut momentum integra appareat hora, & hora annus. Ac proinde in illius discessu non nisi summa intrinseci doloris ostentat indicia. Ut ad Christum transeam, is tamquam spiritualis amator, nondum passus, veruntamen passurus, atque cælum ascensurus, mirabili usus metaphorâ, semetipsum peregrino comparavit: *Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.* Qui locus à SS. PP. intelligitur de Christo ascendente ad Patrem, qui servis suis, id est, Christianis divitias suas, infinita scilicet Passionis suæ merita, & septem Ecclesiæ Sacramenta reliquit, quibus unusquisque tenetur animæ suæ lucrari, atque mercari salutem. Verùm hîc obstupescit Chrysostomus, vix valens comprehendere, quomodo Christus ex hoc mundo transiens ad Patrem, & patriam suam, appelletur peregrinus. Quandoquidem tò *peregrinus* à patria ad alienam regionem, importet discessum. Huic dubio respondet præallegatus Doctor, Christum adeò strictis ergà hominem amoris constringi vinculis, atque in tantum illius gaudere consortio, juxta proprium ejus testimonium, *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, ut quantumvis ad patriam tendat, tamen ab homine separatus, peregrinari autumet. *Peregrè se iturum dixit propter charitatem eorum, quos relinquebat in terra.*

Matthæi c. 25. v. 14.

Eccl. c. [?] v. 8.

Ex hoc & antè dictis percipiemus sensum, tum mysticum, tum litteralem difficilis cujusdam Scripturæ loci registrati 1. Cant. sponsa pertæsa tam longæ dilecti sponsi sui absentiæ ingemebunda clamitat: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* sed audite mirabile, quod neutiquam correspondere videtur interrogationi, responsum: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi.* Verùm quare ô Sponse tam durum sponsæ reddis responsum? *Egredere*: ut me inveniat, transeat, sed me jam invento, *Abi*, suaves amantium non sapit regulas. Hîc profectò reor quoddam sublitescere mysterium, quod nobis manifestat Laurentius Justinianus, qui sentit hîc sponsam aberrare, dum foris, & non intus sponsum quærit; nullibi enim, quàm in sua reperiendum amata: quia sic habet dictum: *Nexus amoris.* Audite Justiniani verba: *Ne labores me alibi*

Vers. [?]

quæ

quærendo extra te ullo modo, in te enim, ubi hactenus me non quærebas, tanquàm in meridie quiesco. Et sanè optime ait , quia juxtà Aristotelem *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat* Et Plato inquit: *Vivit amans in amato.*

Verum quid his frivolis tempus terimus ? progrediamur obsecro ad amoris Christi aurifodinam, quæ tam pretioso scatet thesauro, ut quemlibet ad eam perlustrandam facillime adducere queat. Exordiamur ipsius primordia ab ipsa Christi in utero virginali conceptione , in qua nonne stupendum ipsius confitebimur in nos amorem, ubi tantam tantæ majestatis summopere admiramur exinanitionem ac humiliationem ? profectò hoc factum totius salutis nostræ solida basis est , ut non obscure videtur insinuare Guerricus Abbas dicens : *Omnium humanorum infirmitatum, quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo , quod in utero majestas illa incircumscripta passa est contineri. Tanto tempore nil loquitur illa sapientia , nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas , quæ nostrûm causâ latet, proditur.*

Serm. 3. de Annunc.

Sed absit majestas ; nonne in hoc elucet Dei mirificus amor, & admiranda benignitas ? quoniam quid in visceribus piissimæ matris Mariæ verbum didicit incarnatum , nisi charitatem & pietatem ? hic profectò misericordia & veritas obviaverunt sibi , strictamque inter sese iniêre concordiam. Ante severa dominabatur justitia, at tunc regnans apparuit misericordia. Tunc Deus vindicativus, nunc Rex pacificus appellatur. Nec id mirum : etenim Aristoteles lib. 2. Æthicorum textu 9 ait : *Dura terminantur termino proprio, liquida alieno.* V G. gladius duræ naturæ, si vaginæ imponatur, antiquam suam etiam extractus, ut patet, conservat figuram ; aqua verò, & omne liquidum continentis vasis induit figuram. Unde, si rotundo infundatur, rotundam, si plano, planam retinet. Nondum peracto incarnationis mysterio, Deus terminabatur termino proprio, & suâ justitiâ adeoque durus, & ventilans cornu peccatores usque ad extremum terræ ; verum terminatus alieno, nimirum virginis utero liquefactus est, & misericordiæ figuram assumpsit.

Nec desunt in illius nativitate, & tota vita stupenda amoris indicia. Quis enim in summam non rapitur admirationem , si mente stabulum accedat, in eoque contempletur dominum dominantium, cæli & terræ creatorem, non habentem locum in diversorio , jacentem in præsepio præ frigore vagientem , à cujus calore omnis fovetur creatura ? quis non obupescet , si attentè intellectus oculis intueatur potentissimum monarcham vilibus involutum pannis ? quis non in extasim raptus, hæc considerans mysteria, exclamabit ô tenelle puer, cur non nasceris in magnifico cujusdam regis palatio, sed humilis jaces in stabulo ? cur tenera membra ô Jesule! tam rigido exponis gelu ? sed ah ? quid responsi : *Non discurrit amor.* Hic est, qui urget à passione vitam exordiri, continuare, & simul finire. Undè eâdem tenerrimus infantulus exagitatus flammâ, cum vix octavum attigisset vitæ diem , cruentum ardentis amoris erigere statuit trophæum , patrique æterno pro mundo primas immolare voluit in circumcisione sanguinis guttas. Quod sanè tantâ majestate omninò apparet indignum. Quoniam, cum circumcisio juxtà D. Thomam præcipuè in remedium peccati originalis sit instituta ; cur ille, qui est ipsa per essentiam puritas, & sanctitas, reorum subjacet legi ? de hoc admiratus ad Jesum clamat Bernardus : *Quid est enim circumcisio, nisi superfluitatis, & peccati indicium ? in te Domine Iesu quid est superfluum, quod circumcidatur ? nonne tu verus Deus es ? de Deo Patre, homo verus sinè omni peccato de virgine matre ? quid facitis circumcidentes eum ? putatis quod super eum possit cadere illa sententia, masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo.* Verum in vanum obstupescis Bernarde! *Quoniam non discurrit amor.* Ille urget, ille instigat, ille cogit sanguinem effundere : sicut namque ajunt medici, *cùm amor sit vivacissimus spiritus intra præcordia genitus, in principio motus parùm diligit, si multùm quiescit.* Cum itaque Christus intensissimè diligeret, impossibile erat, ut parùm quiesceret. *Circumcisionis*, ait Rudolphus Carthusianus, *accêpit signaculum, ut pro te sanguinis pretium non tardans effunderet, & se tum verissimum salvatorem ex nunc ostenderet.*

3. P. Q. 70. A. 2.

Undè hic amantem Jesulum sese gessisse videtur ad instar alterius Sichem filii Hemor Hevæi principis terræ illius. Is, ut refert Scriptura Gen: cap. 34. visâ pulcherrimâ Dinâ, illius inescatus amore, eam violenter rapuit, & oppressit. Quo scelere commisso, Dinam à Jacob, & fratribus ejus in uxorem expostulavit : Qui in dolo pacti sunt hâc conditione , ut omnis masculinus sexus circumcideretur ; quâ acceptâ, nullam, amore Dinæ æstuans Sichem injêcit conditionis adimplendæ moram.

moram. Ut patet ex v.19. *Nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde.* Sed quid agis infelix juvenis? hæc, quam adeò ardenter amplecteris, circumcisio certissimum ulterioris sanguinis effusionis, imò & mortis est præludium. Quid responderet inquit S. Ephaim, si eum rogitasset quispiam, quomodo te Sichem tàm imprudenter in tot conjicis pericula? hoc unicum profectò: *Vulnera doloris non timet, qui vulnera amoris sentit.* Sic inquam & Christus responderet, si ipsi proponeretur, ô pie Domine, sanguis ille, quem modò tenellus, spargis, futuri sanguinis diluvii est prognosticum. Quid itaque tanto te exponis discrimini? sanè ad instar Sichem replicaret. *Vulnera doloris non timet, qui vulnera amoris sentit.*

Sed quid obsecro sua cruentâ, & amorosâ circumcisione à nobis in recompensationem exigit? sanè nil, nisi mutuam dilectionem, atque incruentam nostrûm ex ejus amore circumcisionem juxtà illud Apostoli: *Et nos oportet circumcidi, non carne, sed spiritu, & præputium nostrum vitium est, quod à nobis debet abscindi.* C.4. v.4. Ad hanc circumcisionem nos adhortatur Propheta Jeremias: *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum.* Si enim reperias quoddam radicatum malum, velociter evelle radicem. Si urgeant sensualitates, eas abstinentiâ mortifica, si concupiscentia ingruat carnalis, refrena illam armis pœnitentiæ. Circumcidite, ô superbæ fœminæ infamem vestium luxum, & omnia superflua corporis ornamenta, quæ diabolo in escam deserviunt, & quibus miserè juvenum rapit corda. Circumcidite oculos ab inhonestis aspectibus, qui sunt mera ad lasciviam incitamenta. Circumcidite ô Christiani aures vestras ab audiendis de proximo tuo detractionibus, atque obscenis cantilenis, linguam murmuratione, detractione, blasphemia, juramento, mendacio, &c os à gula & crapula. Manus à furtis, & homicidiis. Hoc effusus in Christi circumcisione exigit sanguis. Ast heu quot sunt, qui crudeliores impia Tullia Tullii filia, quæ aurigæ, viso patris ejus in angusta platea jacente cadavere, rhedam sistenti, ne super illud veheretur, imperavit, ut intrepidè pertransiret dicens: *An non ducis ignavissime per hominem mortuum?* sanguinem Christi tanta pietate, tanto amore pro iis effusum, crudeliter suis spurcitiis commaculant, & suis impiis atque detestandis sceleribus conculcant. O ingrati! ô tigride sæviores! audite, audite Paulum argumentum à minori ad majus conficientem: si inquit irritam reddenti legem Moysi certa decreta sit mors: infert, *quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum fecerit.* Ad Hebr. c.10.v.28 Ad hoc attendite ingrati, & vel ex hoc discite divino correspondere amori.

Diximus suprà amorosum Jesum avi Pellicano (quæ ab Epiphanio appellatur *prolis amans*, ideoque apud veteres pro vero habita est amoris hieroglyphico) rectissimè appropriari, Quoniam quàm plurimæ ipsi illius quadrant proprietates. De hac S. Hier. quod dum pullos suos venenoso serpentis afflatu cernit enecatos, pectus & latera aperiat, è quibus copiosum super eos effundit sanguinem, quo denuò vivificantur; Quod naturalistas communiter sentire affirmat Augustin. Psal. 101. v.7. suprà hunc Davidicum locum: *Similis factus sum Pellicano solitudinis. dicunt matrem seipsam graviter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere. quo illi superfusi reviviscunt. Quod si verum sit,* inquit, *quemadmodum ei congruat, qui nos vivificavit sanguine suo, videte.* Est itaque verè nostrum amans. Etenim, si hæc suorum vulnera, imò & necem sanguinis illitu medetur, noster Pellicanus Christus horrenda delictorum nostrorum vulnera pretioso cruoris sui succo sanavit: & non latus tantum aperiri permisit: verùm etiam ultrò omnes totius corporis venas clavis, flagellis, spinis, aliisque noxiis instrumentis secari voluit, ut totum sanguinem suprà exanimes Christianorum animas in cruce, tamquàm salutiferum balsamum pius effunderet. Idque non semel tantum, sed infinities quasi in venerabili Synaxi effluenter distillat juxtà illud Ambrosii: *Vulnus est, quod Christus excêpit, sed unguentum est, quod effudit.*

Miro stratagemate utuntur medici ad tenellum puerum adhuc nutricis ubera sugentem à morbo curandum. Si ex pulsu illius judicant ei opus fore pharmacum, aut venæ apertionem, propter pueri exiguas vires, sanguinisque penuriam è brachio nutricis sanguis extrahitur, eique pharmaca præbentur, ut lac purificetur, sicque puer sugens ad pristinam sanitatem deducatur. Ah quantâne nos oppressi eramus infirmitate! sanè tali, ut ipsi vix ulla propter nimiam nostram imbecillitatem superesset medela. Sed ecce piissimus Christus ad instar alterius nutricis purissimum suum sanguinem copiosè nobis effudit in vitam æternam. C.11 v.5 v.4. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Quod prædixerat Propheta Oseas: *Quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis: & nescierunt, quod curarem eos* Sed quomodo? *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Et ero eis quasi exaltans jugum suprà maxillas eorum: & declinavi ad eum, ut vesceretur.* Nimirùm carne & sanguine meo, ut homo spiritualiter vivat. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed quis in tantum divinam exinanivit majestatem, ut seipsum in escam & potum abjectæ sub speciebus sacramentalibus præbeat creaturæ? audite quid respondeat Bernardus: *Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor, ut scias amoris esse, quod plenitudo effusa est.* Unde ei quàm optimè appropiari potest amoris epigraphes *dat omnibus affluenter.* Ut attestatur Bernardus: *Quasi non sufficeret amoroso Iesu ad inebriati sui amoris ostentationem, quod semel sanguinē suum pro nobis realiter effudit in ligno, nisi in nobis quotidie effunderet in sacramēto.*

Ioan. c. 6. v. 54.

Serm. 64. in Cant.

O amor quàm potens es! ô charitas quàm incomprehensibilis es! O ardor omninò inextinguibilis! delirasne ô suavissime Christe, ut olim Cremantes, apud quos consuetudo vigebat, quod in singulare sinceri amoris mnemosynon è venis amans cruorem elici curaret, & personæ amatæ bibendum exhiberet? aut ad instar Medorum, qui è vena pectorali, cordique maximè vicina dilecto suo proprium sanguinem subministrabant? hæc antiquitùs vana inter gentiles, & superstitiosa mundani amoris extitêre testimonia. Verùm noster neutiquam delirat Christus, qui vehementi ergà humanum genus amoris accensus ardore, non tantùm è pectore, sed ex toto corpore sanguinem abundanter effudit, & amorosè in eucharistico sacramento in divinum animæ nostræ alimentum indies offert. *Deus*, inquit Augustinus, *Amore venit ad homines, & in homines* (scilicet per Eucharistiam) *& factus est homo amore invisibilis, servis suis factus est visibilis, amore vulneratus est propter delicta nostra* Ut ex amoris vulneribus medela efflueret immortalitatis, imò, ut exanimes filios sacri hujus liquoris profluvio vivificaret. Unde ait Bernardus: *Filius Dei altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, numquàm pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Quia itaque venenosus infernalis serpens animam nostram pestifero usque ad mortem infecerat halitu, amabilis usque ad mortem sauciatus est noster Pellicanus Christus, ut vulnera nostra suis risanaret vulneribus. Quam inauditam pietatem perponderans Bernardus in hæc prorumpit verba: *O quàm indebita miseratio! quam gratuita dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo! quam invicta mansuetudo! regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi? quis audivit unquam tale? aut quis vidit huic simile: vix enim pro justo quis moritur, ipse verò pro injustis & inimicis mortuus est.* Sed quid? *Non discurrit amor.*

Serm. 4. de Nativ. Domini.

Serm. de Quadrup. debuo.

Eja igitur Christiani intimè redamemus tàm arctè nos amantem, diligamus eum, qui amore nostrùm languens clamavit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Suavisonas amantique gratas cum mellifluo Doctore intonemus voces: *Pro his ita sum amans te, quantum possum, sed est, quod me plus movet, plus urget, plùs accendit: suprà omnia inquam, reddit amabilem te mihi Iesu bone, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi: hoc est, quod nostram devotionem & blandiùs allicit, justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs* Quoniam hoc calice nostrum totaliter devincis amorem, animas nostras sitibundas adinstar amantis avis Pellicani refocillans. Sed de hoc mysterio & amore (Deo dante) latiùs infrà.

Cant. c. 2. v. 5.

Cap. 6.

Verùm hic neutiquam omittere possumus curiosam indagare quæstionem: nimirùm ob quod motivum Christus hoc sacratissimum sacramentum instituerit sub binis speciebus panis & vini; quandoquidem secundùm fidem catholicam dominicus sanguis per concomitantiam ponatur sub specie panis cum corpore. Quidam respondent, & non adeò absone: quod, quoniam eucharistia est spirituale convivium, necesse erat ut esca & potus adesset. Ast ad meum propositum nunc adhæreo sententiæ Theophilacti, qui apprimè ardentem ergà hominem per hoc Christi comprobat amorem. Dicit ipse Christum id in gratiam & benevolentiam unius Judæ infamis proditoris fecisse; prævidérat enim infinitâ suâ præscientiâ æterna bonitas impium Apostolum eucharisticum & divinum donum quidem è manibus suis suscepturum, sed mox è fœtido ore ereptum ac occultaturum, ut illud Judæis ostenderet, & Christum insaniæ atque dementiæ incusaret,

Anselm. Serm. 7. Super hunc locum lib.

ret. Amor attamen, qui nullatenùs discurrit, ursit benignum Jesum, ut illud ipsum ultrò ei sub speciebus vini præberet cum dicto amantis: *Nolentibus offero*: utpote non tegendum, quatenus tàm salubri pharmaco deperditi Apostoli animam risanaret, & ad spiritualem vitam revocaret. Audite præfati Doctoris verba: *Prævideral unigenitus, quod Iudas corpus suum occultaret, poculum autem invitus biberet, quia non poterat occultare, ideò ei etiam sanguinem dedit, ut illum etiam invitum & recalcitrantem adhuc suo sanguine saginaret.* Ast proh dolor! omnia frustrà, & in vanum. Nec hâc quidem obduratum Judæ cor emollitur benignitate. O Christe ecquid agis? nonne dedecet tàm pretioso potu fædifragum tui alere homicidam? nonne dedecet isti scelerato illud sanctissimum corpus offerre, quod ipse per perfidos pharisæos & scribas infami traditurus erat cruci? dic obsecro, ô pie Domine! quis te ad tantam allexit clementiam? ah amor id fecit: quia *non discurrit amor.*

Et sanè non discurrit Christi amor; quia ipse omnimodè majestatis suæ oblitus, novo amoris utitur stratagemate, ut aberrantem Judæ animam ad rectam deducere queat semitam. Ecce vix in cæna infamem à Juda passus repulsam, ad hortum tendit Gethsemani ibidem proditorem osculo pacis osculaturus, & de obstinata nimium mente illum tacitè reprehensurus: *Accedens ad Iesum*, inquit Matthæus, *dixit ave Rabbi, & osculatus est eum.* Quam Domini mansuetudinē contemplans S. Anselmus quasi in extasim raptus exclamat: *Accedentem ad osculū oris tui cruentam bestiam non es aversatus, sed os in quo dolus inventus non est, ori, quod abundavit malitia, dulciter opposuisti.* Et Gregorius Naz. summam Judæ attendens ingratitudinem ait: *Sancto amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento mortem irrogas.*

Cap. 26.

Anselm. Serm. 7. Super hunc locum lib. 5.

Ast quare permisit piissimus Dominus sordidis traditoris labiis nitidissimum suum attingi os? cur in genis, aut in fronte subdolum illud & severum non excepit osculum? antiquitùs apud Ethnicos mos inoleverat, ut proximè moribundo consanguineus, aut affinis assisteret, dumque jam animā exhalaret, os ori superponeret: idque quia falsè & superstitiosè credebant, ut narrat Karmanus de funeralibus Romanorum, Animam exeuntem hoc modo excipere, & in se transferre. Haud dissimiliter sese gessit Christus. Prævidebat jam Judam morti vicinum fore, ideoque discipulo osculum oris præbuit, ac si diceret: ah Juda ultimum æternæ damnationis, aut salutis tuæ iminet punctū; vitæ tuæ jam jam appropinquat terminus. Eja igitur os ori appone, ut impiam tuam animam diglutiam & salvem, non me ejus retardat spurcities, nō avertit sordiditas, quia nō discurrit apud me amor. Quem in tantū ergà proditorem eluxisse sustinet Laur. Just. ut autumet Christum ipsius pedes non aquâ sed lachrymis lavisse. *Silentio*, inquit, *& lachrymis lavando amoris excessum insinuabat.*

Lib. de passione Christi. C. 3.

Sed ut hunc amoris Christi excessum parumper enucleatiùs perlustremus, perscrutemur semel rarum ipsius in horto exhibitum indicium. Vix Dominus illum intrârat, incēpit statim ad æternum exclamare Patrem, ut refert Evangelista Matth. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Ad quod summopere obstupefactus S. Hilarius ait: *Cur calicem à Patre propinatum bibere recusas? & meritò; cum enim ex amore hominū passurus è cælo ad terram descendisset, quid modò pati formidat?* plurimæ hujus loci reperiuntur interpretationes. Beda dicit Christum hic rursus intimam suam demonstrasse charitatem. Ipse namque vehementes dumtaxat in anima sentiens dolores; *Tristis est anima mea usque ad mortem*: Ad alia & graviora anhelans tormenta exclamavit: *Transeat à me calix iste. Id est*, inquit hic Doctor, *ab anima ad corpus.* Alii ajunt Christum summoperè fuisse turbatum, quia divinâ & infinitâ suâ præscientia certò cognoscebat acerbam suam passionem tot hominibus futuram infructiferam, imò nocivam: *Tristatur Dominus*, inquit Bern. *Videns, tot privandos esse gloriâ paradisi, & ad pœnam inferni damnandos.*

Illud *transeat*. Laur. Just. explicat & dilucidat familiari quâdam similitudine. Numquam vidistis, inquit, ægrotum ardenti laborantem febre? indubiè. Numquam annotastis, quod is summâ oppressus siti, dum pro refocillando linguæ suæ ardore potum exigit, si ei pauxillum præsentetur liquoris, bibere recuset, æstimans tantillum ad tam intensam extinguendam sitim minime sufficere? sic Christus totus sitibundus expectans à patre abundantes dolorum fluxus juxtà illud Davidicum, *improperium expectavit cor meum & miseriam*, desideransq; illud adimpleri in eodem Psal. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*, ad patrem clamitat? quid ô pater? ecce sitio, & siti quidem violentissimâ maximeque intensâ, & tu tantummodò mihi calicem offers? ah piissime genitor! ille nequaquam tanto subvenire

Psal. 68. v. 21.

Vers. 13.

venire potest ardori: tolle, tolle & hunc: *Transeat à me calix iste*, & aliud adferatur vas; *quasi diceret* ait Justinianus. *Hæc pro electorum salute patior, ista pro honore tuo sustineo: verùm quia parva videntur, adde flagella, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide, universa hæc & majora toto desiderio sitio.*

Curiosa à SS.PP. indagatur quæstio; nimirùm ob quam rationem Christus Dominus expressè tempus passionis suæ elegerit vernum, & non hyemale, quo nix, glacies, rigidi venti, atque intensum frigus non modicum certè ipsius augmentassent tormenta. Aut ut alii inquierunt, cur non æstivum, quandoquidem illo tritici colligatur messis: sicut Christus in passione abundantem meriti accumulavit acervum. Et quemadmodum in æstate quidam ob ingentes calores veste sese spoliant, sic Christus intùs amoris flammis ardens, nudus crucis trabem ascendit. Vel autumnale, quo vinum è botris torculari exprimitur. De eo enim ait sponsa Cant. c. 1. *Botrus Cypri dilectus meus*, qui in arido crucis torculari vehementer fuit pressus, ut ex eo ad animarum nostrarum salutem salubris pretiosi ejus sanguinis succus proflueret. Et rursùs, sicut autumnus tempus est fructuum, sic & tempus passionis Christi messis meritorum. Vix itaque ratio elucescit, cur rectè in vere mori voluerit. *Vers. 13.*

Quod si dicas forte, quia sicuti in vere ex arboribus frondes pullulare, & flores abundantiam fructuum prænuncii apparêre incipiunt, sic peccatores omni gratia denudati vi & virtute passionis Christi spiritualiter reviviscunt: aperte contradicis opinioni S. Bernardini, qui aliam ad nostrum propositum allegat rationem: cujus energiam, ut radicitùs penetremus, advertere oportet id, quod communiter docent medici, nimirùm sanguinem humanum in corpore aliis anni temporibus fore quietum, at in vere in venis ebullire & moveri. Noluit igitur pius Dominus in alio tempore mori, quo sanguinem quiescere cognoverat, veritus, ne tanta velocitate (ut desiderabat) è venis efflueret, vel aliquid illius in corpore remaneret. Et ideò elegit tempus vernum, ut ebulliens tunc sanguis è corpore flagris, uncis ac fustibus dilacerato, majori cum vehementia & motu saliret, & usque ad ultimam guttam profunderetur. Sed quid agis piissime Jesu? nonne unica plenariæ hominis sufficiebat redemptioni? imò sanè, cur itaque tàm prodigus cruoris tui totum exhibere anhelas? ah! *sufficiebat*, inquit Chrysost. *Redemptioni, sed non satis erat amori.* Quia *non discurrit amor.* Cui apprimè adstipulatur S. Bonaventura dicens: *Dic quæso mi Domine, cùm unica sanguinis gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo profundi permisisti?* & respondet ad instar amantis, *sic urget amor*, subjungens, *scio Domine, & verè scio, quia non propter aliud fecisti, nisi, ut ostenderes, quanto affectu diligeres me.* Audite modò suprà prætactam difficultatem S. Bernardini verba: *Tempus veris ad passionem suam elegit Dominus meus Iesus Christus, ut cum in tali tempore sanguis ebulliat, ipseque facilè emittatur, totum sanguinem effunderet pro nobis, & nihil in eo maneret.* O immensa Christi patientis charitas! O inexplicabilis amoris ardor! *Bonaven. opusculo de perfect. vitæ c. 8.*

At hîc nondum extinctus inflammatæ charitatis fornacis vigor; etenim ad passionem sese accingens, stupenda in eâ demonstravit amoris indicia. Et in primis quod ipse, qui jure sese jactabat tanquam omnium dominum: *Domini est terra, & plenitudo ejus*, crucem ascenderit, totum suum in terram renuncians dominium: *Nec spatium pedis in terra habere voluit*, ait Bonaventura, *quando in cruce moriens pro te pendere voluit.* *Psal. 23. v. 1.*

Prætereà quod manus suas perforari permiserit, sesèque cruci affigi, idque in hunc finem, ut sicut fur desiderans astutè & sine discrimine furari, vellet domus dominum vel inhabitatorem fore ligatum: ita Christus in manibus suis omnium donorum cælestis thesauri continens copiam juxtà illud Joannis: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus*: voluit vinciri, ut nos preciosa illa monilia eriperemus. Et ut suum evidentius manifestaret amorem & liberalitatem, etiam eas inclavari jussit. Sed cur, ô pie Jesu? nonne sufficiebant chordæ? nonne magis conforme fuisset moribus Judæorum, qui ordinariè non nisi funibus reos crucifigebant, ut patuit in duobus latronibus. Vel, si quandoque ob nimium criminis excessum clavis configerentur, ii pulsum perforabant, tanquam partem plus nervosam, magisque capacem corporis pondus sustinendi. Cur itaque palmam manuum transfigi curavit? quod apertas exhibêre voluerit, non est, quod mirer, etenim hoc pietatis clarissimum extitit symbolum, sicuti ex pulcherrima quadam haurietis historiola, quam Cataloniæ continent Annales. *Cap. 4. v. 3.*

Contigit certo tempore populum Bohemiæ, destructâ certa legitimi regni hæredis linea, capite & rectore destitutum, misisse legatos ad Guilielmum

lielmum Gastonem, Cataloniæ Principem, cui duo insignes erant filii, unus nomine Guilielmus, alter nomine Gasto, eo fine, ut ex iis unum assumerent, ac seligerent pro Bohemiæ gubernamine. Petitioni eorum respondit pater, sese quidem contentum fore Bohemorum hac in parte satisfacere desiderio; verùm se nolle sibi electionem arrogare, sed ipsis illam relinquere. Hoc concluso, legati summo mane cubicula Principum adhuc dormientium intrarunt, amborumq; physonomiam, vultum, corporisque staturam attentè inspexêre. Ast, cùm Guilielmum, manibus apertis decumbentem, alterum clausis annotârunt, illum in suum Principem elegêre, judicantes eum verè Regem fore, qui apertis manibus liberalitatem præsagiret. Et sic Christus jam jam in Regem eligendus, juxta Pilati inscriptum, J.N.R.J. apertas toti mundo exhibuit manus, in veram prodigalitatis bonorum suorum, & gratiarum tesseram. Quod perpendens S. Cyprianus exclamat: *O vos omnes, qui transitis per viam, venite, & videte Regem vestrum Salomonem in cruce extensis pendentem brachiis, ut nos Divinitatis reos, non solùm benignissimè excipiat, sed etiam largissimè omnes thesauros, & Divinitatis suæ dona distribuat.* Optimè itaque populus Bohemiæ Guilielmum, tanquam beneficum futurum Principem selegit: & tu Christiane, non obstante, quòd cernas Regem Regum, & Dominum dominantium manibus apertis omnibus effundentem affluenter, eum contemnis, & impiè in Regem tuum & Dominum diabolum assumis? Ah, recordare, ô homo! præclaræ Polycarpi constantiæ, & fortitudinis, qui à perfido tyranno Herode proconsule instigatus, & compulsus, ut Christum denegaret, audacter atque animosè respondit, sicut attestatur Eusebius: *Octoginta sex annis servio ei, & nihil me læsit unquam, quâ igitur conscientiâ maledicerem, & blasphemarem Regem meum, qui salutem mihi dedit.* Et tu dic similiter.

Ad expiscandam modò genuinam rationem, cur misericors Dominus palmam manuum perforari permiserit, operæ pretium est, ad Aristotelem Philosophorum Principem confugere. Hic curiosè inquirit, quare natura homini manus concesserit semi apertas, & semi clausas? Et acutè respondet, nimirum, ne sit nimium prodigus, nec nimium avarus: quandoquidem in medio, videlicet in frugalitate, virtus consistat. Econtra tamen Christus, tanquam verus, & in excessu amans, desiderans sese erga hominem prodigum demonstrare, expresè voluit, ut per medium manus clavus pertransiret, ut hoc modo id, quod natura clauserat, amor aperiret. De quo obstupefactus Damianus, ait: *O sancte prodige! quod in te natura integrum reservavit, clavus aperuit.* O amor! ô charitas!

Christi jam crucifixi summopere admiror clamorem, & lachrymas, *Cum clamore valido*, inquit Apostolus, *& lachrymis, &c.* Etenim quisnam hic quæso fuit clamor? Evangelista Matthæus illum exponit c. 27. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quæ quærela in tantum intima piissimi Jesu concussit penetralia, ut etiam ex oculis abundantes elicuerit lachrymas. O animæ fontes istarum lachrymarum, considerate illarum effusionis mysterium! & nisi possideatis cor lapideum, non ambigo, quin quoque cum vestro Jesu in uberes erupturæ sitis lachrymas. Te cerno plangentem Christe: sed quid? hoc minimè capio. Quis enim unquam vidit strenuum belli ducem, mox mox de debellatis hostibus triumphaturum ingementem, multò minùs plorantem? Quis mercatoris jam cum opulentis mercibus ad optatum appellentis portum, stultam non demiratur mœstitiam? Quis sponsi brevi dilectam amplexuri sponsam, vanam non obstupescit angustiam?

Hebr. c. 5. v. 7.
Vers. 46.

Pro Christi lachrymarum atque doloris excusatione, aut, ut potiùs dicam, amoris illius exaggeratione, non absonum judico lachrymarum Patriarchæ Jacob reminisci, quas, conspectâ pulcherrimâ Rachaële, effudit, sicut attestatur sacra Scriptura Gen. c. 29. *Et ecce Rachaël veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. Quam, cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur: & adaquato grege, osculatus est eam, & elevatâ voce flevit.* Sed quid? hic Jacob planctus in densiores me detrudit tenebras. Quæ namque lamenti ratio, ubi suam propheticis oculis futuram conspicit sponsam? S. Hieronymus pro hac enodandâ difficultate, nos remittit ad patris illius Isaac cum Rebecca sponsalia, annotatque curiosè, eum per servum Abrahami amatæ quamplurima in conjugalis amoris mnenosynon obtulisse munera, ut refertur Gen. c. 24. *Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* Cujus memor Jacob, sese totaliter pauperem agnoscens, & ignarus, quid sponsæ traderet, amarè flevit. Sed hunc locum explicat præfatus Doctor: *Flevit elevatâ*

V. 9, 10, 11.

vatâ voce Iacob, qui dilectissima sponsæ Rachaëli quid donaret, non habebat: memor, quàm splendida dona, & munera pater Isaac matri Rebeccæ per servum miserat.

Eodem planè modo properat Christus, sponsalia cum sponsâ sua Ecclesia contracturus in duro crucis thalamo. Quoniam cernens sese ligatum, inclavatum, & quasi impotentem aliqua sponsæ tanto zelo electæ præbere munera, ad cælestem exclamat Patrem, & lachrymatur, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O bone Jesu! anne itaque totaliter deliras? an non sentis acutas caput tuum terebrantes spinas? an non æstimas pungentes clavos? an oblitus es verberum, flagellorum, & abundantis pretiosi sanguinis tui profusionis, quæ omnia pretiosissima sunt sponsæ tuæ monilia? imò illi in finem sæculorum tradidisti carnem tuam, & sanguinem Divinitati in Eucharistia conjunctum. Quid ultrà? videor audire benignum Dominum respondentem: sed hæc quæ sunt, ut tam ardenti meo satisfaciant amori? nihil, nihil. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Audite præfati Doctoris verba: *Dominus meus Iesus Christus, quasi nil dedisset, nec haberet, quod daret Ecclesiæ sponsæ suæ, clamore valido flevit.*

Et ecce exauditus est pro sua reverentia. Quoniam Pater æternus æstuanti filii volens obviare calori, illiusque amoris succurrere pleuritidi, tremendum permittit terræ motum, ut montis, simul ac crucis concussione superstes è venis Christi pro arrha sponsæ effluat cruor. Quod advertens Damascenus, ait: *Attendas hoc mysterium, attendas precor, ipse, ut totum sanguinem effunderet, factus est terra motus magnus: quo terra motu concussus est mons Calvariæ, concussumque Christi corpus, quâ concussione totus sanguis exhaustus est.* Quo facto, exclamavit Jesus: *Consummatum est*; quasi indicans sese cuncta dedisse, sicque abundantissimè suum ostendisse amorem. Ita apposité explicat Hugo Cardinalis: *Veri, & liberalis amoris simulachro absoluto, moriens exclamat, Consummatum est.* Cui apprimè concinit S. Bernardus, dicens: *Quàm magnificus factus es in nuptiis tuis Rex sponse, bone Iesu, quàm largè omnia, quæ habuisti, tradidisti: latroni paradisum, filio matrem, matri filium, mortuus vitam, manibus Domini animam, toti mundo signa potentiæ tuæ. Pro redimendo servo, non ex parte, sed totum sanguinem fudisti.*

Ah! quis quæso imaginabilis est amor, qui huic longo, imò infinito intervallo cedere non debet amori? Apud Gentiles magni habitus est Sthænis erga civitatem suam Himæræorum in Cicilia sitam charitas, qui intellecto, Pompæum potenti Romanorum munitum exercitu, eam funditùs eversurum properare, impetratâ loquendi facultate, *Injustè facturum Pompæum dixit, si sonte omisso, insontes perdat. Interrogatus inde, quemnam sontem diceret: ego, inquit is, sum, qui amicos persuadendo, adversarios vi ad id quod factum est, à nobis faciendum adegi.* Verùm cædat hæc Christi amori, ipse enim sese, verè ob nimiam crudelitatem necis reum pro Himæræonensibus obtulit: sed Christus innocens, & qui peccatum non fecit, pro inimicis etiam, crucis trabem ascendit. Apud illos quoque plurimi (ut antiqui referunt Historiographi, inter quos præcipuus Valerius Maximus) æstimatus fuit Codri ultimi Atheniensium Regis erga subditos amor. Is potenti hostium suorum in metropolitana regni sui civitate arctissimè cinctus exercitu, cernens hinc militum animum, viresque flaccescere, illinc annonam, atque militaria deficere necessaria: Delphos ad Apollinis oraculum quemdam ex aula sua misit sciscitaturum, an ex nulla parte tantilla communis jamjam imminentis cladis, & ruinæ eluceret spei scintilla? Ad quod responso ab oraculo recepto, nullam superesse, nisi ipse proprio sanguine, & morte Deorum iram deliniret, tam inopinatâ attonitus sententiâ, vix sciens, quid attentaret, anxius persistit, simul & cogitabundus. Hinc namque naturalis in propriam personam eum trahebat ad effugiendam necem inclinatio: illinc paternus erga suos urgebat amor. At, quid prævaluit? cessit amori natura, triumphavit de Codro amor, mortique sese voluntariè subjecit. Quod, ut ad effectum deduceret, extimescens, ne agnitus ab hoste, non ad necem, sed ignominiam, illiusque gloriosum reservaretur triumphum, hoc præclaro usus est stratagemate: Vulgari commilitonis sese induit habitu, sicque ad prælium progressus, tanquam gregarius miles occubuit, suosque ab internecione liberavit. Ob quod stupendum Regis beneficium, in solemnibus ipsius juxta mores suos funeralibus, in summum gratitudinis testimonium, lamentabili voce clamabant Athenienses: *Codre, tu vitam dedisti, ut nos viveremus. Heu! utinam morte nostra tibi vitam comparare possemus!*

Valeri obmutesce, desine obsecro decantare Codri amorem, & Christi Salvatoris obstupesce chari-

charitatem. Ille pro subditis fidelibus interiit: hic pro contumacibus rebellibus occubuit. Ille commune omnium hominum fatum anticipavit, & citiùs lubens naturale debitum persolvit: hic nulli ullatenùs subjectus fato, ex propria essentia immortalis, morti sese subjecit. Ille, ut creatura, pro sibi simili mortuus est, hic creator pro vili interemptus est factura. Ille facilem, atque gloriosam passus est mortem, hic infame crucis sustulit opprobrium. Ille, ut ab hoste ignotus interimeretur, vilem militis induit habitum: hic, ne à diabolo Deus cognosceretur, abjectam hominis assumpsit naturam, & habitu inventus est homo, nimirùm cum Verbum caro factum. Est in summa amor Codri, ne in mica quidem æquiparandus est àmori Christi. Quod disertè attigit aureum os Chrysostomus dicens: *Magna est inter hæc differentia minimè conferenda, qui enim immortalis est, & nullo fine comprehenditur, qui potentissimus, est ex terra & cinere factos, & innumeris peccatis obnoxios; & malè de se meritos, & ingratos dilexit.* Et concludit ad illius dilectionis compendium: *Ita dilexit mundum, ut unigenitum suum daret, non servum, non angelum, non archangelum, nemo unquam pro filio tantam tulit charitatem, quantam pro servis, & ingratis servis Deus.*

Chrysost. Hom. 26. in Ioan.

Agnoscitis & confitemini, non dubito stupendum Codri regis amorem erga Athenienses: at quoque neutiquam negabitis, illum longo intervallo, imò inconceptibili cedere debere ferventi regis regum Christi Domini charitati. Verùm diligenter, obsecro, attendite ipsorum in benefactorem mirandam gratitudinem, & impiam ergà Christum vestram detestamini ingratitudinem. Illi omne, testificandi etiam propriâ vitâ, & sanguine gratuitum affectum, inquirebant remedium; & vos, pudet fateri, ô ingrati! Christi vilipendentis beneficia, & amorem. Etenim, quis est, qui clamet cum Atheniensibus: *O Christe! tu vitam dedisti ut nos viveremus. Heu! utinam morte nostra tibi vitam comparare possemus.* Proh dolor! similis vix intonatur sonus, vix talis auribus excipitur clangor. Omnes ad fabulas, & inania convertuntur, maluntque mori mancipia mundi, diaboli servi decipientis, quàm Christi famuli redimentis. Ah! quid de te judicabo, ô homo ingrate? hoc unicum, te fore ipso Androino, ingrato Catonis servo, ingratiorem, sceleratiorem, atque detestabiliorem.

Refert celeberrimus historiographus Plutarchus nobilem matronam Romanam, Catonis matrem, unà cùm proprio filio, alienum pauperculæ cujusdam, nomine Androinum, propriis uberibus aluisse, & usque ad virilem ætatem summo cum amore educasse: dumque quandoque à quibusdam interrogaretur, quodnam eam motivum id faciendi urgêret respondit: *Vt Catoni filio meo fidelem servum adipiscar.* Verùm eventus luctuosus sinceram bonæ matronæ elusit intentionem. Hic namque Catonem fœdifrage Cæsaris & Pompæi iræ tradidit. Ah quot sunt ingrati Christiani perfido Androino perfidiores! ecce benignus nutritius Pater cœlestis ex puro & puro amore dexteram sanctissimæ Trinitatis mammillam unigenitum suum filium Christum ad vos mittit, ecce hic præbet vobis suave pietatis lac, suum in delicti vestri abolitionem affluenter pretiosum effundit sanguinem; sed quorsum? sanè non nisi, ut tu, ô homo! fidelis Christi efficiaris servus. Verùm quo cum profectu? heu pudet dicere, vix ullo. Accede libidinose, esne tu fidelis Christi servus, qui carnalibus involutus voluptatibus, omne studium, omnes sensus, atque juveniles tuos annos fœdæ consecras luxuriæ? an tu avare, qui per fas & nefas pupillorum, atque viduarum bonis te ditare, & impinguescere conaris, ac eorum sanguine insatiabilem divitiarum extinguere studes sitim? & sic moraliza de cæteris. Profectò servi diaboli estis, & Androino pejores, crudeliùs, quàm Judæi Christum Dominum indies vestris sceleribus crucifigentes, teste Augustino in persona Christi de tanto conquerente crimine: *Cur me graviore criminum tuorũ cruce, quam illa, in qua quondam pependi affecisti. Gravior est apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui misertus, mortem occisurus ascendi.* Imò super Psalmum 46. audacter sustinet illos solos forè condemnandos, qui Christum cruci affixerunt: *Soli illi,* inquit, *damnabuntur, qui crucifixerunt Christum. Audeo dicere soli: ergò nos inquiunt peccatores hujus temporis securi sumus. Si non animam interrogat Deus, securi estis. Quid est quod dixi? intelligat charitas vestra, ne hoc dicant in judicio Dei, quia non intellexerunt: & Iudæi, qui viderunt Christum, crucifixerunt. Tu quia non vides Christum, verbo ipsius resistis. Numquid ergò, qui verbo resistis, carnem non crucifigeres, si videres? contempsit Iudæus in ligno pendentem, contemnis tu in cælo sedentem.*

Plutarch. in vita Catonis.

August. serm. 6[illegible]

Aug. in Psal. 4[illegible]

Intolerabilem hanc tuam, O homo! ergà Christum ingratitudinem Ethnicus Cyrus Rex Persa-

[illegible]

rum potentissimus luculenter damnat. De quo istius regni referunt annales, quòd ipse in imbelli sua ætate jussu patrui, impiè monarchiam ambientis, cuidam familiari aulico traditus fuerit interficiendus: ut sic, legitimo sublato regni hærede, sibi faciliorem ad thronum sterneret viam. Verùm is humana commotus pietate, manus innocentis sanguinis innoxias conservare decrevit. Veritus tamen, ne hæc sua in puerum pietas ipsius patrui in se accenderet impietatem, eum vivum clanculò in silva expositum reliquit. Accidit autem, quòd illac mulier quædam gregem suum pascens, cognominata Sin, pertransierit, atque tenellum hunc repererit filium; cujus gemituum, & lachrymarum ipsa miserta, eum in ulnis accepit, ac incognitum proprio lacte enutriit. Cyrus (nescio quo fato) à Principibus regni pro legitimo agnitus hærede, ad paternum evectus est thronum. Qui, cùm post intellexisset tam immensum nutricis suæ Sinonis beneficium, undequaque eam quæri curavit, volens illud mirificâ, & regiâ potentiâ dignâ gratitudine recompensare. Verùm, cognitâ præmaturâ Sinonis morte, uberrimas lachrymas pius Monarcha effudit, & vehementissimè indoluit, atque tandem in hæc apertè prorupit verba: *O Sino! O Sino!* quæ (ut de eo narratur) sæpe sæpius mussitans mœstus reiterabat. Quodam tempore certus ejus familiaris aulicus sciscitatus est, quare toties illud nomen proferret, cui altâ respondit voce: *O Sino, Sino, utinam viveres.* Ac si diceret, ô pissima mulier, ô dilecta nutrix, tu me in silva vagientem, siti & fame fermè enecatum, à morte eripuisti, & uberibus tuis summo cum amore educasti: ah, utinam viveres! ut totus mundus agnosceret, quantâ benevolentiâ, quàm grato animo erga tuum paratus sim remunerari servitium & pietatem.

Nullus inficias ibit, quin summoperè extollenda sit summa hæc Cyri erga nutricem suam Sinonem gratitudo. Sed etiam nullus negabit, quin multò potiori jure detestanda sit tua, ô peccator! ergà Christum ingratitudo. Etenim ipsa ex fraterna charitate, Regem Cyrum à corporali morte liberavit, suoque lacte enutriit; at Christus te ab æterna eripuit, tibique pretiosum sanguinis sui, etiam usque ad ultimam guttam, succum præbuit, eoque pavit, & indies pascit, & tamen non clamas, ô Christe, Christe! sed totaliter Salvatoris, & benefactoris immemor, eum deseris, abjuras, & mundum, ac carnalia tua sequeris desideria. O impie, atque ingrate! expergiscere tandem ex lethali hoc lethargo: imitare Cyrum, & dum sævæ ingruunt tentationes, dum acriter te pungit carnis concupiscentia; dum suaviter alliciunt mundanæ voluptates, converte ad Christum, & clama, ô Christe, Christe! sequere castum Josephum, qui coarctatus, & ad adulterium ab impudica fœmina quasi compulsus, dicebat: *Ecce, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat,* Gen. 39.
quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod v. 8.
non in mea sit potestate, &c. *Quomodò ergò possum hoc malum facere, & peccare in Deum* v. 9.
meum? Dic, inquam, idipsum, dum ad peccata instigaris. Ecce, Christus pro me è cælo in terram descendit, sinumque paternum deseruit, ut in virginali utero humanam assumeret naturam. Pro me imbellis puer vagiens jacuit in præsepio: pro me obscurâ nocte, ob decretam ab impio Herode omnium infantium duorum annorum ætatis cædem, in Ægyptum fugere coactus est: pro me infantulus suum in circumcisione effudit cruorem: pro me totâ vitâ desudavit, famem, sitim, aëris intemperiem, ac pondus diei & æstus sufferens: pro me divinum sese in ultima cœna effecit Protheum, materiam panis in proprium transsubstantians corpus: pro me agonem in horto passus est, & sanguineum è cunctis corporis poris emisit sudorem: pro me infamis traditoris Judæ osculo traditus est: pro me ad Annam ductus, ad Caipham missus, ibi derisus, hic colaphisatus: pro me ad supremum Pilati tractus tribunal, ibi examinatus, & innocens declaratus, & tandem ad rabidam Judæorum sitim illius sanguine extinguendam, ab iniquo ad innumera flagella condemnatus judice: pro me veste indutus delusoriâ; pro me morti adjudicatus est, crucemque ascendit, atque in ea spiritum exhalavit, seseque totum dedit: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum Christum meum?* Hæc, hæc, ô Christiane, oculis mentis propone beneficia, & sane non tam facile tui oblivisceris benefactoris.

Hanc beneficentiæ suæ Deus memoriam, ad conservandam in divino cultu Israëliticum populum, acriter inculcat Exod. c. 19. *Vos ipsi vidi-* Exod. 19.
stis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim v. 4.
vos, tanquam supra alas aquilarum, & assumpserim mihi. Nimirum vos defendendo contra persecutores Ægyptios, eos in mari rubro submergendo. Id congrua magis ratione appropriari potest tibi, ô Christiane; tu ipse vidisti tu ipse credis, & fateris, quanta fecerim tibi in nativitate, passione,

ne, &c. sed currectè, inquit Liranus in hunc locum, Deus sese aquilæ assimilat? & respondet: quia illa avis genuinum amoris & charitatis est symbolum. Unde ipse ex naturalistis sentit aquilam ex naturali instinctu pullos suos adhuc imbecilles & implumes, si nidum mutare necessum sit, suprà dorsum transportare, ne sagittarius jaculis eos queat trajicere, suum ex amore telis malens objicere pectus, quàm eos minimo exponere vitæ discrimini. Hoc ipsum pro te fecit, ô Christiane! Christus, qui tradidit seipsum pro te. Tu morte dignus eras, nihilominus ex tui amore ipse necis sagittam ultrò acceptavit, & pro te mortuus est. Et tu hoc floccipendis? hoc novisti, & eum continuo irritas?

Psalmista innumera divinæ clementiæ atque bonitatis maturè considerans testimonia, impotens ea solus ad amussim enarrare, atque umbraticè tantùm laudare, totum citat ac convocat Israeliticum populum, immò & cunctas totius universi gentes: *Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus, qui posuit animam meam ad vitam.* Qui locus neutiquàm de vita potest intelligi corporali; quandoquidem anima ipsa secundùm Philosophos vivendi sit principiũ, sed de spirituali. Tu Christiane imitare Davidem, & immensas Deo age gratias, quia per salutare baptismatis sacramentum sanguine suo comparatum, animam tuam posuit ad vitam æternam. Ah! tantum memoriæ tuæ ne excidat beneficium, non vulgare sane summi Christi amoris indicium, juxtà rectum Apostoli monitum: *Gratias agentes Deo; & patri, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Et ut nos ad hanc gratitudinem efficaciter instiget Apostolus Petrus, cuncta honorifica nobis à Deo adscripta enumerat epitheta: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Quod luculenter ex sequentibus innotescit verbis: *Ut virtutes enarretis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

Psal. 65. v. 8.

Ad Coloss. c. 1. v. 13.

1. Petri c. 2 v. 9.

Sed heu! sæpissimè contingit in depravato, obcæcato & obstinato hoc ævo illud, quod deplorat Propheta Job: *Audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* Id est spretis omnibus benignitatis illius donis, eum quasi contemnunt, immò iis contra largitorem perfidè abutuntur, ut attestatur S. Gregorius dicens: *Qui provocari bonis ad meliora debuerant, pejores fiunt, ut suis contrà Deum bonis pugnent.* Hoc infandum egerrimè ferens Deus scelus, totaliter in hujusce-modi contumaces stomachatus ad Prophetam ait Ezechielem: *Notas fac Ierusalem abominationes suas.* Et hoc quidem sub figura, aut parabola pauperculæ mulieris, ab opulento quodam & divite in uxorem assumptæ, multisque ab eo decoratæ gemmis, atq; quamplurimis pretiosis ornatæ unionibus, quibus ipsa iniquè abutitur ad aliis complacendum amatoribus, *: Et tu tulisti vasa decoris tui, de auro meo, & argento meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* Ah liceat mihi ad te clamare ô Christiane! notas facio tibi abominationes tuas: Christus ex amore tibi se totum dedit, sanguinem fudit, & tu protervè teipsum diabolo, mundo & carni devoves: Deus tibi subtile præbuit ingenium, ut in omni judicio æquus existeres judex, voluntatem addidit liberã, exhortans ut mala evitans, bona amplectaris: & tu è contra omnem justitiam pervertis, pupillos & viduas injustè opprimis, voluntatem depravas, bona deseris, pessimaque sectaris. Scientiam tibi impertitus est, ut desolatis atque derelictis patrocinaretis, & innocentibus fores solamini & adjuvamini, & tu ea in eorum ruinam abuteris. Audi, quid comminetur Deus Davidi, & ex hoc disce illius æstimare beneficia: **Ego unxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum** *Domini, &c. Quare ergò contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam percussisti gladio, & uxorem illius accepisti.* Et tantum pro omnibus his attentare ausus es nefas? ratiocinare pariformiter tecum Christiane; ecce Christus tot tantaque (ut suprà vidimus) mihi contulit beneficia, ergone ego iis ingratus, eò progrediar protervìæ ac dementiæ, ut in tam beneficum peccem Deum? absit enorme scelus.

Iob c. 12. v. 6.

Ezech. c. 16. v. 17.

2. Reg. c. 12. v. 8.

Nisi id feceris ô homo! gratuitumque benefactori tuo ostenderis animum: vereor, ne tibi contingat, quod Edmogino reginæ Japoniæ Sceltæ filio veteres contigisse referunt historiæ. Hæc enixa unicum regni hæredem, nomine Edmoginum, eum uberibus admovit, ut ex iis infantulus in necessarium corporis alimentum maternum lac exsugeret. Sed ecce imbellis puer furore incensus, ea crudeliter dilaceravit. Quod, cum summâ patientiâ tolerâsset Scelta, videns Edmoginum siti interire, in publicum materni amoris testimonium exclamavit: *Totum dedi & hoc sufficit.* Ac si diceret ô ingrate puer! ego tibi in sustentaculum mammillas meas amicabiliter porrexi, & tu eas manibus decerpsisti: ecce modò tibi deest necessarium ad vitam conservandam lac, ego ex mea parte totum

tum effeci, quod amantis matris erat, mors tua ex te Edmogine.

Haud dissimiliter tecum ô ingrate peccator! aget benignus Deus. Ecce tibi è cœlo destinat Deum mammeum, unigenitum filium suum, qui pro salutifero animæ tuæ nutrimento, ultimam sanctissimi cruoris sui crucis trabi affixus effudit guttam: & tu proterve tanto ingratus beneficio eum vilipendis? imò ut ait Paulus, illius sanguinem turpiter conculcas? quid quæso propter tantum nefas ad te clamabit Christus, nisi *totum dedi, & hoc sufficit?* mors tua & perditio ex te homo. Concludo itaque omninò necessarium esse, tanto Dei creatoris & redemptoris amori grato correspondere animo.

Verùm quomodo possibile est, ut tam vehemens amor unius Dei à creatura aliqua recompensetur? impossibile fateor; ac proinde jure meritò uti possum illo Tobiæ junioris dicto: *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* sane nil reperibile est in toto hoc universo teste Ambrosio dicente: *Nil est, quod dignè Deo referre possimus. Quid enim referemus pro suscepta carnis injuria? quid pro cruce? væ mihi, si non dilexero. Reddamus ergò amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pr sanguinis pretio.* Hoc unicum ab imbecilli homine pro tot benficiis exigit Deus, inquit S. Bernardus: *Nam, cum amat Deus, nil aliud vult, quàm amari, quippe non aliud amat, nisi ut ametur.*

Tobiæ c.12 v.3.

Ambros. lib.6. in Luc.c.7.

Imitemus nos, O Christiani! Ethnici Æschinis pauperis Socratis scholaris gratitudinem. Is, ut commemorat Seneca, cum consodales pro sua facultate ac potestate in gratitudinis indicium Socrati magistro pretiosa munera offerrent: suæ recordatus paupertatis & penuriæ, quid ipse impertiretur nescius, Socrati hæc dixit verba: *Nihil dignum te, quod dare possim invenio, & hoc modo me pauperem esse sentio. Ideoq; dono tibi unum, quod habeo meipsum, hoc munus rogo, qualecunq; & boni consulas; cogitesque alios, cum multũ tibi durent, plus sibi reliquisse.* Sic sic quisq; Christo dicat O pie Jesu nil dignum est, quod tuis reperio beneficiis, ego totus pauper nil possideo, ut amori tuo correspondeam. Quapropter præbeo tibi meipsum, omnem voluntatem meam, cor meum, omne servitium meum dedico, hoc obsecro, ne spernas qualecumque sit munus. Quod si feceris O homo! tibi juro gratissima amanti Christo hæc tua erit oblatio, mereberisque responsum ab eo audire ad instar Socratis ad Æschinem. *Quid ni tu magnum munus dederis; si fortè parvi te æstimas, hoc habebo itaque curæ ut te meliorem tibi reddam.* Sic inquam, tibi dicet Christus; quandoquidem tu modò meus sis, mihi jam cura erit, ut te divinâ meâ poliam gratiâ, ut tibi ad majorem perfectionem sternam adjutorio meo viam: ut sic redamans cum amante æternâ merearis perfrui beatitudine, quam ego, auditores, vobis omnibus, & mihi exopto & apprecor, ut concedat Pater, Filius & Spiritus sanctus, Amen.

Senec. lib. 2. de benef.

FERIA SEXTA

Dominicæ tertiæ Quadragesimæ.

Mulier da mihi bibere. Joan.cap. 4.

Dum præsens attentè pervolvo Evangelium, quod hodie nobis proponit Ecclesia, cogor benevoli Auditores ingenuè fateri, me hesterno die balbutienti ac indisertâ meâ linguâ, nedum minimam ferventissimæ amoris fornacis Christi Domini erga hominem attigisse scintillam. Quoniam si teste Aug. cuncta illius opera, atque actiones evidentissima vehementis summæ ejus benignitatis ignis, quo in excessu æstuabat, extiterint iudicia; audeo asseveranter dicere, hodie divinum amorem de Deo summoperè triumphasse, & in stupendas erupisse flammas. Ac proindè arbitror quam optimè August. hoc ruminantem Evangelium clamasse: *Iam incipiunt mysteria*: nimirùm immensæ Christi Domini charitatis.

Tract. 15. in Ioan.

Ecce fatigatur Jesus ab itinere, incommutabilis, infatigabilis Deus, qui disrumpens cœlos, ex amore ad hunc mundum descendit, ut errabundus ovem, miserum peccatorem quæreret, ut ad rectum ovile deduceret. *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores*. Hinc ad peccatores clamat August.

Matth.c. 9. v.13.

Tibi

Tibi fatigatus est ab itinere Iesus, moris æstuanti accensus ardore, sitibundus animarum nostrarum, de patria in patriam itineratur, & corpore fatigatus, siti afflictus ad puteum sedet, expectans peccatricem Samaritanam. Quâ visa ardorem suum indicat dicens: *Mulier da mihi bibere.*

O benigne Iesu! quo potu æstum tuum refocillari expostulas? an frigidam putei Iacob desideras aquam? in cruce quoque siti oppressus, altâ voce clamâsti: *Sitio*: Accurrunt velociter Judæi, ut eam expleant, & tamen bibere recusas, teste Evangelistâ: *Et cum gustasset, noluit bibere.* Quid ad hæc respondebit Iesus? ah in persona ejus ait August. *Sitis mea, salus vestra, sitio salutem animarum vestrarum.* O impudica mulier *Sitio*, ô perverse peccator, homicida, incestuose, vindicative, avare, &c. *Sitio*: da mihi bibere, Effunde dumtaxat unicam lachrymulam è contrito corde depromptam. & illa sitim meam extinguet, hæc enim tantâ pollet virtute, ut ipsa cuncta deleat delicta: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quod egregiè attestatur Petrus Cellensis: *Aut pardisum invenit, aut paradisum facit.*

Matth. c. 27. v. 34.

Isaias c. 1. v. 18.

Lib. 2. de panibus cap. 12.

O mirifica lachrymæ potentia! quo eam condecorabimus elogio? quo eam sublimabimus encomio? nimia ingenii mei imbecillitas fateor tanto succumbit oneri, nec lingua ipsi justum & adæquatum valet adscribere. Quapropter mihi inserviam de eo, quod illi gratanter offerunt SS. PP. Greg. Nazianz. eam intitulat *peccati diluvium & mundi expiamentum* Isiodor. de lachryma ait: *Apud Deum pro baptismo reputatur.* Aug. autem dicit amplius *Lachryma est passionis Christi vicaria.* Quæ tanti Doctoris sententia stupendam in se comprehendit emphasim; etenim si passio Christi humanæ salutis exstiterit causa, si illâ homo irato reconciliatus si Patri cœlesti, & deletum sit antiquum Adæ peccati chirographum, evidenter sequitur (saltem accommodè sumendo) lachrymæ, cum passionis Christi habeatur vicaria, omnes illius convenire prærogativas. Quod concedere non adeò veretur Greg. Nazianz. loco citato ajens: *Lachryma humilis tuum est regnum, tua est potentia, tribunal judicis non vereris, accusatoribus tuis silentium imponis: non est, qui te accedere vetet: si vacua intraveris, vacua non abibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem.*

Orat. 2.

Hanc tantummodò ô impie ac perfide peccator! à te sitibundus exigit Christus: *Da mihi bibere.* Ecquis adeò obstinati reperietur animi, tam perfrictæ frontis, ut ipsi unicam lachrymæ guttulam, contemptâ quasi tantâ sanguinis ipsius effusi abundantiâ, audeat denegare? quis tam socors & propriæ salutis immemor existet, qui tantillo pretio negliget æternum comparare præmium? ô homo! da ei bibere: sequere tutum & infallibile Jeremiæ consilium: *Neque taceat pupilla oculi tui.* Cujus genuinam & ad lachrymas adhortativam Chrysol. reddit rationem: *Lachrymæ rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus datam divinâ promulgatione sententiam.* Occasione itaque benigni Domini mysteriosæ sitis, & unius tantummodo lachrymæ desiderii, hodierno die breviter tractabo de admirabili illius potentia, utilitate, simulque per transennam ostendam, quid homo debeat deplorare. Quod priusquam attentem, obsecro vos Auditores, ut mecum divinum, per Mariæ Virginis intercessionem, imploretis subsidium, ei offerentes Angelicam orationem. Ave gratiâ plena.

Threnorũ c. 2. v. 18.

Mulier da mihi bibere. Joan. c. 4.

ANtiqui fabulantur Poëtæ, aquam fontis supremi Dei Jovis tantæ fuisse virtutis atque efficaciæ, ut faces extinctas rursus suâ humiditate accenderet. Quod omninò ignis proprietatibus, scilicet siccitati & calori repugnat. Quidquid sit de hoc figmento: non vereor ego asserere. Verè aquam fontis lachrymarum è contrita scaturientẽ anima, tantâ coràm divinis oculis pollêre virtute, ut Dei benignitatem & misericordiam, ob enormia hominum peccata quasi extinctam, aut saltem sopitam accendat atque inflammet. Hoc ipsemet Spiritus S. fatetur per Prophetam suum Isaiam: *Mundamini, mundi estote.* Id est, O obstinati peccatores! erumpant lachrymæ ex oculis vestris, ut explicat doctissimus Lyranus: Lavamini à peccatorum maculis lachrymis contritionis. Date mihi bibere aquam, gustui meo tantoperè gratam & dulcem, quoniam operum tuorum ariditate fontem divinæ meæ misericordiæ penè exsiccastis. Et hoc facto: *Venite & arguite me dicit Dominus*: nimirum, si vobis meam illicò non impertiar clementiam, ac scelera vestra non condonem. Sic Lyranus: *Et venite & accusate me, tanquàm ingratum ante tribunal Iustitiæ meæ, si non respexero lachrymas vestras.* Harum enim virtute: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Isaiæ c. 1. v. 16. & 18.

Machabæorum lib.2.c.1. v.19.

Libro secundo Machabæorum cap.2. refertur Judæos, cum in Persidem ducerentur captivi, sacrum ignem occultasse. *Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus.* Transactis autem multis annis, cùm jam à servitute liberati ignem inquirerent: *Non invenerunt ignem, sed aquam crassam.* Quâ jussit Nehemias sacerdos aspergi sacrificia & ligna. Et ecce quid contigisse dicat scriptura: *Vtque hoc factum est, & tempus adfuit, quo sol refulsit: accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.*

Vers. 22.

Pariformiter contingit peccatori è gratia Dei lapso; antequàm sub jugo & durâ peccati premeretur servitute, æstuanti in Deum ardebat amore; verùm post miserum illum casum cor ejus quasi glaciatum est. Quid itaque opus, ut rursùs accendatur? ah! faciat ad instar Nehemiæ, illud lachrymis abstergat atque aspergat. Et ecce statim affulgebit sol justitiæ Christus, & calidis gratiæ suæ radiis illud divinâ inflammabit charitate. Et sanè id clarè patuit in lachrymante Petro. Is totus in Christum dilectum magistrum amore ardens, suam ei offerebat animosè vitam, dicens: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed post infrigidatus, vitæ suæ amans, turpiter & perfidè salvatorem ter denegavit. Verùm, adhibitâ salutari lachrymarum aquâ, quâ immundum & gelidum cor rigavit, *egressus foràs flevit amarè*, rursùs in eo accensus est magnus amoris ignis. Unde clamat S. Leo: felices lachrymæ tuæ S. Apostole, *quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem habuêre sacri baptismatis.* Hinc de iis ait Psalmista Psal. 73. *Tu contribulasti capita draconum in aquis.* Quod annotans Petrus Cæsariensis dicit: *Acriùs diabolus contriti cordis lachrymâ torquêtur, quàm flammâ infernalis incendii.*

Leo serm. 9. de Pass. Domini.
Ps.73.v.13

Quidam ingeniosus Philosophus tentans hieroplyphicè internum, quo ejus animus opprimebatur, insinuare dolorem, artificiosè delineari demandavit certam herbam, cognominatam *Amaranthum*: quæ hanc inditam à natura habet proprietatem, quod è terra extracta, illicò exsiccetur, & omnem viriditatem deperdat. Verùm, si in aquam injiciatur, atque in ea aliquam diu permaneat, ad pristinum reducitur statum & vigorem. Subtili huic emblemati subtilem adjecit epigraphen: *Lachrymis mea vita viret.* Ac si vellet dicere: quemadmodum Amaranthus in aquis naturalem suam conservat & retinet viriditatem: sic cor meum immersum lachrymarum diluvio suum manutenet internum vigorem. Petrus (quod cuilibet modò peccatori convenit) extra lachrymarum aquas existens, penitùs erat exsiccatus, & vivificum animæ deperdiderat vigorem; verum lachrymis perfusus, pristinam acquirit vitam, & spiritualem recuperat viriditatem. Unde meritò (& cum eo omnis reus ad lachrymas conversus) exclamare potest: *Lachrymis mea vita viret.*

Discoride l.3 c.104.

Celeberrimus historiographus Discorides commemorat in Thracia portentosum quemdam reperiri lapidem, tam admirandæ virtutis & stupendæ naturæ, ut, dum aquâ aspergitur, accendatur, atque inflammetur. Et Greg Nazianz, quoque attestatur, sese piscem quemdam vidisse nomine *Apirum*, qui adeò ratas habet proprietates, ut à quolibet Philosopho naturæ communi censeantur quasi repugnantes. Etenim quamtumvis aquaticus sit, & ex eo magis ipsi humiditas, quàm siccitas, prædominetur: nihilominus tamen in ignem projectus, tàm mirabiliter conservatur, & illæsus permanet, ut in eo contraria hæc humiditas & siccitas, frigus & calor, amicitiæ & sympathiæ fœdus inisse videantur; quia flammas adauget & augmentat. Pœnitens peccator è contrito corde super delicta sua lachrymas effundens, quàm rectissimè assimilari potest pisci *Apiro*; quoniam quò uberiores è oculis profluant, eò vehementior & major excitatur in illius anima ergà Deum charitatis flamma. Ad lachrymas, ad lachrymas itaque festinanter propera, ô peccator!

Gregorius Naz. in carminibus, quorum tit. præcepta ad virgines.

Ex dictis non absque solido fundamento, parumper possem legitimam quemdam disponere consequentiam: nimirùm hanc: lachrymas contriti cordis pœnitenti salutiferum fore contra animæ mortem antidotum; & è contra istius scaturiginis obturationem, manifestum æternæ ruinæ præsagium. Mirum est, quod dicit Propheta Isaias, ut ipsemet fatetur: *Visio dura nuntiata est mihi.* Scilicet Deum quodam tempore, summo ob detestanda delicta, in Babylonem incensum furore, vindictam infligere decrevisse. Quapropter Medos & Persas ad bellum incitavit, ut impiam hanc civitatem expugnarent, funditusque everterent. *Ascende Ælam, obside Mede,* ipsisque securam pollicitus est victoriam, ut ex cap 21. vers. 9. colligit Lyranus: *Ecce iste venit assessor vir bigæ equitum, & dixit cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt in terra.* Et rationem subjungit: *Omnem gemitum.* Vatabulus legit: *Omnem lachrymam ejus cessare feci.* Ac si diceret & Perse, ô Mede? ne extimescas populi hujus ingen-

Isaias c. 21. v.2.

tem

tem multitudinem, nè verearis copiosos currus, &
equites, nè expavescas fortissima civitatis munimi-
na, ego enim Babylon prædixi, & comminatus
Cap.12. sum : *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum*
v.9. *& equites ponent sedes suas in porta.* Sed unde ô be-
nigne Domine tantus in populum tuum electum
furor? ubi misericordiæ tuæ antiquæ: an itaque
nulla veniæ aut indulgentiæ superest spes : non,
non, inquit Deus. Sed quare? quia rebellem hanc
gentem variis mediis ad pœnitentiam & lachry-
mas excitavi, verumtamen refractaria meæ gratiæ,
Cap.22. sese luxui & crapulæ dedit. *Et vocabit Dominus*
v.12. *Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad plan-*
ctum, & calvitium, & ad cingulum facci: & ecce
gaudium, & lætitia: occidere vitulos, & jugulare ari-
Vers. 13. *tes: comedere carnem, & bibere vinum.* Et idcir-
co irrevocabilis mea stat sententia, justitiâ vindi-
ctam exigente; misericordia pro nunc recedat, in
tantum enim mea excrêvit ira, ut non nisi planctu
& lachrymis queat refrænari, & deliniri. *Ascende*
itaque *Ælam, obside Mede.* Babylon tibi data est in
prædam.

Et hoc est, de quo lamentatur idem Propheta
cap. 64. considerans totalem populi Israelitici rui-
nam: *Cecidimus quasi folium universi, & iniquita-*
tes nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Sed quæ il-
lius fundamentalis ratio? audi quid subjungat te-
xtus: *Non est, qui invocet nomen meum, non est, qui*
teneat me. Et meam provocet misericordiam, nè
ira mea in effectum prodeat. Verum quid hoc rei?
ecquis obsecro adeò robustus & fortis, ut eum co-
erceat, cujus nemo resistere potest potestati? hoc
lachryma potest respondebit Gregorius, quia ipsa
vincit invincibilem, ligat omnipotentem. Si ergò
populus planxisset, neutiquàm divinam iram tam
severè sensisset.

Illud profectò maturè perponderandum arbi-
tror, ô auditores! heu quæ causa totius fermè Flan-
driæ devastationis, continui belli, cruentorum
præliorum fons? quæ causa tot Belgii afflictionum
atque miseriarum? hinc partim sub alieni Domini
duro gemimus jugo, illinc partim sub hæretica
Angli premimur servitute. Et undè tanta mala?
sanè adinstar Babyloniorum tractamur: excitat
nos iratus ob peccata nostra, misericors tamen
Dominus in clamitoso hoc statu ad veram pœni-
tentiam, & lachrymas? & nos è contrà studemus
luxui, sensualitati, voluptati, ambitioni, omnique
corporis oblectamento, sicq; divinam iracundiam
magis magisque provocamus. O Belgium! ô Gan-
da, ad lachrymas, ad lachrymas. Sed quas? ah non ad
eas te voco, quas ob bonorum, aut filiorum, aut cu-
juscumq. amici perditionem effundis; etenim hæ
vanæ sunt, ac prorsus inutiles, ut clarissimè attesta-
tur Laurentius Justinianus: *Inanes sunt lachrymæ,* De oratione cap. 7.
quas damnum vel incommodum extorquet tempora-
le. Et concludit: *Flendum tantummodò est, aut pro*
amisso paradiso, aut commisso peccato. Hoc namque
sanguineis deplorandum est lachrymis, ut optimè
te monet Chrysost. dicens: *Luge peccata, ut ipsa de-* Chrysost.
leas. Illa enim belli, omnis ruinæ fatalis, sunt origo, ad populum An-
& omnium malorum, & miseriarum fons. tioch.

Undè maxima olim (ut historiæ referunt) apud hom. 7.
gentiles vigebat cæcitas, utpotè qui bellum, pe-
stem, famem, omnemque tribulationem supplices
adorabant, ut illam adversitatem suis precibus mi-
tigarent, sed in vanum laborabant; etenim ad
Deum clamandum est, illiusque furor delinien-
dus dulci lachrymarum liquore, quo obliteran-
tur peccata, quæ mansuetum Deum in furibun-
dum commutant, & eum ad flagella arripienda in-
stigant. De hoc lamentatur Deus per Prophetam
suum Isaiam: *Populus non est conversus ad percu-* Isai. c. 9.
tientem se. Ac si diceret, quæ iniquitas, quæ im- v. 13.
pietas? ego ob scelera, & peccata populi mei seve-
rè percussi eum, ut à perversa vita, ad rectam de-
duceretur vivendi semitam. Verùm è contrà ad
me illum affligentem non est conversus, sed obsti-
natè antiquæ inhærens iniquitati, tantū afflictio-
nes, adversitates, atque temporale detrimentum
deplorat. Sed *inanes sunt lachrymæ quas, &c.* in-
quit Chrysost.

Misericors & clemens Deus ad iracundiam, &
vindictam Tyri, Sydonis, Gazæ, & Ascalonis pec-
catis concitatus, ac variâ impietate lacessitus, eo-
rum ultimam divinâ sententiâ decernit ruinam,
totiusque regni miseram cladem, at devastatio-
nem. *Dissipabitur Tyrus & Sydon cum omnibus re-* Ierem. 47.
liquis auxiliis suis, depopulatus est enim Dominus Pa- v. 4.
læsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ: Venit calvi-
tium suprà Gazam: conticuit Ascalon, & reliquiæ
vallis earum: usquequo concideris. Et ipse Prophe-
tæ suo Jeremiæ horrendam hanc ostendit stragem,
& formidabilem ob oculos ponit mucronem san-
guine tinctum, executorem rigorosæ Divinæ ju-
stitiæ. Cujus horrore perculsus Jeremias, ingemis-
cens exclamat: *O mucro Domini usquequo non* Vers. 6.
quiesces? an nondum satis est? Ecce plateæ cruore
madent, ubique terræ depopulatio, urbium sub-
versio; non nisi luctuosa, quocumque oculi mei
vertantur, apparet cladis facies. Satis est, divinæ,
non dubito, abundè satisfactum est justitiæ: *Ingre-* Vers. 7.

gredere in vaginam tuam, refrigerare & sile. Sed audite, & exhorrescite Christiani, quid ad hæc Prophetæ lamenta exclamârit cælum: *Quomodò quiescet, cum Dominus præceperis ei contrà Ascalonem, & adversus maritimas ejus regiones, ibique condixerit illi?* sed quæ ratio irrevocabilis vindictæ: ah inquit Hieronymus, *quia peccata sua non plangebant, sed damna, & incommoda lugebant, hinc eis tanta supervênit ruina.* Si enim quiévisset iniquitas, quiévisset quoque divinæ vindictæ severitas.

Hinc constat etiam impio & iniquo in suos Deum, tamquàm instrumento, & gladio uti ad nostra rigorosè punienda delicta. Contrà quod
Psal. 16. v. 13. malum exclamat David: *Eripe Domine animam meam ab impio, frameam meam, ab inimicis manus tuæ.* Ad quod ait Hieronymus: *Salva animam meam ab impio, qui juxtà vias tuas est.* Idque ipsemet declarat Spiritus Sanctus per Prophetam I-
Isaiæ c. 10. v. 5. saiam: *Assur virga furoris mei, & baculus ipsa est, in manu eorum indignatio mea.* Quod rursùs comprobat Paral. cap. 28. ubi perfidissimi regis Achab abominanda narratur impietas, atque idololatria:
2. Par. c. 28. v. 2. v. 3. & v. 5 *Non fecit rectum in conspectu Domini, sicut David Pater ejus; sed ambulavit in viis regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim. Ipse est, qui adolêvit incensum in valle Bennemon, &c.* Ob quàm enormem iniquitatem benignus Dominus ad justum provocatus furorem, gladio belli eum aggressus est, hostemque ipsi concitavit potentissimum, *tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cæpit de ejus imperio, & adduxit eum in Damascum.* Pòst, cum adhuc, non obstante tantâ plaga, in sua pertinaciter persisteret perversitate, stragem multiplicavit Dominus, misitque contra eum regem Assyriorum Thalgathphalnazar. *Humiliaverat Deus Iudam propter Achaz regem Iuda, eò, quòd nudasset eum auxilio.* Quo, si non fuisset destitutus, indubiè gloriosam de hoste reportasset victoriam. *Adduxit contrà eum regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit.*

Vers. 19. Nihilominus Achaz non est reversus ad percutientem se, id est ad Dominum verum, stultè & cæcè sibi persuadens, regem Assyriorum imperii sui totalem fore ruinam, & non justæ Dei iræ exercendæ electum instrumentum. Idcircò ipse, muneribus & donis eum delinire tentavit teste scri-
Vers. 12. pturâ: *Igitur Achaz, spoliatâ domo Domini, & domo regum, & principum, dedit regi Assyriorum munera.* Ast omnia in vanum. *Et tamen nihil ei profuit.* Sed cur? ah profectò non nisi, quia à recta securi impetrandi subsidii procul aberrabat viâ, Etenim loco, quòd, derelictâ suâ impietate, ad verum Deum sese converteret: è contrà totaliter illius immemor falsorum deorum ampliùs & ampliùs se dedicavit cultui, autumans ab iis salutarem tanto malo, tantæque ruinæ impetrare medelam: ut dicitur ibidem: *Insuper & tempore angustiæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz, immolavit Diis Damasci victimas, & dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi.* Vers. 22. & 23. O demens, ô obcæcate Rex! arbitraris Deos Assyriorum hostes tuos fore, qui tam horrendam regno tuo infligere conatur stragem? erras, erras insane; tua hoc totum malum effecêre delicta, atque infamis idololatria, & quàm plurima alia enormia scelera, quibus ad iracundiam ipsa provocata divina benignitas, in vindictam potentissima in te insurgere fecit arma hæc, hæc nequàm à tuo avertes regno: nisi tuam lugeas, & de-
seras iniquitatem. Ierem. c. 2. v. 9. Omnis namque animæ tuæ amaritudo, à proprio provenit peccato, juxtà illud Jerem. *O quàm malum, & amarum est reliquisse Dominum!* quod & apertiùs idem Propheta testatur cap. 46. *Ascende in Galaad, & tolle Resinam,*
Vers. 11. *virgo filia Ægypti; frustrà medicamina multiplicas, sanitas non erit tibi.*

Ah idem modò quàm optimè toti acriter inculcari potest Christianitati: ô electa sponsa Ecclesia? cur tàm sevè undique ab infidelibus concuteris hostibus? unde ita augmentatum est Ottomannicum imperium, & pessumdata Catholica religio? unde perniciosâ hæreseos lue tota fermè infecta est Germania? unde misera Flandria, nuper per tot annos furentibus Batavorum, & Francorum conquassata armis, & sæpè diversis vicibus Catholicorum ac innocentium tinctâ, ac inebriata cruore, infestis divexata est incursibus? totius mali ô Christiani: radix peccatum germinans fel, & amaritudinem. Ecce culpa ex nobis est: iniquitas nostra, luxus in conviviis, immoderatus vestium apparatus, iniqua judicia, simonia, injustæ officiorum distributiones, juris corruptiones Dei in nos concitant iram, & severam clamant vindictam; & quod pejus est, indies affligimur, nec adhuc peccata deserere pensitamus. Quid itaq; mirum, si nostrum non cesset peccatum, quod Domini non desinat flagellum. Hoc enim omninò
justum est inquit Chrysost. Homil. de Ilia. *Perseverat in populum fames, malis perseverantibus, populi crescit malitia, crescit & inopia rerum, sævit cunctorum impietas, sævit & in cunctis necessitas. Vniversi deficiunt victu,*

&

& ab idolorum (id est vitiorum) *non deficiunt cultu: & quasi diversitas ista in invicem certaret, sic sese ista superare contendunt, ut putarent dementes sceleribus famem vincere, facinoribus necessitatem avertere, pietatis inopiam & necessitatem superare.* Huic egregie adstipulatur doctissimus Salvianus dicens: *Nihil itaque mirum est, si quotidiè deteriora patimur, qui quotidiè deteriores sumus. Heu! quot nova mala faciunt, & vetera non relinquunt; surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quid quærimur, quod durè agat nobiscum Deus? multum nos cum Deo agimus crudelius; exacerbamus quippe eum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invicem. Cumque ejus natura sit, nobis jugiter parcere, cogitur scelera, quæ admittimus, vindicare.*

Quid igitur opus est facere, ut divina à nobis avertatur ira? Ah Christiani, dum tribulamini, ac affligimini, fame, peste, aut bello: scrutamini vitam vestram, intrare penetralia cordis vestri juxta sanum Jeremiæ consilium: *Scrutemur vias nostras*
Tren. c. 3. v. 40. *& quæramus*: nimirum peccata nostra, è quibus cuncta scaturiunt mala: & *convertamur ad Dominum*, inquit Propheta, id est, non deploremus emergentia ex divina justitia damna, verum ex amore summi boni offensi nostra lugeamus delicta. *Inanes enim sunt*, &c. Da itaque Christo bibere, funde unam dumtaxat lachrymulam, quia ipsa potens est vincere invincibilem, & ligare omnipotentem teste Laurentio Justiniano dicente: *O lachryma benedicta! quæ vincis invincibilem, ligas, omnipotentem.*

Sententiam Laurentii Justiniani, quàmplurima sacræ scripturæ stabiliunt loca. Actorum cap. 1. de Ascensione Christi ait Spiritus S. *Videntibus illis* (nimirum Apostolis) *elevatus est.* Cujus discessum admirantes, jam in lachrymas erumpentes discipulos, mox advolantes Angeli consolati sunt, eis promittentes, secundum ipsius in ex-
Actorum v. 11. tremo judicii die adventum. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum; sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Quæ cælestium spirituum consolatio primâ fronte mihi maximè apparet extravagans; etenim eratne malum Apostolos dilectum suum magistrum Christum abeuntem intueri? Discipuli S. Pauli (ut attestatur scriptura) eum deducebant ad navem amarè plorantes, quia faciem ejus non erant amplius visuri. Elisæus condignum ab Elia exspectabat præmium, videlicet duplicis ipsius Spiritus, dummodò eum in cælum tendentem conspiceret. Quare itaque ad Apostolos ascendentem Dominum intuentes ajunt: *Quid statis aspicientes in cœlum.*

Pro hac curiosa dissolvenda quæstione advertendum est, Christum Dominum immediatè ante suum è mundo discessum, discipulis suis improperasse impietatem eorum, nimirum in fide vacillationem & inconstantiam. Ut patet ex cap. 16.
Marci, *exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Vers. 14.
Quo audito, hoc Apostoli confecêrunt argumentum: ergò dignum & justum est, ut benignus nos deserat Dominus. Ob quod uberrimas juxtà Idelphonsum unanimiter fundere incæperunt lachrymas, quibus visis, confestim accurrêrunt cœlestes Spiritus, mœstis solatium præbituri, *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum,* idque, ut lachrymas cohiberent. Verebantur enim superni paradisi incolæ, ne Christus dulcedine illarum inescatus, potusque tam grati sitibundus, & earum vinculis alligatus, in terra remaneret, & sic gloriosus ejus in cœlum retardaretur ascensus. Sic citatus auctor: *Christum denuò Apostolis Angeli promittunt, ne per eorum lachrymas ipso priventur.* Cui concinit mellifluus Doctor: *Magistrum in cœlum ascendentem videntes Apostolos consolantur Angeli, erant enim in eorum oculis lachrymæ, quæ quasi impedimentum & catena unigeniti ascensum præpediebant.* Et ob hanc rationem clamant: *Quid statis aspicientes in cœlum,* planctum & gemitus eorum interrumpere intendentes.

Præcedenti difficultati jam delucidatæ, nova quædam, non minus ardua posset adjici; nimirùm, cur Christus Matth. cap. 20. Discipulos
segregârit à communi turba: *Assumpsit duodecim discipulos secretò,* & noluerit coràm ea de amara Vers. 17.
sua quidquam enarrare passione; quandoquidem istius memoria efficax peccati evitandi sit remedium. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, &* Vers. 18.
condemnabunt eum morte. Item & curiosè indagari potest, quare ipse sese, quem in summè dilectum suum sponsum Maria Magdalena elegerat, ab ipsa, eum cum lachrymis quærente, noluerit tangi. *Mulier noli me tangere.* Quæ sanè ignominiosa repulsa summoperè videtur admiranda. Ioan. c.
Ah bone Jesu! quid tuam movet benignitatem, 20. v. 17.
quod modò pœnitenti, & mortem tuam acerbè deploranti accessum renuas, quam etiam cum Pharisæi scandalo ad osculum pedis admisisti?

Hic

Luc. cap. 7 v. 39.

Hic si esset Propheta, sciret utique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.

Motivum suum apertissimè indicat Christus: *Quia nondum ascendi ad patrem meum.* Sed quæ quæso auditores consequentia? à quo sanæ mentis dialectico pro legitima hæc approbari potest ratiocinatio? *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum.*

Hoc quæsitum enodat Ecclesiæ lumen Augustinus. Pertimescebat enim inquit ipse, ne lachrymæ Magdalenæ plorantis forsitan super pedes decidentes, tamquam catenæ eum in terra ligarent & ascensum ad patrem impedirent. Audite ipsius verba: *Si Magdalena pedes attigisset lachrymis, sic eum ligasset, ut ad cœlum ascendere non potuisset.* Ad primum autem respondet Chrysost. Christum timuisse devoratum mulierum lachrymas, quas ipsæ indubiè, perceptâ jam divina ejus eloquentiâ, & verbi divini vivacitate, effudissent, si ipsis cruenta illius passio innotuisset. Et quandoquidem eæ tantæ sint efficaciæ, ut (si possibile foret) omne divinum decretum immutaretur, Christique mortem retardarent, clanculò de passione suos est allocutus. *Multæ mulieres erant cum Iesu in consessu, quæ, si audissent, quod ideò Christus ascenderit Ierosolymam, ut ibi crucifigeretur, in tali negotio facilè lachrymas excitassent, quarum efficaciâ,* vel si possibile foret, *calicem passionis Dominus non bibisset.* Vincit namque invincibilem lachryma, & ligat omnipotentem.

Idipsum clarissimè comprobatur Genes. cap 19 ubi narratur quomodo Dominus ob inauditam Sodomæ & Gomorrhæ impietatem, ac intolerabilem lasciviam ad summam, & implacabilem exagitatus iracundiam, absolutè decreverit civitates has sulphure, & igne de cœlo dilapso funditùs subvertere. Verùm non immemor hospitalitatis, & fervidæ ergà proximum charitatis Loth, eum cum familia per Angelos educi curavit; hoc tamen addens præceptum; *Noli respicere post tergum.* Quod transgressa uxor ejus in pœnam delicti in statuam salis illicò commutata est. *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Hoc factum summopere admirans S. Chrysol. subtiliter (ut solet) inquirit, quare, vix commissâ culpâ, confestim rigorosa inflicta sit pœna, quandoquidem incomprehensibilis ejus clementia prompta sit ad veniam, & justitia tarda ad vindictam. In suum favorem clarum adducit exemplum è cap. 33. numerorum, è quo liquidò colligitur peccatum Aaron, quod indubie gravius exstitit alterius particularis hominis peccato, tantummodò elapsis quadraginta annis, fuisse castigatum, morteque mulctatum. *Ascenditque Aaron in montem Hor, jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto.* Quare igitur hanc sine ulla prorsus morâ severe punit, & Aaron ad tantum tempus misericorditer parcit? ah respondet Chrysol. Deus in uxoris Loth oculis respicientibus miseram florentissimæ regionis cladem profluentes lachrymas contemplans, mox eam in statuam salis immutari fêcit, ne earum efficaciâ vindicta jam decreta cohiberetur, aut saltem aliquantulum retardaretur. Ligat enim iratum Deum lachryma, ne in pœnam progrediatur. Quod annotans S, Ephraim attonitus exclamat: *O lachrymarum virtutem! universæ virtutes cælestes tuam potestatem admirantur.*

Vers. 17.

Vers. 38.

S. Ephr. serm de Epunctione.

Quam rursùs luculenter stabiliunt duo Scripturæ loca primo intuitu quasi sibi invicem repugnantia, Matth. cap. 11. Christus aperte turbas docet valde difficile esse cælestis regni intercipere propugnaculum, illudque non nisi a strenuis militibus, & viribus pollentibus posse superari. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. verò cap. 18. genuinam cælum expugnandi insinuans methodum, & validum stratagema ait: *Nisi efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis regnum cœlorum.* Sed nonne hic evidens videtur apparêre contradictio? quoniam quænam parvulo adsunt vires, quâ ipsi quæso pollent fortitudine, quo gaudent corporis robore? si itaque vim patiatur cælum, & summam oppugnanti exhibere valeat resistentiam; quomodò illud rapere queunt imbelles pueri? hæc duo loca S. Chrysol. egregiâ simul conciliat similitudine. Nunquam annotastis, inquit, pueros, dum ipsi quippiam à matre exigunt, quod ipsa ob justa motiva renuit, non ensem, aut aliud quoddam instrumentum arripere, ut rem desideratam ab ea extorqueant, verùm ad lachrymas confugere, quibus violenter quasi omnia impetrant. Haud dissimiliter ait Christus cuilibet agendum est homini. *Regnum cælorũ vim patitur.* quia peccatis arctissime obseratur, & ea propter violentiâ opus est, *violenti rapiunt illud.* Sed quâ? ah ô Christiani! adinstar puerorum ad lachrymas vos convertite, ut optatum recipiatis paradisum, iisque vestra lugere delicta; etenim ait Chrysost. *Cogimus regnum cælorum, & vim quodammodo facimus non compellendo, sed flen-*

do

do, nec injuriis provocando, ſed lachrymis exorando.

Huic conceptui pulcherrima, quam doctiſſimus hiſtoriographus (teſte Juſtino) lib.3. Pauſanias commemorat, quadrat hiſtoria de Phalanto. Reſpublica Lacedemonienſis bello non minùs arduo, quàm ſanguinolento laceſſita, atque juventute prorsùs jam deſtituta, pro patriæ adjuvamine ac tutela, mirabile, & publicum edi juſſit diplomà: nimirum, quod cuilibet virgini abſque ulla infamiæ nota cum quolibet juvenculo liceret commiſcêri: ut ſimili congreſſū (quantumvis inordinato) vires bellantium per bellum debilitatæ, ſecurâ abundantiori generatione reſtaurentur. Contingit pòſt inter hoſtes & rempublicam ſincerum pacis pactum fuiſſe fœdus. Per quod, ceſſante bello, ingrata patria ſervitii hujuſcemodi per fornicariam copulam genetatorum præſtiti immemor, eis ſpuriorum, nothorum, atque infamium ignominioſum adſcripſere titulum. Ipſi itaque agnoſcentes propriæ reipublicæ ſeſe fore ludibrio, ſummâ ſtimulati animi virtute & generoſitate, alienam armis rapere decreverunt. Cumque mos apud eos vigêret neminem umquam difficilem (inconſulto Apollinis Delphici oraculo) aggredi expeditionem; Delphos miſſum & ſciſſitatum, eſt quo tempore patriam, ſub duce Phalanto miſeri exules forent adepturi. Reſponſum hoc recepêre legati: *Ducem Phalantum tunc temporis regione, ac civitate potiturum, cum pluvias ſenſerit ab æthra*, quod vocabulū *æthra* juxtà illius ethymologiam liquidum, & ſiccum ſignificat. Phalantus indubiâ ſpe nutritus, caſtra movit contrà fortiſſimam Græciæ civitatem Tarentum, eamque diverſis & arduis oppugnavit inſultibus. Cumque adverſa totaliter ei reluctaretur fortuna, quaſi deſperans, nimio obſidionis pertæſus labore, & morâ, mœſtus in ſinum uxoris caput ad quietem reclinavit. Quod ipſa (nomine Æthra) viri ſui conſpiciens afflictionem, uberrimis perfudit lachrymis, quibus irrigatus & expergefactus Phalantus (percepto tunc meliùs Delphico oraculo, quod repugnantiam videbatur innuiſſe, quandoquidem ſtultum ſit credere ſicco tempore pluviam expectari poſſe) ſequenti nocte Tarentum oppugnavit, & expugnavit.

Ad inſtar Phalanti tecum agit O Chriſtiane! Deus. Tu ſpurius es à vera per delicta devians filiatione, exul à patriâ celeſti, quæ tibi ab omnipotente in propriam hæreditatem deputata eſt, quis modus, ut eam adipiſcaris? munita eſt civitas, fortis, ac quaſi invincibilis *regnum cælorum*, ſicut olim Tarentum, *vim patitur*. Illud tamen ſola expugnare poteſt *Æthra*, id eſt lachrymarum pluvia, qua ſi irrigaveris cor tuum, violenter Tarentum, hoc eſt ſupernam intercipies patriam. Sicut enim peccata tua paradiſum claudunt, & inexpugnabilem reddunt: ita lachrymæ illum aperiunt, & expugnabilem efficiunt. *Cogimus regnum cælorum, & vim quodammodo facimus*, ut ait Chryſoſt.

Nec hoc duntaxat lachrymarum pro peccatis delendis antydorum S. attigit & cognovit Chryſoſt. cum aliis SS. Patribus, verùm etiam ethnicus Philoſophus Seneca ſolo rationis ductus lumine. Qui ſummoperè divinam extollit providentiam, eò quod oculos, quos maxima ex parte (ut verum patebit diſcurrenti) arbitratur, & judicant peccatorum eſſe originem & fontem, in illorum deputarit *Lib. de*
expiationem. Verba ejus ſunt: *Ingenti providentiâ* *providentia.*
Deus poſuit oculis viſum, & fletum, ut qui delictum committunt videndo, pœnas exſolvant plorando.

Cui ad amuſſim conſentit doctiſſimus Novarrinus: *Cecediſti per oculum? contaminaſti te aſpectu* *Hom. prima de pœnitent.*
tuo? abſolvat te aqua tua: induxit te in laqueum, eruat te de laqueo, habet enim magnum lachryma auxilium. Dic illi: exue quod implicaſti, tu me vulneraſti, tu me ſana: tu me polluiſti, tu me purifica: erige, quod eligiſti, corrige, quod evertiſti, quod per ſcandalum obligaſti.

Verùm quid amplius tempus tero, & auditoribus fortè non leve faſtidium pario in comprobanda lachrymarum, è contriti cordis pullulantium, efficacia? ſiquidem irrefragabile hujus Propheta Iſaias præbet teſtimonium. Is prævidens extremam Noabitarum ruinam, illorum miſertus, fuſis precibus, ſed in vanum; pro avertendo Dei furore ad lachrymas, tanquàm ad ſecurum confugit aſylum: *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sa-* *Iſaia c.16. vers.9.*
bama Inebriabo te lachrymâ meâ Hoſebon, & Eliale. Aſt ô Iſaia, cur impium hunc populum lachrymâ tuâ, & quidem in ſingulari inebriare contendis? ad quid vis Deum tuum madefacere oculorum liquore?

Ex Iſigeniæ actu utcumque mentem Prophetæ attingemus. Ipſa templo deorum præpoſita, & imbuta antiquo ethnicorum cultu, advenis ſacrificare idolis cupientibus ajebat: *Sanctis lavacris primùm vos lavari volo.* Sed iis interrogantibus: *An frontibus aquarum fluentûm, aut marino rore?* Reſpondit: *Mare abluit omnium hominum peccata.* Idcircò ait Cicero pro Roſ. io, apud gentiles conſuetudinem invaluiſſe, quod criminis, & mortis rei pelle bovinâ obvoluti, nunquam nudi

in flumina conjicerentur; ne nimirùm peccatis infecti, aquam maris, ad quod omnia flumina confluunt, coinquinarent. *Noluerunt*: ait, *nudos in flumen dejicere, nè cùm delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur.*

Si quis curiosè indageret, cur potiùs aqua maris, quàm fontis expiandis hominum peccatis ab istis Ethnicis judicabatur idonea; respondent ipsi quia salsa. Etenim sal, ut ex ipsius natura constat, mirabili pollet aliquid conservandi virtute, simul & vulnera quandoque curandi. Sic etiam lachryma, utpote salsa, in purificandis criminum nostrorum fæcibus maximè est conveniens. Ideoque di-
Vers. 13. cebat Jeremias Tren. c. 2. *Magna est velut mare contritio tua.* Si itaque peccasti, ô homo! da Deo bibere, madeant oculi lachrymâ, & confestim tua delebuntur peccata. Vult namque Isaias indicare, salsedine unius lachrymulæ, in singulari, non lachrymarum in plurali, peccata in conspectu Dei penitùs posse dilui. Stupendam S. Vincentius Ferrerius de quodam suo pœnitente commemorat historiam. Hic divinâ benignè & misericorditer internâ compunctus gratiâ, jugum peccatorum ante confessarii Christi in terra vicarii pedes deponere, ac abjicere decrevit. Cùmque ob longitudinem temporis, quo ad sacramentalem non accesserat confessionem, maturè examinatâ conscientiâ, tot horrenda & enormia comperiret scelera, obfuscatam tantâ multitudine memoriam adjuvare cogitavit. Quapropter ea ad amussim chartulæ demandavit, sicque Vincentium summâ cum contritione, ac oculis lachrymis madidis, peccata sua confessurus accessit; sed cùm unum atque alterum peccatum è chartula descripta ipsi indicasset, summo tactus dolore, lachrymis affluenter oculis erumpentibus illam madefecit; & continuò Vincentii apud Deum pro venia impetranda imploravit intercessionem; sed ecce reversus ad chartulam, ut cætera confessario aperiret, nullam reperiit scripturam, imò nec ullam atramenti maculam. Quo eventu enarrato, Vincentius obstupefactus ob tantam Domini misericordiam, mirabilem hunc effectum magnificæ lachrymarum attribuit potentiæ, quæ cuncta obliterant, imò & annihilant peccata. Quia ut dicebat S. Catharina Senensis beato Raimundo confessario suo: *Lachryma est bulla indulgentiarum.* Ah quam benè huic historiæ quadrat aurea Chrysost. sententia supra hunc scripturæ locum discurrentis: *Peccatum Judæ scriptum est in stylo ferreo, ungue adamantino.* *Peccata tua*, inquit, *in libro scripta sunt, spongiæ autem instar sunt lachrymæ, lachrymas mitte, & oblite-* Ieremiæ c. 17. v. 10.
rantur, lachrymas funde, & purus ille liber inveni- Chrysost.
tur, magna lachrymarum vis est. Imò hæc tanta, ut Hom. 2.
Augustinus in hæc audeat prorũpere verba: *Omnes* in Ps. 50.
aquæ non extinguerent unam scintillam in inferno, sed una lachryma, si de puro & contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit. Serm 19. ad fratres.

Quis itaque est peccator, tam durus, obstinatus, & pertinax, qui animam suam ipsomet Christi Domini redemptam pretioso sanguine, jam venditam, & mortuam peccato, tantillo non redimat, & vivificet pretio? imitare Christiane pelicanũ, de quo referunt naturalistæ, ei inter cæteras, hanc esse inditam proprietatem, quod pullos suos crudelis parens rostro acuto enecet; sed post mærore & dolore confectus, eodem pectus aperiat, sanguinemque eliciat, & supra mortuos distillet, cujus virtute rursùs vivificantur, ut refert Augustinus suprà illud Psalmistæ: *factus sum similis pelicano solitudinis. Dicuntur*, inquit, *hæ aves tanquam colaphis rostrorum occidere parvulos filios, eosque in nido occisos lugere per triduum. Postremò dicunt matrem seipsam graviter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reviviscunt.* Hunc ergo imitare peccator, tu animam tuam tuis deliciis, cupiditatibus, concupiscentiis, inordinatisque appetitibus spiritualiter occidisti. Ah quid opus, ut eam denuò vivifices? punge pectus tuum, concute cordis penetralia, animum tuum penetra, & ex eo elice gemitus, extrahe ex oculis sanguineas lachrymas, iis asperge, & irrora mortuam animam, & ecce confestim reviviscet, & resurget. Attende, quid dicat Augustinus: *Si ardeat conscien-* August. in
tia delictis, lachrymis, extingue flammam pecca- Psal. 94.
ti, plora antè Deum securè, plora antè eum, qui te fecit: non enim opus manuum suarum contemnit in te. Noli putare, quia potes à te refici, à te deficere potes, te ipsum reficere non potes, ille te reficit, qui te fecit.

Si itaque tam utiles, tam necessariæ, tam gratæ (ut audivistis) Deo sint lachrymæ ex puro ipsius amore depromptæ, rogemus cuncti, ac imploremus pro illis impetrandis largitorem omnium bonorum cum Augustino peccatore pœnitente hisce verbis: *Da mihi Domine amorem tuum sanctum, & castum, qui me repleat, teneat, to-* Aug. lib.
tumque possideat. Et da mihi, evidens signum a- Meditat.
moris tui irriguum lachrymarum fontem jugiter ma- cap. 36.
nantem,

nantem, ut ipsæ quoque lachrymæ tuum in me testentur amorem. Ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligat anima mea, dum præ nimia dulcedine tua nequit se à lachrymis continere. Ut tandem earum vi, & potentiâ perfringere possimus cælestem paradisum, & æternâ frui mereamur cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto beatitudine Amen.

DOMINICA IV.

Quadragesimæ.

Cùm sublevasset Iesus oculos, dixit ad Philippum: misereor suprà turbam. Joan. cap. 6.

Curiosum est, quod tempore mitissimi illius Cæsaris Vespasiani in consistorio imperiali contigisse, veteres Romanorum referunt annales; nimirùm Imperatorem, cernentem à fallaci mundo tàm diversos, ac tam multos Deos adorari: non tantùm subtilissima, ac celebertima totius Romani Imperii ingenia; verum etiam cujuscumque status, ac conditionis celebres, ac famosos viros quodam tempore in unum congregasse cætum: ut eorum calculo, & judicio, tandem decideretur, quæ Deitas adeo in eminentia & perfectione excelleret, ut Deificus universi mundi cultus illi jure competeret.

Eapropter hanc ventilandam atque determinandam iis proposuit quæstionem: *Quis Deorum esset major*, ac per consequens præ cæteris colendus? at ecce, sicut Judicum genii, atque inclinationes differebant, ita diversa & differentia de difficultate proposita lata sunt judicia, milites Marti, belloque a juventute assuefacti, sanguinis avidi, ad summum eminentiæ gradum animi, & corporis fortitudinem extollentes Martem, Bellonam cæteris prætulêre, juxtà illud sapientiæ: *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* (Sap. cap. 2. v. 11.) Avari divitiarum cupidi, auro & argento inhiantes, supremum Deorum constituêre Plutonem, juxtà illud Oseæ: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* (Oseæ c. 12. v. 8.) Philosophi litterarum, & sapientiæ amatores, rerum profundarum cognitioni omnimodè dediti, Minervæ Deæ sapientiæ in Deitate præeminentiam attribuêre, secundùm hoc Sapientis dictum: *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis.* (Prov. c. 8. v. 11.) Nautæ sævis tempestatis marisque expositi summo cum discrimine rigoribus, Neptuno, tamquam summo Deo sese devovêrunt, falsò autumantes, illud, quod de Christo rectè dicitur, verè appropriari posse dictum, quia *Mare, & venti obediunt ei.* (Matt. c. 8. v. 27.) In Medicina peritiore cæteris Apollinem ad incognitam Cretensium infirmitatem medendam, è cœlo in terram dilapsum, in summum Deum eligêrunt, juxtà illud Ecclesiastici: *Honora medicum propter necessitatem.* (Eccl. 38. v. 1.) Tandem accessêre nobiles, principes & magnates, reges & Imperatores, qui unamini consensu calculum præeminentiæ Jovi Deorum summo dederunt, conformiter ad illud usitatum & vulgare apud eos adagium: *Quis ut Iupiter?* Recensitis jam datis sententiis, cuncti strenuè pro suo Deo decertabant, & palmam reportare prætendebant. Tandem in medium prosiliit formosus Juvenis, pulchram in dextera portans tabulam: in qua artificiosè delineatus erat unus Deus expansis brachiis, In dextera illius exaratum erat dictum *Promitto.* In sinistra: *Exspecto.* In pectore *Remitto.* Et circumcircà eum legebatur hæc epigraphe: *Deus clementiæ.* Hoc emblemate volens innuere, neminem ad summam posse attingere Deitatem, nisi clementem. Quo inspecto, Judices omnes ei justam dedêre palmam.

Hæc eadem difficultas olim adhuc ventilata fuit ab ingeniosis, qui quoque sedulò inquisiêrunt, quis esset verus Deus, Judæi illum Martem fore mordicus sustinebant juxtà illud Exodi: *Dominus quasi vir pugnator.* (Exodi c. 15. v. 3.) Græci Minervam: *Græci sapientiam quærunt.* (1. Ad Cor. c. 1. v. 23.) Gentiles, & Ethnici Plutonem, secundùm illud Psalmi: *Simulachra gentium argentum, & aurum.* (Ps. 113. v. 4.) Romani Jovem extulêre, cui honorificum hoc adscribebatur elogium:

elogium ; *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Sed ecce hodie pulcherrimus in medio prodit juvenis Joannes Evangelista, quis Spiritu S. illuminatus propositam enodat quæstionem. Ipse quippè nos delucidè docet Christum verum esse Deum ; etenim, si ille brachia tenebat aperta, de hoc ait Isaias : *Expandi manus meas totâ die.* Si in

Isai. c. 65. v. 2.

dextera ejus scriptum erat : *Promitto*, in dextra Christi legitur : *Vitam æternam Promitto.* Si in sinistra ejus videbatur expressum dictum *Remitto*:

Luc. cap. 7. v. 87.

In hujus sinistra plena continetur omnium peccatorum remissio : *Remittuntur tibi peccata tua.*

Isai. c. 30. v. 18.

Si pectori ejus impressum erat vocabulum *Exspecto* : de hoc dicitur : *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri.* Et si undequaque cernebatur epigraphe : *Deus clementiæ.* De hoc millena, & millena epigraphica misericordiæ, ac benignitatis ergà hominem elogia sacra decantat scriptura.

Psal. 110. vers. 4.

Misericors, & miseratur Dominus, &c Et in moderno Evangelio Joannes : *Cum sublevasset Iesus oculos dixit ad Philippum: misereor suprà turbam.* Ecce vix oculos elevavit, penuriamque famelicæ cognoscit turbæ, de medela benignus solicitus est Dominus, inquirens : *Undè ememus panes, ut manducent hi* ? & jam spiritualiter divino pastos cibo, scilicet verbo veritatis, corporali adjuncto debiles & imbecilles reficit cibo. Vere itaque *Deus clementiæ.* Ratione hujus Evangelii de Dei nostri immensa statui discurrere misericordia, ac demonstrare, quanta sit. Sed quid dico? erro, erro ; illa enim est incomprehensibilis, multò minùs explicabilis, teste Chrysost. *Misericordia Dei ineffabilis est, omnem excedens sermonem.* Estote itaque contenti benevoli Auditores, si umbram tantum illius rudè delineaverim, & imbecillitatem meam vestrâ benevolentiâ excusare. Quâ fretus discursum aggredior. Quod antequam faciam, hortor vos, ut mecum necessariam Spiritus Sancti efflagitetis assistentiam per efficacem Mariæ Virginis intercessionem encomiasticâ Gabrielis oratione : Ave gratia plena,

Cùm sublevasset Iesus oculos dixit ad Philippum : misereor suprà turbam.
Joannis 6.

CUm dudum maturè perpendissem, undè exordirer vobis benevoli auditores, divinæ misericordiæ minimam depromere scintillam, nullum magis congruum adinveni medium, nisi aureis divi Chrysost. uti verbis. Is interpretari desiderans quinquagesimum Davidis Psalmum, ubi Propheta adeò salutarem expostulat misericordiam. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Curiosè, & subtiliter pro more suo Psalmistam interrogat, ô Prophetâ ! unum jam per verba tua mihi innotuit, nimirùm magnitudo misericordiæ : *Magnam dixisti.* Sed illius adhuc me omninò latet quantitas; inter magnum namque maxima reperitur in quantitáte differentia, *dic mihi ergò quanta.* Expone mihi quantitatem.

Chrysost. in Ps. 50. Tom. 1. Hom. 2.

S. Bernardus oculos conjiciens in Psal. 32. v. 5. *Misericordiâ Domini plena est terra* : asserit Prophetam Dei benignitatem assimilare aquæ maris, v. 7. *Congregans sicut in utro aquas maris.* Sed quæ obsecro ô David ! inter aquam maris, & divinam misericordiam apparens similitudinis elucescit ratio ? ah ! forsitàn, quia sicut illa fluidam & facilè de uno ad aliud transmeat flumen, ita & misericordia Dei facilè ad cunctos defluit ? forsitan, quia, sicut aqua humida & liquida dura emollit, ita quoque divina misericordia divino suo liquore, obdurata peccatorum aspersa corda, flexibilia reddit ? an forè, quia sicut aqua omnes maculas emundat, ita & misericordia Dei cunctos errores obliterat ? minimè sanè. Sed alio solido Davidica comparatio nititur fundamento. Nonne quandoque abundantem tu ipsemet, in ripa existens maris contemplatus es aquam ? dic mihi, si circumcirca, & undequaque attentè conjicias oculos, quid vides ? cernisne maris longitudinem, latitudinem, aut profunditatem ? profectò neùtiquam hoc oculi tui attingere queût. Quid igitur cernis ? nil nisi aquæ superficiem, hanc unicam dumtaxat comprehendis quantitatis mensuram: hoc est, quod ingeniosa indicare vult similitudine David. Petis O homo ! quanta sit Dei misericordia, rogas quanta ejus benignitas ; respondeo, *sicut aqua maris.* Quia, sicut oculi tui, nec eius longitudinem, nec latitudinem, nec profunditatem intuentur ; haud dissimiliter mens humana divinam contemplans misericordiam, eam solùm superficialiter, & extrinsece ab effectibus valet dignoscere. Hujus enim magnitudini omne succumbit ingenium, coruscantibus hujus radiis humani offuscantur sensus. Quod considerans S. Chrysost. loco citato: nam ingenue confitetur ignorantiam. *Quanta sit nescio, quod grandis sit novi. Quâta enim, non valeo apprehēdere, nescio magnitudinis qualitatē, non enim comprehēditur verbis*

S. Bern. in Psal. 32. v. 7.

vide

namque fructum misericordiæ grandem, nisi enim in immensum extenderetur, pauci admodum salvarentur. Et manifesta immensæ misericordiæ ipse declarat testimonia, mox subjungens: *Hanc misericordiam Filius ejus ostendit, veniens enim misericordiâ suâ salvavit cunctos. Miserere mei Deus*: Et ad eam recurrenti applaudit exclamans: *O portus omni tempestate carens. O portus omni tranquillitate plenus? grande barathrum peccatorum meorum, sed multa Domini mei humanitatis cautela;* factus est homo: *Ecce misericordia magna. In utero virginali conceptus est, quod eras tu, assumpsit, ut tu, quod non eras, esse posses. Hæc misericordiæ ineffabilis magnitudo. Dum esset parvulus, ab extremis finibus vocavit Magos, post illos publicanum, post hunc meretricem, post illam, latronem, post istum vocavit blasphemum.* Et tandem considerans hominis fragilitatem, ait: *O grandis misericordia Domini; cum omnis mundus inclusus in peccatis esset, venit creator universitatis, & principia peccantium evacuavit, ut nullus postmodum desperaret de salute.*

S. Ambros. in celebri sua de morte Imperatoris Theodosii oratione funebri, Lynceos ingenii sui oculos conjiciens in hunc locum Davidis: *Misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.* Subtiliter annotat bis misericordiæ, at semel tantummodò justitiæ fieri mentionem, idque ad exaltandum præ justitia divinam misericordiã. Quod vulgari satis exponi potest similitudine. Nonne Auditores quandoque animadvertistis, quomodo fluminum impetus, ne terra inundetur, coerceatur? aggeres ab utroque eriguntur latere, sicque aqua, quantumvis inflata in medio continetur. Haud dissimiliter Dei tractatur justitia, quæ undequaque circumcingitur à misericordia, & ad instar aggerum contra justitiam circumducta, juxtà illud Jacobi: *Misericordia superexaltat judicium,* continetur, ne furentes illius fluctus miserum supprimant peccatorem. Audite citati Doctoris verba: *Bis misericordiam posuit, semel justitiam in medio, gemino inclusâ septo misericordiâ, Superabundent ergò peccata, superabundabit & misericordia.* Huic S. Patri egregiè concinit Sanctus Augustinus, dicens: *Magna est misericordia tua Deus. & de magna misericordia tua, multæ sunt miserationes tuæ: attendis contemptores, ut corrigas, attendis nescientes ut doceas, attendis confitentes ut agnoscas.*

Hanc misericordiæ stupendam virtutem, ex eo quod superexaltet judicium, optimè comprehendit D. Thomas dicens: *Dominus misericordiam agit, quidem contra justitiam faciendo, sed aliquid contra justitiam erigendo.* Verùm quomodo tanta misericordiæ attribuitur à Deo prærogativa? respondet magnus ille Doctor Augustinus, quia nunc dominatur, posteà autem Justitiæ reservatur vindicta. *Misericordiæ tempus modò est,* inquit, *judicis tempus post erit. Unde nunc misericordiæ tempus? vocat aversos, donec peccata avertant, patiens est suprà peccatores donec convertantur, quandocumque conversi fuerint: præterita obliviscitur, futura promittit, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dimicantes, neminem deserit laborantem & clamantem ad se, donec, unde sibi sacrificetur, ipso tribuit, unde placetur.* Mensura tamen, quam sedulò inquirit Chrysostomus, ut magnitudo misericordiæ Dei exactè indagetur, non obscurè nobis insinuatur à S. Bernardo, qui eam à magnitudine miseriæ nostræ desumendam esse arbitratur, dicens: *abyssus enim tenebrarum invocat abyssum miseriæ, invocat abyssum misericordiæ.* Ah! quàm bene dignoscere possumus benignitatis divinæ quantitatem ex nostra abjectione & miseria, totus mundus omni malitiæ atque iniquitati deditus erat. *Dominabantur,* inquit Chrysost. *dæmones, malè orbis gubernabantur negotia, prævaluerunt peccata, impietas omnes possidebat. Alii dæmonibus libabant, alii creaturas pro Deo venerabantur. Alii immunditiæ & omni spurciciei serviebant, & ipsi qui legem acceperant, per prævaricationem legis Deum contemnebant.* O grãdis Dei misericordia, quæ in tantùm commovit divina viscera, ut ad cuncta scelera expianda, unigenitum è cœlo mitteret filium!

Et profectò grandis, & in tantum grandis, ut Augustinus quasi præ stupore in extasim raptus in divina hæc prorumpat verba: *Quæ major esse misericordia super miseros potuit, quàm illa, quæ cœli creatorem de cœlo deposuit, & terreno corpore terræ induit conditorem, & qui in æternitate patri manet æqualis, mortalibus coæquavit, & formam servi mundi Domino imposuit; ut ipse panis esuriret, saturitas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur.* Verùm in quem finem! audite quid subjungat: *Hoc autem ideo, ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardesceret charitas.* Et rursùs repetit: *Quæ major misericordia, quàm creare creaturam, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem?* Undè optimè ait Sapiens: *Speciosa misericordia Domini in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia*

Psal. 114. v. 5. — *Iacobi c. 2. vers. 13.* — *Aug. in Psal. 50.* — *D. Thom. part. 1. quæst. 21.* — *Loco cit.* — *Aug. serm. 71. de diversis.* — *Ecclес. 35. cap. 36.*

via in tempore siccitatis. Ad quod Hugo, *sicut grata & utilis est pluvia in tempore siccitatis; sic grata & utilis est Dei misericordia liberans, vel confortans in tempore tribulationis.*

Verum, ut parumper misericordiæ divinæ magnitudinem attingamus, operæ pretium est diversas quantitatis species in medium proferre, è quibus summam misericordiæ supra justitiam eruemus præeminentiam, *opposita enim* (ut ajunt Philosophi) *juxtà se posita magis elucescunt.* Numquam annotâstis Auditores, quàm differenter Propheta David de ambobus his loquatur attributis!
Vers.6. ecce Ps.35. ait: *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Id est, *justitia tua*, inquit D. Thom. ex quo modo hoc formo argumentum: quò res quanta continua, majorem occupat locum, eò est major: atque longè majorem occupat locum misericordia, quàm justitia, ergò illa est ipsa longè major. Minor in omnium Philosophorũ
Plinius l. opinione clarè probatur juxtà Plinium, quia nubes
2.cap.23. sese elevant tantùm supra terram quinque milliaribus: juxtà Possidonium centum & decem, cœlum verò nubibus altius est quàm pluribus milliaribus: ergò majorem locum occupat misericordia, utpote quæ usque ad cœlum ipsum penetrat, justitia verò dumtaxat usque ad nubes. Unde ait
Ps.32.v.5. David: *Misericordiâ tuâ Domine plena est terra.* Et bene ait Cassiodorus: *Quia benigni principis est ad clementiæ commodum justitiæ terminos transilire.*

Si verò quis curiosus sit disparitatem inter misericordiam & justitiã in quantitate discreta æquâ trutinâ ponderare; hanc conficiat ratiocinatione: sicut numerus numerans in infinitum excedit numeratum, sic divina misericordia in infinitum superat justitiam. Pro quo advertendus denuò diversus de utraque scripturæ loquendi modus. De illa dicitur Exod.c.34. *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, & patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodit misericordiam in millia.* De hac verò mox additur versu sequenti: *Qui aufers*
V.6. v 7. *iniquitatē & scelera atque peccata, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam generationē.* Ecce misericordia se ad millia extendit, vindicta verò & justitia ad quatuor tantummodò limitatur generationes. Imò ad infinitũ quasi clementia ascendit numerum. Etenim juxtà Lyranum *tò millia* numerum indeterminatum pro determinato significat, & majorem in infinitum comprehendit numerum, quoniam misericordiæ ejus non est finis. Si autem consideres temporis quantitatem reperies, quod, sicut instantia in una hora in potentia sunt infinita, juxtà probabilem Philosophorum sententiam: sic misericordia immobilis semper persistit & perseverat: justitia verò leviter transit. Imò illa unico dumtaxat durat
momento, teste Propheta Isaiâ, *in momento indi-* Cap. 54.
gnationis abscondi faciem meam parumper à te, & in v. 8.
misericordia sempiterna misertus sum tui. Ah inquit Oleaster: *Quàm magna inter momentaneum*
& æternum disparitas: hoc illi peculiare est, ut ad mo- Cap.8. in
mentum affligat, & ad multos centenarios annorum Genesim.
consoletur. Quod de eo pulchrè idem Propheta rursus asserit, *Misit me ut mederer contritis corde,*
prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertio- Isaiæ c. 61.
nem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & v.1.v.2.
diem ultionis Deo nostro. Ubi vides ultionem die concludi ac terminari, placationem verò ad annum durare.

Quod si profundiùs hanc pentrare exoptes differentiam, tantummodò nota id, quod de justitia & misericordia mentionem faciens, dicit Spiritus Sanctus 2. Paralippomenon, cap. 34. v.25. *Quia dereliquerunt me & sacrificaverunt diis alienis.* (Ecce gravissimum in Deum peccatum) ast quam pœnam illi decernit? audi: *Idcircò stillabit furor meus super locum istum.* Ubi maximè notanda Dei mansuetudo, etenim stillare non est aliud, quàm guttatim effundere. E contra attende, quidnam de misericordia testetur per Sapientem:
Patiens est Deus, & effundit super eos misericordiam Eccl.c. 18.
suam. En illam copiosè effundit, & omnibus do- cap. 9.
nat affluenter.

Rursùs, si quis intimiùs perscrutari conetur, binas has divinæ essentiæ proprietates, justâ bilance illas trutinet quoad circumferentiam & centrum necesse est. Ex hac namque summam subitò cernet inæqualitatem, misericordiâ justitiæ longo intervallo præponderante. Ecce de circumferen-
tia illius Psalmista: *Sperantem in Domino miseri-* Psal.31.
cordia circumdabit. Modò attende diametrum ei v.10.
oppositum, ex parte justitiæ ex eodem Propheta: *Quantùm distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Perge & considera semi-
diametrum vers. 12. *Secundùm altitudinem cœli* Psal. 102.
à terra corroboravit misericordiam suam super ti- v.12.
mentes se. Et de quantitate loquens quoque temporis, ait v.17, *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes se.* De vindicta verò audi Isaiam cap. 26. dicentem in persona
benigni Domini: *Abscondere modicum ad mo-* Vers. 20.
mentum, donec pertranseat indignatio. Imò & misericordia circumcincta est ipsâmet æternitate, &

vita

vita æterna in voluntate ejus. Cujus genuinam loquendi methodi Oleaster allegat rationem. *Vt ostenderet Dominus quod pronior sit ad miserendum, quàm ad flagellandum: & quod vix ferre possit continuare punitionem.*

Huic discursui non incongruè quadrat parvula historiola. Narratur de celeberrimo pictore Androcide; quod inter cæteras præclaras & artificiosas picturas ab ipso delineatas, certa quædam maximè excelluerit, in qua undequaque vivis coloribus varii stupendo penicillo efformati cernebantur pisces. Quod artificium inde exortum autumat Plinius, quia ipse piscium capturâ summopere delectabatur, sicque eum, non tam penicillo & arte, quàm affectu hos depinxisse credit. *Creditumque est*, inquit, *eum, qui impensè piscibus delectabatur, magis hac animi affectione, quàm arte ibi fuisse usum.* Hoc ipsum contigisse videtur supremo illi pictori Deo; etenim ipse, quia misericordiæ apprimè deditus, eam in omni opere facit elucescere, & penicillo benignitatis cooperit flammas severitatis. Ut quàm optimè ait Divus Thomas: *Magis proprium est Deo misereri & parcere, quàm punire.* Sed quare petit? & respondet: *Propter ejus infinitam bonitatem.* Si itaque aliquis justam adinvenire exoptet misericordiæ divinæ mensuram, eam ab ipsomet Deo, qui ipsa bonitas est per essentiam, desumat. Quoniam ait Sapiens
Vers. 23. Ecclesiastici cap. 2. *Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.* Cum itaque David dicit Psal. 144. *Magnitudinis ejus non est finis,* per legitimam sequitur consequentiam:
Vers. 3. ergò misericordiæ illius non est finis; ipsa namque à Deo propter se reo peccatori communicatur, justitia verò ab ipso peccatis nostris quasi extorquetur.

Hoc egregiè comprobat Propheta Oseas in persona Dei dicens: *Ad iracundiam provocavit me*
C. 12. v. 14. *Ephraim amaritudinibus suis* Id est, populus meus plurimis abominationibus meam quasi suffocavit misericordiam, & vehementer accendit justitiam, ut ait in hunc locum Hieronymus: *Sceleribus suis*
Cap. 10. v. 3. *amarum me fecit, qui dulcis eram.* Cui expressè concinit Propheta Michæas, qui loquens de Deo justo & vindicante prava Israelitarum opera ait: *Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum: & valles scindentur, sicut cera à facie ignis, & sicut aqua quæ decurrunt in præceps.* Verùm, quæ tanti divini furoris causa? quæ tam acerbæ punitionis scaturigo? audite quid subjungat scriptura v. 5. *In scelere Iacob omne istud & in peccatis domus Israel.* En iniquitates hominum abundantem Divinæ misericordiæ evacuant fontem, atque rigorosam ad vindicandum concitant justitiam. Ita ad hoc propositum rectè attestatur Salvianus: *Exacerbamus Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum.*

Sed quod hic maximè annotandum est, Prophetam dicere Deum, dum hominem peccatorem flagellat, è loco suo egredi, apparet mirum, quomodo enim ille locum quemdam deserere potest, cujus immensitas cuncta replet loca: sane hoc satis videtur difficile. S. Hieronymus tamen hunc approbat multum loquendi modum. Nonne ait: si ignis descenderet deorsum ex natura levis, terra sursum ascenderet naturâ gravis, e naturali dicerentur hæc duo elementa moveri loco & proprio centro! indubiè. Centrum Dei nostri est misericordia & benignitas: *Cui proprium est misereri & parcere.* Quando itaque, ea relictâ, ad castiganda nostra cogitur peccata, quasi invitus loco suo extrahitur. *Dominus, qui mitis est & benignus, & cujus natura clementia est, vestris peccatis cogitur personam, quam non habet, crudelitatis assumere. Egreditur ergò Dominus de loco suo, quando quietem, & mansuetudinem, & clementiam, pro emendatione peccatum rumpere cogitur,* inquit præfatus Doctor. Et hoc innuit apertè satis Isaias cap. 48. dum ait: *Irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Sed quid? quomodo irasci Dei est opus suum, & tamen alienum & peregrinum? optimè sanè. Quia tamquam justus judex tandem suo fungi tenetur munere, id est, castigare delicta; alienum autem, hoc est, à misericordia & divina benignitate; quoniam Deus maximè ad clementiam inclinatur. *Non est*, inquit Hieronymus, *opus ejus punire peccatores, sed peregrinum & alienum ab eo, ut puniat, qui salvator est.*

Pro exaggeranda Dei nostri immensa atq; incomprehensibili misericordia, subtiliter animadvertit S. Bernardus, Deum etiam fugientibus, misericordiæ renitentibus ac rebellibus clementiam impertiri: juxta illud Davidicum Psal. 22. *Misericordia tua subsequetur me.* Hoc eruit ex cap. 20. Ezechielis. *Vivo ego dicit Dominus; quoniam in manu forti* (nimirùm misericordiæ & gratiæ meæ efficaciâ) *Et in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos* Ac si diceret, ô obstinate peccator? tu refractariam mandatis meis foves voluntatem, ego benignitatis liquore eam irrigabo & flectam,

Marginal notes (right column): *Vers. 6.* (beside "impertiri: juxta illud Davidicum Psal. 22."); *Vers. 33.* (beside "caciâ) Et in brachio extento").

flectam. Non permittam, ut pertinacia tua compleatur, sed in furore, id est leviter & misericorditer puniendo ad verum rectæ rationis lumen deducam. Si divitiis in luxu, crapula & mundanis illecebris abuteris: ego eas tollam. Si ô Mater, ô Pater! me derelicto, totum tuum proli devoveas affectum: ego eam ex hac vita eripiam. Si ô Filia! tua te perdat faciei venustas: ego eam sicut arenam à facie terræ evanescere faciam. Et sic, ô Homo! suprà te etiam invitum regnabo. Ob quod inscrutabile beneficium obstupefactus hic Doctor exclamat: *Domine quis similis tui? quis non stupet charitatem Dei spreti & revocantis?* Hoc idem considerans Hieronym. in divina hæc prorumpit verba: *Non vos relinquam, neque contemnam, ut fugaces ser vos Domini negligentes solent contemnere, sed ad meum retraham imperium, & brachio extento in pristinam redigam servitutem, & regnabo super vos. Vt velitis, nolitis, me habeatis regem.* Et postea subdit: *Vbi advertis mirabilem concertationem inter obstinatum populum, in sua volentem permanere impietate, & Dei amorem nitentis illum suo subjugare imperio: non suam animadvertens injuriam, sed peccatoris grande bonum.*

Hieron. l. 8 in c. 20. Ezechielis

Idipsum Deus ipse apertissimè declarat Gen. c. 8 peracto universali diluvio dicens: *Nequaquàm ultrà maledicam terræ propter homines.* O benignum promissum! ô suprema Dei mansuetudo! sed è quo, obsecro, hæc scaturiit fonte? attendite quidnam subjungat: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ecce prava nostra inclinatio, & mala concupiscentia Deum ad nostrûm commiserendum incitat. Ad quod auream Chrysost. hanc profert sententiam: *Vide misericordiam Dei, vide quomodò assignavit, quod propter hominum malitiam, maledictionem terræ invexit: deinde, neputemus, quod ideo hanc promissionem fecerit, quia ipsi jam se in melius converterint:* inquit, *quia incumbit intentè mens hominis in mala opera. Rara species misericordiæ, nequaquàm ultrà maledicam terræ, quia sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*

Vers. 21.

Chrysost. Hom. 27. in cap. 8. Gen.

Hinc cum nomine Dei uti vellet Psalmista, nescius quasi, quo eum condecoraret elogio, ipsum in abstracto quidem *Misericordiam* nuncupavit, non adinveniens magis congruum ejus magnitudinis enarrandæ titulum. *Deus meus, misericordia mea.* Adstipulatur conceptui huic magnus ille Doctor August. in præfatum Psal. *Deus meus misericordia mea, non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nomini desperandum,* & sane stupendam Dei misericordiam in propria expertus persona ingenuè professus est humilis Augustinus dicens: *Ego* (loquitur in persona Dei) *Cum esses longè, veni, ut reducerem te: inter montes quæsivi te, & inter sylvas, & lapides, & ligna inveni te. In lapidibus offendebas, & in lignis errabas, quia ligna & lapides adorabas. Laboravi, sudavi, caput meum spinis superposui, manus meas clavis subjeci, lanceâ latus meum aperuit, sanguinem meum fudi, animam meam posui, ut mihi te conjungerem, & tu recedis à me?*

Psal. 58.

Propheta Malachias verba faciens de Christi Domini incarnatione, ejusque è cœlo in terram descensu mentionem, mysteriosè ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ: & sanitas in pennis ejus.* Quod sane primo intuitu difficile est intellectu. Etenim Christum mundo advenisse resplendentem solem, qui illuminat omnem hominem, extrà omnem, fateor, est controversiam. Verum soli isti alas plumasque adscribere, mihi apparet absonum. Prætereà, nonne ab omni Christi corporis parte humana provenit & pullulavit salus? indubiè, cur itaque eam in pennis dumtaxat consistere affirmat Malachias? pro hoc nodo dissolvendo consulere oportet naturalistas. Hi unanimiter docent avium plumas talis esse naturæ, ut nullo cujuscumque animalis, etiam callidissimo struthionis stomacho, possint digeri. E qua proprietate eruit doctissimus Origenes Hom. 16. Prophetam his verbis intendisse insinuare, quod tanta si divina pietas, ut, dum Verbum ad delicta & peccata persoluturum mundo illuxerit, nulla hominum scelera sufficientia sint, ut misericordiæ ejus fontem obturare, ejusque benignum fluxum cohibêre queant. *Sicut nullum animal,* (inquit) *potest digerere plumas, ita nullus peccator potest viscera pietatis annihilare Christi.* Cui concinunt Chrysost. & Hieron. *Quid enim est,* (ait hic) *peccatum ad misericrdiam Domini? tela aranearum, quæ, flante vento, nusquàm comparet.* Ille verò; *Ne desperes veniam scelerum, qui magna peccata, magnâ delebit misericordiâ.* Sed clariùs atque latiùs illam exaltat hic præfatus Doctor Hom. citatâ suprà. Ut peccatorem in remissionis criminum adipiscendæ stabili constituat confidentia (non dico præsumptione) audite aurea ejus verba: *Si impius es, cogita publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum, considera Paulum Apostolum, prius persecutorem, postea annuntiatorem:*

Cap. 4. v. 2.

Hieron. l. 6 in cap. 20. Ezechielis

Chrysost. de Chananæa.

prius

priùs Sizania, post hoc frumentum : antea lutum, po-
steà pastorem : anteà plumbum, postmodùm aurum :
anteà pyratam, posteà gubernatorem : anteà disper-
sorem ovium, posteà dispensatorem Ecclesiæ : primò
evellentem vineam : posteà plantantem : priùs dissi-
pantem, posteà ædificantem. Vidisti multimodam ma-
litiam ? sed perspice ineffabilem misericordiam. Vidi-
sti superbiam servuli ? considera benevolentiam Do-
mini.

Pro majori hujus discursus materiæ delucida-
tione, atque firmiori divinæ misericordiæ eminen-
tiæ confirmatione : curiosè annotare oportet duo,
quæ contigêre in mysteriosa Spiritus S. missione.
Nimirum primò, quod animabus Apostolorum
illapsus sit horâ diei tertiâ, juxta illud Actorum
cap. 2. *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt,*
Vers. 15. *cum sit hora diei tertia*, quæ juxtà computationem
Hebraicam vix horam secundùm Belgas excedit
quintam. Secundò, quod Paraclitus mundo ap-
paruerit in figura linguarum, ut denuò evidenter
constat ex eodem cap. *Et apparuerunt illis disparti-*
Vers. 3. *tæ linguæ.* Utriusque igitur à SS. Patribus non abs-
que fundamentali ratione sedulò indagatur ratio.
Pro primo quæsito advertendum est, quo tempo-
re, & quâ hora eclipsatus sit sol, mortuaque sit in
infami cruce ipsa vita Christus. Marcus non tan-
Vers. 25. tum sibi, sed & Evangelistæ Lucæ directè contra-
dicere videtur. Quoniam cap. 15. dicit. *Erat au-*
tem hora tertia, & crucifixerunt eum. Vers. autem
33. ait : *Et factâ horâ sextâ, tenebræ factæ sunt per*
universam terram usque in horam nonam. Et post
subjungit vers. 34. *Et horâ nonâ exclamavit Iesus*
Vers. 45. *voce magnâ*, &c. & v. 37. *Iesus autem emissâ voce*
magnâ, exspiravit. E quo clarissime deducitur,
Christum Dominum contrà universalem Eccle-
siæ & SS. Patrum sensum, sex horis crucis trabi
fuisse affixum, ut intelligenti per se patet. Et Mat-
thæus, & Lucas censent, eum dumtaxat tribus in
cruce horis pependisse, ideoque asserunt eum ho-
râ sexta crucifixum. Matthæus cap. 27. *A sextâ*
autem horâ tenebræ factæ sunt super universam ter-
ram. Et post vers. 50. *Iesus autem iterùm clamans*
voce magnâ, emisit Spiritum. Et Lucas cap. 23. *E-*
rat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in u-
niversam terram usque in horam nonam. Sed quo-
Vers. 44. modò, obsecrò ista inter sese primo intuitu, (sicuti
tamen debent) consistere queunt, veritas namque
veritati neutiquàm est contraria.

Has difficultatis nebulas à mente nostra depel-
lit eminentissimum illud Ecclesiæ lumen Augu-
stinus, qui eam egregiè tangit & subtiliter dissol-
vit. *Si igitur horâ sextâ*, inquit, *Pilato sedente pro*
tribunali traditus est crucifigendus Iudæis (nimirum
quando dixit) *Accipite eum vos, &c. quomodo ho-*
râ tertiâ crucifixus est ? & respondet summa cum
emphasi : *Iam itaque corruat impia pertinacia, &* Aug. l. 6. 5.
credat Dominum Iesum Christum, & hora tertia de consen-
crucifixum lingua Iudæorum, & sexta manibus mi- su Evang.
litum. Et specialiter Marcus egit de illa, verissimè c. 13.
judicans magis fuisse necatricem linguam, quàm mi-
litum manus. Hinc alibi Judæis improperans de-
testandam barbariem ait : *Et vos ô Iudæi occidistis.* Aug. in
Vndè occidisti ? gladio linguæ, videlicet, dum clama- Psal. 63.
stis : crucifige, crucifige & si hunc dimittis, non es
amicus Cæsaris. E quo concluditur maximum,
quod umquam in mundo perpetratum fuit scelus,
commissum fore horâ tertiâ. Quapropter mise-
ricors Christus, ut manifestet nullum peccatum,
quodcumque sit, quidquàm divinæ posse adimere
misericordiæ, expresse voluit homini horâ tertiâ
maximum præstare beneficium, scilicet mittere
paraclitum Spiritum, & quidem in figura lingua-
rum, ut eodem instrumento, quo tantum facinus
mundum commaculatum reddiderat, ablueretur.
Sic egregiè exponit S. Ephraim dicens. *Hora diei*
tertia linguæ figuram detulit, quia omnem plagam
peccati magnus ille animarum nostrarum medicus
curaturus erat.

Huic conceptui quàm optimè alia quadrat in-
geniosa quæstio. Nimirum cur è benedicto Chri-
sti Domini latere permissum sit, ut effluxerit, imò
ordinatum ab infinita Sapientia, sanguis & aqua.
Super hoc quæsitum variæ ventilari possunt ra-
tiones (de quibus spero latissimè tractare infrà de
passione Domini) verum pro nunc, iis omissis,
placet illa, quia magis proposito propria, quam ad-
ducit S. Cyprianus. Qui subtiliter annotat duas
fuisse Christi cædes, unam commissam ab iniquo
Judice Pilato. Alteram, *Dum accepta aqua lavit* Matth. c.
manus coram populo dicens ! innocens ego sum à san- 27. v. 24.
guine justi hujus. Et eum, non obstante tamen v. 26.
cognitâ innocentiâ severâ ad infamem mortem
condemnavit sententiâ : *Iesum autem flagellatum*
tradidit eis, ut crucifigeretur à rabidis Judæis, qui
eum ad montem Calvariæ cruci affigendum de-
duxerunt. Peccatum itaque Pilati inquit hic S.
Doctor denotat aquam, sanguis verò Judæorum
nequitiam, clamantium : *Sanguis ejus super nos, &*
super filios nostros. Vult igitur Christus, ut è pecto-
re effluat sanguis, & aqua, ut utrumque diluatur,
& illud sese ultrò misericorditer condonare insi-
nuet. *Propter duas cædes, judicantis unam, alteram*

verò clamantium: sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Vt ostenderet se utrique condonare. Optimè ergò ait Chrysost. *Quid enim est peccatum ad misericordiam Domini? tela aranearum, quæ, flante, vento, nusquàm comparet.* A qua opinione non multùm abhorret Aug.

Dicit enim lib. de Spiritu & littera: *Nemo de Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quàm nostra miseria. Et quisquis ad Deum toto corde* clamaverit, exaudiet illum, quoniam

Chrysost. Hom. 3. de pœnit.

misericors est, *Tardius siquidem ei videtur misericordiam dare, quàm ipsi peccatori, accipere.* Undè audacter præclarum hoc S. Chrysost. Deo adscribit elogium: *Cogita, si scintilla in mare deciderit, num possit stare, & apparere: quantum scintilla ad mare se habet, tantùm hominis malitia ad Dei clementiam, bonitatemque. Imò verò non tantummodò, sed suprà.*

Imò misericordia Dei nostri tanta est, tamque stupenda, ut si videat peccatorem obstinatum illi refractariè resistere, nec tàm salubri liquore emolliri, in tantùm, imò plùs angustiatur, ac si omnia passionis suæ tormenta pateretur. Pro quo probando notat S. Leo in fine vitæ duabus diversis mirabiliter eum concussum fuisse angustiis.

Semel in horto Gethsemani, & semel in cæna, in qua discipulis suis, diligens eos in finem pretiosum suum sanguinem, & sanctissimum corpus in vivificum animæ nostræ distribuit nutrimentum. Verum diversimodè in horto, quàm in cæna. Etenim ibi turbatus secundùm carnem, hic verò secundùm spiritum, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et Joannes ait: *Et cum hoc dixisset, Iesus turbatus est spiritu.* Ob quam differentiam stupefactus Leo (quam suo carère non arbitratur mysterio) hujus indagat rationem; potiori namque jure quoad spiritum in horto à suis derelictus discipulis, apparente in manu Angelica acerbissimo passionis calice, debuisset perturbari, quàm in cæna, quandoquidem caro nimio tormentorum excessu exterrita, justè spiritui reluctaretur; de quo Laurentius Justinianus ait: *Qualis conflictus, qualis pugna? impellebat spiritus, reclamabat natura humana passibilis pœnarum immanitate perterrita. In horum medio constitutus, tanquàm insuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, spiritus jussa implère curavit.*

Matthæi c. 26. v. 41. Ioannis c. 13. v. 21.

De tribulatione Christi.

Pro dissolvenda prætacta difficultate mihi apprimè deserviet suavis S. Hieronymi conceptus. Hic attentè perponderans certum scripturæ locum, registratum Ps. 108. *Oratio ejus fiat in peccatum.* Et casualiter incidens in proditoris Apostoli desperationem, difficilem, & intricatam pronunciat sententiam: *Pœnitentia Iudæ pejus peccatum factum est.* Nimirum tunc, dum sibi, de sua desperans salute, vitam eripuit, juxtà illud Matthæi c. 27. *Pœnitentià ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum* dicens: *Peccavi, tradens sanguinem justum: & projectis argenteis in templum, recessit, & laqueo se suspendit.* Sed quid Hieronyme, audesne asserere plus Deo Judæ desperationem displicuisse, quàm tanti magistri, & veri Dei infamem traditionem? te sic sentire denegare non vales, quoniam tua propria te convincunt testimonia. Dum enim objectioni tuæ: *Quomodò pejus peccatum factum est pœnitentià Iudæ!* respondes: *ivit, & suspendio periit, & qui proditor Domini factus est, hic & peremptor sui exstitit.* Sed quid tum? quid quæsò gravius, creaturam se suspendere, quam creatorem cæli, & terræ, hominisque redemptorem tradere? quod enormius scelus, vilem atque abjectum suspendere homuncionem, quàm infinitum ac immensum universæ mundi machinæ prodere auctorem? Attendite quàm egregiè suam hic S. Doctor explicet sententiam: *Pro clementia Domini hoc dico, quod pejus peccatum factum sit pœnitentia Iudæ, magis enim ex hoc Dominum offendit, quia se suspendit, quàm, quod Dominum prodidit.*

Vers. 7.

Vers. 3. & 4.

Maluisset namque Christus denuò Judæis tradi, prodi, flagellari, & crucifigi, quàm animam dilecti Apostoli Judæ perire, & misericordiam suo carère fructu. Undè divinè ait Ambrosius: *O felix Iuda, si exspectasses consummationem criminis tui!* ac si diceret: Juda, tu Dominum iniquè ad tot conduxisti tormenta, tu reus es effusionis pretiosi illius cruoris, & mortis: sed quid jàm attentare cogitas? ecce vix ullum sceleris tui intuitus es effectum. Exspecta, exspecta Juda flagella, spinas, opprobria, crucem, effundatur abundantissimè Christi sanguis, qui non in te, ut olim sanguis Abelis in fratricidam, clamabit vindictam, sed misericordiam. Hæc Christus vulnera irato tibi, ô perfide! patri cælesti ostendet, tanquàm charitatis insignia, clamans: Pater ignosce Judæ, quia non scit, quid facit, & indubiè exaudietur pro sua reverentia. Nè curras ad patibulum, sed festina ad securum misericordiæ portum & æternum evades supplicium, quod piè credit Ambrosius dicens: *Tanta enim pietatis est Dominus Iesus, quod Iudæ dedisset veniam, si suam exspectasset misericordiam.*

Ex

Ex hoc jàm tactæ de Christi turbatione quæstionis elucescit claritas. Ecce in horto horrenda ipsius divinis, & humanis oculis objiciuntur tormenta, & commovetur infirma caro, sed spiritus persistit imperterritus, nec pro hominis salute ab acerbissima abhorret passione. Verum in cænaculo in conspectu benigni Domini perfidus & sacrilegus adstabat discipulus jàm jam infame ac execrandum perpetraturus facinus, qui ad commiserationem pia pectoris Christi turbabant penetralia. Quid ageret misericors Pater cum obdurato peccatore? en omnem movet lapidem, ut pertinacem illius animum flectat, & devium ad rectum viæ reducat tramitem: ipse ipsemet Magister humilis sese ad abominabilis servi projecit pedes, eosque non sinè lachrymis, & suspiriis lavit, & detersit. Illi minas, & æternum apertè satis imminens exposuit supplicium his verbis: *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem illi per quem filius hominis tradetur Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et quod omne, quidem imaginabile, superat beneficium, obduratum Judam proprio sanguine nutrit, & corpore pascit, ut hujus lapideum emolliat, aut in frusta comminuat cor; sed heu! ait Joannes: *Et post buccellam, tunc introivit in eum satanas.* Id est malignus ille jam absoluto proditoris potitus est dominio. Clemens itaque Christus infinitâ suâ sapientiâ prævidens inanem pro Juda suam futuram passionem, frustraneam sanguinis effusionem, *turbatus est spiritu*, vehementius deplorans ejus damnationem, quàm extimescens imminentium pænarum multitudinem, & gravitatem. Sic exponit hanc Christi turbationem S. Leo: *Pro proditore turbatus est Iesus, sed quare?* & respondet: *Quia expers fuerat divinæ misericordiæ.*

Matthæi c. 26. v. 24.

Cap. 13. v. 27.

Et si quispiam apostrophe ad benignum faceret Dominum, & exclamaret: ô bone Jesu! quarè in tàm fædifragi gratiam turbaris? cur tantum adeò execrando piè condoles & commiseréris? ecce te rabidis leonibus & tygribus juratis tuis hostibus tradit, ipse tot tormentorum est causa, & tu adhuc tàm scelerato parcere anhelas? ah! quid clementissimus respondebit agnus? profectò, non nisi ad-instar invictissimi Julii Cæsaris. De quo Romani commemorant annales, quod ipse, intellecto, Catonem maximum & infestissimum suum inimicum sibi, eò quòd ipse ad Romanum evectus esset imperium, violenter adscivisse mortem, proprioque pectus confodisse pugione, lachrymatus est, ingemuit, & ingentia interni mœroris edidit indicia. Cumque ab aulicis rogaretur, quæ tanta foret insoliti planctus, ob inimici mortem ratio? exclamavit: *Invidit Cato gloriæ meæ, quam mihi, ei condonando, acquisivissem.* Haud dissimiliter inquam, responderet: *invidit Iudas gloriæ meæ, quam, ei condonando:* si nimirùm meam exspectasset, & implorasset misericordiam, *mihi acquisivissem.* Omnis namque mea gloria in mea ergà peccatores, & reos consistit clementia. Imò ipsa clementia mea est gloria, ut testatur vas electionis, & misericordiæ mirificus filius Apostolus Paulus: *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei:* id est gratiâ, & benignitate Dei, quæ necessaria est, ut è statu malo eruatur peccator. Undè S. Mater nostra Ecclesia gloriam, & Dei misericordiam pro synonimis interpretatur, cantatque in Gloria in missa. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Id est, misericordiam tuam.

Ad Rom. c. 3. v. 23.

Id ipsum non adeò obscurè rursùs alia mysteriosa in Ecclesia Romana usitata comprobat cæremonia. Numquam advertistis, ô curiosi! sacerdotem, dum in *Credo* ad hæc verba pervenit: *Et homo factus est,* sese incurvare, atque summa cum reverentia genua flectere? hoc ad oculum indies intuenti manifestè constat. Verum difficultas sub hac latitans cæremonia, non modica est. Quoniam, quandoquidem celebrans omnes tres, recitans *Credo*, trinitatis nominet personas: cur, obsecro, nec ad sacra hæc verba: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ*, nec ad pronuntiationem verbi, ut verbum est: *Ex patre natum antè omnia sæcula,* nec Spir. S. adducto nomine genua curvantur, sed tum dumtaxat, cùm de verbo, non ut purè verbo, verum incarnato tractatur: *Et homo factus est.* Cæremoniam hanc autumarem fore toti Trinitati ignominiosam, contumeliosam: & blasphemam, nisi Evangelista Joannes eam expresse approbaret Etenim dicto. *In principio erat verbum, & Deus erat verbum, &c.* Nulla ab Ecclesia mandatur genuflexio; ubi autem perventum est ad hæc verba, *Et verbum caro factum est:* de mandato ea observatur. De hoc ego non solus obstupesco, sed ipsemet Ecclesiæ lumen Augustinus, qui sic exclamat: *Multa fecisti Domine pro me, & Dominum totius mundi constituisti me, & non genuflectens adoravi te. Fecisti mundum propter me, & non genuflectens adoravi te. At postquàm te vidi humiliatum propter me, & de cælo descendisse infantulum natum, lachrymas fundentem, in præsepio inclinatum, frigore titubantem,*

Ioan. c. 1. v. 1.

non potui amplius subsistere, sed tanti amoris pondere prostratus adoravi te. Ex his Augustini verbis satis evidenter erui potest genuina tactæ cæremoniæ ratio, quâ innuitur Deum noluisse in missæ sacrificio hanc sibi, ut puro Deo exhiberi reverentiam, sic bene, ut Deo incarnato, quia in mirifica humanitatis nostræ cum natura divina unione, verbi personalitate subsistentis, maximè divinitatis illuxit misericordia, & per consequens gloria. Quia *Dei est proprium misereri semper & parcere.* Undè cantat Ecclesia. *Deus, qui potentiam tuam miserando maximè manifestas.*

Verum quid mirum, quod Spiritus Sanctus, sanctaque Romana Ecclesia honorificum Deitati benignitatis specialiter adscribat attributum: ubi ipsamet gentilitas terreno regi religiosam, ac regimini, regnique conservationi necessariam fore affirmabat clementiam. Seneca Neroni tyranno discipulo suo jam ad Romanum sublimato imperium, confestim libellum scripsit de clementia. In quo divinè, & efficaciter docet principem oportêre justam recti regiminis à clementia inchoare methodum.

Seneca l.1. de clementia c. 19.

Quod appositâ probat similitudine apum, ex ipsa naturæ proprietate depromptâ. Omnes namque apes secundùm naturalistas (quod constat ex ipsa experientia omnium rerum magistra) tanquam vindicativæ aculeum habent, rege solo excepto. *Iracundissimæ, & pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipse sinè aculeo est.* Et rationem addit: *Noluit illum natura sævum esse, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit.* Et concludit: *Exemplum hoc magnis regibus est.* Cumque imperator magistro suo Senecæ respondisset (ut ipse testatur in Octaviano) *Ferrum tuetur principem:* rursùs succinctè, sed acutè rescripsit: *Melius clementia.* Conformiter etiam inscius ad illud loquitur Sapiens proverbiorum cap. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt regem, & clementia corroboratur thronus ejus.* Ubi misericordia bis denuò nominatur. Hinc ait Plinius: *Clementia longè valentior est ad obtinendum, quod velit, quàm timor.* Hoc optimè notat Imperator Severus Princeps clementissimus, cum namque à quibusdam vindicativis mulieribus, Mammea Matre, & Mammea uxore ad furorem concitaretur, addito quidem, eum ob ethymologiam *Severi* nomine esse indignum, regnumque nimiâ bonitate, & conniventiâ ejus penitùs pessumdari, auctoritatemque imperialem summo discrimini exponi, cum phlegmate respondit: *Imo diuturniorem, & securiorem reddo.* Hinc Cato Censorinus quodam tempore de necessariis cunctis principibus qualitatibus interrogatus, inter cætera monita hæc dedit: *Quidquid habet in ore, sit veritas, quidquid in manu merces, occludat adulantibus & mendacibus aures, & cor aperiat omninò clementiæ.* Ob hanc quoque rationem (ut refert Plutarchus) Artaxerxes potentissimus persarum Rex cognominatus Longimanus, eò quòd dextram sinistrâ haberet longiorem, ob hoc derisus, insigniter respondit: hoc sibi in honorificum à diis concessum esse beneficium, in eoque sese summoperè gloriari. Quia manus dextra principis, quæ benignitatem significat, præeminêre debet sinistræ, quæ justitiam repræsentat. Undè cantat quidam Poëta: *Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox.* Concludo itaque, quod si gloriosum fuerit Ethnicis regibus clementiam subditis demonstrare; quis inficias ibit, quin ea Deo ipsi Domino dominantium, regi regum, omnis regiminis directori, omnisque regni conservatori in summa competat excellentia, nimirum per essentiam. Qui quoque ad instar alterius Longimani dexteram suam, id est, misericordiam sinistræ, id est justitiæ prævalêre gloriatur. Ideoque appellatur. *Longanimis, & misericors.*

Vers. 28.

Sed quid tempus nostrum Gentilium terimus historiis? progrediamur semel, antequàm coronidem huic discursui imponamus, immensam Dei nostri gloriam in clementia consistere, sacrâ comprobare scripturâ. Narrat Evangelista Marcus, quodam tempore Capharnai ad Christum Dominum pro opitulatione expostulanda duos accessisse dæmoniacos. Quorum unus maximè de ipsius in illam urbem adventu, conquerens, horrendâ, ac formidabili clamabat voce: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene venisti perdere nos?* ad quæ verba excandescens ipsa benignitas Christus, ei comminatus est, & altissimum imposuit silentium dicens: *Obmutesce, & exi ab homine.* Sed cur, rogat doctissimus Tertullianus, mitis Jesu? tanto cum furore diabolum tacêre jubes? quandoquidem ipse insignis divinitatis tuæ sit præco: *Scio quis sis, filius Dei.* An forsitan id egrè fers Christe? hoc sanè nequaquàm respondêre potes. Quoniam tu ipsemet, qui æterna, & infinita patris cælestis es Sapientia, Joannem Evangelistam præ cæteris Apostolis unicè dilexisti, & suprà pectus tuum in cæna ultima recumbere permisisti (undè dilectus per antonomasiam nuncupatur) eò quòd divinitatis tuæ primus fuerit encomiastes: *In principio erat*

Marci c.1. v. 24.

Vers. 25.

Ioan. c.1. v. 1.

erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Tu quoque Joannem Baptistam honorifico condecorasti hoc encomio, *inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*, eò quòd ipse à sanctissima Trinitate, ad hanc universo mundo denunciandam, sedulus destinatus
Vers. 6. sit legatus. *Erat homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine:* Quod effectivè executus est mandatum dicens. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui antè me factus est.* Quin imò expressè, ut habetur Marci c. 1. Christus præcursori permittit, ut suam divinitatem populo Judaico propalet hisce verbis: *Venit fortior post me, cujus non sum dignus*
Vers. 29. *procumbens solvere corrigiam calceamentorum e-*
v. 30. *jus.* Et ad quid obsecro inserviêre mirabilia Christi miracula, nisi, ut tanquàm splendidissimæ faces ea operantis manifestarent divinitatem. Posset quispiam responsum ejus *obmutesce:* in profundam Domini detorquêre humilitatem, nisi præallegata responsioni nimis manifestè repugnarent argumenta. Aliam itaque operæ pretium est indagare tantæ iræcundiæ mitissimi agni rationem. Et quantumvis adhuc variæ supersint adducendæ: hanc dico, & assero genuinam fore. Dum Christus à diabolo intellexit sese titulo filiationis divinæ insigniri, ac per consequens Dei, ad summum stomachatus est: eò quòd vindictæ, quæ divinitati quasi contrariatur, faciat mentionem, *Venisti perdere nos.* In quo diabolicam perfidi Spiritus planè ostentant in Christum invidiam (quod idem ipsi dæmoniaci improperârunt Garaseni apud Matth. cap. 8. *Quid*
Vers. 29. *nobis, & tibi Iesu fili Dei, venisti huc antè tempus torquêre nos?* utpote, qui pium & gloriosum Christi Domini, ad misericordiæ ramusculum ad instar alterius Arcæ Noë columbæ ad hunc mundum deferendum, è cœlesti patria descensum, ignominioso vindictæ, & rigoris sarcasmate conantur denigrare. Sic appositè explicat doctissimus Tertullianus in hæc prorumpens verba: *Increpavit sanè satanam Dominus, ut invidiosum, & malè adulantem. Dixerat enim, ad quid venisti perdere nos? quasi hæc esset summa gloria Christi, quod ad perditionem dæmonum venisset, & non, ut moreretur pro hominum salute, quod nomen in excessu cupiebat.*

Dum hunc scripturæ locum attentiùs paulisper mentis oculis intueor, ingeniosum diabolorum hìc comperio stratagema. Etenim, duo veniunt ponderanda. Nimirum, cur ipsi, qui populum divinitatem & veri Messiæ in carnem adventum omni zelo, omni conatu studebant celare, cunctisque dissuadere hunc fore filium Dei, sed dumtaxat filium fabri: modò humiles illum Deum profiteantur. Secundò, cur Christus (ut testatur Matth.) eorum subscripserit petitioni tàm misericors: *Dæmones autem rogabant eum dicen-* Vers. 30.
tes: si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum & ait illis: ite. Quis namque hic non maximè stupet inscrutabilem Domini Jesu, etiam ergà malignos spiritus benignitatem? ô pie Domine! quare eos ad obscurum rursùs non relegas barathrum? quare ad destinatas non remittis pœnas? sed misericorditer iis annuis; *Ite?*

Hoc nobis pulchra à Plutarcho enarrata de Alexandro pandet Historiola. Hic potentissimus Monarcha delictis subditorum exacerbatus, ad supremum excanduit, & in reos majestatis, nil nisi ignem, tonitru & fulmen iracundiæ evomere decrevit. Verùm politicè, relictis pauperibus, à capitis sanatione (medicorum more) incipiens curam: dedit mandatum ut juxtà juris leges principaliores plecterentur condemnati. Regis mandati executor mox respondit: *Curabo, quidquid jubes Alexander fili Iovis.* Quo intellecto, Alexander sedato animo, modestu gestu, & quidem stupentibus aulicis, non suæ veritus majestatis diminutionem præter solitum, severam, sed justam revocavit sententiam. Ah Alexander in cunctis tuis factis heroicis, nescius fuisti, ut verus heroës, muliebris instabilitatis, & inconstantiæ: & nunc quare in momento quasi à tuo resilis judicio? cur, quasi severitatis pœnitens, exclamas: *Nolo formidabilis esse, quemadmodum dixi.* Cum fundamento sanè clamat: nolo, &c. Ac si diceret: ô Aulice, tu me filium Jovis vocitas, & Dei attributis elogium; siste, & formidabilem suspende sententiam. Quoniam divinum est condonare, etiam maximè reis. Undè illud Adriani Imperatoris ei quàm optimè posset appropriari, qui inimico jurato ob gravem injuriam offensus (præmeditata vindictæ ansa) jam universi mundi potitus Imperio, vindictam seposuit, & exclamavit: *Vicisti iram meam, mutavimus cum dignitate propositum, & si antè strictè justa defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.*

Haud dissimiliter Christus in crudeles diabolos miseris insidiantes hominibus summoperè stomachatus, non nisi eos ad sempiternas dimittere prætendit flammas, & ad hoc Christi quasi

ſtatuta lex; verùm ubi ipſe ſeſe filium Dei intelligit nuncupari, ad inſtar alterius Alexandri cum tanta eminenti conſiſtere neutiquam ſeveram judicat ſententiam. Ac proinde quos igne torquêre poterat (non quod ego ſuſtineam dæmones ſive in aere, ſive in corporibus exiſtentes flammigeras non ſuſtinere pœnas, quod hujus fori non eſt) *Deus clementiæ* iis porcorum conceſſit habitaculum. Quia, ſicuti pravi ſpiritus iſti gloriam viâ ultionis tollere, dicendo: *Veniſti perdere nos*, autumabant nomine *Fili Dei*: ſic ipſe iis demonſtrando benignitatem, eam voluit exaltare. Quia miſericordiæ ſuæ, id eſt gloriæ maximè eſt zelotypus. Imò, & illo quaſi unico nomine gaudere deſiderat.

Verſ. 3. Ad hoc demonſtrandum mihi in mentem incidit primâ fronte paradoxus quidam ſcripturæ locus regiſtratus 2. ad Cor. cap. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum.* Ecce Apoſtolus (quod hic maximè notandum) Deo tantum titulum miſericordiæ, & non juſtitiæ attribuit; utrumque tamen illi commune eſt, *Miſericors, & miſerator Dominus, & juſtus.* Quod non ſine abſcondito myſterio eum dixiſſe certum eſt. Sed quodnam illud? id nobis patefacit mellifluus Doctor dicens: *Non pater judiciorum, ne ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non ſolummodo, quod poteſt miſereri potiùs, quàm indignari: quemadmodum Pater filiorum miſeretur timentium ſe, ſed eo magis, quod miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi ex noſtro.*

Bern. ſer. 67. in Cant.

Sed nec illud hic prætereundum eſt, quod Apoſtolus utatur tò *Pater Miſericordiarum*; etenim quod Pater ſit Jeſu Chriſti, ſcilicet Verbi, ipſi eſt omninò eſſentiale, alioquin non eſſet Deus, nec comprehendens ſe ipſum, & ſic nec generaret Verbum (ut docent Scolaſtici) ſicuti, ſi non haberet infinitum amorem, ſpiraret cum Filio Spiritum S. ſi itaque ei eſt eſſentiale, ita ut, non eſſet Deus, ſi non foret Pater Verbi, quomodo ergo ſimul & eodem planè modo dicitur ab Apoſtolo: *Pater Miſericordiarum*? poterat enim nihil creare, & ſic nullæ creaturæ oſtendiſſet miſericordiam, ex quo legitimè ſequitur miſericordiam Deo fore non eſſentialem (quoad effectus loquor) ſed accidentalem tantùm. Quorsùm igitur, rursùs repeto *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & *Pater Miſecricordiarum* appellatur? ad hoc quæſitum reſpondeo: fateor compati, & miſereri Deo in tempore quoad effectum eſſe accidentale, ſed quia videtur, quod non eſſet Deus, niſi miſereretur, idcirco hoc ei quaſi cenſetur tam eſſentiale, quàm generare Verbum. Sic appoſitè explicat præcitatus auctor: *Propter hoc enim, non Pater Verbi tantùm, ſed miſericordiarum eſt appellatus, quia ei miſereri ſemper, & parcere innatum. Sicut enim natura ipſa principium eſt filii, non aliter Deus quaſi connaturalem habet miſericordiam.* Ideoque ſummoperè gaudet eo nomine intitulari, quia Deus noſter, *Deus clementiæ.*

Bern. ſer. 45. in Nat. Domini.

Verùm ut exactiùs intueamur eſſentiam miſericordiæ Divinæ, in mente parumper recolligamus mirabiles illius effectus (ex effectibus enim ajunt Philoſophi cognoſcitur cauſa) Rarus clementiæ eſt actus, quod ipſa Divinam ſemper præcedat juſtitiam, hominemque admoneat, ut fugiat à facie arcus, devitetque acutam vindictæ ſagittam. Hoc in millenis & millenis luce clarius patet ſcripturæ locis; ex quibus aliqua tantum brevitatis gratiâ in medium proferam. In Apocalypſi cap. 1. myſterioſam S. Joannes enarrat viſionem, in qua vidit filium hominis iratum, flammeos in capite portantem oculos *E cujus ore gladius utraque parte acutus exibat.* Et ſignanter notat eum indutum eſſe ſacerdotali antiquæ legis veſtimento, *Et vidi ſimilem filio hominis veſtitum podere.* Sed quid ſibi vult hæc veſtis? ſecundum Philonem Judæum veſtis ſacerdotalis in fimbria quam plurimas habebat campanellas, ſicque ſacerdos minimè ſe dimovêre poterat, niſi à præſentibus earum ſonus perciperetur. *Verſ.* 16. *Verſ.* 13.

Pariformiter facit Chriſtus, dum ſeſe ad vindictam & juſtitiam accingit, induit habitum miſericordiæ, id eſt primò nos admonet, ut ad pœnitentiam confugientes, paratam iram evadamus. Eo planè modo, quo Romani olim præliantes campanellas argenteas, (ut refert Plinius) enſi alligatas portabant: ita ut numquam poſſent eum è vagina extrahere quin primò inimicus præmoneretur, ut ictum feralem à capite ſuo averteret. Vel eo modo Deus punit hominem, quô, ut ait Majolus, ſerpens venenoſus quidam, qui ſatis abundanter invenitur in Braſilia, mordet hominem, & ſtatim eum occidit; verum provida natura ei in cauda campanellam dedit, quæ ſonum edit valdè ſenſibilem, ut eo homo commoneretur, cæteraque animalia, ut exitialem morſum effugerent. Vel eo modo quo antiquitus Florentini utebantur. Hi, antequam ad prælium procederent, aut bellum aggrederentur, dudum ante campanam ſonabant, nominatam *Marſonellam*,

quā

quâ inimico insinuabant jam tempus fore, ut sese ad præliandum, atque viriliter resistendum præpararent. Sic Deus sese vestit podere, ut ejus sonitu hominem pœnitentiæ admoneat. Sic hoc egregiè explicat sanctus Basil. Jonæ prædicationis ad Ninivitas assumens exemplum: *Clementiæ Dei peculiare hoc est, non clàm, aut silenter ingerit supplicia, sed per comminationes ea prædicit inferre, per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam, sicut fecit Ninivitis Iona præcone.*

Basil. Homil. 1. in Ionam.

Hinc ait S. Bern. Deum nostrum ad-instar culicis ferire! quia animalculum hoc à natura sortitur (ut attestatur Plinius) duo instrumenta nimirùm tympanum & lanceam, numquam tamen eâ utitur ad pungendum, nisi primò tympanum præsonet; *Susurrando*, inquit, *Vulnerat, ut homini tempus detur sibi ab ictu præcavendi.* Sic quoque Deus numquam lanceam in reos exerit Justitiæ, nisi tympano præludat misericordiæ. Audite Bernardum: *Iudicare cogitur, qui anteà, quomodo evadere possimus, demonstrat: non vult percutere, qui clamat observari.*

Mirabiliter divina in universali totius mundi diluvio eluxit misericordia! etenim ipse quantumvis hominum malitiâ ad vindicandum provocatus, centum nihilominus annuorum spatio, qui insumpti sunt in fabricanda arca, pepercit, exspectans vitæ, morumque emendationem. Imò, quòd ampliùs est, postquam in arcam omnis speciei animantia introduxisset, ab aquarum inundatione adhuc septem diebus abstinuit, ut peccatoribus ad resipiscendum major daretur mora. Et quod etiam maximè notandum, ille, qui mundum diluvio unico opprimere poterat momento, quadraginta diebus usus est & noctibus, ut saltem aliqui communis ruinæ pavore deterrerentur, & converterentur. Audite hoc apposite exponentem Sanctum Ambrosium: *Exspectavit ergò septimo die, quo ab operatione requievit, ut si venia posceretur, sequeretur correctio, & ab indignatione quiesceret.* De pluviæ verò tempore sic ait sanctus Chrysost. *Quod quadraginta diebus, & quadraginta noctibus inductum est diluvium, illud etiam bonitatis optimum specimen est. Nam, si voluisset, & imperasset, potuisset omnia in uno momento perdere diluvio, sed pro clementia tanta dierum productione usus est.* Idque in eum finem, ut in malitia obduratus homo, vel saltem continuo lachrymabili inundantium aquarum intuitu ad veram pœnitentiam emolliretur: & sic mediante illâ certam veniam & indulgentiam delictorum pro-

Amb. lib. de Noe & Arca c. 23

Chrysost. Hom. 35. in c. 7. Gen.

mereretur, juxtà divinam per Ezechielē Prophetam ei factam promissionem: *Considerans enim, & se avertens ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur.* Præfatis SS. PP. accinit ille magnus Doctor August. dicens: *Si nos Deus noster vellet punire, nos antè tot sæcula non commoneret. Invitus quodammodò vindicat, qui quonam evadere possumus modo, antè demonstrat, non enim vult percutere, qui clamat observa.* Undè & ipse divinam summoperè exaltat misericordiam, eò quod Deus tot antè sæcula sese ad rigorosè delicta hominum discutienda venturum prædixerit. *Propterea se Iudicem* inquit August. *Venturum minatur, ut non inveniat, quod puniat, cum venerit. Nemo volens ferire, dicit observa.*

August. Serm. 38. de SS.

August. Ser. 209.

Verùm, quandoquidem mentio inciderit de universali diluvio in ordine ad sublimandam Dei nostri benignitatem, mentionem quoque faciamus in eumdem finem subtilis S. Ambros. speculationis. Annotat is Deum totaliter ob mundi iniquitatem irâ incensum, ipsi horribiliter fuisse comminatum: *Delebo hominem, quem creavi* Quæ tamen verba comminatoria misericordiæ intermixta asserit efficacia ex subsequentibus verbis *à facie terræ*, Quam Ambros. subtilitatem minimè capiemus, nisi recursum nostrum ad cap. 14. Apoc. arripiamus, ubi Joannes relegatus in Pathmos, sese fatetur quamdam mirabilem vidisse apparitionem; nimirùm Dei Judicis: *Vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Sed ecce, ubi lucem auspicatus sum, tenebras adinvêni: ubi campum liberum quæsivi, labyrinthum intravi. Quis namque non videt falcem non regiæ majestati, sed rusticanæ convenire conditioni? cur itaque Deus magnificus, Dominus dominantium, Rex regum, universi conditor, falce armatus prodit? Sanctus Bernardinus non debile hoc evadendi suppeditat filum. Sentit enim Evangelistam tùm temporis vidisse Dominum in qualitate Judicis, & punientis, ac proindè eum quam optimè cum falce comparuisse. Quia, si eâ herbas prati cujusdam reseces, & demetas, radix vivifica relinquitur, & post recentes emittit fructus.

Gen. c. 6. vers. 7.

Amb. lib. de Arca Noe.

Similiter Deus noster falce utitur Justitiæ, & superflua metit. Ast misericordiæ memor radicem conservat. Audite, si lubet sancti verba: *Quid enim per falcem acutam, nisi Iudicium agendorum exprimitur, sicut falx præscindendo partem abscindit, & partem terræ dimittit; sic Dominus Iesus*

Bernardinus de tormentis

Chri-

carnalibus art. 1. In Gen. c. 23.

Christus, justus, & pius numquam justitiam absque misericordia facit. Sicut ipse per Prophetam ad Patrem ait: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi.* Huic loco egregiè quadrat alter Isaiæ c. 7. *In illa die tradet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt in regno, & in Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam universorum.* Ad quod doctissimus Oleaster ait: *Quanta est Dei in puniendo misericordia, qui pilos resecat, & relinquit radices eorum, quibus renascantur.* Et ex hoc elucescit, quàm benè sanctus Ambrosius: Ex tò *à facie terræ,* elicuerit mirificum Divinæ benignitatis actum; quoniam non dixit *è facie terræ,* sed *à facie terræ,* quod alicujus conservationem sonat, inquit hic sanctus Doctor: *Indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliviscitur pietatis. Deleturum se dicit omnem carnem, non è facie terræ, sed, à facie terræ, florem decutit, sed radicem servat.* Nimirum Patriarcham Noe cum tota illius familia conservando.

At quid ad rem tam claram probandam tantùm terimus temporis? *Misericordiâ,* inquit David, *Plena est terra:* id est piis, & impiis atque maximè obstinatis illam impertitur peccatoribus. Testatur hoc ipsamet Scriptura Exodi cap. 9 Ecce Deo rebellis persistit perfidus Pharao, & populum Israeliticum dimittere renuit. Quapropter illum duriori aliis præcedentibus flagello, percutere decernit, & obduratum ejus cor emollire tentat, verùm antiquarum recordatus misericordiarum eum præmonet futuræ ruinæ per Prophetam Moysen vers. 13.

Vers. 19.

Dixitque Dominus ad Moysen: Manè consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus.

Vers. 19.

En pluam cras hâc ipsâ horâ grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto à die, quâ fundata est, usque in præsens tempus. Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia, quæ habes in agro. Homines enim, & jumenta, & universa, quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur. De qua Domini comminatione cum summa mixta benignitate obstupefactus Aug. exclamat:

i August. in Exod. Quæst. 35.

Quid est quod mandavit Deus Pharaoni, cum se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, & quæcumque essent in campo: ne nimirùm in grandine interirent? Hoc enim non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonêre. Cui adstipulatur Oleaster: *O admiranda Dei pietas, antequam sæviat, monet inimicos flagella sua vitare, & in medio iræ misericordiæ memor est.*

Prætereundus nullatenus est præsenti instituto quidam scripturæ locus maximè congruus, registratus Isaiæ cap. 59. ubi ipse, describens Deum nostrum peccatorum sceleribus vehementer offensum, & ea castigare volentem, dicit: *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est Iudiciū: & vidit quia non est, & aporiatus est, quia non est, qui occurrat.* Nimirum quasi angitur Deus, quia avertentem precibus suis iram non cernit, *Aporiare enim,* inquit Hugo, laborare est, vel angustiari, vel affligi, & pergit: *Quasi enim labor, & afflictio grandis est Deo, quando nullus orando animadversioni ejus obviat.*

Quod discursui huic nimis prolixè, & diutiùs, imò forsitan ad nauseam inhæserim, benevole lector, obsecro excusa; tanta enim hujus materiæ est copia, ut vix differendi daretur finis, nisi penuria temporis ei illum præscriberet. Finem itaque, & coronidem impono: Subtili quâdam Sancti Bernardi speculatione, quam ipse haurit è mysteriosa quadam Isaiæ visione, de qua ipsemet sic ait cap. 6.

Isaiæ c. 6. v. 1. 2. 3.

vidi *Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabat suprà illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* De hac namque in excessu obstupefactus mellifluus Doctor, curiosè inquirit, quid sibi velit, quod Deus sese videndum exhibeat vultu obvelato, pedibusque coopertis? & quare Angeli duabus alis continuò volitent, sicque pectus ipsius nudum intuendum præbeant? quod mysterium, ut pateat, relicto litterali sensu; ad mysticum se convertit. Per caput sustinet intelligi debêre infinitam Dei sapientiam, idque quia in eo omnes spirituales animæ resident potentiæ. Per pedes interpretatur rigorosam illius justitiam, eò quòd ii instrumenta sint, quibus itur ad vindictam. Pectus verò, inquit, est sedes amoris & pietatis. Innuit itaque pius Dominus mysteriosâ hac apparitione, misericordiam suam tanta pollêre virtute, ut oculos, id est divinam sapientiam quasi obnubilet, ne hominum delicta intueatur. Et pedes, justitiam videlicet, obtegat, imò & constringat, ne ad puniendum Deus properet. Ast pectus nudum, apertumque cunctis demonstrat, quia ipse summoperè pietatis, & mansuetudinis est amans: *Latet justitia,* ait Bern. *latet sapien-*

sapientia, solùm patent viscera misericordiæ. Unde nec exiguo cum fundamento lætabundi divinæ accinunt cæleſtes ſpiritus majeſtati: *Plena eſt omnis terra gloriâ ejus.* id eſt miſericordia ejus, quia in ea omnis (ut vidimus ſuprà) gloria ejus conſiſtit.

Isaiæ c. 6. v. 1. 2. 3.

Audiſtis abundè ſatis, ut autumo, Auditores immenſæ Dei benignitatis aliqualem dimenſionem, quantùmvis non juſtam, atque exactam. Eam namq; ad amuſſim enucleare nulla creatura poteſt. Sufficit dicere, & fateri cum Chryſoſt. *Niſi in immenſum extenderetur, pauci admodum ſalvarentur.* Eja itaque peccatores, ſi gravi peccatorum mole gravemini, ſi criminum horrore conquatiamini, de eorum remiſſione ne deſperetis, quantumque enim gravia enormia, abominanda, & magna veſtra extiterint delicta, ea omnia magna Domini delebit miſericordia. Hæc eſt anchora ſpei, & confidentiæ, ad hanc fugite, & pravam deteſtando anteactam vitam, veram arripite pœnitentiam.

Sed & de hoc vos admonitos volo, ne nimiùm confidentes divinæ miſericordiæ, meliorem vivendi rationem inſtituere differatis. Viâ mediâ ambulate, ne deſperetis, ne præſumatis, ſed cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini. Etenim perverſam degere vitam ex nimia divinæ clementiæ confidentiâ periculoſum ſanè eſt, ac maximè temerarium. Verendum namque eſt, ne ſimiles ad inſtar elephantis à venatoribus, à Divina Juſtitia capiantur. Hi annotant arborem, cui de nocte innititur, ut quieſcat, eamque ſerrant: ſic is illi incumbens jam gravi ſui corporis mole confractæ, in foſſam incidit, prædaque venatorum manet.

Haud diſſimiliter tibi poteſt contingere ô peccator! tu confidenter magnæ illi arbori divinæ ſcilicet miſericordiæ inniteris, & in prava tua perſeveras vita. Sed heu! ſæpè ſæpiùs Deus ſerrâ juſtitiæ eam reſecat, ſicque in profundum præcipitaris baratrum. *Poteſt,* inquit Auguſtinus, *in junсto hoc intelligi, quod ſæpè hi, qui in iniquitate diu tolerati ſunt, ſubitâ morte rapiantur, ut nequè flere antè mortem liceat, quæ peccaverunt.* Ideòque clamat ad hominem peccatorem Propheta David: *Audite hæc, qui obliviſcimini Deum, nè quandò rapiat, & non ſit, qui eripiat.* Ab hoc itaque cave tibi, ſicut à venenoſo ſerpente ô homo! inſculpe intimis cordis tui penetralibus adhortativam S. Auguſtini ſententiam, quam confratribus ſuis ſedulò inculcavit. *Ergò fratres, quoniam habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non dicamus, ſemper parcit Deus. Ecce feci heri, & pepercit Deus, faciam & cras, quia parcet Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times judicium: ſi vis cantare miſericordiam, & judicium intellige. Quia ideò parcit, ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas.* Hoc attentè perpende, miſericordiæ tempore proinde utere, ut æternam evadas juſtitiam, & in cœleſti regno æternâ fruaris beatitudine, quam mihi, & omnibus concedat Pater, & Filius. & Spiritus Sanctus. Amen.

Aug. in Pſal. 4.

FERIA SECUNDA

Dominicæ quartæ Quadrageſimæ.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejècit de templo.
Joan. cap. 2.

HEſterno die immenſam Chriſti Domini vidimus miſericordiam & benignitatem: hodierno verò ſummum ejuſdem cernimus rigorem, & ſeveritatem. Ecce invenit Scribas, Phariſæos & Sacerdotes vendentes boves, aliaque jumenta ad ſacrificia, & oblationes juxtà Dei præceptum neceſſaria, irâ, ac furore excandeſcens, tantam in propria quidem perſona non differt punire impietatem. *Cùm feciſſet quaſi flagellum &c.* Quem actum dum attentè perpendo, aveo ſcire, quænam Chriſti choleræ genuina extiterit ratio. Hanc dedi ſuprà concione Feriæ 3. Dominicæ 1. Quadrag. nimirùm, quia templum orationi, ac cultui divino dedicatum & conſecratum, juxtà illud: *Domus mea, domus orationis vocabitur,* profanabant, & domum Patris ſui efficiebant domum negotiationis. Vide locum citatum, ſi placet.

Alt pro nunc, eâ relictâ, quia satis fusè ibidem de hac materia tractavi, aliam avidè arripiam, quam mihi suppeditat Sanctus Irenæus, qui asserit Sacerdotes, & Pharisæos non justo fine ad templum properasse, sed perverso. Quia quantùmvis externis signis aliqualem ostentare viderentur pietatem, attamen inquit Iren. ad divinum cultum, atque sacrificium non attendebant; verùm proprio studebant lucro, quod iis ex venditione boum, & ovium proveniebat. Unde de iis ait lamentans, & conquerens Christus: *Populus hic labiis* (id est externè & secundùm apparentiam) *Me honorat, cor autem eorū longè est à me.* Scilicet, quia illud avaritiæ, & divitiarum accumulandarum studio consecrabant. Quod sustinêre non valens Christus, (qui sinceri cordis, charitate inflammati, pietate pleni, & indivisi, atque ab omni terrenarum desiderio abstracti zelosus est amator, ideoque clamat, fili mi pro omnibus in te collatis beneficiis, pro creationis, redemptionis opere, pro sanguinis effusione & morte, *præbe mihi cor tuum*) è templo fictos corde ejecit, & meritò inquit hic S. Doctor. *Quia iis cura non erat de sacrificiis, sed de sordida*
Prov. 23. v. 26. *avaritia, promeruêrunt justâ à templo arceri vindictâ. Divisum enim cor aversatur Deus.* Quod in præsenti discursu mens est demonstrare. Ostendam itaque Deum cordis humani, quàm maxime esse zelotypum, ideoque sincerum, purum, & amore fervens quærere, & illud totum solum velle possidere. Quem præfixum, ut attingere queam scopum, obsecro, ut preces vestras meis adjungatis Auditores pro impetrando à Spiritu S. necessario subsidio per validam sponsæ ejus Mariæ interpellationem, eam invocantes Angelicâ oratione: Ave gratiâ plena.

Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejêcit de templo.

OBstupesco, dum maturè annoto cunctas divinas actiones, atque omnium Dei attributorum operationes præcisè circà cor humanum versari. Etenim, si infinita ejus scientia, sapientia, atque providentia aliquod contemplatione divinâ dignum desideret objectum, ecce ad cor sese
Ps. 7. v. 10 convertit: *Scrutans corda, & Renes Deus.* Si divinâ suâ visione in desideratum tendat visibile, cor primatium obtinet locum: *Deus autem intuê-*
1. Reg. c. 16 v. 7. *tur cor.* Si inperscrutabili ac profundâ motus misericordiâ obduratum atque inveteratum conetur ad rectam vitæ semitam reducere peccatorem, certæ veniæ, & indubitatæ salutis cor humanum destinat instrumentum pius Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Si justam Ioel. c. 2. v. 12. omnium divinorum beneficiorum expostulet remunerationem, dumtaxat cordis exoptat flammas, & amorem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Si familiarem cum homine instituat collocutionem, ecce ait *Ducam eam in so-* Matth. c. 22. v. 37. *litudinem, loquar ad cor ejus.* Denique in pignus mutui amoris, ac benevolentiæ non aliud rogitat, nisi nudum cor. *Fili præbe mihi cor tuum.* Sicque tota Dei complacentia in corde consistit.

Jonadab (ut narratur lib. 2. Regum cap. 13.) cernens pulcherrimum Juvenem Ammon pauco tempore quasi inediâ consumptum, facie macidum, atque totaliter contabescentem, incognitam tantæ immutationis expostulavit scire rationem: *Quare sic attenuaris macie, fili regis per singulos* Vers. *dies? cur non indicas mihi?* qui tandem continuis Jonadab defatigatus precibus, ipsi cordis sui secretum aperuit: *Thamar sororem fratris mei Absolon amo* Ah! si quispiam à Deo rogaret, ô pie Domine, quis te in tantū exinanivit, ut è cœlesti throno descendens splendorem divinæ majestatis sordidâ humanitatis veste offuscari permiseris? *Et verbum caro factum est.* Quis te imbellem, & inermem infantulum reclinavit in præsepio? quis te adhuc tenellum duro cultello circumcidit? quis crucis infami trabi te affixit? responde obsecro Domine, Sed heu! quid aliud responderet, nisi amor hoc fecit. Amo sponsam meam animam cor, hoc est quietis meæ sola sedes. Hoc unicum meum est desiderium, hoc est perfectum amoris mei centrum, & perfectus omnis motus finis. Fili Christiane præbe ergò mihi cor tuum.

Sed ô homo! quale cor exigit Deus? nota bene, cor indivisum, cor totale, cor integrum, diliges in toto corde, non in parte, hoc totum consecra Domino. Pro hoc observatu dignum est id quod ventilant scripturæ sacræ Interpretes; rogant hi, quid absconditi sublitescat in mysteriosa Davidis unicornis cum Christo assimilatione, Psalmo 77.? ubi loquens de Christo incarnando ait: *Ædificavit sicut unicornis sanctificium suum.* Etenim cur Aquilæ avium Reginæ, Vers. 69. aut strenuo Leoni animalium capiti, sed rectè unicorni comparat?

Hanc curiosam quæstionem oportet dissolvere ex Naturalistarum de essentia unicornis doctrina; asserunt illi, ei hanc esse inditam à natura proprietatem, quod omne aliud animal, cujuscumque

cumque speciei sit, à nido suo depellat, & ab ejus consortio mirabiliter abhorrescat. *Nullum aliud animal ad nidum suum admittit* ait Plinius. Tali modo, quod, si aliud fraudulenter illum occupârit, subitò eum deserat. Pariformiter Christus zelosus humani cordis amans, integrum, totumque exigit, nec ullatenùs patitur illud dimidiari. Hinc ad te clamitat ô homo! *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Aberras, aberras à veritate, ô Christiane! si de corde tuo, & affectu mundum, carnem, diabolumque participes effici permittas, & in eo Christum recipere autumes. Erras rursùs repeto, si voluptatibus & deliciis hujus sæculi partem devovêre contendas, & partem Deo tuo consecrare præsumas. Attende quàm divinè id te doceat Sanctus Thomas à Villa-Nova *Triplicem spiritum in scripturis invenio, scilicet Spiritum Dei, spiritum mundi, & spiritum carnis. Hos duos abjice, ut possideas primum. Valdè enim contrarii sunt; neque eos unum capit habitaculum. Si quis negotiis sæcularibus implicatur, si quis illecebrosis turpitudinibus sordidatur, in hunc Spiritus Dei non intrat, hunc Spiritus Sanctus non inhabitat, quoniam quietis, & puritatis amator est. Quietam, & mundam mansionem offerat, qui eũ in cordis sui domicilio hospitari desiderat.*

Serm. 1. in Pent.

Unde ad te clamat amore accensus Christus, ut quondam ad Judæos eum in vincula conjicere intendentes. *Si me quæritis, sinite hos abire*, scilicet Apostolos. Si Christiane me quæris, si meum tibi vendicare exoptes amorem, sine abire mundana desideria, sine abire illecebras carnales, tuam insolentem superbiam, sordidam avaritiam, fœtidam luxuriam, rabidam vindictam, detestandam detractionem, & ut uno verbo cuncta complectar, sine abire peccatum: alioquin me in corde tuo hospitem non recipies; ego enim sum verus unicornis, qui neminem ad nidum suum admittit. Ideò ait Apostolus: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Nec mirum inquit Bernardus, *Quia durum est amanti cor dividere.*

Ioan. c. 18. v. 8. *Epist. 1. ad Cor. c. 6.*

Celeberrimus quidam politicus, nomine Otto, omni conatu, & labore studens ingeniosè, & breviter præcipuas veri, atque sinceri amoris indicare proprietates, subtile hoc produxit emblema. Artificiosè depingi curavit Cupidinem Deum amoris, dexterâ demonstrantem numerum *Unum*, dextroque pede conculcantem numerum *Duo, tria, &c.* Nervosâ hâc Epigraphe adjunctâ.

Unum amat, unum effert, unum numerum, ecce coronat,
Et reliquos numeros en pede calcat amor.

Alludens indubiè ad illud dictum Aristotelicum, *Non est Amor, nisi ad unum.* Quod Otto mundano adscribit amori, ego audacter attribuo cælesti. Christus namque hominis in tantum amator, ut clamet: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum,* non nisi ad unum versatur, non nisi indivisum adamat cor.

Psal. 81. v. 31.

Hoc ipsum ipsamet attestatur infallibilis veritas Cant. cap. 8. Ubi cœlestis sponsus Christus de sedula, atque exacta dilectæ sponsæ suæ, nimirùm animæ disserens cura, ad sanctissimam exclamitat Trinitatem hisce verbis: *Quid faciemus sorori nostræ in die illo, quo alloquenda est?* Hebraicus textus hîc legit: *In die, quo ducenda est.* Audite quid responsi donet ipsemet Spiritus Sanctus: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Difficilis hæc sanè responsio suo neutiquam caret mysterio. Quod nullatenus capere possum, nisi ex proprietatibus muri, & ostii diversis. Novit quilibet murum, in quantum murus est, nulli permittere transitum, quapropter divinus judicat Judex similem sponsam (quæ neminem ad se recipit) promereri in defensionem contra quoscumque hostes propugnaculis præmuniri, ne quandoque alieno subjugetur dominio. Ostium verò aditum cuicumque accedenti præbet: ideoque ait zelosus sponsæ amans, compingamus illud tabulis cedrinis, id est ostii transitum obturemus, atque obstruamus, hocque in illum finem, ne quispiam ad sponsi electum tabernaculum, & quietis locum securum adinveniat accessum. Ita ad amussim ad meum conceptum explicant Rabini juxtà Genebrardum in hunc locum. Verba ejus sunt: *Si murus est, si fortis fide, & timore: nempè si affinitatem cum inimicis non inierit, ædificabimus ei palatium argenteum, erimus ei in urbis munitæ locum. Quod si ostium sit, quod circa cardinem suum volvitur, quod pulsatum aperit, arctabimus suprà eam tabulam cedrinam. Prohibebimus, nè quis ad nos veniat.* Summus namque atque altissimus alterum animæ, & cordis non admittit Dominum, quoniam *Amor non est, nisi ad unum.*

Cant. c. 8. v. 9.

Verùm progrediamur parumper ulteriùs, & ostendamus admirabilem Dei nostri ergà cor humanum zelotypiã. Pro quo non abs re erit mysteriosum quemdam Davidis attentè perscrutari locũ registratum Psal. 32. ubi ait: *Qui finxit sigillatim* *Vers. 15.*

corda eorum. Etenim, si primam omnium Creaturarum, tùm animatarum, tum inanimatarum inspiciamus creationem, omnes unico vocabulo *Fiat* ab omnipotente productas fuisse comperimus, excepto tamen homine, de quo ait Moyses in persona Spiritus Sancti: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ubi necessariò notandum tò *Faciamus* in plurali. Nonnè namque solo verbo *Fiat* similiter infinita poterat hominem creare potentia? cur itaque plures ad hanc operationem videtur convocare personas? scio doctissimum Tertullianum hunc locum explicare hoc modo: nimirùm, quod tunc tota cooperata sit Trinitas (quamvis tamen omnia opera Trinitatis ad extrà sint communia) Pater adhibendo omnipotentiam, Verbum sapientiam, Spiritus Sanctus amorem, quia in homine latebat venustissima, & purissima Virgo Maria, ex qua, & in qua incarnanda erat secunda Trinitatis persona, *Tractabatur*, inquit, *de homine, in quo latebat hæc Virgo, cogita itaque totum Deum illi occupatum, ac deditum, manu, sensu, consilio, sapientiâ, & providentiâ, habitaculo.* Juxtà Propheticum Psalmistæ vaticinium, *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.*

Gen. c. 1. v. 26.

Psal. 45. v. 1.

Quamplurimum in Mariali meo hanc, & satis fundatam veneratus sum profundi hujus Doctoris sententiam, atque præfati loci interpretationem, ast pro moderno objecto non displiceat prudenti lectori, quod aliam arripiam, & Rabbinorum explicationem assumam, quorum Coriphæus est Barcesas. Qui ex communi Judæorum, & Hebræorum opinione mordaciter sustinent, Deũ Angelicos Spiritus, jam antè hominem creatos, advocasse (non in supplementum potentiæ, sed ad ostentaculum divinæ providentiæ) ut hujus universi capitis productioni inservirent; quapropter ait: *Faciamus* in plurali, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Proindè iis dedit facultatem organizandi caput, efformandi pedes, manus, cæteraque humani corporis membra; nihilominùs unicum specialiter sibi reservavit plasmandum, videlicet cor, ut attestatur Propheta David *qui finxit sigillatim*, id est modo quodam particulari, & proprio, *Corda eorum.* Verùm cur? ajunt namque peritissimi medici, aliorum membrorum longo intervallo antecellere oculi efformationem; quare itaque omnipotens Deus Angelis quoque cor humanum producendi noluit concedere potestatem? At ipse sigillatim illud voluit effingere, ut etiam cantat, & profitetur Ecclesia: *Imple superna gratiâ, quæ tu creasti pectora?* Hic locus difficilior est, quàm primâ fronte cuipiam apparet.

Quapropter oportet indagare, an ex aliis sacræ Scripturæ locis utcumque plausibilem non queamus eruere rationem. S. Evangelista Joannes ardentissimum ergà Christum Dominum Mariæ Magdalenæ amorem sedulamque corporis ejus visitandi curam desiderans propalare, ait illam, eo non reperto, in amaras erupisse lachrymas. *Cum ergò fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, unum ad pedes, ubi fuerat positum corpus Domini* Angeli in afflictæ solatium, & & sublevamen dixerunt: *Mulier quid ploras?* quibus ipsa respondit: *Quia tulerunt Dominum meum & nescio ubi posuerunt eum.* Suprà hunc locum S. Hilarius admirabilem, Mariam Magdalenam alloquens, profert sententiam: *Si Angeli sunt, non benè Dominum quæris.* Rectè dixi admirabilem. Etenim quæ hæc obsecro consequentia: Si Angeli Domini monumentum possideant, ergò frustrà & in vanum illum in eo quæris. E contrà enim deberet argumentari Hilarius: *Si Angeli sunt, benè Dominum quæris.* Ubi namque sunt principum aulici, dominorum servi, ibi ordinariè sunt principes, & Domini.

Psal. 18. 6.

Ioan. c. 20. v. 11. 12.

Vers. 13.

Deut. 4. v. 24.

Psalm. 37. v. 12.

Ecce ubi lucem sperabam, densas adinvêni tenebras. Quæramus itaque lucidiorem lucernam, & videamus, an filo Evangelistæ Matthæi ex intricato hoc evadere non possimus labyrintho. Ait hic cap. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Non est qui Theologiam à limine dumtaxat salutârit, quin optimè sciat ad rectam, & bonam comparationem in ambobus membris pariformem, atque eamdem requiri metaphoram. Si itaque dicat Evangelista de Jonâ, quod commoratus sit jam dicto tempore in ventre Ceti, quare non ait Christum quoque requieturum in ventre terræ, sed è contrà. *In corde terræ?* ubi ad oculum claudicat metaphora. Ah! profectò sub mysteriosa hac assimilatione stupenda amantis Christi ergà cor humanum sublitescit zelotopia: Quæ in tantum excrêvit, ut etiam umbrâ cordis delectetur, velitque cunctis creatis, quibus titulus cordis utcumque appropriatur, specialiter adesse. Quod discurrendo per singula facilè probari potest.

Vers. 40.

1. Cor. 1. v. 2.

V. 3.

A strologi asserunt solare sydus fore cor cæterorum astrorum, & planetarum; quoniam, quemadmodum

Psalm. 40. v. 2.

admodum cor consistit, & sedem suam figit in medio corporis, & aliis membris sanguinem communicat, ita etiam Sol medium inter planetas obtinet locum, suamque cæteris lucem affluenter distribuit Et ob hanc rationem pro securo quietis loco Deus Solem eligit. Juxta illud Davidicum: *In Sole posuit tabernaculum suum.* *Psal.18.6.*

Philosophi sustinent, & bono cum fundamento, ignem posse appellari Cor elementorum. Etenim, sicut cor est omnium totius corporis membrorum nobilissimum, sic & ignis est cæterorum elementorum eminentissimum: & sicut cor in humano corpore maximè est activum, ita & ignis cuncta elementa in activitate superat. Ideoque *Elementum summæ activitatis* nuncupatur. Et ecce Deus rursus ignis titulo gaudet, teste Scripturâ: *Deus ignis consumens est.* *Deut. 4. v.24.*

Geometrici constanter asserunt, Palæstinam meritò appellari cor terræ, nam, quemadmodum (ut jam diximus) cor in medio corporis est situatum, ita & Palæstina medium terræ, & mundi, juxta eosdem occupat locum. Quapropter verbum in hac regione humanam assumpsit naturam, & crucem, deleturus damnationis chirographum, ascendit, & in ea mortem passus est, teste Davide: *Operatus est salutem in medio terræ.* *Psalm.37. v.12.*

Theologi non ignorant, charitati rectissimè hoc nobile attribui elogium: *Cor virtutum.* Quoniam, sicut mortuo & extincto corde, cætera corporis membra moriuntur, ac extinguuntur, & eo vivo, vivificantur, pari modo extinctâ, & deficiente charitate, cunctæ aliæ virtutes extinguuntur, & deficiunt, & eâ ardente, cæteræ virtutes accenduntur, & inflammantur. Hinc expressè profitetur Apostolus, omnia opera bona pro nihilo reputari, quæ charitatis igne non foventur. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et, si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ecce, Deus quoque titulum charitatis ambit: *Deus charitas est*, inquit idem, *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Id est, quiescit in corde charitate inflammato. *1. Cor.13. v.2.* *V.3.*

Tandem sanctissima Christi Domini Mater Maria est verissimum universi mystici, id est, Christianæ Ecclesiæ cor, juxta illud Psalmistæ: *Eructavit cor meum verbum bonum:* nimirum Christum, expressum Patris æterni Verbum incarnando. Quapropter adverte lector, quanto cum desiderio in eo commoretur. Sanè tanto, ut in virgineo Matris corpore præter consuetum pariendi modum, quadraginta diebus divina illa Majestas delituerit (ut satis fusè ostendi in meo Mariali, Concione 13. idcò modò hac de re subticeo) sed quid dico? imò cogor denuò repetere, tam ardenti in sancto hoc habitaculo habitandi flagrabat affectu, ut ipsemet quasi violenter ab eo avulsus, querulus ad cælestem clamitet Patrem: *Tu es, qui extraxisti me de ventre matris meæ.* Et quod magis est, ob eundem scopum asserunt SS. PP. sanguinem pro Christi Domini corporis efformatione speciali Spir. S. providentiâ à corde fuisse desumptum. *Psalm.40. v.2.* *Psalmi.21. v.10.*

Sed modò ad quæsitorum genuinam transeamus responsionem. Et ut ab ultimo ad primum progrediamur, dico cum Theodoreto, Evangelistam mysteriosè dixisse, non *In ventre*, verùm *In corde terræ.* Quoniam, quandoquidem Christus nusquam, nisi in corde quiescat, terræque trium dierum spatio ipsi quietis locus fuerit destinatus, terræ cordis titulus ei erat adscribendus.

Et hinc ad oculum patefit, & elucescit subtilis S. Hilarii argumentandi methodus: *Si Angeli sunt, non bene Dominum quæris.* Cùm enim sepulchrum Christo requiescendi extiterit quasi domicilium, & cor, cujus ipse in tantum est zelotypus, ut omnem cujuscumque ad illud respuat accessum, consequenter optimè ait: *Si Angeli sunt, non benè Dominum quæris.* Et hæc est ratio, cur divinus amor obstiterit, ne etiam Angeli in humani cordis efformatione collaborarent, sed ipse solus illud producere voluerit: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Verebatur namque Deus, ne imprudens homo partem cordis Deo Creatori offerret, aliamque spiritui Angelico concreatori attribueret. Ut itaque illud totum possideret, zelosus amans, cooperatorem amovit, ipseque specialiter cor effinxit. *Quia durum est amanti cor dividere.*

De hoc apprimè edoctum erat splendidum illud patientiæ exemplar Job, qui instinctu Spiritus S. de se ipso testatur, sese inviolabile cum oculis suis stabiliisse pactum, ne quamcumque adamaret creaturam: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.* Ubi notandum est, eum tam internum, quàm externum comprehendere actum, visum nimirum, & cogitationem. *Iob.31.12.*

 Verùm,

Verùm quodnam tam efficax motivum, quòd Job simile cum oculis pangendi pactum instigavit? Audite quale conficiat argumentum: *Quam enim partem haberet in me Deus?* Ac si diceret, si mundanarum, atque periturarum rerum studerem amori, quem amorem sibi vendicaret Deus? si cor meum dimidiarem, quam partem haberet in me Deus? Ah! quid ais Propheta, quam partem? dimidiam dico, imò & tertiam, & ultrà. Non, non inquit Job: si ei totum non detur, partem quantumvis amplam recusabit, qui totum possidere desiderat, mandans vi legis naturalis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Etenim verus amans totum quærit amantem. *Quia amor non est, nisi ad unum.* Quod apertè satis confirmat S. Bernardus, dicens: *Divinus amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit & capit affectus.* Cui egregiè adstipulatur Anselmus: *Sic totum cor nostrum tuo debemus amori, ut quidquid de eo alteri damus, illi subtrahamus.*

Vers. 2.

Bern. serm. 18. in Cant.

Ansel. lib. de mensura amoris.

Rationem hujus doctrinæ ex summa Angelicus Doctor Dei eruit bonitate, tractans de ejus amore: *Deo proprium est,* inquit, *ut sit centrum totius amoris. Est enim ille summum bonum, cui proinde debetur omnis amor.* Et videtur, quòd Divus Thomas innitatur solido Bernardi fundamento, quia asseveranter ait: *Modus diligendi Deum, est diligere sine modo.* Supra quæ verba disserens Thomas à Villa N. quamvis dicat: *Dilige ergo sine modo, dilige omni modo, dilige sicut ipse diligibilis est.*

Opusc. de Dei amore

Attamen subtilem contra Divum Thomam, & S. Bernardum proponit objectionem hisce verbis: *Nemo illum ita diligere potest, nisi se ipse solus: sed neque laudare: ipse se adæquat diligendo, cujus amor infinitus est, sicut & magnitudo.* Attendite quid respondeat: *Bene utique loqueris, neque tua mihi displicent verba, neque sensus.* Sed modum amandi Deum suggerens debitum, & sufficientem pergit: *Si ergo non potes sufficere ad laudem, non cesses à laude: si non potes amare, ut debes, ama quantum potes. Neque enim potest defectus in amore timeri, ubi vincitur à gloria, & excellentia dilecti facultas, & potentia dilectoris.* Unde ipse tangens divinum de dilectione mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* ait, *id est, ex tota potestate tua, & ex toto conatu tuo.*

In Domin. 17. post Pent.

Aligera illa suprà omnes Ecclesiæ Doctores aquila Augustinus volans, subtiliterque ruminans irrefragabile Dei nostri præceptum, non minus ingeniosum, contra illud objicit argumentum. An ergò non liceat Christiano amare mundum, patrem, matrem, filium, sororem, affines, & consanguineos? ubi & ipsemet proximum diligendum mandat? nec hoc vetat pius, inquit Augustinus, Dominus. Sed tò *Ex toto corde* genuinum, Deique proprium diligendi edocet modum. Percipite magni aurea ad propositam difficultatem Doctoris verba: *Non dico, ut non diligas patrem, & non diligas filium, sed plus dilige Christum. Audi illum dicentem, ne mea putes ista esse verba, qui amat patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus. Sed quando audis, non est me dignus, non times. De quo dicit Christus, non est me dignus, non est cum Christo, qui cum Christo non erit, ubi erit? cum diabolo erit, qui cum Christo non erit.* Vult dicere Augustinus, amorem rerum terrenarum, conjugum, filiorum, &c fore actum licitum, imò & virtuosum, dummodò hâc reguletur ordinatione, ut omnis cujuscumque hominis in Deum, tamquam in ultimatum scopum, & finem collimet affectus, cæteraque tantùm ob eum participent dilectionem. Ita, ut homo, quæcumque possidet, & amat, paratus sit potiùs deperdere, quàm in minimo ab amore Dei deviare, illiusque amicitiam parvipendere. Hoc clarissimè insinuat S. Hieronymus, dicens: *Felix ille, in cujus corde præter amorem Christi, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando respirat, nec videre desiderat, quod cùm viderit, noluit dimittere.* Concludendum itaque est, illum ex toto corde Deum non amare, qui alia amans, ea ob Deum non amat, juxta legitimum Augustini sensum. E contrà verò cor eos dimidiare, & partiri, quia adeò creaturarum adhærent amori, ut creaturam Creatori præponant, ut sunt mundanarum divitiarum, parentum, conjugum, & filiorum immoderati, & insensati amatores, qui Christum potiùs, quam divitias, aut filium, aut conjugem deperdere mallent. Ubi tamen à tanta deterreri deberent iniquitate, audientes intonantem Augustinum: *Væ tibi, si amaveris condita, & deserueris Conditorem.*

Augustin. serm. 52. de temp.

Idem tr. 2. in Ioan.

Nec aliter explicari potest divinum mandatum, *Diliges proximum tuum,* nec sanum Augustini documentum, qui alioquin apertè sibi ipsi contradiceret. Quoniam perfectum hunc à divina benignitate ardentissimè efflagitans amorem, exclamat: *O ignis, qui semper ardes, & numquam extin-*

Solil. c. 28.

extinguerîs! ô amor, qui semper uris, & nunquam tepescis! accende me, & accende inquam, ut totus diligam te solum. Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat. Amor namque rerum prætereuntium, atque fluxarum magnam turpitudinis notam incurrit, & quàm maximè vitiatur, juxta eumdem dicentem: *Amor turpis est, quo animus se ipso deteriora sectatur. Qui magis propriè cupiditas dicitur, omnium scilicet malorum radix. Et ideò non est amandum, quod amanti, & fruenti amatori auferri potest. Cujus ergo rei amor amandus est, nisi, qui non potest deesse, dum amatur?* Et tandem concludit Augustinus: *Diligamus id, quo nihil melius est, hoc Deus est, cui, si aliquid diligendo, vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando: quem tantò habebimus perfectiorem, quanto eumdem amore, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem.* Eja igitur Christiane, dilige secundùm divinum mandatum Deum tuum ex toto corde tuo: cor enim divisum respuit Dominus. Idcircò ait Propheta Osæas: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

Lib. 83. quæst. 35.

Aug. epist. 52. ad Macedonium.

Cap. 10. 2.

Ex eo, quod diximus superius, Deum sigillatim cor hominis finxisse, nec Angelorum ministerium admisisse, in mentem meam subtilis incidit quæstio, quam proponit, ac objicit S. Athanasius, nimirum quare Deus pro primi parentis Adami diluendo delicto adeò fuerit rigorosus, ut illud Unigeniti sui humeris imposuerit: & cur Angelum, aut Archangelum incarnari, ac pro illo in cruce mori non voluerit; non ignoro, quamplurimos Theologos, nec infimæ sane notæ docere, id in sanctissimo totius Trinitatis tribunali fuisse decretum, ut divinæ justitiæ ex toto rigore, & adæquatè pro commisso Adæ delicto satisfieret. Quandoquidem enim illud esset infinitæ (ut multi censent Scholastici, an bene, an non, hic non curo) intrinsecè malitiæ, per infinitum personæ merentis dilui necesse erat meritum. Contra hanc sententiam quoque graves insurgunt Theologi, asserentes, id minimè exegisse divinam bonitatem atque clementiam, quæ poterat, ut condignam peccato Angelicam acceptaret satisfactionem.

Athan. orat. 3. contra Arian.

Ulterius, subtilissimus Scotus, & celebris scholasticæ illius scholæ sequaces asseveranter sustinent, ne quidem Christum ex toto pro Adæ crimine rigore justitiæ satisfecisse; idque quia actus ejus meritorius non fuit ex propriis. Verùm, quia hæc difficultas non ad moralem, sed ad scholasticam attinet doctrinam, illam Theologis discutiendam relinquo. Quapropter aliam summoperè proposito meo concinnam ad quæsitum adduco responsionem: nimirum, id sic divinâ statutum fuisse providentiâ, ut is, qui sigillatim, & ut modò dixi, absque Angelorum adminiculo hominum formârat corda, eorumque supremus extiterat Creator, misericors quoque foret Redemptor. Ne videlicet cor humanum, quoad suum divideretur amorem, parsque illius Deo, tamquam Creatori, alteraque Angelo, tamquam Redemptori attribueretur. Percipite obsecro memorati Patris verba: *Conveniebat*, inquit, *redemptionem fieri per eum, qui natura Dominus erat, ne alium Dominum agnosceremus.* Cui apprimè, & valde clare adstipulatur S. Anselmus, dicens: *Qui creavit te, ipse redemit te, ne amorem tuum divideres: partem tribuens Creatori, & partem Redemptori.*

Hæc Athanasii subtilitas non minoris, & præsenti quoque instituto optimè deservientis me fecit meminisci curiositatis. Cuilibet in schola christiana edocto constat, Deum duo in Decalogo promulgasse præcepta: scilicet præ cunctis diligendum esse Deum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Deinde proximum: *Et proximum tuum sicut teipsum*, quod dum maturè perpendo, directè videtur utcumque soluto quæsito repugnare. Etenim, si & se, & proximum adamare imperet, nonne & cor ei, & amorem dividere permittit? & quantumvis superiùs hoc punctum paulisper attigerim, ostenderimque, quomodo ipse, & quomodo proximus sit diligendus: attamen ad pleniorem satisfactionem, & ad prædictæ difficultatis enodationem, mysteriosum zelosi amantis lubet adducere stratagema. Noverat latam legem, quam perfecto amori judicabat fore perniciosam; immediatum dumtaxat ex parte Dei: *Diliges Dominum Deum tuum*, & mediatum tantùm ratione proximi, *sicut te ipsum*, sibi vendicans amorem. Idcircò proximus noster effectus est, humanâ assumptâ naturâ, ut etiam in illa qualitate amorem, & cor hominis possideret. Sic August. hunc conceptum divinè exponit, dicens: *Ut totum nostrum vendicaret amorem, Deus homo factus est.* Quoniam *amor non est, nisi ad unum.*

Ast heu! quàm amaris lachrymis deploranda non est detestabilis Christianorum dementia, qui,

ut ait Joannes: *Diligunt magis tenebras, quàm lucem*, & diabolicâ seducti astutiâ, cor dividunt, & deliciis mundanis addicunt, decipiunturque à callido hoste, sicut olim in primitiva Ecclesia Christiani ab impio Imperatore Adriano. Qui, ut nativitatis Christi Domini in Bethlehem penitùs sanctam tolleret memoriam, ibidem infamem erigi jussit Adonidis statuam: *Vt*, inquit Heronymus ad Paulinam, *in stabulo, ubi Christus parvulus vagiisset, Veneris Amasius plangeretur.* Sic, inquam, ipse lascivo luxuriam, avaro pecuniam, vindicativo vindictam, mercatori usuram, &c. persuadet, ut Christum totaliter, quem novit totum planè appetere cor, à desiderato depellat habitaculo.

Cap. 3. v. 19.

Hier. ep. ad Paulinam

Proindè, ô Christiani! desideratisne scire, quàm pervicaciter callidus tartareus vos illudat spiritus: memoriâ recolligite vulgarem satis de Ericio fabulam. Hoc animal, ut constat, tum ex Plinio, tum experientiâ maximè, naturâ suâ spinosum existit. Hac tamen pollet proprietate, ut spinas illas pro libitu valeat dilatare, easque denuò ita contrahere, ut quasi parva pila appareat. Quâdam vice ille, nescio quo fato, aut à recta via aberrans, vel forsitan ab ea, à venatoribus, atque insidiariis non impigrè ad prædam quæsitus, deflectens, solito quietis suæ orbatus loco, ab astuta vulpe sibi obviam venienti supplex expostulavit (suis silentio neutiquam præteritis miseriis) quatenus pro sua innata benevolentia in suo antro parvulum, ad exhaustas continuo cursu vires restaurandas, concederet angulum. Vulpes bestiam intuetur, tantasque in corpore ejus considerans spinas, quarum acutam puncturam formidabat, verita, ne angustia loci & se, & illum capere sufficeret, petitioni ipsius modestè renuit. Instat Ericius blandis in quantum potest, verbis. Tandemque demonstrato, quomodo facillimè contrahere posset spinas, seseque in globum gyrare, desideratam impetrat mansionem. Hic, capto priùs in vulpina caverna angustissimo loco, incepit philacteria sua dilatare, spinasque ita expandere, ut vulpes spinis Ericii lædi metuens, retrogredi sit coacta, antrumque suum deserere.

Fateor, fabula hæc est, & merum figmentum; verùm sub illa ad Christianos moris Propheta Isaias adducit veritatem, dicens: *Ponam eam in possessionem Ericii*, id est, subjugabo illam animam diabolo, quæ ad instar miseræ vulpeculæ blanditiis, persuasionibus, pravisque mundi illecebris, annuit, & consentit. Etenim hic astutus Ericius primò venialia peccata proponit, deinde parum per graviora, tandemque ita detestanda iniquitatis suæ dilatat philacteria, ut totum cor, & animum hominis occupet, justitiam, charitatem, & Christum expellat. Ob quam astutiam nos admonet Apostolus: *Nolite locum dare diabolo.* Rationem dat S. Chrysostomus in hunc locum: *Hoc pacto, si introierit, cuncta dilatat, & amplificat.*

Isa. 14. 23.

Ephes. 4. v. 27.

Sponsa divino amoris igne accensa erga dilectum suum, de eo ait: *Ordinavit in me charitatem.* Septuaginta Interpretes sese reflectentes super hoc vocabulum *Ordinavit*, vertunt, *Erexit super me vexillum.* Alii legunt, inter quos Vatablus: *Posuit super me signaculum.* Rursus alii: *Singularizavit me.* Hic locus valde obscurus apparet, & aliquâ indiget dilucidatione, quam facilè ex antiquis hauriemus historiis.

Cant. 2. 4.

Vigebat aqud Romanos laudabilis consuetudo, quòd cùm furens miles vi & impetu civitatem hostilem interciperet, atque diriperet, si cuidam puellæ cujuscumque conditionis, galeam imposuisset, illa ipsi imponenti foret desponsata. Ideoque censebatur crimen illam attingere, aut minimam ei infligere injuriam: sicque indemnis à militum rabie reservabatur. Id ipsum in sensu spirituali indicat Sponsa, dicens: *Posuit super me signaculum*; in signum, & testimonium videlicet, quòd me sibi in sponsam adsciverit, totumque meum exposcat amorem. Quod & insinuat S. Agnes, clamans: *Posuit dilectus meus signum*, sed quare? respondet, *ut nullum præter eum amatorem admittam.*

O homo Christiane attende, & adverte, Deus tuus mirabili cordi tuo infixit signaculum, indelebilem nimirum Baptismi characterem per salutare lavacrum, te sibi in fidelem assumpsit Sponsam. Juxta illud Oseæ: *Sponsabo te mihi in fide.* Verùm inspice quo fine: *Vt nullum præter eum amatorem admittas.* Quoniam *Amor* (ut dictum est) non est, nisi ad unum. Et tamen, ô perfide! tam inconsideratè fidem frangis, tuumque cor tam nobili insignitum stigmate, deliciis, mundi voluptatibus, concupiscentiæ carnali, omni iniquitati, & diabolo consecras? ô perfidia! ô infidelitas!

Osea 2. 19.

De Alexandro Magno refert celeberrimus Historiographus Plutarchus, quòd ipse cervæ cujusdam quamplurimum à se dilectæ collo, ne in tela, aut manus venatorum incideret, imponi curarit auream torquem, in qua impressa legebantur hæc

In vita Alexandri.

verba: *Noli me tangere, quia Cæsaris sum.* Summus ille Alexander, omnipotens Deus, ô Christiane! pretiosæ animæ tuæ, tantopere ab eo dilectæ, & adamatæ, ne in hostiles communis hostis diaboli labaris manus, auream baptismalis signaculi impressit torquem, teque suam declaravit. Quid igitur facto opus? Ah homo, quando ingruunt vehementes tentationes, dum impellunt adblandientia carnis incitamenta, dum arrident vana, ac fluxa mundi lenocinia, dum diabolus sensuum sequi persuadet oblectamenta, clama ex toto corde, noli me tangere caro, noli me tangere munde, noli me tangere infernalis spiritus, quia Cæsaris sum, quia Christi. Huic totum meum dedicavi amorem, vobisque nihil cordis reservavi, quia *Amor non est, nisi ad unum.* Ephes. 4. v. 27. Cant. 1. 4.

Narrat Philosophus Zenophon, quòd potentissimus Persarum Monarcha Cyrus, cùm Regem Tygranem in sanguinolento devicisset prælio, eumque unà cum uxore captivitate mulctasset, quodam die ab ipso petierit, quantum pro dilecta sua redimenda sponsa vellet impendere? Ad quod confestim respondit Tygranes: *Integrum regnum, ô Rex, quod abstulisti: insuper vitam, & sanguinem.* Cyrus delectatus tanto conjugali amore, certâ lege regnum illi restituit, ac utrique pristinam reddidit libertatem. Tygranes pòst in patriam redux, uxorem suam interrogavit, quid de Cyri benignitate, ac humanitate sentiret: Ad quod ipsa: *Ignara sum eorum, quæ à me postulas: nam, quo tempore tecum vincula sustinui, numquam oculos, aut mentem in alium defixi, quàm in eum, qui me sanguine, & vitæ dispendio redimere decreverat.*

Ah! si mulier Tygranis pro tam æstuanti mariti amore, qui non actu, sed affectu dumtaxat pro ejus libertate suum effundere paratus erat sanguinem, vitamque deperdere, fidelem in contrasignum ostenderit amorem: quid nos Christiani præstabimus pro Christi nostri amore? quam ei obsecro faciemus satisfactionem? quomodo tantæ correspondebimus ipsius charitati, qui Deus existens, pro nobis, tum etiam, cùm essemus inimici, seipsum tradidit, ultimam sanguinis guttam effudit, vitamque, ut è dura diaboli eriperemur servitute, prodigus in ara Crucis obtulit. Ah! sequamur Tygranis uxorem. Nunquam oculos, aut mentem defigamus, nisi in eum, qui nos sanguine, & vitæ dispendio redemit. Non cogitemus de mundo, de carnalibus deliciis, sed totum Christo nostrum devoveamus amorem. Attendite, quàm nervosè id nobis inculcet S. Bernardus divinâ hâc sententiâ: *In Christi dilectione modus amoris nullus esse debet sine modo eum diligere debes, modum dilectionis expressit te diligendo, pro te moriendo, tu quantum eum diligere debes, non potes. Dilige ergo eum ex tota mente, & ex omni anima, ac ex omnibus viribus tuis, hoc tantùm quærit, ultrà non quærit.* Bern. de diligendo Deo.

Verùm, cùm omne donum sursum sit à Patre luminum, pro præparando digno cordis nostri tantâ Majestate habitaculo, divinam humiliter imploremus gratiam divinis hisce Augustini verbis: *Dulcissime, & amantissime Iesu: infunde obsecro multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam, scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam, numquam ul'â oblivione delendam.* Ut sic totum, & integrum tibi offerens cor, te sincerè amem, inviolabiliter diligam, frequenter colam, ut tandem in æternum tuo frui in cælis merear amore, quod mihi, & vobis omnibus concedat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA TERTIA

Dominicæ quartæ Quadragesimæ.

Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit. Joan. cap. 7.

Celeberrimus author Dionysius Areopagita acutos mentis oculos in ipsam Dei Divinitatem, totamque Sanctissimam Trinitatem conjiciens, pro indubitata sustinet veritate, & irrefragabili doctrina, nil inter cuncta totius universi creata reperiri, quod manifestiùs Dion. lib. de divinis Nominib.

festiùs, ac apertiùs Omnipotentis demonstrat naturam, ejusque attributa, atque effectus, quàm elementum ignis. Suam opinionem haurit ex eo, quòd Sanctissima Trinitas toties, quoties sese manifestare voluerit, mysteriososque producere effectus, sibi de igne quasi semper deservierit. Absque contradictione id evidentissimè cuilibet ex ipsa patet Scriptura, quæ attestatur, Dominum Deum, salutaria in monte Sinai pronuntiaturum mandata, in forma ignis apparuisse: *Totus mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne.*

Exod. 19. v. 18.

Eodem unigenitus cælestis Patris usus est filius, humanam coram selectis discipulis in monte Thabor ostensurus Majestatem, Quoniam ubi vulgaris lectio habet: *Resplenduit facies ejus sicut Sol*: Græcus textus legit: *Arduit facies ejus sicut Sol.* Quapropter ad universale, atque extremum progrediens judicium, antesignano utitur igne: *Ignis ante ipsum præcedet.* Rursus Spiritus S. Christi Discipulis & Apostolis dona infusurus spiritualia, hujus elementi adhibuit indicium, ut satis apertè indicat Scriptura: *Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tanquam ignis.*

Matth. 17. v. 2.
Psal. 96. v. 5.
Actor. 2. 3.

Romani quoque omnem gloriam, nobilitatem, stemmatisque eminentiam igne dimensi sunt, teste Alexandro ab Alexandro Qui dicit, apud eos lege sancitum fuisse, ut ignis sacer ante Imperatorem deferretur. *Demum,* inquit, *eò vesaniæ processum fuit, ut Cæsares sacrum ignem (qui tantùm Regibus Persarum mos erat) veluti imaginem Imperii sibi præferre sinerent, eoque præcipuo insigni, & singulari ornatu uterentur.* Ideoque Senatus Romanus honoris causâ ante Juliani Imperatoris uxorem, & filiam, ignem portari mandavit: *Sic Iuliani uxor, & filia Augustæ appellatæ sunt, quibus hoc etiam honoris tributum est, ut sacer ignis præiret.*

Lib. I. Genial. dierū cap. 38.

Ratio genuina, cur tanti Deus elementum ignis præ cæteris æstimarit, à quamplurimis sacræ Scripturæ exigitur Interpretibus: Quemadmodum à gentilitate inquiritur, quare in tantùm ignis nobilitatem extulerit. Antiqui Historiographi secuti Ægyptios (qui in Hieroglyphicis juxta Augustinum multùm aliis Gentibus præcelluêre,) censerunt ignem tribus elementis fuisse præpositum, quia verissimum charitatis est symbolum. Cujus mensurâ etiam secundùm modum luminis naturalis dictamen, cuncta moralia considerari debent opera.

Ne miremur modò illos Theologos asseverare, Deum ipsum, tum ignis essentiam, tum illius proprietates particulariter commendare; quandoquidem per essentiam charitas, & ut author naturæ, Juris Divini, positivi, &c. Legislator unicum hoc Ecclesiæ suæ reliquerit semen, idque sub ignis metaphora: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur:* nimirum flammâ amoris. Quod apprimè comprobavit Christus ex hoc ad Patrem ascensurus mundo, suis dilectis dicens Apostolis: *Mando vobis, ut diligatis invicem.*

Lucæ c. 12. v. 49.

Justa sanè lex Christe: verùm non obstupescis, dum nec in tua observatur illa persona? Quid de te dicunt juxta Joannem in hodierno Evangelio Scribæ & Pharisæi: *Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit?* Nonne contra charitatem infame, & temerarium proferunt judicium, divinam tuam, infinitam, & immensam ignorantes scientiam, atque nudam subductam Divinitati, dumtaxat considerantes humanæ naturæ figuram. Ah Christe! opprobria nec timuisti, nec repulisti. Ast, numquid in summo tibi displicet gradu, pie Jesu, quòd Pharisaicum illud temerariè de proximo judicandum venenum ad perversum nostrum serpserit sæculum: imò erro, dum dico nostrum sæculum: potiùs debuissem dixisse de sæculo ad sæcula, cùm audio clamantem antiquissimum Doctorem Origenem: *Hoc crimen nescio, si vel justos, vel electos relinquat immunes:* Cui evidenter adstipulatur S. Chrysostomus: *Non facilè invenies quemquam expertum hujus erroris.* Quod & comprobat Augustinus, dicens: *Magna pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta atque parata.*

Orig. in ca. 3. ad Rom.
Chrysost. ad populū Antioch.
Aug. serm. 102. de temp.

Quandoquidem itaque hoc malum adeo (& quidem inter Christianos, qui veri esse debent dilectionis, & charitatis filii, sit radicatum, ut illud (utinam cum effectu) evellam, conabor pro tantilla mea imbecillitate illius iniquitatem, atque perversitatem in præsenti discursu demonstrare. Quod objectum, ne temerariè aggrediar, supplicate mecum auditores pro Spiritus S. assistentia, per Divæ Virginis Mariæ intercessionem, dicentes, Ave gratiâ plena.

Quo-

Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?

VT exordiar intentum in proœmio propositum scopum, & ostendam periculosam exitialis hujus veneni judicii temerarii malitiam, congruè mihi inserviet mysteriosus Christi agendi modus, registratus in sacra pagina Lucæ cap. 17. ubi refert Evangelista, Magdalenam, cognito, Christum domum Simonis Pharisæi cum ipso pransurum intrasse, omni morâ rejectâ, summa cum festinatione ad cælestem accurrisse Medicum, plurimaque amoris, & doloris ostentasse signa, ut lethale, quod intus in anima interabiliter sentiebat vulnus, spiritualiter curaretur. Et sic à Christo rediret sana, quæ cum accesserat graviter sauciata. Quo viso, Simon summoperè interiùs excandescere, & in Magdalenam stomachari cæpit: *Intrà se dicens*, ait Lucas, *hic si esset Propheta sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Christus, qui intima hominis perscrutatur penetralia, cognoscens Simonem tam exitiali perversi judicii intus infectum fore veneno, sollicitus de congruo, ac salutifero illi adhibendo antidoto, ad illum conversus
Vers. 40, dixit: *Simon, habeo tibi aliquid dicere: Duo de-*
41,42,43, *bitores erant cuidam fœneratori: unus debebat*
45,46,47 *denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque: quis ergò eum plùs diligit? respondens Simon, dixit: æstimo, quia is, cui plùs donavit.* Christus illius comprobans solidum responsum, mox ei ob oculos posuit amaras Magdalenæ lachrymas, quibus Domini pedes lavabat, capillisque abstergebat, pretiosi olei ad eos unguendos profusionem, pia oscula, atque ferventem illius amorem: & tandem ad Pharisæi confusionem ait: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ac si diceret benignus Dominus, perfide, vides hanc mulierem? quæ quæso, & qualis est? tu eam peccatricem, id est, meretricem nuncupas: ah! à veritate aberras Simon: ipsa neutiquam libidinoso, & carnali commaculata est affectu, sed divinâ charitatis intus inextinguibili ardet flammâ, & à cunctis emundata est peccatis, *quoniam dilexit multum.* Tibi Simon optimè quadrat Davidicum illud
Ps. 61.10. dictum: *Mendaces filii hominum in stateris*, id est, in judiciis, quia temerariè judicasti. Resipisce itaque Simon, & tuum agnosce delictum. Et hinc est, quòd idem Evangelista, qui eam peccatricem intitularat, *erat in civitate peccatrix*, cap. 24. proprium nomen ipsi attribuat: *Erat autem Maria Magdalena, &c.* Cap. 24. 10 Luc. 7. 37. Greg. hom. 35. moral.

Verùm hìc curiosè ad propositum nostrum est annotandum, quare Christus primò ad Simonem sese converterit, & non ad Magdalenam. Nôstis Galeni & Hypocratis non dubito regulam, & modernam Medicorum in curandis infirmis praxim. Certum est, eos velociùs ad illos, qui periculosiùs laborant, accurrere, & infirmitati intensiori medelam præparare, deinde aliis subvenire. Haud dissimiliter se gessit prudentissimus cælestis Medicus Christus. Duos ante se intuebatur spiritualiter infirmos, Simonem, & Magdalenam. Hæc juxta Gregorium septem peccatis onusta erat capitalibus, iste autem temerario infectus judicio, quod tam periculosum, tam nocivum, atque exitiale animæ hominis est, ut in oculis Dei (quoniam ab eo, cui soli competit judicium, arripit, & furatur quasi judicandi auctoritatem) septem Magdalenæ peccatis illud præponderet. Ideoque Christus graviùs laboranti succurrit. Ita appositè hunc conceptum stabilit Chrysologus: *Mulier*, inquit, *habebat vulnus, sciebat illud, & talis vulneris medium requirebat Pharisæus perfidiæ morbo saucius, & flammâ fervens. Per phrenesim crescebat insanam, hinc est, quòd Christus ad illam primam curandam venit, ubi major ei nota sæviebat infirmitas.* Serm. 49. Et idcircò S. Doroth. detestandam temerarii judicii audet exaggerare impietatem hisce verbis: *Quid est gravius, quid hoc vitio molestius, atque infamius. Quid magis aversatur Deus, & abominatur, quàm crimen hoc? usque adeò grave est proximum judicare, ut reverà omne peccatum excedat.*

Quæ veritas, quandoquidem tum apud SS. PP. tum apud sacræ Scripturæ Interpretes sit indubitata, non inconsultè genuina inquiritur à curiosis ratio, quare mens humana ad proximum dijudicandum adeò proclivis sit, & prompta. Familiari similitudine quæsitum hoc potest dilucidari. Est Nobilis quidam v. g. habens hortum aliquem incompositum, villam malè cultam, domũ pessimè ordinatam, à similiũ in quantum potest, abhorret aspectu, raròq; imò vix unquam ad hujuscemodi properat loca: è contra, qui prædia possidet nitida, & benè disposita, illa visitat, & perlustrat summa cum voluptate. Ita agunt temerarii judices proxi-

mi, alienam perscrutantes conscientiam, propriæ obliviscuntur, quia in ea non nisi vepres, spinas, fœtores sunt inventuri, sicque non possunt dicere cum Apostolo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2. Cor. 1.) Aliter egit Propheta David, qui propriam, non alienam perlustrabat conscientiam: (Ps. 100. 2.) *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Quem locum sic interpretatur S. Augustin. *Medium domus suæ dicit cor. Domus enim noster interior cor nostrum.* (August. in Psal. 57.) Id ipsum optimè attigit aureum os Chrysost. annotans Christi in adulteræ defensionem dictum, & mordax accusantibus Pharisæis opponens improperium: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* (In cap. 7. Matth.) Ad quod confusi abiêre. O *homo*, inquit, *vitam tuam animadverte, in tuam ipsius conscientiam descende.* Et alibi: *Severi judices in aliorum delictis residemus, nostras autem trabes infixas propriis non videmus.* (Idem ibid.) Cui concinnè accinit ille magnus Doctor Augustinus, dicens: *Cùm tamen non ita velit ab aliis judicari: quomodo est curiosum genus humanum ad dignoscendam vitam alienam, & desidiosum ad cognoscendam suam.* (Idem ser. 102. de tempore.)

Contra hanc Christiani dementiam egregiè insurgit idem Doctor, hisce verbis hujuscemodi alloquens Argos: *Quid Dominus*, petit, *quærit à te, nisi te? quærit te, quia tu perdideras te. Si autem facias, quod jussit, invenit in te judicium, & justitiam: Iudicium primum in te ipso, ut displiceat tibi quod eras, & possis esse, quod tu non eras. Iudicium, inquam, in te ipso, de te ipso, sine acceptatione personæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis: nec ideò tibi placeant, quia tu facis.* (Idem ser. 236.) Et bene sane ait Augustinus epistola 174. *Nonne iniquum est, ut quisque judicare de alio velit, & judicari de se nolit?*

Hunc hominis genium nec ignorabat prudens ille Philosophus Seneca, qui ad amicum suum Lucullum hæc scribit verba: *Aliorum facta facilè detrahimus, quia nostra à tergo tenemus.* Hoc nec latebat lepidum Æsopum, qui ajebat, hominem duplicem portare manticam, unam ante faciem, alteram post dorsum. In prima cuncta proximi accumulabat vitia, ut ea lynceis oculis valeret contemplari. In secunda sua, ut totali traderentur oblivioni. Et sic homo dominæ curiositatis induit figuram. De qua commemorat Plutarchus in Hieroglyphicis, peritos eam depinxisse sub specie vetulæ, & rugosæ mulierculæ, cujus naso, dum foràs prodiret, dilucida, & crystallina imponebantur supercilia, quæ cuncta ultrà proportionem justam demonstrabant majora; dum verò domum revertebatur, deponebantur supercilia, sicque deforis execrandos (ut apparebat) proximi conspiciebat errores, & domi seniculæ cæcutienti omnia videbantur exigua, rectissime composita, optimeque ordinata. Sic curiosi alienæ vitæ agunt indagatores: curiositatis utuntur superciliis, suisque neglectis vitiis, confratris dijudicant crimina, contra expressum Dei mandatum: *Nolite judicare, ut non judicemini.* (Matt. 7. 1.)

Ast, quid de his, & similibus tandem futurum arbitramini? O impii temerarii judices, ac perfidi proximi calumniatores? certò scitote, vos cælesti regno fore indignos, ac per consequens ab eo excludendos, ut declarat Spiritus S. per Prophetam Isaiam: *Educ foràs cæcum, & oculos habentem.* (Isa. 43. 8.) Sed quid hoc? clara sub hisce verbis contineri apparet repugnantia; etenim fieri neutiquam potest, ut unus & idem cæcus, & oculatus nuncupetur. Insuper, si tum cæcus, tum videns superno paradiso privetur, per rectam consequentiam sequitur, nemo ergo hominum est salvandus, cùm inter cæcum, & videntem non reperiatur medium. Hic locus relicto rudi litteralis sensus cortice, mysticè est explicandus. *Educ foràs*, inquit, *cæcum*, id est, qui saccum operum suorum, ac actionum à tergo portat, nec criminum suorum intuetur enormitatem. (Sap. 43. 8.) Attamen oculos habentem lynceos, ut aliena facta sedulò perscrutetur, & ea temerariè dijudicet. Hujuscemodi homines ab æterna rejiciciendi sunt hæreditate. *Quia maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt.* (1. Cor. 6. v. 10.)

Horribilis sanè, atque formidabilis sententia! hanc non veremini temerarii judices? an illam forsitan enervare, atque evadere poteritis? Minimè me herculè. Etenim, cùm confratrem tuum temerariè judicas, tu te ipsum justè condemnas. Quod egregiè annotat S. Ambrosius super Psalmum, *Beati immaculati*, discurrens, & insurgens in perversos hos judices, qui in proprio oculo trabes non reperiunt, in alieno festucam inquirunt. *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso, quod condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit esse punienda, ne cùm de alio judicat, in se ipsum sententiam ferat.* Si namque tu, ô homo! ebrietatem, luxuriam, vindictam, superbiam, &c. in proximo culpes, criminaque illa æternâ digna judices damnatio-

ne, & iisdem, & fortè gravioribus vitiis gravatam habeas conscientiam: nonnè contrà te ipsum justam pronuntias sententiam?

Ah quàm miserè in judicando decipiebatur Propheta David? is sub parabola de divite, qui unicam ovem à paupere abstulerat (ut habetur libro 2. Regum) accusatus adulterii, & homicidii per Prophetam Nathan, suam non inspiciens conscientiam, æquum in se ipsum protulit judicium dicens: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Ad quod Nathan: *Tu es ille vir.* Ac si diceret, David tuam descende in animam, inspice quid in ea criminis latitet, antequam proximum condemnes. An non recordaris, te, ò scelerate! unicam abstulisse ovem Uriæ Bethsabee, ut cum ea fœdam tuam adimpleres libidinem? an tibi è memoria excidit te, ut peccatum tuum celares, innocentem neci tradidisse Uriam? optimè concludi potest juxta proprium tuum judicium te mortis esse filium: Ah David foris vagabatur, non domi, ad suam non attendebat conscientiam. Absoloni quoque idem contigit teste Scripturâ, quæ refert Chusai amicum Davidis fœdifragum & ingratum, ab ipsius parte ad militares rebellis filii turmas defecisse, eique suum in militando obtulisse obsequium. *Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absolon, locutus est ad eum, salve Rex, salve Rex.* De qua perfidia, atque inaudita quasi ingratitudine obstupefactus simul & stomachatus Absolon dixit: *Hæc est gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo?* O Absolon perfide parricida! quid? es ne tu ausus Chusai erga Davidem condemnare ingratitudinem, & non verêris in proprium patrem armatas stringere manus? *Hæc est gratia tua ad amicum tuum?* ad illum, qui te genuit atque nutriit? estnè juxta tuum judicium Chusai incusandus impietatis, & non cernis, quod gravius longè iniquitatis pondus tuam aggravet conscientiam? O Absolon! protestor, & juro perfidior es Chusai, qui ad necem tuum quæris, ac insectaris genitorem. Sed quid dicam? condolendum tibi est, quoniam foris vagatis, & non domi tuæ, & aliena attentè inspicis delicta, & propria turpiter negligis.

2. Regum c.12. v.3. 9.7.

2. Regum c.16. v. 16.17. Vers.18.

Haud dissimiliter in scelerato hoc sæculo cæca sese gerit gens humana facta sua non considerans, aliena vituperans: sua crimina, ut levia, & quasi nulla contemnens, aliena, ut enormia, & ponderosa carpens. Verùm tantâ efficaciâ insignia ipsius curiositatis pollent supercilia quæ non domi, sed foris dumtaxat inserviunt.

Pro irrefragabili jam allegatæ doctrinæ confirmatione pulcherrimam, & curiosissimam Augustinus instituit quæstionem. Nimirùm, cur Deus tempore Moysis populo Israelitico legem in monte Sinai tradiderit digitis externè exaratam, quandoquidem dicat Apostolus, eam scriptam fuisse in cordibus eorum, ad Romanos scribens: *Lex scripta in cordibus eorum.* Primùm enim videtur superfluum. Ah respondet hic magnus Doctor non absque mysterio & solida ratione. Etenim, quia homo rarissimè intima cordis penetrat arcana, solumque quæ foris sunt perscrutatur, operæ pretium, imò necessarium erat, ut etiam decalogi præcepta ipsi forinsecùs apparerent. Audite & attendite illius verba: *Quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, etiam à se ipsis exules facti sunt: ideò data est etiam conscripta lex, non, quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis & revocaris.*

Rom. c. 2. v.15.

Aug. in Psal. 57.

Verùm parumper progrediamur, summam temerarii Judicis delicti proximi dementiam atque temeritatem demonstrare. Accede insanè Judex, & responde quæsito? quis tibi proximior, tu, an proximus tuus? indubiè tu. Cujus delicta præcisiùs assequi potes, tua, an proximi? dices, nisi insanias, mea. Rursùs peto, sufficiens es te ipsum perfectè judicare? Attende, & intellige, quid ad hoc respondeat S. Augustinus: *Difficilè est, ut de se quisque perfectè judicet. Fratres mei, quantumlibet homo proficiat, quantùmlibet se ad anteriora extendat, & præterita obliviscatur: Iam dicit sibi benè est. Procedit regula de thesauris Dei. Et quis gloriabitur mundum se esse à peccato.* Ex quo legitimam eruit à majori ad minus consequentiam, *Quantum minùs debemus de quoquam præproperam ferre sententiam? quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus.*

August. in Ps.127.

In Præfatione Psal. 139.

Et quis me herclè est, qui tantisper in sacra versatus Scriptura non videat, quot falsa ab homine contrà proximum lata sint judicia. Interroga Rachuelem, cur Tobiæ juniori, ut refertur Tob. cap 8. effodi demandârit sepulchrum, miseritque ancillam ad filiæ cubiculum ad inspiciendum, an etiam, ut alii, mortuus esset. *Accersiri jussit Rachuel servos suos, & abierunt cum eo pariter, ut foderent sepulchrum. Dicebat enim: nè fortè simili modo evenerit ei, quo & ceteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.* Imò & de successu connubii sollicitus, & cautelæ paternæ invigilans, rei peractæ per suos quæsivit eventum.

Tob. c. 8. v.11.12.

V.13.15. *Cumque paraſſent foſſam , reverſus Rachuel ad uxorem ſuam, dixit ei: mitte unam ex ancillis tuis, & videat, ſi mortuus eſt, ut ſepeliam eum, antequam illu ceſcat dies.* Inventus fuit Tobias vivus, & Rachuel judicii temerarii conſcius, non conſiderans inter caſtum, atque generationi deditum, & libidinoſum ſolummodò inordinato inſiſtentem appetitui differentiam. Sed hen Rachuel è tuo ævo fallax ad noſtrum translata eſt bilanx juxtà Davidicum dictum : *Mendaces filii hominum in ſtateris.*

Si quis petat, quodnam de introitu caſtiſſimæ Judith regius cubicularius Vagao protulerit judicium : mox ei ex ſcriptura reſpondebitur temerarium: *Tunc ingreſſus Vagao cubiculum ejus, ſteJud.c.14. tit ante cortinam, & plauſum fecit manibus ſuis :
v.13. ſuſpicabatur enim illum cum Iudith dormire.* Sic & tu temerarie judex ſæpè ſæpiùs , non tantùm ſæcularium converſationem , verùm etiam Eccleſiaſticorum abſque ullo prorsùs fundamento condemnas, & in eos ad munia ſibi impoſita adimplenda, ſive ad honeſtam, ſive ad inhoneſtam domum properantes, non fundatam confers ſententiam. Aſt cui bono ? dicat id Auguſtinus:
Auguſt. de Serm. Domini in monte. *Temerarium judicium plerumque nihil ei de quo temerè judicatur nocet, ei autem, qui temerè judicat , ipſa temeritas neceſſe eſt, noceat.* Idem ſatis fusè declarat in Pſalmum 33. *Prorsùs fratres mei ita credite , ita certi eſtote , ita ſi eſt in vobis excellentior prudentia ratio , videte, atque perſpicite : nemo malus , qui ſibi priùs non nocet. Sic enim eſſe putate malitiam , quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud, quod admoves priùs ardet, niſi ardeat, non incendit Facula eſt, hanc faculam apponis , ut aliquid incendat : numquid non ipſa facula, quam apponis, prior ardet, ut aliquid poſſit incendere ? malitia autem procedit ex te, & quem priùs vaſtat, niſi te?* Et tandem concludit : *Equidem dico, quod malitia tua, ut alicui non noceat, fieri poteſt , ut autem tibi non noceat, fieri non poteſt.* Quid rectiùs potuiſſet dicere unus Auguſtinus de temerario judice , qui ſibi quàm maximè nocet , alteri verò (niſi verbo judicium propalet) minimè.

Progrediamur rursùs ad ſcripturam , petamuſque ab hujuſcemodi Judicibus , quid ſentiant de Thamar ſorore principis Amnon ad eum ægrotum accedente. Fingebat hic corporalem morbum, & intùs laborabat ſpirituali, nimirùm quia ad illius anhelabat concubitum. Convênit eum integerrimus ipſius amicus Abinadab, petitque. *Quare ſic extenuaris macie fili regis per* 2. Regum
ſingulos dies ? cur non indicas mihi ? & explo- v.4.5.6.
rato interno amoris vulnere, aulicum (ut mo- 7.
dernum approbat ſæculum) ab Abinadab accêpit conſilium juxtà ſcripturam : *Cuba ſuper lectum, & languorem ſimula.* Eò nimirùm fine, ut à ſorore poſſet deſerviri. *Cumque veniſſet rex ad viſitandum eum, ait Amnon ad regem : Veniat quæſo ſoror mea Thamar , ut faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas.* David innocens, & ignarus perverſæ Amnonis intentionis , nefariæ acquieſcens petitioni, miſit ad eum Thamar : *Miſit ergò David ad Thamar domum dicens : veni in domum Amnon fratris tui.* Eventus iſtius acceſſus fuit peſſimus, ut conſtat ex textu. Verùm quis hoc præſagiiſſet ? ſanè unuſquiſque cum Davide , & quidem Propheta judicaſſet illum juſtum & rectum. Et vos nec prophetæ mundani minimam habentes perſonarum inter ſe converſantium morum , atque actionum certitudinem , adeò facilè temerarium in eas fertis judicium ? Ah attendite, quid dicat Scriptura : *Nolite itaque judicare , & non judicabimini :* Et meritò, quoniam, *qui judicat Dominus eſt.* Et alibi , *Hic eſt , qui conſtitutus eſt Iudex vivorum , & mortuorum* Quapropter in temerarium aureum os inſurgens judicem ait, *Nè rapias dignitatem unigeniti, illi judicii ſedes ſervata eſt.*

Denuò peto temetarie Judex, quid de S Paulo censêre Melitenſes, non eſt, ut cujuſpiam adhoc exſpectem reſponſum ; ipſamet reſpondet
veritas per eſſentiam Spiritus S. Act. cap 28. *Cum* Act c.28.
congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquan- v.3.4.
tam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cum proceſſiſſet, invaſit manum ejus. Vt verò viderunt barbari pendentem beſtiam de manu ejus ad invicem dicebant : Homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere. Ah quàm inconſideratè Melitenſes Apoſtolum, ſibi incognitum dijudicant, & proclamant homicidii reum. Imò quod ultrà advertendum, primo judicio temerario, impiè addidêre ſecundum, ut patet ex textu. Ubi enim ſummi mundi Rectoris in bonum pro Paulo cenſurare
deberent adjuvamen (ait enim Scriptura : *Et ille* Verſ.5.
quidem beſtiam excutiens in ignem, nihil mali paſſus eſt, denuò contumelioſi miraculoſum hoc factum ad reprobum retraxêrunt ſenſum. *At illi aſtimabant eum in tumorem convertendum, & ſubi-*

tò ca-

tò caſurum, & mori. Defraudati autem & in hoc judicio, iterum aliud arripuêre: *Diu autem illu*
Verſ. 6. *ſpectantibus, & videntibus, nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant eum Deum eſſe.* Ecce, quàm facilè quilibet homo in judicium poſſit cadere temerarium.

Quid rurſus judicii de Ruth & Booz quæſo temerarii proferrent judices: dicite mihi, nudam de iis proferte Scripturam, & pòſt veſtram exigam
Ruth. 3. 7. ſententiam: *Cùmque comediſſet Booz, & bibiſſet, & factus eſſet hilarior, eſſetque dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abſcondìtè, & diſcooperto pallio à pedibus ejus ſe projecit.* Quid de hoc judices mundani? videor audire, quid? non niſi virginem Ruth Booz hujuſcemodi actionibus ad carnale incitaſſe deſiderium, certò diſcernendum eſt. Fateor, judicio veſtro pro impudica, & meretrice æſtimaretur, attamen Spiritus S. illam juſtificat, & totaliter innocentem pronuntiat, (ut liquidò conſtat ex Scriptura præcitato capite) & numquid illa veritas, quæ infallibilis eſt, tuæ in judicando debet cedere temeritati? minimè ſanè. Ait enim Auguſtinus, tuum, ô homo! perverſum judicium ex pernicioſo oriri fonte, ſuper hunc Scripturæ locum Matth. cap. 7. *In quo*
Auguſtin. epiſt. 49. *judicio judicaveritis, judicabimini. Tanquam ſi diceretur, in qua voluntate bene feceritis, in ipſa liberabimini: vel in qua voluntate malè feceritis, in ipſa puniemini. Velut ſi quiſpiam ad turpem concupiſcentiam oculis utens, excæcari juberetur: rectè utique audiret: in quibus oculis peccaſti, in eis ſupplicium meruiſti.* Noli itaque homo judicare, & non judicaberis. Sequere ſanam fundamentalis Eccleſiæ Doctoris Auguſtini doctrinam, dicentis: *Vbi mihi animus hominis ignotus eſt, & incertus, meliùs arbitror meliora ſentire, quàm explorata culpare.*

Verùm quid de oculis dicemus? nonne illi infallibilia quaſi cenſentur, & reputantur teſtimonia? ſic mundus judicat. Vidi, inquit homo, & quis quæſo hanc menti meæ eripiet certitudinem? Ah ignare, volo ne oſtendere, in quantum fallaris, & in quantum erres: aſſume tibi, quos optimos habes oculos, & quos forſitan lynceos putas, ego eos talpæ ſimiles efficiam. Dic mihi obſecro, oculate Judex, quid de remo, dum in remigando inſervit, judicas? nonne tibi intuenti in partes apparet diviſus? Experientia id oſtendit, omnium rerum magiſtra. Ubi ergo oculi tui, & quidem tantùm circa externum objectum, cui nil internum commiſceri poteſt; ubi certa tua judicandi ex viſu fiducia? In ſpeculo rurſus, numquid retrò vitrum auricalco obductum apparet intuentis figura, & quantò à ſpeculo diſtantior, tantò à ſpeculo remotior? nonne oculus dexter in eo repræſentatur ſiniſter, & ſiniſter dexter? qui pupillam oculi parumper invertit, nonne duo ejuſdem figuræ ſubitò habet viſibilia objecta? qui in vaſe aquâ pleno alia viſu contemplatur ædificia, nonne omnia aſpicienti apparent inverſa? & quæſo quid de Sole judicari poteſt? quid de macula lunæ? quid de ejus accreſcentia, & decreſcentia? quid de terræ motu? quid de fluxu, & refluxu maris? & millenis aliis naturæ mirabilibus ex viſu fundamentaliter quis valet diſſerere? Auditores, ne prolixior eſſem, validiorem pro temerario judicio aggreſſus ſum hoſtem, nimirùm oculum, aliis prætermiſſis fallacibus teſtibus: nihilominùs, ut jam vidiſtis, hic tam turpiter fallitur. Noli itaque homo tuo confidere oculo, ne quandoque tuam temerariè lædas conſcientiam. Dum oculus te inſtigat ad judicium temerarium, in mentem revoca, & jugiter rumina mellifluam melliflui Doctoris Bernardi ſententiam, dicentis: *Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam,* Bern. ſer. 30. in Cant.
puta ſubreptionem, puta caſum; quòd ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſet: ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi in me ſimiliter poteſtatem habuiſſet?

Mellifluum hujus doctrinæ, auditores, in præſenti diſcurſu tactæ ſuccum mellifluvius ſuxit ex S. Auguſtino Bern. qui volens nocivum, & charitati proximi perquàm nocivum, imò, ut ita dicam, Chriſtianæ & Catholicæ converſationis obſtaculum, temerarium exterminare judicium, omnem præclaris hiſce verbis erudit hominem: *In converſatione hominum ſunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: ſunt quædam, quæ non ſine peccato judicantur. Aperta enim ſunt mala, & judicari, & argui debent. Illa verò quæ ignoramus, & utrùm bono, & malo animo fiant, ſcire non poſſumus, judicare penitùs non debemus.* Et illicò ſubdit exemplum: *Vides hominem frequentiùs jejunare, congaude, & noli nimis lauda-* Serm 202. de tempore.
re: quia poteſt hoc pro humana gloria fieri. Sed & noli vituperare: quia poteſt & pro Deo, & pro animæ remedio jejunare. Vides alium, indicto jejunio publico, velle prandere, cum dilectione admone. Si dixerit, ſe pro ſtomachi laſſitudine jejunare non poſſe, crede, & noli judicare: quia utrumque poteſt

Potest fieri, ut per gulam, vel per luxuriam prandere velit, & pro infirmitate non possit. Et ulteriùs progreditur August. *Vidisti alterum subditis suis cum severitate disciplinam imponere, & indulgentiam tardiùs dare: noli judicare crudeliter, quia forsitan non hoc morbo iracundiæ, sed zelo disciplinæ, & amore justitiæ facit.*

Eja igitur Christiane! noli judicare, ne judiceris: mundanam Æsopi transmuta manticam, supra pectus tua pone crimina, eaque mature considera; post tergum verò aliena, & eorum (salvâ tamen correctione fraternâ) oblivíscere. Imprime tibi auream hanc Augustini sententiam, dum labentem intuêris confratrem: *Nullum peccatum fecit homo, quod non potest facere alter homo, nisi adjuvetur ab eo, à quo factus est homo:* ne in hujus veritatis probam, justam (quàm juxta sanctum Bonaventuram quandoque similibus temerariis judicibus permittit Deus) incurramus ejusdem delicti pœnam. *Sæpè merentur temerarii judices aliorum, ut, aut in similibus, aut in gravioribus excessibus cadere permittantur, ut discant ex sua infirmitate compati alienæ.* Quod si fecerimus, fiducialiter ad extremum universalis judicii properabimus tribunal. Quoniam ex illo Matthæi cap. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini,* hoc possumus conficere argumentum: non judicavimus proximum, ergo non judicabimur, nisi in judicio nobis gratissimo, nimirùm (ut speramus & credimus) audiemus suavem judicis sententiam: *Venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c.* Quam ut vos omnes mecum percipere mereamini, benignus concedat Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Bonav. in speculo Virginis.

FERIA QUARTA

Dominicæ quartæ Quadragesimæ.

Et procidens adoravit eum. Joan. cap. 9.

Accurati animantium, tum essentiarum, tum proprietatum, atque operationum indagatores, ingeniosum venatorum annotant stratagema, quo indomitum, ac robustum animal elephantem in vivam prædam agunt. Ajunt ipsi hunc istius esse naturæ, ut poplitem, & genua inflectere ac incurvare nequeat, eò quòd flexibilitate careant. Quapropter cogitur stans somnum capere, quod, ut comodiùs fiat, arborem quandam eligit, cui innititur quieturus. Hanc studiosè investigant venatores tantæ prædæ avidi, quam cognitam de die, quo in sylva elephas versatur, serrâ resecant, non totaliter, at maxima ex parte. Is rursùs ad solitum quietis locum regressus, doli ignatus, gravi corporis mole arbori incumbit, quæ utpote in tantum serrata isti oneri impar, decidit, & cum incumbente in fossam cadit. Quo facto, manè accurrunt venatores, atque elephantem, qui sese elevare non potest, illaqueant, & tanquam mansuetum animal pro libitu quoquò locorum deducunt.

Non dubium est, quin sedulus Christus Dominus animarum nostrarum sit venator. Hanc autem prædam, ut irretiat, nec labori, nec stratagemati parcit. Pro hac deambulat juxta mare Tiberiadis: pro hac ad fontem sedet defatigatus ex itinere: pro hac sanguineum profundit sudorem: pro hac sitit infami crucis affixus trabi, & omnem prorsus vilipendit molestiam, dummodò optatâ dumtaxat prædâ potiatur. Verùm cernens animas nostras totaliter sylvestres, indomitasque per densam hujus perversi mundi sylvam, vagantes & errantes: cernens inquam eas mundanis voluptatum illecebris omninò intricatas, atque divitiis, pulchritudini, firmæ corporis sanitati, & ut unico absolvam verbo, vanitati, & felicitati incumbentes, quid agit? ecce elephantum venatorum arripit stratagema. Arborem, cui innituntur homines resecat, divitias adimit, venustatem faciei & corporis sive variolis, sive ulceribus tollit: morbos acerbos, & longos mittit, felicitatemque in adversitatem commutat. Et sic ii, qui indomiti frænum in omnem lasciviam, atque iniquitatem laxabant, suaviter legum, & mandatorum Dei jugum subeunt

Psal. 31. v. 3. subeunt cum Davide dicente: *Quoniam tacui: inveteraverunt omnia ossa mea:* sed quousque ista ô Propheta perseveravit pertinacia? quam diu divinas distulisti decantare laudes? quam diu pœnitentiam tuam procrastinasti? Ah! donec serra Domini arborem attigerit: *Ad Dominum cum tribularer clamavi. Tribulationem & dolorem inveni.* Psal. 119. v. 1. Et quid inde quæso promanavit emolumenti? *Et nomen Domini invocavi,* & Psal. 17. *In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi.* Vers. 7. Nec mirum, quia ipsa est animarum venatrix sagacissima, ipsa est, quæ devium & errantem ad rectam Dei adducit cognitionem, ut diviné attestatur sanctus Chrysologus filii prodigi ad patrem considerans regressum: *Fames revocat quem saturitas exularat, fames illi patrem dedit.* Serm. de prodigo.

Idipsum quàm clarissimè patet ex scriptura. Nabuchodonosor nobis pro exemplari deserviet; ecce enim hic undequaque suo dilatato regno, cunctisque ad nutum rebus affluentibus, insanâ intumescens superbiâ, humanæ suæ cæcè oblitus naturæ, divinam sibi arrogare est ausus perfectionem. Imò eò temeritatis, & proterviæ processit, ut statuam suam à se erectam ab omni populo adorari regio diplomate mandarit, ut constat evidentissimè ex capite 3. Danielis: *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: in hora, quâ audieritis sonum tubæ, &c. Cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex.* Vers. 3. 4 5. Verùm ubi infra hominem abjectus, & similis bestiæ factus est, ex divino in justam vindictam judicio, ad sanam rediit mentem. Audite quid de eo attestetur sacer textus cap. 4. *Tibi dicitur Nabuchodonosor, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus in regno hominum & cuicumque voluerit det illud.* Vers. 28. Tum oculos in cælum levavit, & summam confessus est majestatem dicens: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor* (& noto hic eum etiam titulum Regis subticere) *laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Vers. 34.

Verùm quid admirabilem hunc tribulationis effectum è variis scripturæ locis eruere satagimus, & inaniter tempus terimus? sistamus, & in hodiernum ad hoc tantummodò oculos conjiciamus Evangelium: unde arbitramini cæcum à nativitate, de quò hic Joannes, ab infantia judaismi legibus imbutum, tam facile Christi fidem fuisse amplexum, eumque pronum in terra adorasse? Ah sane, non nisi tribulatio id effecit. Etenim miser quam plurimis annis lumine cæli orbatus, & nunc à Domino illuminatus, ad eum, qui adversitatis & felicitatis est Author, recurrit, & in schola tribulationis enutritus, atque edoctus, verò Dei cultui se dicavit. Ratione itaque hujus Evangelii in præsenti mens est stupendam tribulationis utilitatem, & eximiam illius excellentiam vobis ob oculos ponere: è qua ratiocinatione pro Christiana, & salutari animarum nostratum instructione colligemus, quomodò tribulatus & afflictus in angustiis suis debeat sese gerere. Quòd antequam exordiar, ut scopum in quem collimo, feliciter queam attingere: intimè vos obtestor auditores, ut mecum pro impetranda Spiritus Sanctus assistentia, Deiparæ imploretis authoritatem, salutantes eam Angelicâ oratione. Ave gratiâ plena.

Et procidens adoravit eum.

QUandoquidem juxta Principem Philosophorum Aristotelem *opposita juxta se posita magis elucescant.* Arbitrabar operæ pretium fore, imò planè necessarium, ut è copioso adversitatis emolumento, ejusque abundantibus fructibus, irreparabile, illius denegatione, sive substractione demonstratem & elicerem detrimentum. Verùm, cum hanc materiam superiùs concione 7. prolixè satis attigerim, lubet brevibus id ipsum hic in lucem deducere. Certò certius est, inquit magnus ille Doctor Augustinus, immissionem afflictionis summæ Dei misericordiæ, & amoris evidentissimum fore indicium. *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem esse medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem.* August. in psal. 21. Hoc luculenter idem ostendit in Davidis persona, dicens: *Quando David sanctus Saulem fugiebat, inimicum patiebatur, quando illis persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat loca, ne in manus ejus incideret, non concupiscebat alienam, non adulterata uxore, occidebat virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ, tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum.* Psal. 50. Tribulationes ergo sunt sagittæ, quæ facilè transeunt, nosque rerum nostrarum admonent. Sic adversitatis sagitta similis est sagittæ Cæsaris. Narrat historicus Poliodorus Ciceronem

ceronem quodam tempore in certa Galliæ urbe arctè fuisse obsessum, atque tum præ militum, tum præ annonæ penuria, ad summam redactum necessitatem. Quod cum per nuncios intellexisset Cæsar, eò ipsi opitulaturus velociter accurrit. Verùm, ne ne antè ipsius eventum deditionem urbis, omni subsidii spe frustratus, forsitan faceret; eum bono animo esse jussit, hortans, ut auxilium vicinum tantisper exspectaret. Quod ipsi indicavit miro stratagemate. Misit quemdam strenuum militem, eique tradidit sagittam, cui annexa erat epistola cum mandato, ut jam urbi aliquantulum vicinus, illam in eam ejacularetur. E qua Cicero certissimè poterat cognoscere Cæsarem brevi cum magna militum copia adfuturum, ad civitatem ab hoste liberandam. Tenor epistolæ hic erat: *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, exspecta auxilium.* Tales, inquam, sunt tribulationes à Deo nobis immissæ: solatia sunt, & exhortationes, ut constantes persistamus in divino obsequio, & cultu. Unde ait Augustint. *Nullus hominum sic justitia præditus est, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam virtutem, vel confirmandam.* Legitime itaque concludere possumus, adversitatem homini deservire ad rectam salutis regulam, prosperitatem verò ad certam animæ ruinam; ex hac enim cuncta scaturiunt scelera (ut jam ex Augustino de Davide loquente diximus) quod & apprime confirmat S. Bernardus: Sapiens *David, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimirùm secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit.* Et subjungit, *Magnus, cui præsens felicitas, si arrisit, non irrisit.*

Dicti mei veritas evidenter quoque patuit diversis vicibus in Israelitis, qui incrassati, & inpinguati, ligna, & muta simulachra impiè adorabant, *dicentes inquit Ieremias: ligno pater meus es tu, &*
Ierem. c. 2, v. 27. *lapidi tu me genuisti.* Verùm ad duram Babyloniæ redacti servitutem, verum Dominum agnovere dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini*
Psal. 136. v. 4. *in terra aliena?* quem ingentem tribulationis, atque angustiæ fructum intimè ruminans Basilius ait: *Vides quomodo philosophantur, dum in aliena regione? vides quomodo mundi fabricatorem, Deique sapientiam, & providentiam prædicant? qui enim antea ligno dicebant, Deus meus es tu, tu me genuisti, nunc universi opificem agnoscunt.* Et subdit: *Vide captivitatis ubique relucentem utilitatem. Quia nimio nummo, & pecuniarum copia confidentes fuerant, ab omnibus illis avulsi, ad Deum refugiunt.*

Unde cum Babylonici legis Mosaicæ ignari, simul & ad agnoscendum Israelitarum cultus, & religionis ceremonias, à captivis expostularent. *Cantate nobis de canticis Domini Sion.* Ipsi horum petitioni nullatenùs annuere voluerunt, ne cantica Domini apud infideles verterentur in opprobria. Ecce quem scrupulum iis in laudem Domini psallendi incusserit dura servitus, ubi ipsis infamem idololatriam neutiquam aurea adimere valuit libertas, & prosperitas. Audite aureum os Chrysostomum, audite resonantem hanc buccinam: *Vide autem? quantam ex captivitate correptionem cœperunt, quia ii, qui in patria à Dei cultura recesserant, & legem Domini conculcaverant, se in terra aliena optimè, & sanctè gesserunt* Cui concinit Ambrosius: *Invenimus frequenter Iudæos post victoriam captos, post servitium correptos.*

Hinc Lycurgus, ut narrat Plutarchus in vita Luculli miram ejus admiratus est animi vivacitatem. Quoniam, cùm à Cyrenæis instanter rogaretur, ut leges iis conderet, gnarus pravæ consuetudinis, morumque exorbitantium istius populi, ex nimia felicitate, atque terrenorum bonorum affluentia promanantium, ingenuè respondit: *Difficilè esse Cyrenensibus rebus tum secundis utentibus, leges statuere, nullum difficilibus regi posse, quàm hominem prosperâ utentem fortunâ, nullumque facilius admittere disciplinam, quàm eum, qui rebus adversis esset fruitus.* Ideoque constanter asserit Au- August. epist. 121.
gustinus, mundi hujus irritamenta animæ nostræ salutaria fore medicamina. *Molestiæ temporalesque tribulationes plerumque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam, exercendamque patientiam. Cui probatæ, & exercitatæ clarior merces, uberiorque servatur, vel ad quæcumque flagellanda, & abolenda peccata*; & lib. de vera innocentia cap, 204. ait: *Ad hoc excoquuntur homines tribulationibus, ut vasa electionis evacuentur nequitiâ, & impleantur gratiâ.*

Augustino hac in doctrina patri suo fidelissi- Dom. I. Quadr.
mus filius, & magistro obsequiosissimus discipulus S. Thomas à Villa Nova adhæret: qui volens tribulationis miram extollere eminentiam, succinctè, & breviter stupendos illius pro animæ nostræ salute recenset effectus. A primo sic exorditur: *Quia tentatio humiliat nos, & in veram fragilitatis cognitionem adducit: sæpè namque cor nostrum decipit nos, ut Petrum: qui dicebat Christo, paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire, & ad unius puellæ*

puellæ vocem ipſum negavit. Ad ſecundum progreditur dicens: *Quod tentatio unit nos Deo, & quaſi avellendo nos, ampliùs ei conjungit. Ipſa enim neceſſitas urget nos divinum efflagitare ſubſidium, & illius quærere, & inveſtigare refugium.* Pro tertio enumerat: *Quod tentatio nos à mundi hujus gaudiis, & conſolationibus ſeparat, & ad cœlum deſiderare compellit. Si enim tot tentationibus preſſi, tot tribulationibus fatigati, miſeram hanc vitam ſic perditè amamus; quid eſſet, ſi tranquillam, & ſecuram, ſine moleſtia poſſideremus? quis futuram optaret? quis ad aliam ſuſpiraret?* Pro quarto, & præcipuo, cæteriſque excellentiore tenet hunc. *Quod tentatio ad exercitium virtutum, & augmentum meritorum plurimùm valet, nam ſi afflictionem & anxietatem tentationum auferas: ubi erit patientia, manſuetudo, fiducia, humilitas, conſtantia, fortitudo, & aliæ virtutes, quarum proprium munus eſt eas vincere, aut tolerare, meritorum quoque immenſa ſeges, quæ in eis perferendis aggregatur. O quomodo lætantur Angeli in cœlo de tentationibus, quas vicerunt* (videlicet homines eorum tutelæ commiſſi) *quoties & ipſi repetunt: lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala.* Quid quæſo te tribulationis utilitate atque eminentia diſertius diſſeri poſſet?

Ex modo dictis, & abundè probatis, nimirum Dei flagellum ſalutiferam animæ noſtræ forè medelam, legitimam denuò hanc licet deducere conſequentiam; ergo imputanda non eſt tribulationis inundatio iis, quibus iratus, maximè tamen & in hac benignus (ut demonſtravi in concione jam citata) ad peccatorem flagellandum Dominus utitur inſtrumentis, verùm divinæ providentiæ cuncta attribuenda ſunt infortunia. Hoc clarè & egregiè docet rurſùs magnus Auguſtinus, ex hiſce verbis Job: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Rogat, cur propheta non dicat, diabolus abſtulit, quandoquidem è ſacro textu liquidò conſtet, eum univerſæ ſubſtantiæ prophetæ extitiſſe devaſtatorem, & crudeliter ipſius prolem enecaſſe. Audi præfatum doctorem: *Non dixit Dominus dedit, diabolus abſtulit, ſed Deus abſtulit. Ac ſi diceret, & ingenuè profiteretur Iob: nè dicatis hæc mihi diabolus fecit; ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid fecit, niſi ille, qui deſuper habet poteſtatem, permittat, aut ad pœnam, aut ad diſciplinam.* Quod bene ruminans propheta David in ſumma conſtitutus anxietate & tribulatione ad Deum clamat. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Sed heu! inſana hominum mens attendit ad flagellantem, & non ad Deum imperantem, aut ſaltem permittentem. Ah ô homo! nil profectò tibi ſiniſtri accidit, de quo divina non diſpoſuerit providentia. Quare cunctos in miſeriis poſitos exhortatur Auguſtinus, ut divinis hiſce verbis ad eum clamitent. *Sæviant quantùm voluerint, & quantùm permiſſi fuerint peccatores. Quidquid acciderit juſto, voluntati Dei deputet, non poteſtati inimici. Sævire ille poteſt, ſed ſi ille noluerit, ferire non poteſt. Et ſi ille voluerit, ut feriat, novit quemadmodum excipiat. Nec attendere debemus quantùm permittat in juſtis, ſed quantum ſervet juſtis.*

Iob. c. 1. v. 12.

Auguſt. in Pſal. 31.

Pſal. 38. v. 10.

Auguſt. in Pſal. 36.

Itaque Deus ſeſe cum homine gerit adinſtar peritiſſimi in campanis fundendis artificis. Is enim, antequam eam jam fuſam ſummo cum labore in altiſſimam turrim elevare curet, malleo ſonum inveſtigat, & an clangor juſtus, reſonantia dulcis & ſymphoniaca ſit, percuſſione experitur; ita & Deus, priuſquam hominem æternâ frui permittat beatitudine, atque ad cœleſte extollat regnum, eum malleo tribulationis concutit, ut ſuaviſonum ex ipſo eliceat concentum, gratamque ſymphoniam. Unde propheta Jeremias tribulationem nuncupat *Malleum univerſæ terræ.* Quo ſanè acriter ſatis attactus fuit præclarum & ſpeciale patientiæ exemplar Job: *Manus Domini tetigit me.* Videtis tempeſtuoſum in prophetam inſultum, attendite obſecro illius ſtupendum cum divina voluntate concentum. Sed quis muſicus adeò perfectus, qui nobis eum dextrè manifeſtet? ſanè id egregiè conficiet Sanctus Auguſtinus dicens: *Quomodò ſonuit, quem ſuavem ſonum dedit? adhuc tenditur datus in poteſtatem diaboli, ut & caro ejus percuteretur: percuſſit eum à capite uſque ad pedes gravi vulnere: & putreſcens vermibus ſedebat in ſtercore. Audivimus quemadmodum tonſus eſt, audiamus quomodo ſonet. Si bona recipimus de manu Domini, malum cur non ſuſtinebimus? ô ſonum fortem! ô ſonum dulcem! ô quem dormientem non excitet, iſte!*

Iere. c. 50. v. 23.

Iob. c. 19. v. 24.

Hinc veteres Ægyptii innuere volentes proficuum tribulationis effectum, cytharam depingebant, cujus fides à nemine tangebantur, appoſita epigraphe, *Non percuſſa ſilet.* Sic patientiſſimus Job, dum cuncta affluebant proſpera, utcumque ſiluit non percuſſus, percuſſus verò altè ſonuit, *Si bona recepimus,* &c. Sic David non percuſſus, & omni fruens affluentia, tacuit, tactus tamen

ad versitatis malleo clamavit, *Cum tribularer clamavi.* Hunc edere sonum ambiebat strenuus ille Ethnicus contrà adversam fortunam athleta Seneca, non ignarus stimulum virtutis certissimè à tribulatione fomentari, ac accendi. Alioquin dicebat eam vili sopitam jacere cinere: *Avida est periculi virtus & quò tendit, & quid passura sit cogitat. Militares viri gloriantur vulneribus. Calamitas virtutis occasio est.* E contrà verò felicitas bonos corrumpit mores, justas contemnit leges, & ad omnem injustitiam relaxat habenas, teste scriptura: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, & abundantia.* De quo si quis plura aliqua pulchra ex Ethnicis Philosophis exempla requirat, consulat concionem septimam quadragesimæ suprà,

Ezech. c. 16, v. 49.

Sed dic mihi quæso Christiane, dum duro adversitatis concuteris malleo, dum unicam tibi Dominus dominantium è vita eripit prolem, cum à dilecta uxore perdilectum Parcarum falce separat maritum, dum prædia à furente milite devastantur, atque villæ voraci igne absumuntur, messis pedibus conteritur, sanitas aufertur, gravisque morbus molestat. In summa, dum tantillo comprobaris mallei tribulationis ictu, quem sonum edis? Ah utinam sonum prophetæ sono similem, *Dominus dedit,* &c, Audisti: *Hæc sit mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcas.* Sed heu ex converso, dum hæc & similia infortunia te impetunt, contrà salutiferos divini mallei tactus insurgis, eos detestaris, abominaris, execraris, divinæque providentiæ, cujus cuncta hæc fiunt dispositione, obmurmuras, & fatali casu ea accidere cæcè autumas: & sic in inconditam, atque exorbitantem dissolveris mæstitiam, capillos evellens, caput in parietem furiosè impingens, nullamque prorsùs adstantium recipiens consolationem.

Iob. c. 6. v. 10.

Sed hoc quàm stultum sit & inane, vel ipsimet gentiles lumine dumtaxat naturali illustrati, ad tuam confusionem & opprobrium te docebunt. Audi quid dicat Seneca philosophus. *Quid juvat præteritos dolores retractare, & miserum esse, quia fueris? naturale est sui fine gaudere. Circumcidenda ergò duo sunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria.* Dic mihi obsecro profusis tot lachrymis, tàm inordinato planctu, tantâ lamentatione, tam vituperanda impatientiâ quid lucri obtinuisti? an proles ad vitam redijt? an prædia in pristino statu restituta sunt? an omne damnum reparatum est? heu omnia primæ perseveranter subjacent ruinæ! quid igitur stulte ploras? quid gemis in vanum? attende similis pòst illis efficiêris, de quibus ait Chrysostomus: *Audivi multos ad seipsos dicentes, quæ utilitas, quod dolui? nec pecunias recuperavi, & me ipsum læsi,* &c. Eia ergò Christiane expergiscere, evigila de tàm alto læthargo, & in tribulatione constitutus, imitare rursùs ethnicum, sed strenuè in arduo patientiæ stadio dimicantem Socratem, qui injustè condemnatus ad mortem, insuperabilem invicti animi constantiam demonstrans, in hæc præclara erupit verba: *Anytus quidem, & Amytus* (qui ipsius erant perfidi calumniatores) *Occidere me possunt, sed incommodo, & detrimento afficere non possunt.* Insiste vestigiis alterius, non minoris virtutis, strenui belli ducis Pompei, qui, perdito cruento contrà Cæsarem prælio, ignaviam, & animi socordiam uxori suæ Corneliæ, cladem hanc implacabili luctu deploranti, asperè improperavit hisce verbis: *Prosperam P Cornelia! fortunam tantùm noveras, quæ te, ut sentio decepit, me diutiùs, quàm moris est complexa. Sed tamen hæc ferenda nobis sunt, quippè hominibus.* Hos inquam imitare Christiane Gentiles, & clama cum Socrate, sævâ ingruente fortunâ ô instabilis mundi rectrix! tu quidem me undique tribulationum configere vales telis, tu me prole, bonis, sanitate, & vitâ, divinâ sic de me ordinante providentia, privare potes, *sed me incommodo & detrimento afficere non potes.* Quidquid enim ex Dei mei mihi supervenerit beneplacito, æquo animo accepto; quoniam omnia adversa, ut ait Pompeus, *Ferenda nobis sunt, quippè hominibus.* Quod facilè exequêris, si auream Basilii sedulò ob oculos ponas sententiam dicentis: *Quæ juxtà nos à potenti Dei manu interdum jaculantur, non ad interitum sunt, sed ad salutem: quoniam signa sunt amoris divini, non furoris.* Quia divinam redolent misericordiam.

Senec. Epist. 79
Chrysost Hom. 188. ad pop. Antioch.

Veteres commemorant Historici, inter quos Celius de ludo alearum, in Italia non procul à civitate Paduana in Statu Veneto stupendum exstitisse fontem, in quo superstitiosè vanæ conjiciebantur sortes, quibus anceps fortuna, & rerum successus explorabatur. In hunc Tiberius Cæsar auream aleam projêcit, indagaturus, nùm imperii negotia optatum attingerent finem, omniaque prospera evenirent. Hæc alea eo in fonte adhuc usque ad Suetonii Tranquilli tempora visa fuit. Præsagii autem hæc habebatur ratio. Si plura alea præferebat puncta, evidentissimum omnis felicitatis æstimabatur indicium. Si pauciora, fortuna præsagiebatur adversa & noverca. Fonti huic, sivè vero, sivè fictitio (quod modò nō indago)

indago) verè persimilis est tribulatio. Ipsa namque est fons, è quo omne animi bonum profluit. Quocirca, si in eo quamplurima afflictionis appareant puncta, cuncta prospera adumbrantur, Deique certa prognosticatur amicitia: quod si pauca, ah clarum furoris divini est testimonium. Illum enim, quem diligit Deus, castigat. Vis itaque augurari ô homo! an amicitia Dei fruaris, inquire quotnam puncta alea tribulationis prætendat. Ex iis, ut dixi, colliges spiritualem animæ tuæ fortunam. Audi quid dicat Augustinus: *Si putas te nondum habere tribulationes, nondũ cæpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli: Omnes, qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur. Si ergò non pateris cum Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cæperis in Christo rectè vivere.* Et hinc constanter urget tribulatos, ne stultè affligentem Dei avertsentur manum, sed admonet, ut quamcumque tribulationem immissam avidè & constanter amplectantur. Verba ejus sunt: *Noli depellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate, nec attendas, quas pœnas subeas in flagello, sed quem locum teneas in testamento.* Concludo itaque irrefragabiliter, ergò utilissima animæ saluti est tribulatio.

August. in Psal. 120.

Progrediamur modò manifestè mirificam adversitatis demonstrare excellentiam. Pro quo operæ pretium est ad amussim difficilem antiquissimi Doctoris Tertulliani anatomizare sententiam. Hic tractans de fidelium in primitiva ecclesia persecutione, quasi obstupefactus, cur benignus Deus permiserit, ut ea jam jam tantùm recenter enata, nondum radicata, nondum stabilita, adeò furiosè concuteretur, hanc profert propositionem: *Voluit, ut primitiva Ecclesia pateretur, ut totam sibi redimeret gratiam.* Hic hæreo, hic stupeo, nec capere queo latentem sub hisce verbis Tertulliani energiam. Quandoquidem enim omnis gratia (prout etiam ethymologia nominis indicat) gratis detur, & ex mera Dei benevolentia, non ex ullo humano merito: quomodò illa redimi potest? id namque, quod redimitur, justo pretio recompensatur, ac proinde nulli subjacet gratiæ.

Pro hoc dissolvendo hanc quæso arripe similitudinem: si aqua nimium abundans multarum terrarum damnosam comminetur inundationẽ; agricolæ, agrorumque Domini omni industriâ furioso aquæ obviare & resistere conantur impetui. Pro quo, vel eam per aquæductus divertunt, vel altum aggerem erigunt, quo quasi illam captivã detinent. Idipsum potest tribulatio; fateor si homo excellentia charitatis, tum spiritualis, tum corporalis exerceat opera, si indigentibus subveniat eleemosynâ, si indoctis doctrinâ, si mortuis sepulturâ succurrat, magnam apud justum bonorum actuum remuneratorem de condigno eum promereri gratiam; verùm, si quis tribulationem arduam ex amore Dei promptâ acceptet voluntate: is cunctas supergraditur virtutes; non tantùm, quia illud opus iis præeminet, sed quia etiam easdem in se virtualiter, ac implicitè complectitur.

In primis enim, quicumque repugnantem propriæ voluntati, eam tamen divinæ accommodans, patitur tribulationem, supremum virtutis theologicæ, nimirum Charitatis exercet actum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Ipse namque omne damnum & incommodum ex amore Dei acceptat. Secundò & spei elucet in hoc actu ornamentum: quoniam pro tam insigni virtute, justam à justo remuneratore sperat mercedem. Nec deest sane ipsa fides ad eximium hoc opus concurrere: quoniam illud firmiter credit Deo perquàm esse gratum. Nec excludit obedientiæ & humilitatis eminentiam, quia ad amussim sese divinæ conformat voluntati. Optimè itaque ait Tertullianus: *Primitiva Ecclesia voluit pati, ut totam sibi redimeret gratiam*; quoniam tolerando patienter ad instar aggeris divinæ gratiæ affluentiam comprehendit. Non ambigo, quin suam Tertullianus ex Apostolo eruerit sententiam dicente: *Tribulatio patientiam operatur, patientia spem, spes autem non confundit, quia diffusa est charitas Dei in cordibus vestris.* Ecce quàm celebris ad cunctas virtutes scala sit tribulatio.

Rom. c. 5. v. 3.

Ah quàm firma, quàm irrefragabilis hujus veritatis reperitur in verissimo patientiæ exemplari Job confirmatio. Hic pertimescens, ne filii luxui dediti, abundantia temporalium bonorum impinguati contra divinam legem recalcitrarent, Deumque offenderent, iram ipsius conatus est ab illis avertere sacrificiis. Sic textus habet: *Et ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis. Cumque in orbem pertransisset dies convivii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos. Surgensque diluculò offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim, ne fortè peccaverint filii mei.* At post divinâ permissione omni orbatus prole, tantaque obrutus (ut scriptura refert) calamitate, scissis dumtaxat vestimentis, holocausta atque sacrificia Deo dedicare neglexit. Quod sane mirum; nonne enim, inquit in hunc locum Sanctus Gregorius, tum oblationibus ac victimis divi-

Iob cap. 1. v. 4. 5.

na expostulanda erat benignitas & misericordia? quare ergò pro defunctis filiis nullum Deo offert sacrificium? sane minimè eo opus erat, quippe tribulationem suam ex intimo corde Domino consecrabat, quæ omnium oblationum excedit efficaciam, & omnium virtutum certum est compendium. *Superflua*, inquit Gregorius, *æstimabat sacrificia, ubi resplendebat tantùm patiētiæ ornamentū*.

Apprimè ad præsens propositum mihi curiosa S. Chrysostomi inservit speculatio Hic maturè cunctas, quæ c. 31. recensentur, perponderans Prophetæ Job virtutes, omnibus exaratis, nimirùm
Vers. 1. summâ allegatâ ipsius castitate *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Ad-
Vers. 5. ducto animi candore ac simplicitate: *Si ambulavi*
Vers. 6. *in vanitate & festinavit in dolo pes meus: apprehen-*
Vers. 17. *dat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.* Rara ipsius depromptâ erga proximum charitate: *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* Annotata eximia ejus ad-
vers. 32. Chrys. l. 5. de patientia Iob. ventantium peregrinorum hospitalitate: *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* inquirit: *Quando clarior apparebat, cum illa operaretur, an, cum tristis pateretur* & asseveranter respondet: *Plus ea (scilicet tribulationes) quàm illa eum clariorem effecerunt.*

S. Augustinus in catena Græca, non tam stupendam in Job furendi diabolo à Deo concessam admiratur licentiam, quàm unius dumtaxat, nimirùm illius animæ reservationem. *Ecce in manu tua*
Iob cap. 2. v. 6. *est, verumtamen animam illius serva.* Curiosè indagat, quid mysterii hic lateat, quod animam, id est vitam Job ab omni diabolica plaga voluerit esse indemnem. Et rectè respondet: id eum sic decrevisse, quia sublata vita, dulci Deus Job caruisset sym-
Iob c. 1. v. 21. phonia, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In qua tamen inquit Augustinus summoperè delectabatur. Audite ipsius verba: *Obser va, ne quid in vita ratione patiatur: etenim, si de medio illum sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius.* Quod ex Apostolo indubiè hausit Augustinus, ajente 1. ad Corinth. cap. 4. v. 19. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Textus Græcus habet, *Theatrum facti sumus* In quo Deus nimirùm miras exercet suæ providen-
Tertul. lib. de patientia cap. 14. tiæ operationes. Tale theatrum inquit Tertullianus, erat Job diabolo præ rabie frendenti molestum, Deo verò perquàm jucundum: *Ridebat Deus, desecabatur malus, quoniam Iob immundam ulceris sui redundantiam magnâ æquanimitate restringebat.*

Nec mirum sane, quod Deus ipse in hominis afflictione summa cum patientia tolerata maximè exultet, in tantùm enim sibi in ea complacet, ut ipsam ad patiendum, ac durissimam mortem obeundam assumpserit humanam naturam. Cernens namq; omnem tribulationem à loco perfectissimæ quietis & beatitudinis, cælo videlicet arceri, juxta illud Davidicum: *Et flagellum non appropinquabit* *Psal. 90.*
tabernaculo tuo: E sinu paterno in terram dilapsus est, ut per crucem & passionem, summam gloriam adipisceretur. *Vnius ille*, inquit August in hunc locum, *De patris substantia natus, æqualis patri in forma Dei, verbum; per quod omnia facta sunt, videns, quod non haberet, unde flagellaretur, ad hoc carne indutus est, ut sine flagello non esset.* *v. 10.*

Hinc S. Chrysostomus enucleatè cuncta mysteriosa Christi in passione perponderans gesta, simul & admirabile de modo filii patiendi Dei attentè inspiciens decretum, obstupefactus in hæc prorumpit verba: *Cur quæso Pater voluit & permisit filium mortem subire, cur Dominus tali & tam scandalosâ morte vitam voluit reparare mortalium?* quàmplurima enim divinæ justitiæ satisfaciendi Deo supererant media. Quoniam per naturam Angelicam, humanam restituere potuisset vitam. Quod si dicas, tum satisfactionem (ut alibi diximus) non futuram ad æqualitatem, & ex toto rigore justitiæ: adhuc tamen maximè stringit Chrysostomi argumentum. Quæri enim fundamentaliter potest, quare, quandoquidem unica solummodò sanguinis gutta pro generali humani generis redemptione sufficeret, adeò copiosè illū profuderit. Cur circumcisione non fuerit contentus, sed etiam flagra, clavos, coronā spineam, sputa, alapas, lanceā, crudelissimamq; oppetierit necē? præfatus Doctor, ut illud manifestet mysterium, hanc arripit ratiocinationem. Quo quispiam in oculis divinis est sanctior & perfectior, eò vehementiùs à Deo diligitur, & quò magis diligitur, eò magis angustiatur: *Nullus ex iis, ait, qui maximè Deo chari sunt & acceptabiles, sine pressuris vixit.* Quandoquidem itaque Christus, in quantum homo, fit sanctus sanctorum, cunctorumq; longè præmineat perfectioni: oportuit, ut præ cæteris acerbiùs
torqueretur. *Hoc sanctorū & præcipuè verbi exem-* *Chrys. lib.*
pla confirmant, ut eò quisque duriùs in præsenti fla- *de providentia Dei.*
gelletur, quo arctiùs amatur

Verum ulteriùs aliquis curiosè indagare posset, quare pater æternus ecclesiam morte unigeniti filii sui Christi decreverit stabilire. Et cur eâ incessanter utatur politia, ut in illa militantibus Christianis

stianis

ſtianis varias immittat tribulationes, arctiſq; preſſuris ſuos concutiat. Primum quæſitum ex quadam hiſtoriola diſſolvemus. Referunt veteres Hiſpaniæ annales, Civiliam opulentam civitatem ab Hercule fuiſſe extructam, & diu poſt à Cæſare Romano Imperio ſubjugatam, & circumcirca vallis & foſſis optimè contra quoſcumque hoſtiles inſultus munitam. Contigit autem diabolum Cæſari in ſomno falsè perſuaſiſſe, ut ſi cuperet hanc urbē invictam permanſuram, primogenitum ſuum ſubtùs murorum fundamentum ſepeliret, cui ſpontaneè annuens Cæſar, primum lapidem fundmentalem ſuper filii humeros poni mandavit. Verùm ab aulico quodam, juvenis principis commiſerto, deceptus eſt, qui alium filium in ejus locum ſubſtituit, ut dicit S. Clemens. Sicque & paulò poſt mœnia corruêre.

Fateor vana eſt hæc hiſtoria: nihilominus ad noſtrum inſtitutum ſummoperè accommoda. Ecce pater æternus volens ædificare fortiſſimam illam civitatem Eccleſiam, contra quam non prævalerent portæ inferi & tenebrarum poteſtates, unigenitum ſuum morti tradidit, atque ſuper humeros ejus fundamentalem jecit lapidem, nimirùm crucem, ut uſque ad conſummationem ſæculi, quamvis ſæpiùs furioſis conquaſſata perſecutionum fluctibus, immobilis perſiſteret.

Secundum nobis enodat Seneca, Deum ſcilicet tribulatione non invadere, ut ex ea ingens hauriret gaudium & oblectamentum. *Nullum ſpectaculum Iove* (dico ego Deo noſtro) *dignius, quàm virum fortem intueri cum adverſa fortuna luctantem.* Gratâ hâc voluptate Deos perfuſos fuiſſe idem aſſerit, cum conſpexiſſent Catonem in graviſſimis tribulationibus immobilem & invictum permanentem: *Non video*, inquit, *quid habeat Iupiter in terris pulchriùs, ſi convertere animū velit, quàm ſi ſpectet Catonem, partibus non ſemel fractis, tantam nihilominus inter ruinas publicas conſtantiam ſervantem.* Et paulo poſt ſubjicit: *Ego verò non miror, quod voluptatem capiant dii, cum ſpectant magnos viros luctantes cum aliqua calamitate.*

Quod quàm aptè quadret Deo noſtro, & Domino dominantium, ſi quis curioſiùs conetur indagare: advertat duo myſterioſa ſacræ ſcripturæ loca, quæ primo intuitu ſibi invicem apparent repugnantia. Primus regiſtratus eſt Pſalmo 109. ubi David introducit Patrem cœleſtem, Filium alloquentem, eique ob inſignem contra carnem, mundum & diabolum reportatam per crucem victoriam, juſtam donantem retributionem: *Dixit* *Psal. 109. v. 1.* *Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Joannes tamen aſſerit, eum in ſinu patris recumbere cap. 1. *Vnigenitus Dei filius qui eſt in ſinu patris.* Quomodo ergò ego modò quæro, à dextris ſeſſio conſiſtere poteſt cum concubitu ejus in ſinu patris? deciſionem objectæ difficultatis certa eruere poſſumus hiſtoriola. Quæ hæc eſt.

Narrant Athenienſium annales de regina Cænobia, eam unigenitum & legitimum habuiſſe filium, quem quamvis tenerrimè adamaret, uberibus tamem admoveri voluit, manibus pediſſequæ ſuſtentatum, cumque ipſa lac puero neceſſarium præbuiſſet, eum ab iis avelli mandabat: & numquàm paſſa eſt, ut in ſinu ſuo recumberet. Contigit quod ille pro reipublicæ defenſione militiam ſecutus, in periculoſo prælii diſcrimine læſus, graviſſima domum reverſus matri oſtentârit vulnera. Quibus viſis, Cænobia ſinum ſuum in locū quietis conſignavit, dicens: *Nunc quieſcas ut filius, quia filius laboris fuiſti.*

Haud diſſimiliter ſe pater cæleſtis cum filio ſeſe geſſit unigenito. Secundum Davidem ipſi, quamvis in omnibus æquali & conſubſtantiali, à dextris paternus locus, (qui magis imaginarius eſt, quàm verus; attamen imbecilli noſtro concipiendi modo accommodus) aſſignatus eſt. Joannes autem tractans nudè non de Verbo, ut Verbo ab æterno à patre producto, ſed de Verbo tribulato, & in mundo, tantâ peracta ipſius per paſſionem humilitate, gremium patris ei adjudicat: ac ſi diceret æternus Pater ad inſtar Cænobiæ, viſis vulneribus, *Quæ ſunt plagæ hæ in manibus tuis.* O fili anteà dextrâ meâ fruebaris, imò & eadem eſſentiali beatitudine; nihilominùs quia hominem Angelorum loca ſuppleturum, per tot tormenta anxius quæſiiſti, *Nunc quieſcas ut filius, quia filius laboris fuiſti.* S. Ambroſius rectè huic accinit conceptui, dicens: *Poſt injurias acceptas Deus Pater ſuſcipit Filium & occurſu pietatis inſolito, gremio meliori complectitur; quaſi nunc charior & ſuavior filius eſſet, quia labor praceſſit & dolor.* Concludo itaque, Davidem & Joannem optimè inter ſeſe convenire.

Imò de nova atque temporali magis ſanè gloriatur Verbum afflictum, flagellatum, crucifixum, &c. filiatione, quàm de æterna ſua generatione. Quod cæleſtis Pater ingenuè per ſuum Prophetā Davidem confitetur Pſal. 20. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Hoc enim Pater neutiquàm poterat de æterna filii ſui aſſeverare generatione. Tò namque hodie infinitum pòſt eam indicat effluxiſſe tempus. *Psal. 20.*

tempus.

tempus. Ergò de temporali agitur. Verùm, cur nunc pater eum nominet filium, non elucescit. Textus subsequens parùm luminis subministrabit ignaris: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Quia hic satis evidenter innuit scriptura, specialem hanc filiationem, quam nos ambire debemus & ad summum extollere) nullatenus potuisse alio medio, quàm arduâ tribulatione adipisci, idque in hunc finem, ut & nos tribulati cogitemus, quod tunc filii Dei efficiamur, cum angustiis vexamur. Et hoc rursùs S. Ambrosius confirmat: *Tunc, cùm propter nos passus est, se filium Dei ostendit, nondum productus est æqualis patri.*

Ex modò ante tacta quæstione nova (ut vereor) exoriri posset difficultas! quoniam non absque solido fundamento quis objiceret; quomodo Christus post passionem recubuerit in sinu Patris, ubi dicit protomartyr S. Stephanus: *Video cælos apertos, & Iesum stantem.* Recumbere enim eodem tempore pro eadem persona, & stare simul nullatenùs cosistere possunt. Hoc aliquâ parvulâ historiâ fiet manifestum.

Narratur à veteribus Historiographis, Ephestionem quodam die, quo adversitates & persecutiones summâ animi constantiâ pertulerat, Jovis templum, ibidem sacrificium oblaturum fuisse ingressum, quem videns Jupiter, ei assurrexit, sesèque è divino elevans throno. Ephestionem alloquens dixit: *Nunc Ephestio similis diis factus es, ideoque thronus Iovis tibi convenit*: Nimirùm ob præclaram (quam suprà concione 3. applicui condonanti receptas injurias) in tribulatione magnanimitatem & constantiam. Haud aliter sese cum Stephano gessit Christus; is enim in paterno requiescens sinu, resplendescente mira ipsius inter lapides & tormenta patientia, ei, tamquàm sibi æquali proprium obtulit locum & thronum. Audite quid in hunc locum sentiat antiquissimus doctor Origenes: *Obdormivit in Domino, id est in sinu patris, in cujus dextra Christus stabat, qui videns eum tribulatum & percussum, ut condignum ei concederet locum, surrexit de sinu, & ad dextram se locavit*: Judicans justam tribulationum mercedem sinum Abrahæ existere.

At hic rurs urgeri posset instantia non contemnenda. Quod, si sese ad dextram patris constituerit, & juxta eum sederit, quomodò id stare valet cum verbis præallegatis Stephani. *Video Iesum stantem*? exemplo vulgari quàm optimè hæc duo inter sese concordari posse, liquidò constabit. Numquàm annotâstis Auditores in comœdiis aut tragœdiis, quod si rara atq; pulchra valde in theatro exhibeatur scena, populum, ut distinctiùs & meliùs eam contempletur, confestim assurgere, ac se in pedibus erigere. Idipsum fecit & Christus. Ecce curiosam in terris protomartyr Stephanus repræsentabat comœdiam, quâ consideratâ, variisque insignibus inspectis scenis, in sua persistebat majestate, sedensque permanebat ad dextram patris; verò m ubi tandem exhibita fuit pulcherrima illa scena, in qua Stephanus tribulatus, lapidibus impetitus, mortique proximus, non tantùm cuncta constanter perferebat tormenta, sed etiam pro ea incutientibus Deum pro venia & indulgentia exorabat. Mox assurrexit filius, ut divino intuitu tam gratam quasi melius intueretur repræsentationem. Sicque martyr Jesum in hoc præclaro actu stantem vidit, quem sedere Propheta David ad dextram asserit.

Ex his itaque omnibus compertum est & clarum, tribulationes ad Christianum in recta mandatorum Dei observantia continendum fore omninò necessarias ac utiles, & devium ad bonam vitæ normam reducendum legitimam semitam, in iisque Deum summoperè delectari, atque illis æternam constituere mercedem. Unde ait Augustinus: *Si es exceptus à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Et infra *Si putas te nondum habere tribulationem, nondum cæpisti esse Christianus, & ubi est vox Apostoli: omnes, qui piè vivere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur? si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, necdum cæpisti in Christo piè vivere* Ex hac certissima suppositione quàm fusè satis, & forsitan ad lectoris tædium comprobavimus, infallibiliter est concludendum, hominem Christianum nullo modo posse immissis tribulationibus obsistere, eas aspernari, Deoque obmurmurare; verùm illi earum authori summas gratias esse exhibẽdas. Quod egregiè ostendit S. Laurentius in ardenti quiescens craticula, dum clamavit: *Gratias tibi ago Domine Iesu, quia januas tuas ingredi merui.* Qua ratione verò ipse dicat, dum in craticula assatur, sese jam januam cœlorum esse ingressum, vix capio. Existere enim in terris & in cœlis, duo evidenter apparent repugnantia. Quam difficultatem discutere modò differam, aliâ occasione (favente Deo) illam resumpturus.

Pro hujus doctrinæ (de qua in præsenti disserimus) veritate, cape Diogenis Cynici responsum, qui interrogatus, quod in celebri Atheniensiũ aca-

August. in Psal. 50.

August. in Psal. 35.

academia notabile addidicisset documentũ, quam profundam edoceri audiisset doctrinam, quid de litteris, quid de politi, a quid de status communis regimine percepisset: Avidè respondit (suam quoddammodò propalans ignaviam) *Et si nihil aliud: vel hoc ipsum, quod ad omnem fortunam paratus sum.* O utinam Christiane illustria ethnici sequereris vestigia! utinam sanam SS. Patrum arriperes doctrinam, & intimis cordis tui penetralibus tenaciter imprimeres insignem hanc Sancti Bernardi sententiam: *Velle quod Deus vult, hoc est, jam similem esse Deo.* Utinam inquam, dum affligeris in tui consolationem, divina Sancti Augustini oculis mentis tuæ proponeres verba: *Non conqueratur homo, quando in his, quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes Quia docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro patria sua.* Et prolixius pungens infirmam hominis in patiendo stabilitatẽ, subjungit: *Qui putredinem non habebat, si medicina ipsa nostra ignem medicinalem non respuit, patienter ferre debemus urentem medicum & secantem, id est omnibus tribulationibus nos exercentem, & à peccato sanantem. Plane committamus nos medici manu, non enim errat, ut sanum pro putrescente curet. Novit, quod inspicit, novit vitium, quia ipse novit naturam. Quid ipse condidit, quid de nostra cupiditate accessit, discernit Scit se sano homini præceptum dedisse, ne languorẽ incurreret. dixisse in paradiso, hoc manduca, & hoc noli. Non audivit sanus medici præceptum, ut non caderet; audiat vel ægrotus, ut surgat.*

August. in Psal. 50.

Eja agedum ergò Christiane, dum temporale quoddam tibi accidit incommodum aut detrimentum, tuæ animæ singulare prospice emolumentum: Si tribulatio ingruat, cogita solem, non ita splendidis suis radiis serenum posse reddere cælum, quin quandoque densis obnubiletur nubibus, Ast quid verbis tempus tero? imprime tantummodò cordi tuo irrefragibilem Psalmistæ eruditionem, qui totaliter afflictus, non divinam culpabat Providentiam, verùm suis consideratis delictis, in divinas erumpens laudes dicebat: *Nunc autem repulisti nos & confudisti nos.* Patientiam tamen in tribulatione adjungit, enumeratis quampluribus malis, ut colligi potest ex versu 11. usque ad 18. *Hæc omnia venerunt suprà nos, nec obliti sumus te: & iniquè non egimus in testamento tuo.* Hoc itaque, dum tribularis clama, ô homo! ut cum tribulato antesignano Christo in æternum in Abrahæ promerearis requiescere sinu, quod mihi & vobis omnibus concedat. Pater, Filius & Spiritus S. Am.

Psal. 43. v. 1.

FERIA QUINTA

Dominicæ quartæ Quadragesimæ.

Mulier noli flere. Lucæ cap. 7.

POstquàm dudum congruam quandam pro hodierno discursu præmeditatus fuissem materiam, tandem in animum induxi, vobis O Auditores, clarissimè demonstrare, quàm inutiles ac inanes sint plorantium lachrymæ, quibus amara deploratur fluxorum bonorum jactura, atque mundanæ rei deperditio; & præcipuè parentum, qui inordinatè temporalem filiorum suorum deflent mortem. Verùm hoc exordiri incipiens, obmutui ac obstupefactus hæsi, memor eorum, quæ Concione pro Feria 6. post dominicam tertiam quadragesimæ de lachrymarum fructu eminenti, atque admirabili efficacia in medium produxi. Ibi enim ipsam veritatem in cruce lachrymas sitientem *Sitio*, easque ab impudica muliere, ad puteum expostulantem: *Mulier da mihi bibere*, introduxi. Hic autem eum illas inhibentem audio: *Mulier noli flere.* Sancte Ephraim, nonne tu dixisti sermone de compunctione, *O lachrymarum virtutem? universæ cælestes virtutes tuam potestatem admirantur?* At quã fronte, quã temeritate ausus es id asserere, ubi vociferantem percipis Christum, *Noli flere?* & quidem ad viduam unicâ orbatam prole? O crudelis Christe! an forsitan tanti non valet apud desolatam matrem è propriis visceribus progenitus filius, quanti tibi valuit amicus tuus Lazarus? attamen mortem ejus amarè luxisti, teste dilecto tuo

tuo discipulo Joanne: *Et lachrymatus est Iesus.* Vehemens amor tuus ergà mortuum ubertimas extorsit lachrymas: *Ecce quomodo amabat eum.* Quorsum itaque viduæ imperas, ut lachrymarum fontem obturet, *Noli flere?* perverso sane illi fuisse vidêris exemplo. Tu docuisti, *Beati qui lugent,* quomodo itaque rursùs repeto, nunc ais: *Noli flere?* hæc duo quomodò simul in veritate consistant, neutiquàm capere potuissem, nisi à magno illo sydere Augustino illustratus fuissem. Audite quàm divinè hic magnus doctor illa concordet Sermone 11. ad fratres: *Beati qui lugent,* sed ob quem finem Augustine? *De suis, aut alienis peccatis.* Quamplurimùm ergò diversæ sunt Christi Domini, & mœstæ viduæ lachrymæ; diversæ, quas ipse mandat & suadet, *Beati qui lugent,* ab illis, quæ à vidua effunduntur. Ille namque quatriduanum Lazarum, genuinum indurati peccatoris symbolum (ut suprà vidimus) spiritualiter mortuum deflebat: hæc verò corporalem nati mortem. Verè *Beati, qui lugent* æterna & permansura deperdita bona; stulti, qui temporalia deplorant & peritura: *Inanes,* inquit Laurentius Justinianus, *sunt lachrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet temporale.* Unde salutarem cunctis donans admonitionem, concludit: *Flendum tantummodo est, aut pro amisso paradiso, aut pro commisso peccato.*

Capite 11. v. 36.

Ad te itaque munde clamat Christus *noli flere*, dum notabile terrenarum rerum pateris detrimentum. Ad te parens, noli acerbè deflere temporalem & corporalem filiorum tuorum mortem, sed luge æternum & spiritualem illorum animæ interitum. Hæc namque mors amarissimis deploranda est lachrymis: illa verò summa cum patientia atque animi tranquillitate prætereunda. Illa communi cuilibet obtingit fato, hæc perversa introducitur voluntate. Hic erit scopus, in quem collimabo, conaborque præsenti ratiocinatione evidenter ostendere, vanas esse ob quæcumque temporalia motiva fusas lachrymas, ut addiscant parentes filiorum potius animæ, quàm corporis deplorare mortem, & accuratiùs animæ, quàm corporis illorum satagere. Quod antequàm exordiar, Spiritus sancti adiutricem expostulemus opitulationem per securam Divæ Mariæ intercessionem, eam salutantes Angelico encomio. Ave gratiâ plena.

Mulier noli flere.

Doctissimus Euripides olim academicis difficilem satis & arduam dissolvendam proposuit quæstionem: videlicet quid plus delectamenti & complacentiæ conjugatis conferat, sterilitas, vel fœcunditas, gaudere prole, aut eâ carere. Quam ipse cum sedulò ruminasset, tandem ambiguè respondet hisce verbis: *Dubius equidem sum, neque dijudicare possum: utrum melius sit progignere liberos mortalibus, aut sterili vitâ frui, istos enim, quibus liberi non sunt, miseros esse video; è contra illos, qui prolem genuerunt nihilo feliciores cerno. Nam si mali fuerint, extrema calamitas est: rursum, si probi evadant, magnum pariunt malum. Affligunt enim genitorem, dum, ne quidquam patiantur, metuit.* A parte contraria aliquis stabit, allegabitque maximam & intolerabilem fœminæ mœstitiam, ignominiosam adferre infœcunditatem, ideoque impatiens ad virum suum Jacob prudens Rachaël ajebat: *Da mihi liberos alioquin moriar,* Et quis inficias ibit, quin proles sæpe sæpius summo parentibus sit sol[a]mini & adjuvamini, ut patet in Anchise, quem pius filius Æneas è voracibus Trojæ flammis humeris suis eduxit. Sed rursus contra insurget alius, dicetque, quis quoque non novit, quænam miseriæ, dolores atque amaritudines animi parentibus non adveniant ratione filiorum. Ut manifestum est in Agar, quæ tot ob unum Ismaelem perpessa est calamitates. Anatolia, ut commemorant profani Historiographi, ex falso rumore intellecto, dilectum suum filium Ulyssem in bello Trojano occubuisse, subitaneo animi mœrore interiit: *Cum falso nuntio intellexisset Ulyssem filium apud Trojam occubuisse: impatientiæ mœroris vitam projecit.* Quapropter optimè inquit Tertullianus: *Amara est liberorum voluptas.* Imò idipsum ipsamet essentialis comprobat veritas: *Beatæ steriles quæ non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.*

Cap. 30. v. 1.

Verùm quomodo hoc veritati quadrat: quandoquidem Deus Abrahæ Patriarchæ in amplam promptæ in filio unigenito immolando obedientiæ mercedem, copiosam seminis & posterorum promiserit multiplicationem Gen. cap. 22. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli & velut arenam, quæ est in littore maris.* Profectò hæc omnia quàm rectissimè simul consistunt; quoniam in depravato, ac scelesto hoc sæculo obcœcati parentes tam cœco atque

Vers. 16.
Vers. 17.

atque incondito erga filios suos feruntur amore, ut eos tantummodò in luxu, deliciis, atque mundanis voluptatibus educare studeant, corporisque cutent commoda, animæ verò vulnera & salutis æternæ negligant nocumenta; sicque & sese & suos æterno devoveant supplicio. De quibus meritò posset dici: beati si fuissent steriles, & non genuissent. *Patres*, inquit Chrysostomus, *qui moderationem & temperantiam negligunt, liberorum sunt interfectores, imò & illis crudeliores; eò quod ad interitum animæ hæc res tendat.* Ah parentes discite ex moderno Evangelio vitæ filiorum satagere spiritualis, hanc mortem lugete: discite non corporis, sed animæ fœtida deplorare ulcera & periculosa vulnera: Discite vestros in via virtutis enutrire filios, juxtà Apostoli monitum: *Educate illos in disciplina & correptione.* Alioquin vobis eveniet, quod comminatur Sapiens nimium conniventibus: *Lacta filium*, id est, permitte ei in omnibus inordinatis suis frui delectamentis: *Et pavere te faciet, lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, non des illi potestatem in juventute.*

Epist ad Eph c.6. v. 4.

Eccl. c.30. v. 9.

Hinc Plutarchus lib. de educandis liberis, maturè inspectâ intolerabili parentum in alendis filiis socordiâ & supinâ negligentiâ, & præcipuè in iis, quæ bonos mores, politicam disciplinam & animam concernunt, ad summam eorum confusionem & opprobrium, auream adducit sententiam, non ethnico, verùm etiam Catholico viro dignam. *Parentes, qui filiis ditandis omnem curã impendunt, eorum autem mores negligunt, similes sunt iis, qui calceorum curam habent, interim pedem parvipendunt. Etenim prius de liberorum virtute, posteà de hæreditate prius de animo, postea de corpore cura habenda.* Hoc ipsum egregiè vobis inculcat potentissimus simul & prudentissimus Monarcha Philippus Macedo. Is namque, cum ipsi uxor Olympia filium peperisset Alexandrum, confestim sedulam curam arripuit, ut in tenella ætate proles probis moribus, ac egregiis animi virtutibus imbueretur. Quapropter litteras ad modestissimum sui ævi magistrum Aristotelem exaravit (filium suum illius tradens disciplinæ) in quibus sic scribit: *Spero, quod eũ bonis moribus imbues, ut dignus fiat imperio.*

Quod nec ignoravit Ethnicus Philosophus Pistus, qui interrogatus ab Octavio, quodnam in prima ætate prudentes parentes dilectos edocere debent filios ingenuè respondit: *Bonos mores & virtutis amare, & vitia fugere.* Sed heu! fateri pudet, quàm impiè scelerati in hoc detestando ævo parentes in piam illam impingunt eruditionem! ecce à juventute prolem saltare, choreas ducere, cantare, cytharam & instrumenta musica pulsare, omnemque mundi edoceri curant vanitatem, stultè autumantes probas, honestasque actiones ac virtutes, advenientibus discretionis annis per sese proventuras. O imprudentes patres & matres! à tenera ætate solida virtute jacienda est basis. Audite, an id expresse non sustineat Chrysostomus, dum ait: *Malitia processu temporis tantùm facit malum, ut posteà nullâ vinci queat admonitione.* Sed nec ipse solus hoc dicit; at quoque illud Ethnicus confitetur Philosophus Seneca, solius naturæ ductu instigatus. *Puerorum educationi maximam diligentiam, plurimumque maturam desiderat: facilè est enim teneros adhuc animos componere: difficulter rescinduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.* Hinc bene ajebat Sadoletus: *Nullus institui rectè poterit adolescens, qui nequiter fuit educatus puer.* Et ad id admonens patrem & matrem, sedulò adhortatur Ecclesiasticus: *Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum est infans: ne fortè induret & non credat tibi, & erit dolor animæ tuæ.* *Cap. 30. v. 12.*

Plutarchus commemorat Antipatrem, subjugato & in stricto carcere detento Rege Age, in obsides quinquaginta exegisse pueros. Cui viriliter Ephebeorum director respondit: *Se pueros non daturum*, rationem propositi subjiciens: *Ne si licenter vixissent, fierent indociles paternæ disciplinæ.* Et instanti, atque extremam comminanti ruinam Antipatri denuò rescripsit: *Si imperas acerbiora mortei, faciliùs moriemur.*

De Lycurgo refertur, quod ipse studens cives, & subditos suos honestis imbuere moribus, binos enutrierit ejusdem canis catulos: quorum unum domi deliciosis, atque delicatis educabat cibis; alterum autem defatigationi, labori ac venationi assuefaciebat. Utrumque quodam tempore, præsente populo, in forum produxit. Hic grato pabulo apposito, illic spinis & vepribus disseminatis, tum leporem in prædam demisit, clangoreque tubæ venaticum canem excitavit. Qui, contemptis spinis, eum velocissimè est insecutus. Alter verò ad solitos cibos sese convertit. Post hoc factum prudenter ad populum disseruit Lycurgus dicens: *An non videtis cives, duos Catulos genere similes ob diversam educationem dissimiles evasisse: & plus momenti habere ad virtutum institutionem, quàm naturã, quæ ab illa corrigitur? quales nascantur filii nulli in manu est: at ut recta institutione evadant meliores, nostra est potestatis.* Quod igitur filii

 vestri

vestri ô parentes! in senectute turpiter exorbitent, quod deliciosam, voluptuosam & luxuriosam degant vitam, vobis ipsis imputate, qui eos in juventute, in deliciis & voluptatibus enutriistis. Nec admirari debetis; eos nullâ correptione ad meliorem vitæ frugem posse deflecti; quoniam difficillimè pessimi à tenera ætate imbuti mores dimittuntur.

Hanc doctrinam minimè ignorabat generosa mulier Blanca Franciæ Regina, quæ ut narrat Toluil in vita Ludovici cap. 3.) filio suo sæpe sæpius dicebat: *Mallem O fili! te vitâ privatum, quàm virtùte relicta unum peccatum lethale perpetrantem.* Sed quàm pauci similes Blancæ reperiuntur patres & matres! seduli fateor corporis sanitatisq; filiorum sunt curatores, animæ verò socordes neglectores. Dum minimum enim natum affligit malum, ad exquisita illicò recurrunt remedia: medicus sine dilatione accersitur; lachrymæ ob illius mortis futuræ timorem uberrimæ effunduntur, & inaniter dicente Christo, *noli flere*. Anima autem, si ægrotet, vilipenditur, & peccatum cœco amore obfuscatur, & à patre & matre non corripitur, sicque filio ad ulteriora atque majora relaxantur habenæ scelera.

Ast liceat mihi in hujuscemodi impios parentes insurgere divinis hisce Gregorii Nazianzeni verbis lib. de Virginitate: *Corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant quid passuri sint in alio. Alii de divitiis filiis suis provident, alios honores procurãt, nemo filiis suis procurat Deum. Perditionem eorũ magno pretio comparant, & salutẽ eorum, ne dono quidem accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur & suspirant, si viderint autẽ illos peccantes, nemo tristatur.* Qui tamen casus summoperè est deplorandus. Ut ingenuè confitetur Augustinus. *Oblitus errorũ meorum, plorabam Didonem mortuam, qui se occidit ob amorẽ Æneæ, cum interea meipsum, à te in his morientem Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserente seipsum, & flente mortẽ Didonis, quæ fiebat amando Æneam, non flendo autem mortem suam, quæ fiebat non amando te.*

Lib. 1. Cõfess. c. 13.

Vanæ itaque, infructiferæ atque inutiles vestræ sunt, ô parentes lachrymæ, dum ægritudinem filiorum, aut mortem plangitis. *Nolite flere*, nisi dum animæ eorum necem intueamini. Audite, quid ad patrem & matrem clamitet sanctus Chrysostomus: *Cur sumis lachrymas in vanum? mortuus tuus est filius, plorasti? sic revixit? num infirmus fuisti, lachrymatus es? sic sanasti? in Deum peccasti? equidem. Plora ergò & lachrymas funde.* Et in hunc dumtaxat finem destinatas esse lachrymas, ait paulò post: *Tristitia nobis data est, ut doleamus non de morte aut alia re, sed tantùm de peccato. Ibi enim solùm utilis est tristitia, cùm alibi sit inutilis. Nec enim dolendo possum mortuum suscitare, aut rem amissam revocare, sed tantùm gratiam peccato amissam dolendo ac pœnitendo possum recuperare. Hic ergò tantùm utilis est dolor.*

Chrysost. hom. 5. ad populum Antioch.

Verùm comprobamus doctrinam hanc, quantumvis certam & infallibilem è sacra Scriptura. Patriarcha Jacob Gen. c. 37. percepto tristi de charo filio Joseph nuntio, ab ejus fratribus dicentibus de tunica sanguine hædi tincta: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non? quam cum agnovisset pater,* *Vers. 33.*
ait: tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph. Et illa tantum Jacob commovit planctum atque dolorem, ut eum non absque mysterio specialiter annotet Spiritus sanctus:
Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium *Vers. 34.*
suum multo tempore. Imò luctus ejus tantus exstitit, ut neutiquam aliquam consolationem admitteret:
Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut leni- *Vers. 35.*
rent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum. Qui mœsti patris dolor adeò fuit intensus, ut sacer textus de ipso dicat, postquam intellexisset eum adhuc in vita fore superstitem: *Quasi de gravi*
somno evigilans, tamen non credebat eis. Illi è contra *Gen. 46.*
referebant omnem ordinem rei. Cumq; vidisset plau- *v. 27. 28.*
stra, & universa, quæ miserat, revixit spiritu ejus, & ait: sufficit mihi si adhuc filius meus Ioseph vivit.

Hunc locum examinans doctissimus Rupertus, & continuum Jacob perscrutans luctum, asseveranter sustinet, eum nullatenus Joseph mortem deplorasse corporalem, sed impiorum & fratricidarum, ut ita dicam, filiorum suorum enorme & nefandum crimen. Etenim qui fieri poterat, ut integrâ tunicâ permanente & illæsâ, Joseph bestia aliqua devorâsset? id enim inconceptibile est & naturaliter impossibile. Quod implicitè & virtualiter satis indicavit Genesi cap. 44. His verbis: *Vos*
scitis, quod duos genuerit mihi uxor mea, egressus est *Vers. 27.*
unus, & dixistis, bestia devoravit eum: & huc usq; non comparet. Dum itaq; dixit Jacob: *Fera pessima devoravit eum*, per tò *Feram*, pessimũ invidiæ intellexit peccatũ. Audite præfatum Doctorẽ: *Non ergò senem fefellerunt ejus filii, ostendentes tunicam sanguine hædi tinctam. Tantummodò enim inauditam & insolentem fratrum lugebat invidiam.*

Tribus

Tribus vicibus amaro Prophetam Davidem
oppressum fuisse mærore in sacra comperio scri-
prura. 2.Regum cap.12.ubi narratur, quàm incon-
solabiliter planxerit infirmitatem filii ex Uriæ uxo-
re procreati: *Iejunavit David jejunio, & ingressus*
Vers. 16. *seorsùm jacuit supra terram. Venerunt autem senio-*
res domus ejus, cogentes eum, ut surgeret de terra,
qui noluit nec comedit cum eis cibum. Verùm, quòd
stupendum est, postquam intellexisset illum fato
cessisse, omni luctus dissimulato indicio, ad Deo
gratiam agendas perrexit: *Cumque mutasset ve-*
stem, ingressus est domum Domini, & adoravit. Idem
quoque, ut refertur 2.Regum cap.13. amarissimè
deflevit fraudulentum Absolonis fratricidium, &
subitaneam Ammonis mortem: *Luxit ergò David*
2.Reg. c. *filium suum cunctis diebus.* Et tandem irremedia-
13.v.37. bilibus lachrymis perduellis filii Absolonis deplo-
ravit interitum. 2.Regum cap.18. Indesinenter
Cap.18. clamitans: *Absolon filii mi, filii mi Absolon! Quis*
v.33. *mihi det, ut moriar prote*; verùm in hoc tertio
Davidis planctu annotandum occurrit, quod ip-
se, mortuo primo, consolationem admiserit, secùs
in aliis ambobus.

Sed quænam hujus assignari justa potest ratio?
Ah pius pater innocentis parvuli corporalem in-
spiciebat casum, at infestuosi Ammonis, & per-
duellis Absolonis spiritualem lugebat interitum,
quem tanti momenti fore æstimabat prudens Da
vid, ut eum perpetuis lachrymis dignum reputaret,
lugebat. Ita apposité hunc conceptum stabilit
Ambr. in sanctus Ambrosius: *David incestuosum filium*
obitu Va- *suum Ammon flevit occisum, parricidam Absolon*
lentiniani *doluit interremptum: innocentem verò filium non*
adeò putavit esse lugendum, quia illos sibi periisse pro
scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum.
Cui apertè suffragatur Hieronymus: *Iustè flevit*
Hieron. *filium parricidam, qui alium parvulum, postquam,*
epist.25. *ut viveret, impetrare non potuit, quia sciebat eum*
non peccasse, non flevit.

Ex quo execranda cæcorum parentum clarissi-
mè arguitur dementia, qui innocentium natorum
felicem amarè deplorant obitum, & horrendam
perversorum filiorum animæ vilipendunt mor-
tem. O stulti! ô ignari! *Nolite flere* ob corpora-
lem, cui cuncti obnoxii nascuntur homines, in-
teritum, sed infiniti pretii, & valoris animæ tuo-
rum luge deperditionem. Argue, increpa devios,
& exemplo tuo ô pater! ô mater! & saluta-
ribus admonitionibus ad rectam sanæ vitæ reduc
semitam. Ne permittatis parentes in tenero ani-
morum agro lolium & zizaniam peccatorum ra-
dicem jacere. Difficillime namque ea, quibus à
juventute assuefacti sunt pueri, in virili ætate vitia
derelinquunt, & abominantur, ut optime annotat
Sapiens hisce verbis: *Impiùs, cum in profundum* Proverb.
venerit, contemnit. Nimirùm inquit Lyranus: O- c.18.v.3.
mnem correptionem, pœnitentiam, & medicinam.
Quoniam nimirùm inveteratus peccator, non tan-
tùm intensum peccandi induit habitum, verùm
etiam consuetudinem contrahit, quæ, ut supra ali-
bi ostendi, quodammodò in naturam commu-
tatur. Quod idem aperte declarat Historia Græca
dicens: *Alexandrum potentissimum Regem, orbis-*
que domitorem & in moribus, & incessu Leonidis
Pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc
parvulus erat infectus. Difficulter enim eraditur,
quod rudes animi perbiberunt. Hinc & Plutar-
chus ajebat: *Terra ipsa, quò melior est causa, hoc* Plutarch.
magis corrumpitur, si negligatur: ita ingenia si non in mor.
rectè excolantur, quò sunt faciliora, eò pluribus vitiis
obducuntur. Sedulam itaque ô parentes à juven-
tute probæ filiorum vestrorum educationi curam
impendite, castigate eorum errores, corrigite de-
fectus, amputate pullulantes luxuriæ, & libidi-
nis ramusculos, dum arbor tenera est, & flexibilis,
ne forsitan; ubi in altum excreverit, resecari post
nequeat. *Non des* exclamat Sapiens, *illi potestatem,* Eccl.30.
scilicet filio, *in juventute.* v.11.

Sed heu proh dolor; pudet tantum nefas fateri.
Quot, reperiuntur parentes insano erga natos ob-
cæcati amore, qui cognita eorum enormia crimina
dissimulant, eaque juvenilibus annis imputant.
Quòd, si eos quispiam dementiæ, & maximè no-
civæ incuriæ arguat: in promptu frivolum ha-
bent responsum. Ecce ego unicam dumtaxat ha-
beo prolem, illam mundo educare decrevi, opor-
tet ergo, ut illius technas, dolos, versutias, & mun-
danorum conversationem experiatur, ad choreas
ei eundum, ad alacria juvenum properandum est
consorti, ad popinas, lupanaria, &c. Ut tandem
sciat reprobare malum, & eligere bonum, O stul-
ta responsio! non veremini dementes parentes e-
videntissimum depravationis in simili libertina
convensatione filiorum periculum? an ignoratis.
quod, sicut qui tangit picem, inquinetur ab ea, ita,
& qui pravum sequitur consortium, certò certius
depravabitur.

Sed replicat cæcutiens pater, quod si filium in
austeritate, modestia, temperantia, & castimonia
contineam, totaliter reddetur melancholicus, o-
mnes vegetos deperdet spiritus, & ut emortua ar-
bor exsiccabitur; sicque unigenito miser pater

 orbabor,

orbabor, & unico senectutis meæ solatio, atque sustentaculo destituar. Ah liceat ipsi deliciis, & voluptatibus gaudere, modò ego charo illius perfruar aspectu. O impie pater! sic, sic respondes? nonne melius est, ut temporalem mortis, quod neutiquam evitare potest fatum, subeat, quàm æternam animæ damnationem incurrat? Audi, audi, & attente considera id, quod de simili fatuo patre nuncupato Cyrillo Hipponense cive commemorat Augustinus: *Filium unicum habebat, quem superfluè diligebat, & supra Deum, ideò superfluo amore inebriatus, illum corrigere negligebat, dans ei potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi,* Attendite quoque parentes, & intelligite, quàm amarè damnosam illam deploret dementiam aureis hisce verbis: *O dolosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! ecce filios se dicunt diligere, quos jugulare procurant.* Sancto Patri nostro apprimè accinit sanctus Chrysostomus, dicens: *Qui verò patres filiorum moderationem negligunt, liberorum sunt interfectores, imò & illis crudeliores, eò quòd ad interitum, & mortem animæ hæc res tendat.* ut supra dixi.

August. serm. 33. ad fratres.

Boetius doctissimus scriptor commemorat rarum cujusdam adolescentis nominati Lucretii in fine vitæ actum. Is licentiosè, ac summa cum cura in cunctis mundi, juventutis suæ tempore ab imprudenti patre educatus deliciis, atque voluptatibus, & ob enormia contra justum politicum reipublicæ regimen commissa scelera ad mortem condemnatus: antequam decreto afficeretur supplicio, à Judice hanc unicam expostulavit gratiam, quatenùs ultimum vale patri dicere sibi liceret. Quâ concessâ, ecce stupendus eventus, ei ad osculum pacificum accedenti, torvo vultu demonstrato, rabidis atque furentibus dentibus nasum abripuit. Inordinati sui furoris, spectante & audiente populo, allegans rationem, scilicet sese pravâ, ac libertinâ patris educatione ad luctuosum imminentis contumeliosæ mortis pervenisse catastrophe. Quod optimè à filiis socordibus, obcæcatis, ac incuriis parentibus, in animæ natorum suorum vigilanti gerenda cura, posse improperari asserit Sapiens: *De patre impiè querruntur filii, quia propter ipsum sunt in opprobrio.*

Eccl c.41. v.10.

Et id quoque patet in sancto Augustino, qui sibi de piæ matris Monicæ sollicitudine gloriatur: & è contra crudelis patris Patritii incuriam damnat, in libris confessionũ: *Misisti manum tuam de alto, & eruisti animam meam, cum pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, ampliùs, quàm flent matres corporea funera.* De Patre verò ait: *Cum interea non satageret Pater meus. qualis crescerem tibi, aut quàm castus essem, dummodò essem discretus, aut disertus potiùs à cultura tua Deus*: Cavete itaque vobis patres, & matres, ne vestris filiis, vel pravo exemplo, vel incuriâ æternæ sitis ruinæ. Sed animosè arripite, non salutarem tantùm, verùm etiam planè necessariam Apostoli Pauli adhortationem: *Educate illos in disciplina, & correctione Domini.*

Lib. 3. Confess. c.11.12.

Epist. ad Ephes. c.6. v.4.

Verùm, ut luculentiùs obcæcatis patribus insanæ istius negligentiæ appareat gravitas, & cuilibet innotescat, quantum illud peccatum oculis divinis displiceat, consulamus parum sacram Scripturam, solidam omnis Christianæ doctrinæ basim. Primò Regum cap. 3. nobis refertur, benignum Dominum peccatis summi sacerdotis Heli ad summam iracundiam provocatum, adeò in eum, totamque ipsius familiam excanduisse, ut animum suum Prophetæ Samueli, ad vindictam jam jam capescendam, paratum fore, revelarit: qui numquam misericordiâ, & lenitate esset mitigandus, aut flectendus. *In die illa suscitabo adversus Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus, incipiam, & complebo.* Sed quodnam quæso, ô piè, & misericors Deus tam acriter Heli comminaris supplicium: malum supra domum illius tua elocuta est benignitas? Audi, quid subjungat textus: *Prædixi ei, quod iudicaturus essem domum ejus* (& quod auribus horrendum) *in æternum.* O formidabile scelus! inauditum crimen, quod ad summum divinam ad vindictam urget justitiam; infinitam compescit & domat misericordiam! ô Deus: liceat mihi ad te clamare: ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ? Ubi dicti tui per Prophetam Isaiam veritas? *In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Ecquid idem toties ingeminare audes, tuam exaltando supra justitiam misericordiam? *Montes commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te.* Ubi misericordiæ quasi oblitus, furiosè clamitas, quod judicaturus sis Heli? Ah? cujus legis prævaricatio tantam commovet bilem? intelligite, & exhorrescite socordes, ac negligentes patres, & matres. Scriptura ait: *Propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripiunt eos.*

1. Reg. c.3. v.12.

Isai. c.54. v.8.

Vers. 10.

Sed hic locus apertè contradicere videtur alteri registrato ibidem cap. 2. ubi patet Heli, cognitis

Vers. 13.

tis

tis enormibus filiorum abominationibus illos arguisse, & paternâ admonitione erudiisse. Verba hæc sunt: *Heli autem erat senex valdè, & audivit omnia, quæ faciebant filii sui universo Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi. Et dixit eis: quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo. Nolite filii mei, non est enim bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.* Quomodo igitur inconcussa & inviolabilis veritas dicit: *Eo quod noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos?* Potestne scriptura sacra scripturæ contrariari? id asserere blasphemum est; quoniam illa ab ipsa veritate per essentiam Spiritus Sancti originem sumit. Fatendum aliquid est absconditum sub hisce verbis sublitescere mysterium; quod quàm plurimi interpretes explicant: dicentes, Heli nimis tepidè & tardè suos filios, ne eos tristitiâ afficeret, admonuisse: atque sæpius, imò sæpissimè de eorum crimine redditum certiorem dissimulasse, & increpationem in longum protraxisse: sicque vanam, atque inanem exstitisse; radicata namque vitia hominum cordibus difficulter evelluntur. Fundamentum suæ assertionis eruunt ex ipsomet textu: *Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio pessimas ab omni populo.* Quod fieri non potuit, nisi ex frequenti & sæpius eos accusantium reiterata admonitione. Et ob hanc summam injuriam, & animarum neglectionem justa absque misericordia irati Dei juxta comminationem subsecuta est vindicta, ut narratur cap. 4. duo namque filii Heli Ophni, & Phinees in prælio contra Philistæos miserè occubuerunt. Paterque jam decrepitus, tam lugubri intellecto eorum exitu, exanimis è sede sua in terram corruit. Uxor quoque Phinees in partu interiit. Considerate itaque, ô parentes! nimio natorum vestrorum amore obcæcati, quâ irâ dignum sit hoc peccatum, quod omnem prorsus respuit & avertit medelam, estque alicujus expers expiationis, ut Dominus concludit ibidem cap. 3. *Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus usque in æternum.*

1. Reg c. 2. v. 14.

1. Reg. c. 3. v. 12.

1. Reg. c. 3. v. 14.

At non abs re erit, imò moderno proposito quàm maximè accommodatum, nunc semel inquirere exitialem fontem, è quo tam obcæcata hominis profluat insania? Ah proh dolor! non nisi ex detestando hoc errore, quòd ipse bona caduca permansuris, sæcularia cælestibus, temporalia æternis, corpus animæ, vitam perituram æviternæ stultissimè præferat. Hinc est, inquit S. Thomas à Villa Nova, quod misera anima sensualitatibus, atq; inordinatis appetitus inclinationibus connivens, ad terrena dilabatur, extra Deum vagetur, & omnes ad voluptatibus ac mundanis deliciis fruendum relaxet habenas, atque in iis suam constituat beatitudinem & felicitatem. Sed audite, quàm divinè, ô cœci animarum osores, & dementes corporum dilectores! propriam animam suam interroget: *Dic ergò mihi anima mea, responde misera, & edissere mihi, quidnam causæ sit, quod tam libenter per creaturas vagaris, sitibunda guttulas quasdam ab eis, & turbidas emendicans, quæ sitim magis provocant, quàm sedant, & limpidissimum illum fontem perennem omnium bonorum relinquis, in quo solo omnem sitim tuam satiare posses ad plenum?* Et ut instantiùs urgeat, ad particularia descendit bona: *Dic inquam, O misera? quid desiderare potes, quod non plenè reperiatur in Deo? si te delectet sapientia, sapientissimus est: si pulchritudo, speciosissimus est: si potentia, potentissimus est: si gloria, divitiæ; gloria & divitiæ in domo ejus: si voluptas & delectatio, delectationes in dextra ejus usque in finem: si saturitas & abundantia inebriabuntur ab ubertate domus ejus, qui possident eum.* Et tum arctè suum stringit argumentum, legitimam ex veris & infallibilibus præmissis deducens consequentiam: *Omnium ergò bonorum perennem abyssum miserè scienter relinquis, & creaturarum rivulos anxiè insectaris? spontè oblatum fontem contemnis, & cum ingenti labore turbidos tibi puteos fodis?* O admirandam stultitiam, stupendamque nimiùm cœcitatem! quam Dominus detestans per Prophetam Jeremiam clamat: *Obstupescite cœli suprà hoc, & portæ ejus desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontē aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas,* Et exaggerans τὸ cisternas dissipatas: rursùs ad peculiare regreditur: *Verè cisterna dissipata, gloria mundi: cisterna dissipata, voluptas carnis: cisterna dissipata & perforata, est omnium divitiarum jucunda possessio, quia continere non valent aquas. Et si mihi fidem non habes, putasne me tibi illudere, experientiam consule.* Ad ambitiosam loquitur, & sic ad cætera argumentatur fluxa & terrena hujus mundi bona: *Quanto ardore quæsisti dignitatem aliquam: quos pertulisti labores pro illa obtinenda? obtinuisti tandem, & obtentam post triduum fastidis. Quia cisterna dissipata est, & continere non valet aquas.* Et omnis vanitatis mundanæ fallaciam cunctorum oculis exhibere desiderans, & mendacem studens

Conc. Domin. 19. post Pent.

Ierem. c. 2. v. 13.

ſtudens iis detrahere felicitatis larvam, ſubvertit: *Ad modicum ſitim tuam refrigerabit, cum optatâ potius fueris voluptate. Sed diſſipata ciſternâ aquas illas voluptatis retinere non valuit. Fluxerunt illæ, & juxta ciſternam tu ſitibundus manes.* Denique divinè concludit S. Doctor: *Et diſcurre per omnia, & ita verum eſſe in ſingulis reperies. Et magna eſt taliter agentium temeritas: quid ni & dicam ſtultitia.*

Nec minor ſanè hæc, quæ ex illa oritur: nimirùm quòd Chriſtiani animam ſuam tam pretioſo emptam pignore adeò leviter floccipendant, corpori verò, vili dumtaxat vermium eſcæ, indefeſſo labore diu noctuque tam diligenter advigilent. Unde, ſi ipſa anguſtietur ad mortem uſque, & quidem æternam: nulla ſpiritualis agonizanti adhibetur medela? ſi illud autem in minimo affligatur: omne undequaque quàm celerrimè exquiritur ſolamen, & remedium; neque infirmus (contempto levi, facili & ſalutifero animæ antidoto) potum, aut medicinam quantumcumque amaram reſpuit, modo priſtinæ, eâ mediante perituri corporis, ſperet reſtitui ſanitati. Quam inſaniam denuò & admiratur, & deteſtatur S. Thomas à Villa Nova diſertis hiſce verbis: *O ſi ſanandis animæ paſſionibus eam curam adhiberemus, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus? quid non ſuſtinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda corporis ſalute? atroces uſtiones, horribiles inciſiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles putat, dummodo concupitam recuperet ſanitatem. Sed ſi animæ languor curandus eſt, quidquid injungitur duriſſimum eſt. Modo vino abſtinere non ſuſtinet lubricus: exiguo lucro privari non patitur avarus: ad modicum humiliari non tolerat ambitioſus, floccipenditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda ſalus ſupra modo diligitur.* Audi quoque quid de hoc dicat te ſeriò de tanta admonens cæcitate doctiſſimus Iſidorus, ad quemdam ſuum familiarem ſcribens: *Valere te magis mente opto, quàm carne: adverſa corporis remedia ſunt animæ. Ægritudo carnem vulnerat, mentem ſanat:*

Fer. 6. Dom. 4. Quadr.

Verùm quodnam hujuſcemodi obcæcatis ſalutare applicabimus collirium? ego in præſenti tranſituræ corporis humani, è cinere ac terra compacti, felicitati è diametro animæ noſtræ, ad ſimilitudinem & imaginem Dei creatæ, æternam ac numquam perituram opponere decrevi beatitudinem: & contra corpus deliciis affluens, delicateque educatum eminentiſſimam animæ rationalis ſtatuere nobilitatem, atque dignitatem. E quibus duobus punctis vel tu mundane, ſi ſanæ mentis ſis, facile nobiſcum condeſcendes, & liberè judicabis, & confiteberis infinito intervallo majorem animæ in æternum victuræ, quàm corpori ad modicum tantum apparenti, & adinſtar fumi diſparenti, exhibendam fore curam.

Pro æternitate mordicùs ſtrenuè, & valdè inſigniter famoſiſſimus ſcriptor militat Plinius. Qui appoſite ad hoc inſtitutum in campum inducit annulum, quo quondam juxta Poëtarum figmenta uſus fuit Promethæus. Hunc, cum ſummus Deorum Jupiter, cunctos ſuos per univerſum mundum revidens captivos, inter cæteros comperiſſet vento & variis aeris tempeſtatibus expoſitum, horribili caucaſo alligatum, ferreaque catenâ conſtrictum, miſericordiâ commotus eum priſtinæ libertati reſtituit. Eo attamen pacto & interventione, ut ſemper annulum è catena deſumptum digito inſertum: portaret quatenùs ejuſdem intuitu captivitatis præteritæ, libertatis, tantique à Jove gratis accepti beneficii continuò recordaretur, ſicque nullam ingratitudinis notam incurreret.

Illud fictitium, & fabuloſum, quod fictus Deus Jupiter Promotheo exhibuiſſet obſequium, Poetarum eſt figmentum. Sed quid ni illud ad verum Chriſtianæ religionis mihi deducere liceat documentum? totum namque hoc ſumma cum veritate aſſerere poſſum humano generi pium, miſericordiâ ac benignitate attractum præſtitiſſe Chriſtum Dominum. Etenim nos omnes è ſemine & carne protoplaſtis Adæ deſcendentes duriſſimâ miſeræ ſervitutis tenebamur catenâ, eramuſque infernali in æternum alligati caucaſo, id eſt ſempiternæ ſubjecti damnationi. Aſt Verbum æternum, ſecunda in SS. Trinitate perſona, cæleſtis patris infinita ſapientia miſeros de cælo contemplans captivos, adinſtar alterius Jovis commiſeratione attingitur, cujus vi benignus arctiſſime conſtrictus, vincula diſrupit, & aſſumptâ abjecta noſtra humanitate, malleo omnipotentis divinitatis inferni caucaſum contrivit, cunctiſque adoptatam emancipationem donavit, ut evidentiſſime atteſtatur S. Thomas à Villa Nova: *Ad quid*, petit, *venit filius Dei in mundum, niſi ut diſſolveret opera diaboli: id eſt, ut omnia, quæ diabolus per peccatum primorum parentum diſſociaverat, reduceret in concordiam: & ſicut Apoſtolus ait pacificaret, ſive quæ in cælis ſunt ut Deum, & hominem, terra, ſive quæ in cælis ſunt ut Deum, & hominem, Angelum & hominem, carnem, & ſpiritum peccato diviſos concordaret.*

Conc. de fœdere principum

Verùm

Verùm (quod notatu dignum) non tam facili humano generi, sicut Jupiter Prometheo, Christus subvenit modo; ille namque absque ullo suo damno & incommodo eum libertate cohonestavit: hic verò, quo hominem æternæ eripuerit servituti, illumque æternitatis adscripserit felicitati modo, ex præfato S. Patre percipite. *Optimus mediator* (videlicet Christus) *qui, ut reconciliaret inimicos, de proprio solvit injuriam, & satisfecit offenso, non auro, non argento, sed tormento: sanguine, cruce, morte.* Sed quid ab homine pro tam immenso præstito beneficio in grati animi mnemosynon pius exigit Dominus? Ah ut alter Jupiter, hoc unicum tantum, ut in perpetuam libertatis tuæ reminiscentiam in corde tuo portes annulum, id est in mente semper habeas æternitatem, cujus ipse verissimum apud omnes æstimatur symbolum. Sicuti enim annulus initio & fine caret, ita similiter & æternitas, & hujus solâ consideratione secura, & infallibilis ad supremam illam beatitudinem, pro qua comparanda duræ unigenitus æterni Patris crucis trabi affixus est filius, tibi sternetur semita. Quod experientiâ edoctus Propheta David apertè confitetur de seipso loquens: *Annos æternos in mente habui.* Sed quid ei inde provenit emolumenti? sanè sedula suborta est conscientiæ inquisitio, atque illius perfecta à sordibus peccatorum emundatio: *Et meditatus sum nocte cum corde meo,* inquit, *& excitabar,* scilicet ad veram delictorum meorum contritionem: *Et scopebam spiritum meum,* id est eâ mediante abluebam ab omni coinquinamento animam meam. *Psal. 76. v. 6. 7.*

Expostulatur itaque à summa bonitate, scilicet Redemptore & Salvatore nostro, ut cuncta actionum nostrarum tela in rectum, qui æternitatis est, dirigantur beatitudinis scopum. Et cui obsecro, id apparet mirum? quis namque in tantùm obcæcatus umquam reperietur, qui, maturè perpensâ animæ æternitate, vel ad præmium, vel ad perpetuum condemnandæ supplicium, & diligenter consideratâ cunctorum terrenorum, quæ, ut aquæ defluunt, & fumus evanescunt, & ut liquoris bulla in momento temporis (quod nos quotidiana docet experientia) sæpè sæpius pereunt instabilitate & fallaciâ, adhuc eò progredietur dementiæ, ut hæc amplectatur, quæ, & invitus quidem derelicturus est: æterna verò gaudia, permanentia cæli bona contemnat, numquam iis privandus? justâ bilance ô mundane! trutina hoc negotium, & teipsum judica serve nequam.

Quare nobis prorsus necessaria est, (ut æternitatis annulum & beatitudinem adipiscamur) nobilium in stadio ad annulum pro bravio decurrentium, industria & solertia. Hi omnes oculorum intuitum in appensum annulum figunt, nec ad dextram, nec sinistram visum declinant, ne is nimiâ objectorum diversitate deludatur. Deinde lanceam suam ad illum directè dirigunt, & calcari equo admoto, velociter currunt, sicque rectè eum attingunt, atque victores evadunt, & destinatam palmam reportant. Nos ô Christiani! in hujus vitæ stadio currimus ad acquirendum cælestis beatitudinis bravium, & æternam supernæ gloriæ comparandam mercedem, quam non omnes impetrant; non, quòd non currant agendo & operando, sed quia fixè ad propositum, & debitum annulum non colliment, neque operationes suas æternitati consecrent. Quod omninò necessarium fore autumat Bern. ut constat è Ser. 150. in quo, paternè clerum ad rectè actus suos dirigendos exhortatur: *Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque veluti æternitatis semina jaciuntur.* *Bern. serm. 150.*

Famosissimus sui ævi pictor Xeuxis à quibusdam ejusdem artis peritis interrogatus, quare tanto tempore uni picturæ, atque imagini immoraretur, & tam ingentem curam adhiberet, ut ea juxta cunctas pictoriæ directionis regulas efformaretur? ingeniosè respondit: *Ego diu pingo, quia æternitati pingo.* Hoc laudabile Xeuxis factum nos Christianos apprimè imitari oportet. Operamur enim quàm plurimas actiones, in quibus attendendum est, an eas æternitati, & non tempori dicemus, ut prudens faciebat Psalmista: *Dico ego,* inquit, *opera mea regi.* Nimirum æterno Deo, regi regum, & Domino dominantium. *Psal. 44. v. 2.* Quod si ad æternitatem oculos deflectas: magno studio, rarâ industriâ, summa circumspectione & per consequens in eximia perfectione ea produces. Quòd si è contra tempori rapidè decurrenti operatis: illa quàm levissimè, & maximè inconsideratè pertransibis, & defectuosa reperientur. Ad hoc quoque te instigat celeberrimus poeta Euripedes. Hic quodam tempore à suis familiaribus in præsentia non inferioris poetæ Alcestis deplorabatur, quod ipse, summo labore per integrum triduum insumpto, tres dumtaxat versus componeret. Quòd audiens Euripides ad Alcestem (qui quoque tantæ ingenii ipsius tarditatis commiserebatur) se convertit, & dixit: *Scias Alcestes versus tuos in triduum tantùm, meos in æternum duraturos.* Eia itaque socors homo evigila, maturè age, quod

agis, Fac ad instar Xeuxis: feriam manum operibus tuis admove, ne leviter ea pertranseas, sed intimè penetra omnes actus circumstantias, circumspice temporis commoditatem, contemplare finem, ad quem operaris, & ex ejus rectitudine respice exitum, qui vel ad salutem, vel ad damnationem æternus futurus est: & clama cum Xeuxe: *Ego diu ago*, quia æternitati ago. Clama cum Davide: *Dico ego opera mea regi*. Dic cum Euripide, opera leviter & negligenter peracta ad momentaneum vix tempus attingent, & in fumum abibunt; ea verò, quæ summa cum attentione, labore, circumspectione peraguntur, æternitate digna sunt. Ad illud te egregiè adhortatur S. Gregorius, dicens: *Vigilanti curâ per cuncta opera intentio nostra pensanda est, ut nihil temporale, quæ agit, afficiet, sed totum se in æternitatis soliditatem figat.* Hoc ergo primum est, quod cæcutientibus Christianis (quod cunctos in genere tangit) tribuo collyrium. Sed præcipuè incuriis parentibus. Nimirùm, ut sagaciter animæ nostræ intueamur æternitatem, nullo fine claudendam, & corporis corruptibilitatem momento ultimum catastrophe clausurum. Hoc namque si feceritis: qui fieri poterit, ut eò usque insaniatis, ut corpus periturum animæ perenniter permansuræ præferatis, & majorem isti, quàm huic curam impendatis. Qui fieri poterit, inquam, ut parentes citiùs & velociùs advolent, atque accurrant ad temporalem, brevique transituram corporum filiorum salutem, quàm animæ æternam nullo termino finiendam.

Greg. l.11. in Iob.

Secundum huic vulneri salutiferum antidotum est, animæ nobilitatem, dignitatem, atque eminentiam, corporis verò vilitatem, & abjectionem indesinenter ob oculos ponere. Cujus mirificam utilitatem, ac efficaciam me docuit peritus ille pharmacopola S. Thomas à Villa nova dicens: *O anima! si cognosceres excellentiam & dignitatem tuam, & tam ineffabilem & perpetuam gloriam, & sublimitatem, quam expectas!* Sed quid emolumenti obsecro, ô Thoma! in eam ex hac redundaret notitia? audi quid subnectat: *Quomodo dedignareris dejicere te ad amorem, & cupiditatem horum terrenorum lucrorum? quomodo horreres fœdare tuam pulchritudinem fœdo illo luto libidinum? quomodo fumum istum, & ventum inanem bonorum sæcularium parvipenderes.* E quibus verbis clarissimè eruitur universum omnium malorum, atque errorum fontem, animæ eminentiæ, & præstantiæ fore ignorantiam.

Quam, ut depellamus, hominique demonstremus animæ magnitudinem, operæ pretium est illius perfectiones, & singulares prærogativas varia mensura metiri. Aquila illa magnarum alarum S. P. N. A. pro justa dignitatis ejus ponderandæ trutina arripit illum Geneseos locum tractantem de universæ totius mundi machinæ productione. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi notatu dignum occurrit tò *Faciamus* in numero plurali. Etenim quandoquidem infinitâ suâ omnipotentiâ unico verbo *Fiat* cæteras è nihilo creaverit creaturas: quare consilio quasi inito, in solius hominis creatione utitur tò *Faciamus*. Et non dicit *Fiat* homo? an forsitan in hac quidpiam illius potuisset obsistere potestati? minimè sanè.

Conc. Dom. 3. Adv.

Aug. l. 4 de Trin. Gen. c.1.v.26.

Memini me hujus loci explicationem non contemnendam *Conc. pro Fer. 2. Dom. 4. Quadr.* Attulisse. Verùm eâ (qualiscumque sit) relictâ, modò dico universi conditorem sese gessisse ad instar eruditi cujusdam artis pictoriæ magistri, qui in ea tyronibus suis prima promittit jacere delineamenta cujusdam imaginis, rudesque ei subducere colores, verùm ipsius perfectionis complementum sibi reservat. Sic inquam permiserat divina prudentia, ut, juxtà quorumdam Rabinorum opinionem, Angelici spiritus in creandis pulcherrimæ totius universi imaginis ac picturæ, in rudioribus delineamentis efformandis, id est in creandis inferioribus creaturis cum Deo concurrerent. Attamen ubi perventum est ad hominem parvum mundum *Microcosmos*, magni mundi indubitatum ultimatæ perfectionis complementum; sibi specialiter eum assumit producendum, vultque vivificos propriæ imagini ipsemet applicare colores. Quoniam, ut rectè ait S. Augustinus: *Licet humana mens non sit ejus naturæ, cujus est Deus, imago tamen illius quærenda, & adjuvanda est.* Et ideo ait *Faciamus*: indicans animæ creationi prudentissimè totam SS. Trinitatem incumbere, omniaque quasi tanto operi collaborare divinæ essentiæ attributa, quia ipsa est, inquit Ambrosius verissima Trinitatis imago.

Ambr. de dignitate hominis.

Hoc subtiliter & ingeniosè probat præfatus S. Doctor. Illa namque ait, una in substantia tribus nobilibus gaudet potentiis, videlicet intellectu, memoriâ, & voluntate. Intellectus denotat Patrem: quia, sicuti per intellectum humanum producitur verbum mentis, ita à divino verbum divinum. Memoria Filium repræsentat; quia sicuti illa omnium rerum, quæ à mente concipi-

untur, est receptaculum: pariformiter verbum patris omnium creaturarum comprehendit Idæas. *Omnium*, inquit, *Idæarum divinarum thesaurus, & omnium, quæ creata sunt, imago.* Voluntas Spiritum S. significat; quia quemadmodum ab humana voluntate producitur amor: ita à divina patris & filii processit amore Spiritus S. hinc clamat S. Bernardus: *Consideremus fratres in nobis opera Trinitatis, quæ profectò consideratio fructuosa est, quoniam quod Dei cognitionem prælucet, via veritatis, & impedimentum, ac frænum est, quo ab offensione Dei coercemur.*

Bern. serm. de Trinitate.

Aug. l. 4 de Trin. Gen. c. 1. v. 26.

Hoc nec latuit Prophetam Job, qui asseverare non veretur: *Visitans speciem tuam non peccabis.* Id est, ô homo! considera, perpende animæ tuæ pulchritudinem, dignitatem, atque perfectionem: cogita eam esse vivam sanctissimæ Trinitatis effigiem, *Non peccabis*: quia ab omni deterreberis scelere, ac crimine. Nec mirum: quia illud nobilem animæ imaginem deformem efficit, imô & in brutalem naturam commutat, ut inquit D. Thomas à Villa nova: *Humanitatem exuentes:* scilicet peccatores *in brutales versi sunt; longâ enim peccandi consuetudine ratio in eis depravata, & corrupta, lumine judicii emisso, ferè totaliter obbrutuit, & in aliam naturam degeneravit.*

Iob. cap. 5. v. 24.

Fer. 6. Dom. 4. Quadr.

Plinius admirabilem de rege Demetrio commemorat historiam: Is in Rhodanam civitatem mirabiliter stomachatus, eam, quantumvis fortem, & undequaque, ad omnibus quorumcumque hostium insultibus resistendum optime munitam, decrevit vi & armis expugnare. Ob quem finem potenti, & numeroso congregato exercitu, contrà eam, quidquid artis militaris esset imaginabile, admovit, quatenùs tam difficili expeditioni omnem moram præscinderet. Quapropter eam arctissimè jussit circumcingi, ut illâ methodo omnis annonæ aliunde asportandæ, & recentibus militibus introducendis via occluderetur. Sicque illam tum annonâ, tum militibus destitutam, ad tantam deduxit necessitatem, ut cives jam maturè de deditione deliberarent. Sed ecce, ubi vires deficientes Rhodanos ab imminenti clade eripere non poterant, id stratagema effecit.

Ambr. de dignitate hominis.

Erat in ea urbe pulcherrima Bacchi imago à peritissimo pictore Protogene tantâ industriâ, ac artificio delineata, ut quemlibet in stuporem raperet. Unde summus ille pictor Apelles, cum eam à Romanis Romam transportatam, & in templo Deæ pacis collocatam, curiosè, & sagaciter intueretur, in ejus honorificum hisce verbis erupit encomium: *O eximium opus! res mira: summus labor, artificium maximum; sed deest illi gratia.* Nimirùm loquelæ, *Quam si habuisset, proculdubio fuisset immortalis.* Hanc certò certius noverant Rhodani tenerè à rege Demetrio adamari. Quocirca, consilio inito, eam statuerunt civitatis propugnaculis affigere dicentes: *Quis scit, an ob imaginem Demetrius non parcet urbi.* Nec in vanum. Etenim, dum Demetrius longâ pertæsus obsidione, omne militiæ suæ robur ad illam vi & impetu expugnandam admoveri mandasset; & jam jam totus ad mœnia conquatienda properaret exercitus: visa hâc stupenda effigie, classico furentem militem à pugna revocavit exclamans: *Siste miles: parcatur urbi, ne pereat imago.* Sicque ab urbis excidio, ac deletione abstinuit.

Quòd si ô Christiani! in tanto pretio, in tanta æstimatione ac veneratione unus Demetrius humanum, mutum, & elingue habuerit simulachrum, quanti nos formosissimam SS. Trinitatis non æstimabimus animæ nostræ insertam, ac impressam imaginem? & si Demetrius ob pulchritudinem, & artem Protoginis picturæ à civitatis Rhodanæ devastatione iratum cohibuerit animũ; quis quæso adulator ab adulatione, quis fornicator à fornicatione, quis vindicta, quis fur à furto, quis adulter ab adulterio, quis perjurus à perjurio, & ut unico absolvam verbo, quis peccator ab omni non abstinebit peccato, ne pulcherrima hæc divinitatis pereat imago? & quis non imitabitur pulchram illam puellam, de qua referunt Aristoteles l. 1. Physicorum, & Gregorius Nazianzenus, quod ipsa tanta fistulæ sonitus dulcedine delectaretur, ut ab ea vix posset avelli. At casu, cum ludens sese in fonte inspexisset, & è fistulæ inflatione vultus tumorem, & faciei deformitatem provenientem fuisset intuita, illam confestim in frusta confregit, & ab ea per totam vitam abstinuit. Quis inquam hanc non sequetur, & omnem evitabit peccati maculam, ac quodcumque crimen maximo odio habebit: ubi cogitat pestilens hoc venenum totam animæ nostræ pulchritudinem, & candidissimæ Dei imaginis venustatem, omnemque ab ea vivificum colorem prorsus auferre, & in alienam quasi naturam convertere. Unde peccator, qui antea homo erat, jam nullatenus homo censeri debet.

S. Chrys. curiosè indagat ad hoc propositum, quî sæva animalia, sicuti leo, ursus, crocodilus, lupus, &c. dominio primi hominis à Deo sub-

jecta, illi ante commissum peccatum omninò extiterint mansueta ac obedientia: post verò crudelia & rebellia? & respondet hoc neutiquam mirum fore, tam diu enim ac protoplastes Adam intactam reservavit suam imaginem, bestiæ, & jumenta eum, tamquam Dominum suum apprimè agnoscebant; at ubi illam fœdâ detestandi peccati maculâ conspurcavit, atque obfuscavit, induitque fictitiam alieni larvam, in eum insurrexerunt ut incognitum. Audite præfati S. P.
In Psal.3. verba. *Adam quàm diu purum servavit vultum, factum ad imaginem Dei, bestiæ ei, tamquam servæ parebant: quando autem vultum fœdavit inobedientiâ, non cognoscentes Dominum, tamquã alienum eum odio habebant.* Unde ipsi contigit, quod Actæoni contigisse fabulantur Poëtæ. Huic canes venatici ad nutum quemcumque deserviebant: ast ubi à Diana in cervum fuit transmutatus, illi eum tamquam hostem, & feram naturali suo instinctu sunt insectati, misereque proprium Dominum voracibus dentibus discerpserunt, nihil plane ad illorum sedandam rabiem ejus adjuvante clamore, ut attestatur Ovid. l.3. Meth.

Actæon ego sum Dominum cognoscite vestrum.
Primus Helauthestes in tergo vulnera fecit.
Cætera turba coit, consertque in corpore dentes.

Sic inquam animalia post peccatum Adæ extitêre nociva, quoniam faciei ejus venustate deperditâ, eum minimè pro homine agnovêre, sed quasi, ut bestiam reputavêre.

Vers.18. Mirum, maximeque obscurum in sacra Scriptura comperio locum l.2 Reg. cap.18. ubi commemoratur Absolonem in vivis adhuc existentem sibi locum elegisse atque extruxisse sepulchralem Additurque pro hujus facti ratione: *Porrò Absolon erexerat sibi, cum adhuc viveret titulum, qui est in valle regis: Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, & vocatur manus Absolon usque in hanc diem.* Verùm hoc exprese repugnare videtur alteri scripturæ textui, qui eodem
Vers.27. l. c.17. testatur: *Nati sunt autem Absolon filii tres: & filia una nomine Thamar elegantis formæ.* Nec dici potest, inquit S. Hieronymus, eos ante patris hoc factum, fato cessisse: etenim constat illos post patrem Absolon in prælio à Joab lanceâ percussum vixisse. Quâ itaque veritate audet, & potest asserere, sese filio carêre.

Numquam recolligentes turpem, & ignominiosam Apostoli Petri Christi Domini, ac Salvatoris negationem, atque abjurationem, vos reflexistis supra illa verba Petri respondentis pontificis servo interroganti: *Et tu de illis es? homo non sum.* Luc. c.22. quod si non, modò cum servo Vers.58.
mature ruminate & diligenter inquirite, quomodo Petrus dicere queat: *Homo non sum?* quandoquidem ipse constaret anima & corpore, duabus hominis essentialibus adæquatis partibus. Hoc subtile quæsitum subtiliter dissolvit S. Chrysologus, qui asseveranter sustinet, peccatorem hominem non esse, sed moraliter, non physice loquendo, eum in bestialem quasi commutatum fore naturam. Unde optime, inquit, Petrus, qui Dominum suum pervicaciter denegaverat, ait: *Homo non sum.* Quoniam impii peccatores, juxta sensum jam præallegatum, veri homines nuncupari nequeunt. *Benè se hominem negat: quia peccatores homines vocari non possunt.* Hinc admonet Christus: Luc. c.12.
Estote similes hominibus exspectantibus Dominum v.36.
suum, quando revertatur à nuptiis. Id est similes justis & innocentibus. Alii namque, nimirùm peccatores hominis nomine plane sunt indigni: & ut tales satis evidenter excluduntur per *Tò exspectantibus hominibus.* Cum bestiæ non censeantur Dominum à nuptiis revertentem exspectare.

Ex hoc modo eclarescit proposita de Absolonis dicto difficultas. *Filium non habeo.* Quandoquidem enim non ignoraret in avum Davidem, patri injuste adhærentes filios, regnumque quoque tamquam illius successores, ambientes, extitisse perduelles, & parricidii nefandi quàm maxime reos, eos ut mortuos reputabat, & quasi annihilatos credebat, dicit Bernardinus: *Filium non habeo sapienter confitetur Absolon, quia, qui cum perduelli patre contumaciter in pium ac benignum avum conspirârant pro mortuis habentur.* Adeste, adeste nunc, ô stulti & dementes parentes nimiùm proli vestræ indulgentes. Mortuusne est tibi filius ô pater? *Noli flere.* Non mortuus est, sed vivit. Peccavitque in summam bonitatem Deum filius tuus? ita inquis. Jam plora, jam plange, jam lachrymas fundendi tempus advenit; quia morte occubuit miser acerbissimâ, crudelissimâ, maximeque deplorandâ. Eja plora pater, & imprime cordi tuo pro justè impendendis lachrymis auream magni doctoris Augustini sententiam: *Audite me fratres: Christiani sumus, & tamen plerumque, si filius cujuspiam moriatur plangit illum; si peccet, non plangit. Tunc erat plangẽdus, tunc pejus mortuus erat, luxuriosè vivens, quã moriendo luxuriã finiens. Tunc quando*

quando ista faciebat in domo tua, non solùm mortuus erat: sed & putebat Hæc dolenda sunt, illa sustinenda. Et denique concludit: *Movent te viscera corporis Christiane, quando ploras corpus, à quo recessit anima: & non plangis animam, à qua recessit Deus?* Cum nihilominus hæc, non tantum corpore, verùm etiam omni materiali recreata longo intervallo sit præstantior atque eminentior, ut idem disertè affirmat hisce verbis: *Anima naturâ nec terra, nec Maria, nec sydera, nec sol, nec quidquam aliud, quod tangi, aut his oculis videri potest: non denique, quod à nobis videri non potest, melius est. Imò hæc omnia deteriora esse, quàm est qualibet anima, ratio certè convicit.* Et patri suo rectè accinit fidelissimus filius Thomas à Villa-nova, qui similes patres familias, non tantùm filiorum, sed etiam domesticorum suorum curam animæ negligentes, hæresis, & infidelitatis nota aspergit, innixus his Apostoli verbis: *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, hic fidem negat, & infideli est deterior.* Ad quæ ait ipse: *Dices forsitan, quomodò fidem nego, quomodò infideli deterior sum? numquid si familiam negligo: Christianus non sum? aut hæresim profiteor, & fidem nego? utique negas non dictis, sed factis. Sicut illi, de quibus idem Apostolus ait: fatentur se nosse Deum, factis autem negant. Nam qui futuram bonorum & malorum retributionem, id est, gloriam, & infernum diffitetur: quomodo Christianus est? numquid non est hic hæreticus, & infideli deterior?* & paulò instantius contrà hujuscemodi incurios urget: *Et tu hæc agis: dum familiæ tuæ peccata negligis. Quomodo enim gloriam & infernum credis, si pereuntibus filiis, & famulis tuis non subvenis? si in tanto discrimine constitutis, cum possis, non succurris? utique si crederes, subvenires. Peccant in oculis tuis, & taces: offendunt, & rides: Adulterantur, & pro nihilo ducis. Quomodo igitur futuras pœnas de peccatis credis? certè si credis hoc, operibus non credis.*

Aug. l. de Quāt. ani. c. 34.

Conc. s. de Adv.

Quam autem rectè S. Augustinus dicat illam veritatem de animæ supra corpus, omnemque rem materialem excellentia, ratione convinci, luce clarius constat. Etenim quandoquidem in omni contractu emptionis & venditionis, rei venditæ & pretii persoluti requiratur justa æqualitas: sic etiam in mysterioso illo contractu in sanctissimæ Trinitatis consistorio inito de anima hominis redimenda, justum requisitum est pretium. Sed quodnam illud fuit? profectò unigeniti cælestis patris filii sanguis, infiniti ac incomprehensibilis valoris gemma. E quo legitimam infero consequentiam. Ergò infiniti & incomprehensibilis pretii est hominis anima. Quam evidenter probant SS. Bernardus & Augustinus. Ille enim ait animæ considerans lapsum: *Magna res est anima, quæ Christi sanguine redempta est: gravis animæ casus, qui non nisi cruce Christi potuit reparari.* Hic verò: *Redempta est vita tua de corruptione Iam securus esto: initus est bonæ fidei contractus, nemo fallit redemptorem, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jàm solvit pretium, sanguinem inquam fudit unicus filius Dei pro nobis.* Et indè concludit: *O anima erige te, tanti vales.* Ipsa itaque mortua maximè lugenda est, inquit Augustinus, non corpus periturum. *Non est impossibile, vel incongruum, quod suggero, ut sic lugeamus extinctam animam nostram, quomodò alienam carnem mortuam plangimus. Si uxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, inter se collidunt homines, capillos detrahendo, tundunt pectora, & in luctu, & in pœnitentia non parvo tempore perseverant.* Ex quo nos ad deplorandam animam spirituali vitâ orbatam urget hisce verbis: *Rogo vos fratres charissimi, exhibeamus nos animæ nostræ, quod ipsi exhibent carni alienæ. Et hoc videte fratres, quàm malum sit, ut lugeamus, quod non possumus suscitare. Carnem quam non possumus suscitare plangimus, & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum revocare.* Et tantam admirans hominum dementiam, progreditur: *Sed quod nobis pejus est, corpus mortuum plangimus, quod amamus: animam verò mortuam, quam non amamus, nec plangimus, nec dolemus.* A qua insania, ut cuncti abstineamus, efficaciter exhortatur: *Et ideò mutatâ vice incipiamus plùs Dominum amare, quàm servum. Id est plùs factorem corporis, quàm corpus: plùs Dominam, quàm ancillam, id est plùs animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam. Vt cum in die ultimo caro nostra putrescere, & à vermibus devorari cœperit in sepulchro, anima nostra in Abrahæ gremio ab omnibus Angelis elevetur. Et in die judicii recepto per resurrectionem corpore, audire mereatur: euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini sui.*

Bern. Epist. 54.

August. in Psal. 102.

August. serm. 41. de SS.

Ah! utinam divinam D. Augustini hanc doctrinam doctissimus audivisset, vel legisset Philosophus Seneca, aut fidei nostræ lumine illustratus profundum illud animæ nostræ immortalitatis, & simul infiniti præmii illi destinati agnovisset mysterium!

sterium? ferventiori sanè, majorique animi zelo in execrabilem cæcutientium hominum insurrexisset infamiam, & indignum rationali creaturâ delirium, quàm quondam fecit Epist. 71. *Multis videmur quandoque majora promittere, quàm recipit humana conditio. Non immeritò: ad corpus enim respiciunt. Revertantur ad animam, hominem Deo metiantur.* Pulchra sanè pro ethnico doctrina. Et nè quispiam eum parumper exorbitasse suspicetur, audite quàm rectè ipsi concinat Eusebius dicens: *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.*

Sen. Epist. 71.

Euseb. Hom. 6. de Pascha.

Hac, hac vel sola consideratione confundi deberes parens, dum, ut inquit Gregorius Nazianzenus, filio tuo summa cura de divitiis, & honoribus providêre satagis, ejus tamen animæ prospicere, & ab ineunte ætate illum rectam Christianæ vitæ normam edocere socorditer negligis, contumaciter contemnis, mordaciter aspernaris. Perlege precor attentè, & maturè pondera Senecæ verba, & tu ipsemet judicabis tunc maximè lugendum, plangendum, lachrymas fundendas, dum anima imago Dei, cujus dignitas infinita est, deperdita est, nondum corpus communem sortem passum est. Quoniam animæ salus illius prosperitati mille, imò infinitis parasangis præferenda est, ut satis fusè in præsenti discursu demonstravimus, & Evangelista Matthæus comprobat. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur: animæ autem suæ detrimentum patiatur?* imitetur itaque anima Christiana naturalem pravi animalculi nomine Mustelæ instinctum, & ab ea addiscat rectum rationis sequi ductum. De hac peritissimi referunt naturalistæ, eam talis esse naturæ, ut omnem sorditiem mirabiliter abominetur. Undè venatores hujus prædæ inhiantes, à tergo, & à facie eam insectantes in via sordes opponunt, quas cernens Mustela in fuga gradum sistit, & quantumvis vitam celeri cursu posset conservare: attamen ab iis deterrita, neci potiùs se tradit, quàm fœtori. Hinc ejus naturæ hoc adscribitur elogium, *Malo mori, quàm fœdari.* Sic inquam homo pro anima, instinctu rationis inductus, sordes evitare debet peccati, & quantumvis appetitus inordinatus, sensualitas, & illicita contra exurgant desideria, clamare ad instar mustelæ? *Malo mori, quam fœdari.* Nè scilicet animæ suæ detrimentum patiatur, & sordes sibi contrahat peccatorum.

Matth. c. 6 v. 26.

Verùm, priusquàm finem huic discursui imponam: non me piget cum quàm plurimis curiosis ingeniis inquirere, cur Christus mortem filiorum corporalem potiùs cuidam matri, quàm patri non esse deplorandam inculcarit? *Mulier noli flere.* Pro discutienda hujus quæsiti solida ratione, in memoriam revocanda est politicorum quædam quæstio instituta Senecæ tempore. Nimirùm, quis duorum parentum, pater, aut mater filium magis corrumpat, pravis moribus indulgeat, & quis licentiùs ipsius disordinatis appetitibus, atque desideriis conniveat, quis rectæ educationi prolis pater, vel mater perniciosiùs officiat. Vultis intelligere veram sententiam parentes: eam à Seneca, tamquàm à toto peritissimo cætu supremo instituto judice, accipite. Is (quamvis fateretur in utroque præfatam reperiri dementiam) adductis quàm plurimis filiorum, ob parentum stultam, & nimiam conniventiam ad perpetuam ruinam deductorum, exemplis, tandem in hæc verba prorupit: *Non vides, quam aliter patres, aliter matres filiis indulgeant? illi excitari jubent liberos ad obeunda munia maturè: & matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquàm flere, numquàm tristari, numquàm laborare.* Eis namque abundè sufficit, ut stolido modo quietè & voluptuosè vitam suam transigant.

Sen. lib. de Prov. c. 2.

At nè forsitan matres ab illa sententia resiliant, & appellent, utpote à cæco Ethnico pronuntiata; deducamus eas ad infallibile Spiritus Sancti judicium: quo judice veraciorem, magisque ab exceptione personarum alienum comperire impossibile est. Ipse volens insanientium parentum detestandam in prole rectè educanda incuriam corrigere, matrem cuidam avi nomine Struthioni comparat per Prophetam Jeremiam: *Filia populi mei quasi Struthio in deserto.* Et quæ mysteriosa sanè hæc est assimilatio? quænam quæso sympathia, quænam æqualitas inter hanc & mulierem? illam eruunt subtiliter naturalistæ ex indita huic avi natura, variisque ipsius proprietatibus. Quarum prima est, quod ipsa (ut annotat S. Gregorius super hæc verba Job: *Penna Struthionis similis est pennis Herodii & Accipitris.*) Alas suas ad volatum sese præparans expandat, & dilatet, quamquam se numquam altè in aërem elevet. *Alas suas quasi ad volatum erigit, sed numquam se à terra volando in aerem*

Ier. Thre. c. 4. v. 3.


Iob c. 39. v. 1.

aerem suspendit, ita ut alæ ipsi dumtaxat deserviant ad ornamentum, minimè verò ad volatum. Similes planè sunt matres. Ipsæ namque, dum vitia natorum intuentur, primâ fronte amplè videntur plumas, & alas correptionis expandere: in altum quasi jam jam eos severè castigaturas apparent sese extollere: ast, si lugentem, tristem, & desolatum filium comperiant, alas modestè dimittunt, & rursus contrahunt, & à volatu, à reprehensione, & punitione abstinent, atque minas in dulcia, & placentia verba commutant, ut hilarem illius vultum aspiciant. Verè itaque dicitur: *Filia populi mei quasi Struthio.*

Hujus avis secunda proprietas est, quam tangit Propheta Job cap. 39. vers. 15. nempè quod ipsa in fovendis ovis sit negligentissima, imò ea crudeliter deserat, nullius æstimans periculum, quod forsitan à quadam deserti bestia conculcabuntur. *Derelinquit*, inquit, *ova sua in terra, oblivíscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* Insuper jam exclusos pullos ipsa considerate cuilibet sylvestri & voraci animali expositos in nido relinquit: *Duratur ad filios suos quasi non sint.* Haud aliter stultæ, & obcæcatæ matres nimio amore alligatæ filios suos turpiter deserunt, quando iis omnem luxum, omnem voluptatem permittunt: nec curant quod indies cum pravo conversentur consortio: nec verentur morum corruptionem, nec imminentem quidquam æstimant animæ ruinam; sed illis satis est, dummodò deliciis & mundi illecebris perfruantur. Sicque Struthionis iis quàm optimè quadrat proprietas, & verè appropriatur: *Duratur ad filios suos quasi non sint.* Quia ipsæ crudelissimè, non se tantùm, sed & illos diabolo vendunt, æternæque morti exponunt, ac flammigeris inferni devovent tormentis.

Tandem hac quoque juxta, Plinium gaudet proprietate, quod illius stomachus tam calidæ sit naturæ, ut quamcumque substantiam etiam durissimæ digestionis digerat. *Struthio ita calidæ naturæ est, quod ferrum consumat & digerat.* Tales quoque sunt matres, quæ promiscuè coram patre filiorum tegunt peccata, ne forsitan ab eo acriter increpentur, & quæ in se gravia sunt, levia æstimant, & speciosâ juvenilis ætatis larvâ palliant, & ea quasi virtutis & generosi animi habitu induunt. Etenim, si filius meretrices visitet, lupanaria frequentet; id tantùm eâ ratione fieri respondent: ut ipsi jam nubilem ætatem ingressi, sciant quomodò puellæ ad honestum connubium sint alliciendæ. Si popinas plusquam Ecclesias ingrediantur, nec id quidquam est æstimandum. Hoc namque omninò necessarium est, ut jam adulti, vino utcumque assueti, in communi consortio strenuè in vinea Bacchi queant laborare. Si homicidæ existant, generosi habentur. Si prodigi, liberales nuncupantur. Verùm si vulnere aliquo laborent, si parvâ febriculâ opprimantur, in altum extollitur periculum, mors timetur, medicus accersitur, omnisque pro sanitate recuperanda accurata adhibetur sinè mora medela. Sicque inquam matres: *Obdurantur ad filios quasi non sint sui.* Et hæc est ratio, quare Christus curam animæ filiorum antè omnia exhibendam potiùs inculcet matri, quàm patri. Quia ipsa ordinariè ipsis nimiùm indulget.

Quod vitium quàm Deo displiceat, quàm cæcum sit, quàm à recta ratione alienum, quàm Deo injuriosum, ad cujus imaginem efformata hæc nobilis & cæteris præeminens creatura anima, quandoquidem abundè ex me audieritis, finio, exhortans vos in visceribus Jesu Christi, ut curam singularem natorum animæ habeatis sempiternæ salutis. Rogo, ut lachrymis parcatur, dum divina voluntas de ipsorum perituro disponit corpore: & illas fundatis affluenter, dum eos perversâ suâ voluntate sibi spiritualem intulisse mortem animadverteritis. Vos obtestor, ut illos à teneris annis Christianè educetis, Christianisque & probis moribus imbuatis, ut tandem in vestræ solicitudinis, & parentalis affectus præmium, æternâ cum iis gaudêre possitis beatitudine, quam mihi, & vobis omnibus elargiatur benignus & pius Dominus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.



FERIA

FERIA SEXTA.

Dominicæ quartæ quadragesimæ.

Miserunt ergò sorores ejus ad eum, dicentes: ecce quem amas infirmatur. Joan. cap. 11.

CUm attentâ mente, tùm in diversorum regnorum annalibus, tùm in fabulantibus, & varia ingeniose confingentibus Poëtis, tùm veridicis Historiographis, utcumque perlegi memorabilia amici erga amicum signa, atque indicia; fateor me attonitum stetisse, dum reperi in Paulo Aregio vana, ac superstitiosa Romanorum amoris testimonia. Hi, ut ipse refert, amoris tenaces, charitati sedulò advigilantes, etiam suo obsequio mortuos comitabantur. Quapropter (quamvis stulte) lex condita apud eos erat, ut funerale cujuscumque bustum, corpusque eidem impositum proximior consanguineus aspergeret. Verùm quo liquore? an forsitan aquâ? an lachrymis? non, sed sanguinem illus desiderabat detestanda lex. Quocirca ipsi à sacerdote aperiebatur vena, ut ex ea suprà bustum, & corpus amici abundanter sanguis efflueret. Audite citati Authoris verba: *Veniebat sacerdos, & proximioris consanguinei venam aperiebat, cujus sanguine corpus aspergebatur.* Sed in quem quæso finem? Jàm dixi, ut adhuc vivum erga mortuos amicos suum testarentur amorem. Stulta namque gentilitas, superstitiosa, & insanâ hâc ceremoniâ firmissimè credebat, sanguinem illum à sacerdote extractum defunctis opitulari, ejusque virtute ac efficacia, illos ad campos Elisios deduci, perenni præmio fruituros. Ideoque subnectit: *Arbitrantes hoc modo animas ad campos Elisios avolare.*

Fateor nudum hoc est, & inane delitamentum: sed si illud ad sanam & catholicam reducere liceat veritatem, cunctis Christianis insignem donat instructionem, atque desiderabilem admonitionem. Nimirùm, ut sicuti ipsi mortuorum memores in præclarum amoris adhuc vivifici existentis testimonium, eorum corpus sanguine irrorabant, ac madefaciebant, ita & nos Christiani fidelium defunctorum nostrorum non obliti amoris, animas eorum in evidentissimum illius indicium, sanguine aspergamus. At cujus! sanè non hædi, bovis, capræ, aut cujuscumque alterius animalis, sed illius, quem nobis sancta imperat adhibendum mater Ecclesia. Hæc prudens directrix desiderans, ut animæ fidelium, vera Christi nostri membra, ob restantem aliquam pœnæ reatus facem in purgatorio à divina justitia detentæ, ad campos evehantur Elisios, æternamque adipiscantur beatitudinem, sacerdoti mandat, ut in altari in Incruento missæ sacrificio vena aperiatur proximioris fratris nostri, id est, ut offerat pretiosum ipsius infiniti sanè valoris sanguinem pro miseris animabus, voracibus ignis flammis miserrimè cruciatis. Non stultè, ut gentilitas, sed veraciter, & Catholicè credens, eas illius virtute, ac potentiâ à tantis miseriis ereptas ad cælestem avolare gloriam.

Expressum talis animæ mortuus Lazarus, de quo hodiernum ratiocinatur Evangelium, est symbolum. Animæ namque post corporis separationem mundo sunt mortuæ, & nullam prorsus spiritualis vitæ exercere queunt actionem pedes, & manus illarum ad instar Lazari sunt alligati, quia ad nullum confugere valent asylum, nullumque pœnis suis arripere solatium. Sicque anima purganda potest clamare cum Davide: *Infixa sum in limo profundi, & non est substantia.* Oculos hujuscemodi homines obvelatos habent, quoniam lucem aspicere nequeunt æternam. Mittunt ad nos sorores, id est lachrymas, singultus, preces, & lamentabiles voces, ut miseris omni planè auxilio destitutis opitulemur, ac piè subveniamus. Iterant, reiterant lachrymabiles clamores, & ad nos vociferantur cùm Propheta Job: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et ad hæc lamenta cujus animus non commovebitur? ad miseros hos clamores quod cor tam obduratum, quod non emollescet? ô Pater, ecce filius tuus defunctus, quem tantùm amas, infirmatur: ô Mater! Filia, quam tenerè diligis infirmatur: ô fili! Pater, quem tanto amore prosequeris infirmatur: ô filia! Mater infirmatur: ô fra-

Psal. 68. v. 3.

Iob c. 19. v. 21.

Vers. 46.

ô frater! soror infirmatur: fideles! frater noster infirmatur, fidelis anima, verum corporis nostri membrum. Non laborat cibi penuriâ, non ardet calidâ, & vehementi febri, non opprimitur lethargo, non obruitur paralysi, aut quacumque aliâ corporis infirmitate, sed ardet in crudelibus flammis, comburitur, & non consumitur, atque intolerabili ignis æstu vehementissimè torquetur. Eja itaque accurrite cuncti, ad suffragandum miseræ, ut demonstretis adhuc superstitem in corde vestro erga mortuos consistere amorem. Currite velociter, accelerate, & aperite per sacerdotem Christi Domini nostri venam, ut in defunctorum solatium pretiosus ejus effluat sanguis, id est, jubete pro iis incruentum missæ offerri holocaustum. Hoc, hoc enim inter cætera remedia, illis opitulandi est efficacissimum, quod in hodierno discursu breviter & manifestè conabimur ostendere. Quod, ut rectè assequamur, imploremus unanimiter per Deiparæ Mariæ Virginis intercessionem Spiritus sancti gratiam dicentes, Ave gratia plena.

Miserunt ergò sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

NOlo præsenti discursui longam de vera, & reali purgatorii existentia immiscere quæstionem (cùm illud magis controversistam, quàm concionatorem sapiat) quapropter illam controversiam tacitè præteribo, ut tempori parcam. Et meritò sanè: quoniam veritas hæc clarissimè tum ex SS PP. tum è sacra Scriptura constat, Augustinus ait: *Est quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut eis non prosint ista post mortem.* Ex quo sancti Augustini dicto rectissimè infertur: ergo aliquæ animæ ita ex hac vita decedunt, ut contractam aliquam peccatorum venialium maculam, aut mortalium reatus pœnam & secum ad aliam conferant. Sicque ad illum persolvendum subjectæ sunt & in tertio quodam loco à cælo inferno distincto (quem nos purgatorium appellamus) purificandæ detinentur? hoc ipsum manifestè attestatur Spiritus sanctus, qui lib. 2. Machabæorum loquens de mortuis adjuvandis, ut illæ, quam scitissimè æterna perfrui queant quiete,
Vers. 46. ait: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ergo quædam animæ, ut divinâ gaudeant visione, nondum sufficienter à fæce criminum, & culparum reperiuntur mundatæ. Quòd si quispiam cum hæreticis librum hunc à numero canonicorum expungat, accipiat efficacem prædictæ veritatis probam ex sancto Matthæo Evangelista cap. 12. ubi ait: aliquod reperiri peccatum, *quod non remittit nec in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo non minùs evidenter Vers. 32.
deducitur hæc consequentia: ergo in futuro sæculo quædam remissibilia. Et per consequens peccata sunt animæ, à corpore jam dissolutæ, quandoque superest aliquod quoad reatum pœnæ remittendum & expiandum. Frivolè enim, & ridiculosè aliàs adferretur tò *neque in futuro.* Ergo quædam post mortem restant, quæ nec æternis flammarum torquentur suppliciis, nullum namque damnatis remittitur peccatum, nec iis, qui sempiternâ gaudent gloriâ, quia in ea nullum superest remittendum.

Idem erga defunctos officium approbavere ipsimet gentiles, ut commemorat Plutarchus. Prætor namque Platensium solemnia devovit vota Jovi, & Mercurio in solatium mortuorum pro Græcia, & patria occisorum effundendi scyphum repletum vino. Ad cujus effusionem hæc intonabantur verba: *Propinamus viris pro patria, & libertate Græciæ passis.* Quâ ceremoniâ sibi firmiter cæca imprimebat gentilitas, mortuos illos ab exilio eximi, & ad campos Elisios deduci. Ergo & ethnici indubitatè tenebant post mortem quandoque aliquod permanere demeritum, per meritorias viventium actiones diluendum. Nolo quoque hic ad longum intolerabilium animarum, quæ in purgatorio purgantur, tormentorum exaggerare gravitatem, & acerbitatem. Hoc solùm dixisse sufficiat, quòd ignis purgans ad tempus, idem sit, quòd ignis in æternum crucians. Ita sentit sanctus August. *eodem igne purgatur electus, & cruciatur damnatus.* (Aug. serm. 41. de Sanctis.) Ex quo elicit pœnarum istarum feritatem, & incomprehensibilitatem: *Ignis ille durior est, quàm quidquid potest in hoc sæculo videri, aut cogitari, aut sentiri.* Et in Psalmum 37. hæc tormenta rursùs extollit dicens: *Pœnæ Christi (de quibus ipsemet asserit per Prophetam Davidem: pœnæ inferni circumdederunt me) & omnium aliorum martyrum pœnarum, cæterarumque personarum, & creaturarum nihil sunt respectu pœnæ purgatorii.* Et ne forsitan quispiam harum immanitatem in temporis diuturnitatem, quo animæ quædam torquentur, conjiciat: superaddit Cyrillus Alexandrinus: *Mallet quilibet viventium usque ad finem mundi omnibus simul excruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc usque tolerarunt,*

quàm uno die in purgatorio morari. Unde ad nos lachrymabili voce incessanter miseræ animæ exclamant. Videte, si est dolor, sicut dolor meus. Prætermissis itaque hisce motivis, illud dumtaxat arripiam, quòd in proëmio discursus mei pollicitus sum, nimirùm demonstrare efficacissimam incruenti missæ Sacrificii pro iis subveniendis virtutem.

Quòd, ut aggrediar, operæ pretium est in mentem revocare subtilissimam naturalistarum de quadam leonis proprietate animadversionem. Sustinent hi, illum talis esse naturæ, ut famelicus tam tenaciter, ac obstinatè arreptam prædam unguibus detineat, ut nullo rumore, nullis minis, nullâ prorsùs vi ab ea queat avelli, aut diverti. Casu quo tamen contingeret quemdam ejus catulum repagulo inclusum asservari, unicum remedium ipsi prædam eripiendi est, illum vinguncula aliquâ ferreâ acriter percutere, ut aerem horribili ob similem percussionem rugitu compleat, terramque quasi tremere faciat. Hoc namque audito, pater & mater in prædam famelicas præparantes fauces eâ derelictâ, confestim accurrunt, catulo suo suppetias laturi.

Ah! nonne jure meritò possumus asserere divinam vindicativam justitiam ferocissimum fore leonem, à cujus voracibus dentibus instanter ro-
Psal.v.1. gitabat liberari Propheta David: *Domine salvum*
v.2. *me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me, ne quando rapiat, ut leo animam meam, dum non est. qui redimat, neque, qui salvum faciat?* Ipsa enim, dum misericordiæ prædominatur, prædamque quandam arripuit, eam facilè non dimittit. In hujus fauces misera incidit hominis anima, & in purgatorii igne tenaciter detinetur. Ast quid remedii, ut illa ex ejus unguibus eripiatur? ecce præsto est leonis Catulus, unigenitus patris cælestis Filius Christus Jesus, de quo dicitur Apoc. cap. 5. *vicit leo de tribu Iuda.* His verè sub sacra-
Vers. 5. mentalibus panis, & vini speciebus asservatur quasi incarceratus. Hunc sacerdos monet, & concitat catulum, dum illius corpus pro miseris & afflictis purgatorii animabus æterno offert patri. Hicque horrendo rugitu totam replet supernam curiam, clamans non adinstar vindicativi sanguinis Abelis, justitiam, sed divinam provocans misericordiam. Ad quem efficacem clamorem velociter accurrit pater, prædamque justitiæ adimit, & misericordiæ incolumem reddit, atque per sanctos Angelos animas è pœnis ad cælestem deduci imperat requiem. Justitia namque virtuti hujus sacrificii minimè obsistere potest. *Mysticis enim istis*, inquit Gregorius, *& sursùm ferentibus sacris Deus colitur, quibus nec majus quidpiam, nec excellentius habetur, cùm Sacramentum istud sursùm ferens dicatur.*

Unde benignum Christum, dum pretiosus sanguis ejus in ara crucis effusus, in missæ sacrificio à sacerdote immolatur, sese gerere autumo cum divina justitia adinstar Quinti Metelli Junioris cum Imperatore Octaviano. Is jam devicto in sanguinolento certamine ab Octaviano Marco Antonio, inter cætera mancipia, atque captivos, proprium quoque patrem, catenis ferreis graviter onustum cernens in triumphum diduci (post, tamquam Cæsari refractarium & rebellem infami morte afficiendum) copiosas plebis turmas vias undique implentes vi, & armis perrumpens, ad Octavianum veloci gradu perrexit, & ad pedes ejus sese posternens illum hisce verbis (ut narrat Plutarchus) pro patris rei incolumitate, & libertate est allocutus. *Hic Imperator tuus hostis, quia in te Dominum suum ensem strinxit, mortem promeritus est, at ego sum præmio dignus, qui tibi inservivi* (ipse namque Cæsareæ parti adhæserat) *pro patria, tuique salute contra Marcum Antonium impavidè dimicans. Igitur impero, ut pro illo munere, quod mihi debes, hunc mihi incolumen reddas.* Quo deprecandi insolito modo Cæsar obstupefactus, ejus petitioni annuit, reumque misericorditer absolvit.

Haud dissimiliter inquam, Christus in missa oblatus, justitiam divinam accedit, eamque pro mancipiis fratribus suis animabus in crudelibus purgatorii flammis detentis, liberandis interpellat, imò & ipsi imperat. O justitia! fateor clamat, hæ adhuc parumper reæ sunt, nec totalem merentur misericordiam; verùm ego modo in præmium sanguinis mei, quem quondam in infami crucis trabe effudi, & qui hic a sacerdote iis applicatur, *tibi impero, ut has mihi incolumes reddas.* Et quid ad hæc justitia? ecce succumbit, & captivis æternam libertatem donat. O dulcis sanguinis Christi clamor! ô pergratus animabus clangor! ô mirifica sanctissimæ hujus victimæ efficacia! ver ei appropriari potest illud, *emisisti vinctos* Zach. c. 9.
tuos de lacu. v. 11.

Annotant quàm curiosissimè SS. PP. mysterio plenam extitisse Christi Domini crucis trabi affixi binam ad cælestem patrem delegatam deprecationem. Prima fuit pro venia & remissione perfidissimi Judæorum eum crucifigentium sceleris:

Pater

Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt, secunda, dum completâ suâ passione, & dicto, *consummatum est*, emisit spiritum: *Iesus clamans voce magnâ, emisit spiritum*, De qua oratione mentionem faciens Apostolus epist. ad Hebræos cap. 5. ait. *Exauditus est pro sua reverentia.* Verùm non constat expresse è sacra Scriptura quidnam Christus valido hoc clamore à patre suo expostularit. Ad quod expiscandum mysterium oportet curiosè animadvertere abscondita Domini nostri, ad acerbissimam, sed maximè desideratam properantis passionem, in horto Gethsemani gesta. Vix eum ingressus, orationi sese dedit, & supernum patrem usque ad ternas vices est deprecatus: *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est transeat à me Calix iste.* Quo dicto ad instar zelosi pastoris sedulam ovium suarum, id est discipulorum, curam gerens, eos ad vigilias est adhortatus: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Post verò resumpta oratione, ut testatur sacer textus, rursus ait: *Pater mi, si non potest hic Calix transire, &c Fiat voluntas tua.* Nec hic destitit Christi in orando zelus: sed relictis discipulis, *iterùm abiit, & oravit tertio eundem sermonem dicens, &c.* Et tum primò ait Evangelista Lucas, sudorem è totius corporis poris emisit sanguineum. *Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.*

Luc. c. 23. v. 34. — *Vers. 7.* — *Matth. c. 26. 37.* — *Vers. 43.* — *Vers. 44.* — *Cap. 2. v. 44.*

Hic hæreo & obstupesco, imò & confundor. Dum enim per hunc scripturæ locum alium prætactum prætendetem dilucidare, me magis intricatum, & in difficili labyrintho versantem comperio. Quoniam quid quoque hâc petitione à patre cœlesti unigenitus exegerit filius, difficulter percipitur. Asserere namque eum passioni suæ utcumque fuisse reluctatum, est contumeliosum, temerarium, blasphemum, & apertè sacræ Scripturæ contrarium, quæ de ardenti ipsius testatur patiendi desiderio in persona ejus loquens: *Baptismа habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Et insuper dubio intricato dubium accedit non magis facile; quare videlicet præcisè tertiâ dumtaxat vice suum effuderit sanguinem. De hac quæstione tum SS.PP. tum sacræ Scripturæ interpretum variæ atque disparatæ sunt opiniones. Quibus omissis, ut nimiam prolixitatem vitem, pro nunc ad meum institutum adhæreo sancti Hieronymi sententiæ. Qui asseveranter asserit Christum Dominum, primâ vice à patre æterno animitus expostulasse, ut Calix pretiosi sanguinis sui ad cunctos justos transiret (nimirùm sub speciebus Sacramentalibus panis & vini in sacra Synaxi) tamquam maximè necessarium animæ nostræ nutrimentum ut ipsemet attestatur, dicens: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Luc. c. 12. v. 50. — *Zach. c. 9. v. 11.* — *Ioan. c. 6. v. 54.*

Secunda autem vice juxta præfati Doctoris opinionem oravit patrem, ut amarus ille acerbissimæ passionis Calix transiret ad injustos, & perversos peccatores, id est, ut efficaciter sanguinis jam jam effundendi infinitus valor illis applicaretur. Tandem prolixius orans institit apud patrem, precesque fudit pro defunctis, atque animabus in pœnoso purgatorio quandoque detinendis, flammisque acribus adjudicandis: rogatque instanter ut sanguis iis super infundatur, qui potens est cunctum ignis ardorem refocillare, imò & ignivomas flammas facillimè extinguere; ideòque ab angelo confortatus, ut à patre cælesti exauditus pro sua reverentia, confestim ex omnibus corporis sui venis in gratiarum actionem abundanter pro cunctis fidelibus, & specialiter pro indigis, omnique planè subsidio destitutis animabus elicit, & offert sanguinem, tamquam omnium remediorum illis efficacissimum, & maximè salutare antidotum.

Hinc modò paulatim dilucescit, quid sibi vehemens ac validus ille in morte Christi Domini voluerit clamor, & quid tanta anxietate, tanta solicitudine decedens ex hoc mundo à Patre suo requisierit: nimirum, ut Longinus cruci adstans dirâ lanceâ benedictum latus suum, etiam post mortem aperiret. Ut non tantùm vivis, sed etiam mortuis, animabusque in purgatorio detentis ex eo ultimam sanguinis guttam exhauriret, & tam pretiosum thesaurum in flammarum ignis dissipationem ipsis depromeret. *Audite Chrysostomi verba: sanguis è latere effluxit in animorum præsidium purgantium. Hic enim iis applicatus in altari, eas à culpa liberat, & à pœna mundat.* Idcircò in mysteriosis in Insula Pathmos apparitionibus sanctus Joannes tantam ad cælestem regnum introeuntium cernens turbam, inquisivit à cæli incolis eorum qualitatem, conditionem, & regionem: *Qui sunt hi, & unde venerunt?* & mox Angelicum subjungitur responsum: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna*, videlicet ex strenua mundi militia, multis angustiis, ac persecutionibus. Sed nec hoc totaliter sufficiebat tam solemni, ac triumphali in cæleste regnum

Apoc. c. 7. v. 14.

ingressui. Quia adhuc pro diluendis, minusculis erroribus, vel pœnæ peccatorum reatu persolvendo, lavacro salutari pretiosi opus erat sanguinis Christi: ideoque subnectitur, *& laverunt stolas suas, & dealbaverum eas in sanguine Agni.* Nimirum in sacrosanctæ missæ sacrificio pro ipsis à fidelibus in altari per sacerdotem oblato. Sic egregiè explicat doctissimus Pineda: *De tribulatione venerunt purgatorii, & laverunt stolas suas in sanguine Agni, qui percipitur in Altari per Eucharistiæ sacrificium.*

Quandoquidem jam mentio inciderit de Longini lancea, atque lateris pii Domini crudeli apertione, è quo fonte duo præcipua sanctæ Ecclesiæ scaturierunt beneficia: scilicet Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ; non abs re erit diligenter indagare, quâ ratione, quo fundamento ipsa lanceam infami, & vituperoso dehonestet cognomine, cantans de illa, *mucrone diro lanceæ?* ubi è contra Christi Crux tam honorifico condecoretur elogio, ut ipsa exultans cantet: *Arbor decora, & fulgida, ornata regis purpura, &c.* Sanctus Gregorius ad præsens quæsitum ingeniosè respondet: *Quia in mortuum sæviit verè nostræ salutis pretium lancea dira, & crudelis appellatur: post mortem namque in aliquem sævire maximè crudele reputatur.*

Ex quo responso ego hoc formo argumentum; quod si idcircò lancea sevitiæ mereatur incurrere notam, quia in mortuum insurrexit; quis me mente sanus coarcebit, ne libere dicam, depravatum hoc nostrum sæculum crudelibus scatere Christianis & Catholicis? Ah quot sunt filii, consanguinei, pinguesque & divites mortuorum hæredes, qui in ipsos crudelissimè desæviunt! quot, quot, heu inveniuntur, qui testamenta pia occultant, & legata eorum, verè pauperum eleëmosynam persolvere, suæque satisfacere impiè negligunt obligationi! pater & mater, frater & soror, & discurre sic de cæteris: quàm plurima in animarum suarum salutare refrigerium Missæ Sacrificia offerri mandant, quàm maximè anxii sunt, ut post suum ex hoc mundo discessum opimæ indigentibus pauperibus distribuantur eleëmosynæ, curant diligenter exequias, & honesta celebrari funeralia; cuncta sese exactè hæredes observaturos spondent. At proh dolor! vix ex hac vita miseri decesserunt parentes, & ecce sacra magno munero diminuunt, eleëmosynas per testamentum ordinatas omittunt, funeralia quasi cum cadavere sepeliunt.

Alii non minus ingrati pias donationes legum, consuetudinem, politicorum decretorum fuco obnubilant, illasque irritas reddere omni studio conantur; & non obstante, quod quàm optimè benignorum erga pauperes legatariorum intensionem cognoscant; eam nihilominus impiè defraudant, sicque miseræ animæ absque pleno solatio atque adjutorio (quod iis saltem ex precibus recipientium proveniret) crudeliter deseruntur, sicque non obstante optimâ donatorum intentione, mordacibus purgatorii flammis acerbè cremandæ relinquuntur. Et tamen continuò clamant: *Miseremini mei, saltem vos amici.* Vociferantur parentes, miseremini mei ô filii, ô filiæ! aperite, non rogitamus misericordiæ, sed debitæ pietatis, & strictæ obligationis aures. Recolligite quanto sudore, quantâ vigilantiâ, in vita nostra non allaboraverimus, ut vobis terrena commoda, prædia ampla, & fertilia, summos honores, & plurimas divitias relinqueremus. Imò, proh dolor eò dementiæ & cæco vestrûm amore processimus, ut solicitudinem tantam istis negotiis adhibuerimus: quod inde Dominum nostrum sæpè sæpius offenderimus. Modò nos miseri ad restantes istarum culparum pœnas diluendas vehementi ignis dolore cruciamur, ardensque flamma nos undequaque adurit: nec guttam crudeles sanguinis Christi in sacrosancto Missæ holocausto pro nobis offerri curatis? ô ingrati! nonne meritò vobis possumus illud Jobi improperare: *Quare carnibus meis saturamini,* & *Iob c. 19.*
illud subtile doctissimi Alciati emblema? qui de *v. 22.*
pingit capram catulum lupi benevolè lactantem, qui postquam crevisset, ejusdem fructibus, quibus lac & vitæ exsuxerat sustentaculum, atque necessarium nutrimentum, totaliter ingratus nutrici suæ vitam ademit, subtilis & notatu digna emblemati, adhibebatur epigraphes. *En mea me post ubera pascet.*

O impii de sudore vultus nostri lautè, & abundanter pascimini, bona nostra in summa affluentia pacificè possideris, cuncta ad placitum, & optatum animi desiderium affluunt; & nobis in tanta miseria constitutis, & tantis tormentis cruciatis minimum non affertis solatium? Ah? *lapis de* *Abac. c. 2.*
pariete clamabit. Sed quid clamabit? fœdam *v. 11.*
mehercle vestram ergà nos ingratitudinem. Attendite sedulò, attendite maturè filii: illa, illa, domus, illud, illud, sumptuosum, in quo deliciosè, & summo cum delectamento commoratis, palatium, tanto labore, tantâ diligentiâ, tantâ indu-

industriâ à nobis exstructum, filiale ex naturali erga parentes debito à vobis expostulant solatium. Sed heu! similes profectò estis ingrato ac perfido Regis Pharaonis pincernæ. Cui post prædictam futuram felicitatem, captivus Joseph sui animitus commendavit memoriam: *Memento mei, cum benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut deducat me de isto carcere.* Sed ecce ingratus penitus benefactoris sui oblitus est jam pristino potitus statu, ut testatur Scriptura, Gen. cap. 40. *Et succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Imò imò sanè; quoniam sufficit vobis bene esse, opiparè, & lautè vivere, deliciis, & voluptatibus indulgere: & nulla vobis de parentibus superest cura. Unde rectè possumus usurpare juxta acceptam sancti Hieronymi traditionem; *chari mei, & amici mei quasi contra lepram meam steterunt.* Sicuti enim leprosos aversabantur filii Israel, ita & chari filii nostri tanquam fœtidos, & leprosos suos abominantur parentes. Quoniam cum abundantium pecuniarum sonitu nostrûm penitus interiit memoria. Ah quàm divinè iniquitatem & crudelitatem hanc fuit vaticinatus Psalmista dicens, Psal. 48. *Relinquent alienis divitias suas,* glossa ordinaria hic legit, *Filiis.* Vult dicere Propheta: parentes in vita sua ad ditandos filios suos perquam seduli, tandem aliquando commune universæ carnis obibunt mortis fatum, divitias, & terrenarum rerum possessiones filiis hæredibus relinquent, juxta illud Davidis Psal. 62. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii,* id est in manus divinæ justitiæ, *partes vulpium erunt.* Hoc est ipsi filii relictam amplam inter sese divident hæreditatem, & tamquam ingrati, perversi, & prædones, non filii erunt, sed alieni parentibus, non attendentes ad eorum miserum clamorem: *Miseremini mei, saltem vos amici mei.*

Vers. 14. *Vers. 23.* *Vers. 11.* *Psal. 62. v. 10.*

O perversi filii Tygride crudeliores! discite, discite, debitam erga parentes vestros, & maximè mortuos pietatem & reverentiam, vel ex ipsis ethnicis & gentilibus solâ naturæ luce illustratis. Pius Ænæas, ut commemorat Virgilius, celeberrimâ urbe Troja igne totaliter consumpta, tandem sese flammis, post varias strages, & pugnas, eripere tentavit; quas cum incolumis feliciter evasisset, memor senis patris sui Anchisis Trojæ derelicti, rursùs urbem, non extimescens furentem undique Græcorum militem, nec spumantem circumcirca se formidans ignem, impavidus intravit, ut ipsi patri pius filius in tanta necessitate periculosas ferret suppetias. Quod ei ad votum (faventibus ad tantæ pietatis opus indubiè Diis) successit, ut attestatur præfatus Poëta libr. 6. Æneidos.

Illum ego per flammas & mille cadentia tela.
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Inauditam duorum fratrum Amphinomi & Anatipii erga parentes suos pietatem summopere demiratur Valerius maximus, qui de his refert, quod, cum ex improviso ignivomi montis Ethnæ incendio Catana Siciliæ urbs miserè conflagraret, ipsi parentes suos humeris sublatos flammis eripuerint. Et quod stupendum est, ecce natura ipsa, ut idem narrat, miraculo tantam filiorum pietatem egregiè comprobavit. *Quibus etiam,* inquit, *ignis cessit, pietatem filiorum veritus?* ad hoc factum obstupescite immanes, & crudeles nati, atque obduratum ex eo addiscite exuere animum, tuamque deponere detestandam impietatem; etenim, si hi tantam parentum suorum corporis perituri, etiam cum magno propriæ vitæ dispendio, ac discrimine susceperint curam: quantam diligentiam nos Christiani parentum animæ in æternum duraturæ, ut ex acribus purgatorii flammis sine ullo nostro incommodo eripiantur, non adhibebimus, & si ipsi, etiam solo naturæ instinctu, & laudabilis gratitudinis stimulo, ob acceptam ab illis vitam, tam miram exercuerint pietatem: quid nos sollicitudinis, industriæ & laboris Christiani filii parentibus non ostendemus, à quibus non nudum tantùm esse, sicut illi, verum etiam christianè vivere accepimus? hanc filiorum erga parentes benevolentiam instanter inculcat sanctus Hieronymus disertis hisce verbis: *Fauces tuæ necdum lacteum perdiderunt saporem, quem tibi pia mater infundens, linguam pavit potu corporis sui, impende patri matrique* (& præcipuè in purgatorio captivis detentis) *servitium, qui numquam tuos vagitus horrendos, totum in te lambebant oculis corpus.*

Hom. de honorandis parentibus.

Verùm, si in tantùm indurata est, ô ingrati filii! vestra mens, ut ne lamentabili parentum ad vos clamantium voce *Miseremini mei, &c.* Evigiletis, si prædicta Ethnicorum amoris, pietatis, atque benevolentiæ exempla saxeum vestrum cor non emolliant, non conterant, & pio erga genitores zelo conscindant; confundant vos, & expergefaciant irrationalia animalia, quæ vel ex solo naturæ impulsu erga suos procreatores pietatem di-

dicere. Aves, ut in comperto est, dum cernunt quasdam socias miserè in venatorum retia incidisse, ex innata compassione confestim iis opitulaturæ advolant, omnemque exhibent conatum, ut illas liberas efficiant. Alis vehementer retia quatiunt & rostro ea discerpere conantur.

Mirabiliter Naturalistæ seduli animalium essentiæ, atque proprietatum perscrutatores Pellicani erga pullos suos stupendam ad summum extollunt pietatem & curam. Ideoque ista avis apud Ægyptios certissimum olim tenebatur amoris, & miserationis hieroglyphicum, ut testatur Pierius. Insuper illam tamquam sacram reputabant. *Sacerdotes*, inquit, *Alitem hanc cùm primis sacram venerabantur, & ob hoc neque carne illius vesci volebant: eique parcendum æstimabant, & honoris causa nullo pacto, ut mensis inferretur, æquum arbitrabantur.* Et ulteriorem hujus rationem adducit hic author, eò quòd videlicet pro pullorum incolumitate non tantùm alis, rostroque acriter dimicet, verùm etiam, quod stupendum, & maximè mirum est, in ignem sese conjiciat. Audite ejus verba: *Femora etiam, quod vultur facere perhibetur, vellicare, ut excusso sanguine filii pascantur, magni est cruciatus, sed etiam in adeò penetrabiles furentis ignis ardores se injicere, eaque perseverantia tam cruciabili tormento torreri super quam excogitari possit, admirandum.* Et in hoc amoris ardore cunctis illum animalibus longo intervallo præeminere constanter asseverat. *Quodnam enim animal*, inquit, *tam fatuum, tam stupefacto sensu inveniemus, quod ad unius prunæ tactum non è vestigio resiliat? quod adeò robustum atque impavidum, ut accensam non expavescat flammam? animosi atque imperterriti ante omnia animantia leones, illi tamen statim ad præ[s]entæ faculæ aspectum consternuntur, præque timore propemodum examinantur. Videt Pellicanus ignem, cujus non ignorat vehementiam audacter accedit, ardorem in membra singula intolerabili cruciatu penetrantem sentit, neque loco dimovetur, exuritur pœnè tota, neque tantillum quidem consternatur, patientissimaque constantiæ vigens, saluti filiorum intenta potiùs, quàm suæ, mortis genere atrocissimo conficitur. Tanta in eo charitas, tantus amor, tanta vis pietatis elucescit.*

Pier. lib. 20.

Experientia quoque docet, quod ciconiæ tanto erga parentes suos ferantur affectu, ut senes & ad volandum incapaces ac imbecilles alis suis superponant, & sic ultra mare rubrum transportent. De porcis commemorat eruditissimus scriptor Plinius illos talis esse naturæ, ut, si porcus quidam angustietur, verberibusque concutiatur, cæteri grunnitu suo concitati, & quasi commiserationis admoniti, illicò horribiliter grunniunt. Hujus porcorum proprietatis reminiscentes olim Romani, formidabilem quemdam serpentem, quem nec astu, nec armis enecare, & superare poterant hoc subtili stratagemate devicerunt! porcum in prædam ac escam huic serpenti obviam miserunt, qui ferali ab eo tactus ictu tam tremendum edidit grunnitum, ut eo ingens porcorum grex ad rabiem & vindictam excitatus in colubrum furiosè insilierit, & justam de socio usque ad necem ultionem sumpserit.

Vel ex hoc prædictorum animantium pietate ô Christiani! discite laudabilem erga vestros consanguineos jam defunctos charitatem. Ecce miseræ hæ animæ in rigoriosæ justitiæ retia inciderunt, crudelibus ignis flammis acerbissimè torrentur. In puteum profundum horribilis istius carceris purgatorii dilapsæ sunt, & cunctis sese elevandi destitutæ sunt viribus, ac proinde possunt cum Psalmista dicere, infixæ sumus limo, & non est substantia. Extensis manibus manum vestram implorant adjutricem. Sed heu! mundus surdis plenus est inquit S. Hieronymus: *Clamant quotidie, qui jacent in tormentis, clamant, & pauci sunt, qui respondent* (sanè ipsismet irrationalibus animalibus immaniores: *Vlulant, & non est, qui consoletur eos.* Ecce uxor clamat ad maritum, maritus ad uxorem, ubi nunc ille amor, qui in vivis adeò vigebat, delitescit? heu! heu! ut video penitùs evanuit. Ecce quem amas graviter infirmatur, non levibus sanè opprimitur tormentis, sed mordacibus expetitur flammis. Ubi illa, quæ mihi tanto cum affectu in minimo morbo & afflictione exhibebas obsequia? Ah! modò corpus non patitur, sed anima intolerabili igne aduritur: subveni precor miseræ. Et sic filius ad patrem, filia ad matrem, soror ad fratrem, frater ad sororem, consanguineus ad consanguineum vociferantur dicentes: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, &c.*

Eja itaque Christiane succurre, succurre velociter. Non opus est, ut adinstar pellicani tuam demonstres pietatem, ut in easdem te conjicias pœnas & flammas, non necessarium est, ut adinstar pii Æneæ patrem aut consanguineum cum tanto vitæ tuæ discrimine ab igne liberes. Hoc unicum sufficit, ut salutarem, quam pater Tobias filio suo inculcavit, sequamini admonitionem. *Panem, & vinum tuum super sepultu-* *Tob. cap. 4. v. 18.*

ram justi constitue. Annotate curiosi: non loquitur de pane materiali Tobias, quo sustentatur corpus, nec de potu, quo refocillatur lingua, sed de pretioso Christi Domini corpore sub specie panis contento, & infiniti pretii liquore, videlicet sanguine illius sub specie vini verè & realiter latitante, quo spiritualiter saginatur anima, & in ardentibus flammis refrigeratur; hunc homo cælestem panem piè & in Domino defunctis præbe, hunc potum iis subministra. Famelici sunt, quia anhelant in regno Dei pane vivo, & æterno saturari. Sitibundi sunt, quia, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima eorum ad Deum vivum. Offer itaque pro mortuis fidelibus sacrosanctum illud Missæ sacrificium, cujus virtute, & efficaciâ animæ istæ infallibiliter è purgatorio extrahuntur. Est namque (ut dixi) *Sacramentum sursùm ferens.*

Verùm paulisper prolixiùs tanti sacrificii stupendam manifestemus potentiam. Quod, ut aptè exequamur, non absonum erit, nec à præsenti proposito devium, curiosam sancti Chrysostomi animadvertere speculationem, is inter quàm plurimas, quæ in altissimo Missæ sacrificio fiunt mysteriosas ceremonias, hanc, ut mirabilem annotat. Nimirum, quod sacerdos hostiam consecratam, quam immediatè post consecrationis actum integram æterno patri offert, paulò post in tres partes dividat. Quarum tertiam in calicem cadere finit. Cujus sanè mysterii sub hac mirabili ceremonia sublitescentis, ne mica quidem rationis apparet.

Quam, ut expiscemur, in mente revocandum, est id, quod narrat Anastasius Nicenus quæst. 38. miram asserit hic lapidarios in Scythia adinvenisse, sese gemmis ditandi, industriam. In hac vasta regione, inquit, reperitur valde lata, ac profunda abyssus, illaque est altissimis undequaque montibus circumdata, & quidem usque ad summum apicem inaccessibilibus. Et sic in eam abyssum descensus quasi est impossibilis; hanc Scythiæ incolæ considerantes difficultatem, modum descendendi dudum inquisiêre, tentaruntque per anfracta, rupes, & carybdes viam sternere. Ast in vanum, ratio autem tantæ industriæ, laboris, & studii proprium erat emolumentum. Quoniam in ea pretiosi in magna copia generabantur uniones, excellentes margaritæ, lapidesque magni valoris. Quarum divitiarum Scythæ avidi, tandem mirum adinvenerunt stratagema. Excoriarunt tenellos agniculos eosque tam leviter assarunt, ut adhuc viscosi permanerent; illos jecerunt in profundam abyssum, ut pretiosis lapidibus coagulentur, & quasi cum margaritis uniantur: non ignari, aquilas odore carnium attractas ad illam escam descensuras. Quas, cum sciant, in nulla abysso pasci, ac refici, sed ex naturali instinctu, & motivo (ut attestatur doctissimus Plinius) in altum pascui gratiâ evolare: argumentantur, illas sursum agniculos deportaturas ad montes, in quibus Scythæ, jam iis devoratis, adhærentium teneræ isti carni unionum prædam recipiunt pretiosam. Audite præfati authoris verba: *Cum agnū excoriaverunt, leviter assant, & desuper eum jaciunt ex rupibus in Chaos fossæ. In illis autem carnibus conglutinantur lapides: aquilæ autem descendunt ad odorem carnium, & sursùm ferunt agnos habentes lapides. Inter commedendum autem Carnes, lapides manent in vertice montis.*

Non adeò, ut credo, quispiam de miro illo Scytharum stratagemate, & singulari eorum industria, quam forsitan de mea ad præsens institutum admirabitur applicatione, quæ est hæc. Profunda illa abyssus est purgatorium, montes illam circumcingentes divinam denotant justitiam, juxta illud Psalmistæ dictum, *Iustitia tua sicut montes Dei.* Pretiosi uniones optimè designant animas (quas Christus tanto sanguinis tui pretio in trabe crucis sibi comparavit) in profundam purgatorii abyssum miserè dilapsas. Ad hanc nemini concessum est descendere, ut afflictis porrigere quis queat sublevantem manum, & è tot tormentis eripere. Quo itaque utemur stratagemate, quod adinveniemus remedium, ut iis aliquod conferamus subsidium & solatium? ah Christiani arripiamus immaculatum agnum Christum, id est utamur virtute, & efficacia hujus sanguinis & corporis, jubentes hoc, & illum sub speciebus sacramentalibus panis & vini in sacrosancto Missæ sacrificio animabus in crudeli hoc carcere detentis per sacerdotem applicari. Et tum pretiosæ istæ margaritæ, animæ justæ huic immaculato agniculo tenaciter adhærebunt, venientque generosæ aquilæ, cælestes nimirùm spiritus, odore tam suavis holocausti attracti, & eas ad apicem deducent montis excelsi Jerusalem, prout cantat Ecclesia: *Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam* Ut his itaque quasi ditetur Christus, carnem suam dedit, & sanguinem, instituitq; mysteriosum, & absconditum à sæculo sacrificium, ut ejus virtute atque suavitate ad æternam purgandæ animæ eleventur gloriam.

Psal. 35. v. 7.

Ex

Ex hoc nunc ratio elucescit, quare in tres partes sacerdos consecratam dividat hostiam. Quandoquidem enim victima hæc in honorem sanctissimæ Trinitatis, Sanctorum, & totius curiæ triumphantis gloriam offeratur, & in vivorum salutem, bina his duobus attribuitur portio. Tertia verò mortuis applicatur, ac in Calicem, & quasi in purgatorium dimittitur pro eorum restantium noxarum expiatione. Sic apposite sentit S. Chrysostomus sermone 27. in quadrag. *Tres partes hostiæ fiunt à sacerdote in altari. Prima ad designandum, quod hoc sacrificium offeratur ad honorem Dei, & Sanctorum in Cælo. Secunda ad salutem viventium. Tertia, quæ in calicem mergitur, ad liberationem purgantium in purgatorio.*

Et ex hoc denuò deducitur Missæ sacrificium, ad animas defunctorum flammis ignis cruciatas adjuvandas, fore medelam efficacissimam. Quoniam cùm valor infinitus sit, & pretium inæstimabile, neque à dignitate offerentis, & sacrificantis ullo modo dependeat, sed *ex opere operato* suum necessariò conferat effectum: consequens est, ut & solamen infinitæ existat virtutis. O mira sanè Christi dignatio! ô ineffabilis Charitas! ecce non sufficit amanti Domino carnem cruci tradere, sanguinem effundere in humani generis redemptionem, & rigorosam divinæ justitiæ satisfactionem, sed etiam, ut nobiscum maneret in consummationem sæculi, se sumendum dedit sub sacramentalibus speciebus in animæ salutem, illumque offerendum mandavit in securum animarum in tetro purgatorii antro commorantium solatium. Hoc dum perpendo, nonne Christe licet mihi exclamare: quàm copiosa apud te redemptio! sane meritò. Et, quid ni & tu Ecclesiæ charæ sponsæ tuæ posses dicere illud, quod olim Isaac filio Esau: *Pane & vino stabilivi te, quid ultrà vis, ut tibi faciam?* Sed heu! quantò major est tua, ô Christe pietas, tantò major hominum est crudelitas. Sanctissimum tuum vituperant, contemnunt, conculcant remedium. Et proh dolor! indies hæc ingravescit. Moritur pater, moritur mater, moritur filius, moritur filia, funeralia negliguntur. Corpori providetur, terræ mandatur: cura verò animæ (ut quotidianâ experientiâ addiscimus) imprudenter prætermittitur. O crudeles! ô ingrati.

Audivi quandoque ad hoc quemdam respondentem filium. Quod parentum exequias secundùm eorum conditionem, & qualitatem celebrari non curem, mirum non est. Ipsi mihi ad hoc sufficientia non reliquêre media, & vix aliquid superest, quo ipsis justa persolvantur. At, ut videamus, si æquum & rationabile illud sit responsum, eum sincerè interrogo. O fili, supersuntne tibi in particulari quædam divitiæ, ut debitum parentibus funeralium exhibeas officium? imò inquis. Verùm has non vi hæreditatis paternæ, aut maternæ recepi, sed sudore, labore, summaque industria mihi comparavi. Transeat, sit ita, ut dicis. Insto ego, & denuò peto. Si pater tuus ô fili modò adhuc viveret, & penuriam ac inediam pateretur. Nonne non tantùm ex filiali affectu & amore, sed etiam ex stricta justitia, corporali ejus necessitati subvenire tenereris? indubiè assentiri debes, nisi Platonicæ contumaciter obsistere velis doctrinæ. Sic enim ait Plato: *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ulli consulet.* E quo hoc legitimum conficio argumentum, filii strictiori jure, urgentiori, ac graviori parentum tenentur succurrere necessitati: atqui urgentior, ac gravior animæ, quàm corporis est necessitas: ergo strictiori jure tenentur filii parentum animæ, quàm corporis succurrere necessitati. Summæ itaque crudelitatis, quid ni dicam & injustitiæ, infamem incurritis filii notam, dum etiam ex propriis bonis genitoribus vestris debitum denegatis patrocinium. Ipsi namque vobis esse dederunt, sine quo similes divitias non possetis acquirere. Ipsi vos suâ industriâ, & labore ad virilem deduxerunt ætatem, bona sua ad vos scientiâ & doctrina imbuendos insumpsêre; & modò eos omni plane subsidio destitutos turpiter negligitis?

O sævi, ô ingrati filii! ecce, si occasio sese minima offerat, ut luxui, voluptatibus, & mundanis illecebris serviatur; si convivia opipara præparanda, si lautæ mensæ sint instruendæ, scrinia aperiuntur, pecuniæ in promptu sunt, nummi non sunt quærendi. Verùm, si de sacris, aut funeralibus pro parentibus celebrandis agatur, summa penuria, egestas, ampla familia, plurimi necessarii sumptus ad prolem alendam prætexantur. Ah! quàm congruè vobis potest sibi mortuus appropriare illud Prophetæ Amos dictum: *Qui dormitis* Amos c. 6.
in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Qui v. 4. v. 6.
comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Bibentes in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil compatiebantur super contritione Ioseph. Vos in deliciis & inanibus jocis divitiis vestris luxuriosè abutimini: eas consumitis inutiliter in illecebris mundi, & voluptatibus carnalibus: & quod detestandum est, miseri Joseph, patris, aut

matris in purgatorii cisterna summa laborantis penuria, non reminiscimini. Nec attenditis ad luctuosum vociferantis clamorem: *Miseremini mei saltèm vos amici mei*, vos filii mei. Nec cessant intonare. *Ecce quem amas infirmatur.* Ita, ut cum Propheta Davide rectè dicere possit miser parens: *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: de-*
Psal. 68. v. 4. *fecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* O filii perpendite diligenter, eos sæpè sæpiùs propter vos (ut suprà admonui) in his sævis tormentis detineri Et non ambigo, quin tam execrandam exuentes crudelitatem, filialem induetis pietatem atq; mansuetudinem.

Mirificam refert sacra scriptura regis Davidis erga Miphiboseth Saulis filium misericordiam, & pietatem. Is namque prostrato ad internecionem à Philistæis Saulis exercitu, eoque occiso à quodam Amalechita, ad se Sibam servum familiæ Saulis accersiri mandavit, ut ab eo inquireret, num quispiam è stirpe regia superstes remansisset filius, ut habetur 2. Regum cap. 9. *Et dixi ei rex:*
Vers. 3. v. 5. & 6. *numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? dixitque Siba regi: Superest filius Ionathæ debilis pedibus.* Quo intellecto, eum rex ad suum palatium deduci jussit. *Misit ergò rex David, & tulit eum de domo Machir.* Cumque ipse in conspectum regis venisset, blandè, & benevolè eum est allocutus, dicens: *Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, & tu comedes panem in mensa mea semper.* Verùm quid mysterii continet, quod David Miphiboseth claudum mensæ suæ adhibuerit? solent enim reges monstruosos, & defectibus corporalibus laborantes à mensa sua arcere. Perlegite obsecro auditores cap. 4 præcitati libri, & comperietis illum ratione Davidis claudum effectum fuisse, tum scilicet, cum patris illius Jonathæ, & avi Saulis mortis ad nutricis Miphiboseth quinquennis aures devenisset rumor; ipsa namque totaliter tam inopinato nuntio consternata, illicò fugam arri-
2. Reg. c. 4 v. 4. puit, timens Davidis adventum. *Cumque festinaret, ut fugeret, cecidit, & claudus factus est.* Et ideò cum eo misericordiam fecit David, mensamque suam obtulit. O filii! ô filiæ! parentes vestri ratione vestrûm plerumque purgatorii æstu torrentur, & claudi, atque è lacu hoc surgendi impotentes effecti sunt. Facite absque mora iis misericordiam, & ad instar Davidis Miphiboseth, ipsis mensam exhibete Eucharisticam: offerte pro eis carnem, & sanguinem Domini: ponite panem, & vinum super sepulturam parentum, ut hujus

virtute, ac efficaciâ mundati, è tenebris ad lucem evehantur inaccessibilem. *Hoc namque est Sacramentum sursùm ferens.*

Obstupefactus sæpissimè hæsi, dum mente pervolvi mysteriosam sacerdotis pro fidelibus animabus defunctis sacrosanctum Missæ sacrificium Deo immolantis, in offertorio ad eum deprecationem. Ipse namque inter cætera verba etiam hæc profert, *Ne cadant in obscurum:* Rogitatque, ne animæ in purgatorio commorantes in tenebras & obscurum cadant, sed ut mereantur à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci. Quod mihi summum ingerit stuporem. Etenim peto: vel illæ animæ, quæ nondum, ut æterna perfruantur quiete, ac tranquillitate, plenè & sufficienter sunt purgatæ, in obscuro detinentur, vel non? dices indubiè, quod sic. Urgeo ergò: si verè in obscuro sint, & realiter purgatorii pœnas patiantur: quomodo precatur sacerdos Deum, ne illæ in obscurum & pœnas cadant? quoniam casus in aliquem locum præsupponit cadentis ab eo absentiam, ut per se patet. Qui enim in fovea est, in illam incidere nequit.

Hanc difficultatem, quæ tamquam levis sanè minimè est contemnenda, dissolvemus ex gravissima Divi Hieronymi authoritate, citati à Paulo Quinto in concessione Missæ pro defunctis. Qui piè & firmiter opinatur sacrificium Missæ tanti fore valoris, ac efficaciæ, ut anima, pro qua illud offertur, toto tempore, quo durat, nulla flammarum tormenta patiatur, & sentiat: sed hoc efficacissimo Sacramento sursùm feratur, libera à pœnis suspendatur, & ex iis quasi eripiatur. Verba ejus sunt: *Animæ, quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet sacerdos in Missa orare: interim nullum tormentum sustinent, dum Missa celebratur.* Rogat itaque prædictis verbis sacerdos, *Ne cadant in obscurum,* ne animæ istæ, quæ jam vi, & virtute præsentis incruenti sacrificii quasi à voracibus ignibus liberæ detinentur, rursus in eos recidant. Et Dominum deprecatur, ut illud admirabile sacramentum iis ad plenariam omnis noxæ expiationem, & rigorosam pro delictis satisfactionem deserviat.

O incomprehensibilis Missæ efficacia! ô stupenda immaculati agni immolationis virtus! qua edacis ignis enervatur summa activitas & potentia. Eia itaque fideles vinum, & panem Eucharisticum, super sepulturam justorum ponite. O filii, si parentes gravi afflictos infirmitate videretis, nonne conaremini iis omni modo aliquod

conferre refrigerium? ecce ipsi miris exagitantur flammarum suppliciis, accurrite celeres, & estote ipsis solatio, offerte hoc sacrificium, cujus vi, saltem illius tempore ab iis liberantur.

Celeberrimus author Hugo Victorinus sæpè sæpiùs admiratus fuit stupendum à quibusdam adinventum stratagema, ut gemmas, uniones, & margaritas in profundo maris delitescentes, commodè possint expiscari. Hi non ignari pretiosæ petræ, nomine Agath, hanc à natura inditam esse proprietatem, & virtutem, ut solo attactu margaritas, & uniones ad se attrahat, eam funiculo alligatam in mare dimittunt, sicque illæ adhærentes Agathæ extrahuntur, iisque ditantur. Verba

Lib.3. de vestis c.17

Hugonis sunt : *Artifices alligant Agatham lapidem ad funiculum, & submittunt in mare. Agatha lapis ad margaritam statim unitur, assequentes funiculum extrahunt, simul cum margaritis. Non enim amplius movetur Agatha, dum margarita unita est.*

Nec id, ut quispiam fortè opinari posset, fabulosum sonat. Experientia namque constat evidentissima, pari virtute Magnetem ferrum, & Ambram paleam ad se attrahere. Hoc mirabile naturæ miraculum nostro appropriemus proposito, dicamusque Deum nostrum animarum hominum fore prudentem, & sagacem piscatorem : ac proinde suis sequacibus dixisse :

Matth.c. 4 v.19.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Agatham significare sacrosanctum Christi Domini corpus sub speciebus sacramentalibus constitutum, funiculum esse intentionem, & applicationem ministri Missæ sacrificii defunctis, qui pretiosam illam Agatham in profundum maris purgatorii dimittit, de quo ait Propheta David :

Psal. 68. v. 2.

Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum limo, & non est substantia. Et hujus Agathæ virtute pretiosa anima, tanto sudore & labore à Christo comparata, è mari extrahitur tribulationis, ac tormentorum ; ita ut modò neutiquam gloriari queat diabolus : *Quis extrahere poterit leviathan hamo.* Hamus quippe est divinitas, quâ anima à pœnis purgatorii liberatur, extrahitur, & in altum extollitur. Et hinc rursus ceremoniæ suprà tactæ genuina apparet ratio, cur tertia pars hostiæ consecratæ in calicem, id est in profundum purgatorii dimittatur. Videlicet, ut animæ illi unitæ ad cælestem perducantur patriam.

Mira admodum est proprietas, quam Plinius remoræ inditam esse asseverat. Hujus caro sale condita illius est virtutis, ut quodcumque aurum, quod in puteum etiam maximè profundum ceciderit, si illud attingat, in altum extrahat.

Lib.9.c.23

Hanc dicunt esse vim ejus asservatæ in sale, ut aurum, quod cecidit in altissimos puteos admota, extrahat. Liceat mihi denuò ô auditores naturæ hoc absconditum ad verum deducere sacramentum : dicaturque Christi Domini electos, quantumvis in purgatorio ipsi adhuc detineantur, purissimum esse aurum juxta illud Sapientis,

Sap. cap.3. v. 6.

Tamquam aurum in fornace probavit illos. Hi in profundum locum dilapsi sunt, & in aquis submersi tribulationis. Remora est immensa & increata illa sapientia Verbum æterni patris, quod incomprehensibiliter existens, seipsum exinanivit, & in parvo clausit corpore, mediante reali divinæ cum humana natura nexu. Hoc infinitæ Dei sapientiæ sal in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus panis & vini asservatum, si in lacum purgatorii dimittatur, defunctisque animabus applicetur, mirabili suâ virtute, adinstar remoræ aurum, illas ad se attrahit, & sursum elevat. Ita apposité docet sanctus Thomas Aquinas divinis hisce verbis tractans hunc Davidis locum : *Quoniam non derelinquis animam meam in inferno. Quod si aurum in puteum cadit, & caro Echini ori putei adhibeatur, aurum extrahit. Sic in proposito. Aurum sunt electi Dei, quod in puteum cecidit, cum anima justorum descenderunt in infernum, per Echinum potest accipi Christus, qui tamquam parvus pisciculus in hoc magno mari parvus conceptus est, os autem putei mors est, per quam in puteum patet descensus. Et ideò caro hujus pisciculi ori putei adhibita totum aurum, quod in puteum ceciderat, ad se attrahit, quia ipse dicit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Dimittite itaque Christiani carnem, & sanguinem Christi in lacum inferiorem, ut electi Dei, animæ Justorum purgatæ hujus efficaciâ ad cælestem extollantur gloriam. Estote memores laudabilis gentium consuetudinis, de qua commemorat doctissimus Plutarchus. Quod apud antiquos mos irrepserit, ut proximior amicus, aut consanguineus mortuo quodam è suis, teneretur cordis figuram defuncti sepulchro curare insculpi. Quo innuere prætendebant, cunctos sæpè sæpiùs debere ad locum cordis, & defunctorum sepulchra properare, pro iis sacrificia offerre, & amorem, quem viventibus ostendebant, etiam mortuis exhibere. O Christiane! tunc post obitum patris, matris, &c. cor tuum in signum amoris eorum sepulchris apponis? Sa-

crificia

crificia Miſſæ effers? eleëmoſynas in animarum indigentibus elargiris ſolatium? preces effundis? proh dolor! etiam tranſeuntes ſepulturæ monumenta, vix illis æternam apprecaris requiem. De qua duritie lamentatur cum Propheta Davide defunctus: *Oblivioni datus ſum ſicut mortuus à corde* Et rurſus: *Non dicebant, qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos.*

Sufficienter fateor ſtupendam ſacroſancti Miſſæ ſacrificii demonſtravi virtutem: quare finem præſenti diſcurſui, ne prolixior forem, lubens imponerem, niſi alia quædam in Miſſa uſurpata memoriæ occurreret ceremonia. Quæ tamquam myſterioſa, & moderno inſtituto apprimè deſerviens à S. Bonaventura curioſè obſervatur. Rogat hic, quare ſacerdos, conſecratione peracta, hoſtiam ſuper caput ſuum elevet, & in altum extollat? forſitan quiſpiam reſpondebit, eum idcirco id facere, ut Chriſtus, qui verè & realiter in hoc ſacramento continetur, populo ibidem præſenti adorandus exhibeatur: verum hæc reſponſio, quamvis non adeò abſona ſit, nodum jam tactæ difficultatis totaliter non diſſolvit. Etenim ad hoc præſtandum meliùs, convenientiùs, atque commodiùs ipſe celebrans tergum ad altare verteret, & faciem ad populum, ut ei conſecratam hoſtiam cultu latriæ honorandam manibus protenderet: ſic namque cuilibet manifeſtiùs eum intueri daretur.

Genuinam hujus rationem expiſcabimur ex parva, quam nobis Vorago refert, hiſtoriola, de certa aliqua vidua, cujus unicus filius ob quoddam delictum in carcerem conjectus erat. Illa, inquit ipſe, ob filii ſui captivitatem mœſta, & maximè anxia, quàm plurimis undequaque inquiſitis eum redimendi mediis, ſed in vanum, tandem ultimum ſuum ad Divam Virginem arripuit refugium, confidens potentiſſimâ hujus reginæ interceſſione eum à vinculis liberandum. Ad quem finem longo tempore ſacras ædes adiit, ſeſeque ad imaginem Deiparæ Mariæ proſternens, preces effudit, & lachrymas. Verùm ob nimiam libertatis filii moram tedio affecta mulier, & quaſi impatiens, annotavit ſculptam è ligno Virginis imaginem in brachiis tenellum geſtare infantulum, quo viſo, ſtatuit eum à matris amplexu, nullo conſcio, avellere, ut fecit: rationem hujus facti allegans hiſce verbis: *Ego tam diu apud me tenebo captivum filium tuum: quàm diu permittes, quod meus moretur inter manus inimicorum ſuorum.* Et ecce ſtupendum, quod contigit, *etenim diva virgo eâdem nocte in carcere juveni apparuit & januam aperiens, inde, ut exiret, præcepit.*

Verùm quænam quæſo eſt hæc vidua petit Sanctus Bonaventura. Ah! inquit rectè, & pi[illegible]ſerere poſſumus, hanc non alium, quàm ſa[illegible]tem repræſentare. Captivum verò ſignif[illegible]pioſam iſtarum animarum in purgatorio commorantium turbam. Ille namque dum manibus in altari Chriſtum in hoſtia conſecrata in altum elevat, atque patri æterno immolat, eum quaſi captivum ſub ſacramentalibus ſpeciebus detinet. Unde ei aptè appropriari poteſt illud Jeremiæ *Ecce in manibus veſtris ſum, quod bonum, & rectum vobis videtur in oculis veſtris, facite mihi.* Sacerdos itaque hoſtiam conſecratam ad cælum attollendo, cæleſti patri unigenitum oſtendit filium, & eum tacitè ſic interpellat. O pater cæli & terræ? certiſſimè ſcio te per divinam tuam juſtitiam tot hominum animas in miſerrimo illo purgatorii lacu à reſtantibus noxarum maculis diluendas, ac emundandas, captivas detinere: ecce ego quoque captivum in manibus meis habeo tuum filium, qui univerſo mundo, omnibuſque infinito valore præeminet creaturis. Teſtor, ego eum non dimittam, niſi pro hoc captivas purgatorii mihi tradideris, & dimiſeris animas. Hoc prætendit ſupradicta Eccleſiæ ceremonia. Audite denuò Sancti Bonaventuræ verba *Quæ major bonitas, quàm quod Chriſtus dignatur eſſe captivus, unde ſacerdos elevans hoſtiam dicit: ecce, quem totus mundus capere non poteſt, captivus noſter eſt, ergò eum non dimittamus, niſi paradiſum pro animabus purgatorii obtineamus.*

Ierem. c. 26. v. 14

Jure meritò igitur ex omnibus ante dictis concludere oportet, Miſſæ ſacrificium pro animarum refrigerio efficaciſſimum exiſtere remedium. Quod, cum ità ſit, aperite fideles Chriſtiani oculos pietatis: & vos præcipuè filii, & filiæ, ac conſanguinei ad lachrymabilem parentum clamorem *Miſeremini mei, &c.* Aures veſtras erigite; certiſſimè ſcientes, quod, per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur. Quocirca, ſi animas defunctorum tuorum negligas, quod & tua à tuis negligetur. Secùs verò, ſi eorum exactam adhibueris curam, tuæ quoque ſatagent ſalutis ſucceſſores.

Numquam annotaſtis ſacræ Scripturæ lectores id, quod contigit Deuteronomii capite 34. Ecce ultimum ſubit fatum fideliſſimus Domini ſervus Propheta Moyſes, & illicò Deus ipſe corpus illius terræ mandandi ſpecialem ſibi ipſi curam aſſumpſit: *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Do-*

mini, in terra Moab jubente Domino: & sepelivit eum in valle Moab jubente Domino: & sepelivit eum in valle Moab contra Phogor. Quod maximè stupendum est. Quoniam quæ tantæ Moysen sepe[illegible]i curæ legitima potest adduci ratio? alii P[illegible] Abraham, Isaac, Jacob, &c. Moriuntur, nec Deus de eorum sepultura particulariter quidquam statuit; quare itaque de solo Moysis corpore divina sapientia disponit? respondent quidam Deum hoc opus specialiter perfecisse, ne sepulturæ ipsius locus Israelitis innotesceret, & forsitan ab iis idololatriæ deditis, admirabilibus ejus in memoriam revocatis, ut Deus coleretur, ideoque signate annotasse scripturam. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* Sed hanc rationem quamvis non rejiciam, aliam tamen magis moderno proposito congruam producam.

Pro qua advertendum est in vita Moysis, ipsum singularem mortui Joseph ossium habuisse curam teste scriptura Exodi cap. 13. *Tulit quoque ossa Ioseph secum: eò quòd adjurasset filio Israel dicens, visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* Ubi alii divitiis inhiantes illa neglexere, ac argentea, ac aurea vasa arripuêre transportanda, ut constat ex c. 12. Exodi. *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: & spoliaverunt Ægyptios.* In præmium itaque tam sedulæ pro defuncto diligentiæ, Deus quoque mortui Moysis curam gessit. Ut cunctis fidelibus inculcaret, quantùm eximius hic Charitatis actus divinis oculis arrideat. Si itaque ô Christiani desideretis, ut vestrûm post mortem recordentur filii & consanguinei: vos quoque parentum, & consanguineorum defunctorum reminiscentiam tenaciter tenete, & constituite suprà eorum sepulturam panem, & vinum, id est offerte in sacrosancto Missæ sacrificio pro iis immaculatum Christi Corpus, atque pretiosum sanguinem, ut vobis & posteri vicissim faciant, parque obsequium præstent: ut tandem cuncti post fatum hoc salutifero cibo pasti, & tam suavi potu refrigerati è tormentis purgatorii ad æternam avolare queant beatitudinem, quam mihi & vobis omnibus concedat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

DOMINICA PASSIONIS

Si veritatem dico, quare non creditis mihi. Joan. cap. 8.

IN confesso est apud omnes, experientia comprobat, sacra Scriptura & SS. PP. attestantur, peccatorem insatiabili & irreparabili odio persequi virum justum, vitiumque, ut lux tenebras, fugare virtutem, eamque execrandâ pertinaciâ insectari. Patuit in perfido Caino fratricida, qui innocentem uterini fratris Abelis sanguinem terræ potandum præbuit, non cogitans, quod ille, ad justum Dei tribunal æquam quandoque exigeret vindictam, Genes. c. 4. v. 8. *Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abelem, & interfecit eum.* Patuit in justo Joseph, quem mordaciter execrati sunt impii fratres. *Oderant*
Gen. c. 37. v. 4. *eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Imò eò devenêre temeritatis, quid ni dicam, & crudelitatis,
Vers. 28. ac ad tantam deducti sunt ex mera malitia rabiem: ut eum in vile mancipium Ismaelitis vendiderint. *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus: extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.* Non attendentes ad ingentem absque dubio futurum patris luctum. Verùm quodnam tantæ iniquitati execrandum exstitit fomentum? heu nuda veritas, uti Scriptura apertè satis indicat: *Accusavitque fratres suos apud patrem de crimine pessimo* Idipsum nec diffitetur Propheta David, sed asseveranter eandem comprobat veritatem dicens Psal. 30. *Considerat peccator justum, &* Psal. 30.
quærit mortificare eum. Patri concinit sapiens fi- v. 2.
lius: *Contrà bonum malum est, & contra mortẽ vi-* Eccli. c. 33.
ta, sic etiam contra virũ justum peccator. Imò adeò v. 15.
immanis ac Barbara inter pium & impium intercedit antipatia, ut S. Chrysostomus audeat in hæc verba prorumpere: *Ut neque lupus agnum, aut ha-* Chrys. in
dum tygris, ita nec peccator justum. Nec id minimè Gen. c. 23.
mirandum est, inquit S. Leo: *Iniquitas cum justitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla cum veritate concordia.* Cui rursus assentitur Chrysostomus: *Semper etiam contra virtutem insanit malitia.* Unde impius, si in pio ac morigero quodam intueatur radiantes virtutes, stellas,

aut fulgentes in anima justi comperiat variarum perfectionum gemmas, illas velut cæcutiens bubo inspicit, vel si verè earum lumen oculi subterfugere nequeant: falsitatis larvâ obnubilare, imò & convitiis atque iniquis detractionibus quasi annihilare student.

Hæc irrefragabilis doctrina, quæ, ut talis à cunctis admittitur, etiam ab ethnico Platone dicente: *Virtus, & vitium eamdem sedem occupare nequeunt*; acriter instigavit doctissimos celeberrimæ Atheniensis Academiæ moderatores, ad indagandum quænam virtus ab hominum nequitia vehementiores pateretur insultus, & fortiùs conquateretur. Pro cujus resolutione congregatus fuit Academicorum cætus, propositaque quæstio. Verùm, sicut diversi, & varii exstitêre genii, sic in diversas & varias abjere sententias. Quidam eam autumabant fore virtutem paupertatis: neque absque solido fundamento: ipsa quippè à sua inimica avaritia (quæ mundanorum bonorum tenaciter ambit affluentiam) adeò diris agitatur stimulis, ut cuncti hujus mundi homines illam, tamquam pestiferum malum aversentur, & insano impulsu, atque cæco auri amore attracti, divitias incessanter aucupentur; imò eas, ut Deum suum adorent juxtà veridicum illud Oseæ Prophetæ testimonium: *Aurum suum fecerunt sibi idola.* Et rursùs cap. 12. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Alii maximam persecutionem adscripsere humilitati, quæ à capitali suo hoste superbia, secum in campo trahente perniciosas asseclas ambitionem, vanam gloriam, internum fastum, &c. Acerrimè oppugnatur. Alteri statuêre præclaram virtutem mansuetudinis quæ furiosis vindicativi animi insultibus, vix est resistendo. Imò sæpè sæpiùs acutis vindictæ telis miserè succumbit, fateor cunctæ hæ opiniones non fragili innituntur basi. Attamen ultimus (judicio meo salvo meliori) palmam præ cæteris reportavit. Qui mordicùs sustinuit, eam fore veritatem. Nulla namque virtus tam nequiter, & astutè impetitur, quàm illa. Est omnibus invisa, odiosa, abominabilis, eamque in tantum execrantur homines, ut tritum illud promiscuè invaluerit adagium: *Veritas odium parit.*

Oseæ c. 8. v. 4. Cap. 12. v. 8.

Istud ad oculum patet in hodierno Evangelio. Ecce Christus Dominus Pharisæis & Scribis nudàm prædicat veritatem. Prognosticat ipsis luctuosum Catastrophe: *Dixi ergò vobis, quia moriemini in peccatis vestris.* Advenisse attestatur tempus illud desiderabile, ad quod tàm anxiè in limbo detenti anhelârant Sancti Prophetæ & Patriarchæ: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Ipsi verò nullam Christi dictis adhibuerunt fidem, ut ipse testatur: *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* imò quod pejus est, in eum adeò stomachati sunt, & excanduere, ut ad blasphemiam conversi clamarint: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* & cum mansuetus Christus eorum falsitatem, & calumniam suaviter reprehenderet: *Ego dæmonium non habeo*, veritatemque luculentiùs demonstrare vellet, in ipsum furibundi insurrexere, & non potentes veridicam sustinere linguam, ipsi necem intentarunt violentam: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Sicque apprimè comprobarunt vetus proverbium, *Veritas odium parit.* Patet ex vers. 40. *Nunc autem quæritis me interficere: hominem, qui vobis veritatem locutus sum.* Quod Pharisaicum vitium, quod juratum in veritatem odium, quandoquidem ad depravatum hoc usque serpserit ævum, proposui in hodierno discursu miseram veritatis sub falsitatis jugo jacentis servitutem, ejusque infame ex hoc mundo deplorare exilium. Quod antequam aggrediar, necessariam per benignum Mariæ Virginis auxilium unanimiter imploremus Spiritus Sancti gratiam, encomiantes eam Angelico elogio, Ave gratia plena.

Ioan. c. 8. v. 24. — Vers. 5. 6. — Vers. 48. — Vers. 59.

Si veritatem dico vobis, quare non Creditis mihi.

DOctissimus quidam Atheniensis facultatis Academicus, solidum asserti sui de veritate *Veritas exulat*, volens demonstrare fundamentum, emblema quoddam, quo cujuscumque contrariæ opinionis ratio succumberet, emblemaque alterius celebris Philosophi de veritatis triumpho penitùs corrueret, ingeniosum effinxit emblema. Quod antequàm proponam, alterius emblema opus est notum facere. Ille hieroglyphicè tentans mirificam exprimere veritatis potentiam, atque eminentiam, artificiosè in rasa tabula depingi curavit venustam quandam virginem, vivis adornatam coloribus, dextrâ manu gladium evaginatum tenentem, leva mundi globum sustentantem. Insidebat illa triumphans majestuoso regali throno, eamque supplices venerabantur, ac adorabant, non tantùm reges, & mundi principes, verùm etiam cujuscumque sexus, & status homines. Emblemati ingeniosa apposita erat epi-

epigraphes ex capite quarto Esdræ lib. 3. eruta. *Omnis terra veritatem odit.*

Huic suum ipse opposuit emblema, in quo à perito artifice delineata visebatur misera puella repræsentans *Veritatem*, quæ totaliter deformis, squallida, exæsa, & è debito, ab infernalibus furiis odio, ac falsitate, solio deturbata, & expulsa, in terra procumbebat. Qua injuria necdum satiatæ juratæ illius inimicæ, eam pedibus ignominiosè conculcabant, & de loco ad locum crudeliter deturbabant. Et tandem ferreis alligata catenis ducebatur in triumphum. Quo peracto falsitas tamquam mundi regina regalem thronum ascendit. Pro emblematico dicto tabulæ inscripta erant hæc verba: *Falsitas regnat, veritas exulat.* Quam epigraphen apprimè comprobat Augustinus dicens: *Noli quærere* (secundùm mundum loquitur) *Quid sit veritas, statim enim se opponunt caligines imaginum temporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum diceretur veritas.*

Aug. lib. 8. de Trinitate cap. 2.

Jam dicti emblematis soliditatem atque veritatem, heu quot experti sunt sanctissimi viri! in veridicum testem prodeat ille, quo nemo sanctior Christi testimonio Joannes Baptista: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ.* Dicat ipse, cur innocens vinculis constrictus, in carcerem conjectus, ac diræ morti sit adjudicatus. Ah fetalis ille ensis, qui sanctissimum Joannis demessuit caput, odiosa fuit Herodiadi veritas. Ille Herodis regis infamem reprehendebat incestum, & scandalosum condemnabat adulterium; ipsa verò veritatem non sustinens, prima data opportunitate per filiam injustum deposcebat supplicium. *Pete in disco caput Ioannis Baptistæ.* Ipse clamabat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui,* illa vociferabatur, *da mihi caput Ioannis.* Cui petitioni annuente Herode, miserè in carcere interiit: *Ob nullam,* inquit: *Euthymius aliam causam missus est in carcerem, nisi quia veritatem prædicabat: & qui veritatem jugulare non potuit, præconem jugulat veritatis.* Quia, ut rectè ait doctissimus Tertullianus: *Veritas oppugnari potest, vinci non potest.*

Matt. c. 11. v. 11.

Præcursore suo adhuc pejus invisæ veritatis promulgatæ sensit damnum pius Dominus Jesus Christus. Ipsum namque perfidi Judæi, Scribæ, & Pharisæi, non obstantibus ejus miraculis, totque portentis, ad mortem quæsiverunt, & ad congruum adinveniendum modum, consilium inierunt. Verùm propter quod motivum? ecce cæcos fecit videre, claudos ambulare, leprosos mundavit, mortuos resuscitavit, infirmis pristinam restituit sanitatem: quid ergò in iis tantam concitat rabiem, ut pertinaciter in necem illius conspirent? ah jugulum Christi nuda fuit veritas, ipsa essentiali veritate teste. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Id quod fuerat dudùm ante vaticinatus Sapiens: *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.*

Ioan. c. 7. v. 7.
Sap. cap. 2. v. 12.

Si itaque interrogaretur Christus: ô pie Domine! quis crudelem armatæ manus tibi incussit alapam? quid respondere posset, nisi *Veritas*? testis sit Evangelista Matthæus, qui ait, inquirenti veritatem Caiphæ: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei,* Christum respondisse: *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem ad dextram virtutis Dei.* Et heu! intellectâ veritate, iniquus furore accensus est Pontifex: *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit, &c.* Et illicò adstantium ad veritatem persequendam exarmantur manus: *Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmam in faciem ejus dederunt, dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.* Quibus detestandis peractis improperiis, ulterius insanus rabidorum Judæorum progreditur furor. Pravoque inito consilio, in innocentis mortem protervè conspirant. Quapropter: *Vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.* Sed quid in tantùm inquam, eorum in mitem Jesum excitavit rabiem? quid ferocium istorum leonum, voraces dentes adeò exacuit, ut agnum sine macula deglutire non formidarint?

Matth. c. 26. v. 63. 64. 65. 67. 68.
Matth. c. 27. v. 2.

Ah! non vereor dicere, sævus Jesu tortor nuda extitit veritas. Meminerant Pharisæi, & Scribæ divinum hunc magistrum, ac veracem Doctorem eos acriter increpasse, admonuisse, atque sæpè sæpius ipsis improperasse legum suarum transgressionem, atque varias iniquitates. Menti ipsorum adhuc vivaciter inhærebat justa illius vindicta, dum zelosus paternæ domus, ejecit vendentes & ementes è templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, in tantam invehens impietatem. *Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Recordabantur apprimè mordacis Christi responsi, quod ipsis conquerentibus: *Quare discipuli tui trans-*

Matth. c. 21. v. 13.
Matt. c. 15. v. 3. 4. 5.

transgrediuntur traditionem seniorum? dederat, dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* in quos, ut urgentius insurgeret: ad particularem descendit legem: *Nam Deus dixit honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.*
Vers. 6. *Vos autem,* huic Dei præcepto refractarii) *dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri munus quodcumque ex me est, tibi proderit. Et non honorificabit patrem suum: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Adhuc altâ mente retinebant acerbam in scelera eorum, sed justam, & veridicam invectivam:
Matt. c. 23 v. 14. 15. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.* Ob hæc & similia in eos veritatis dicteria furiosi in Jesum debacchantur, clamantque? *Circumveniamus justum, quia improperat nobis peccata legis.* Morte turpissimâ condemnemus mordacem invisæ nobis veritatis præconem. Nunc, nunc opportunam nanciscimur occasionem. Videamus, si quis potens sit eum manibus nostris eripere.

O piissime Jesu! ecce *Veritas* te vinculis tradidit, *Veritas* te ad Pilatum iniquum judicem adduxit: Ipsa, ipsa est, quæ tenerrimum tuum corpus columnæ alligavit, illud diris flagris decerpsit, & ferreis ungulis dilaceravit: ipsa benedictum caput tuum spineâ coronâ insignivit, & crudeliter terebravit; ipsa immanes Judæos incitavit, ut infamis latro innocenti præponeretur Christo: ipsa furibundam plebem commovit, ut petente
Matth. c. 27. v. 12. Pilato: *Quem vultis vobis de duobus dimitti? exclamarit Barrabbam.* Cumque instaret Præses: *Quid igitur faciam de Iesu?* responderunt omnes: *Crucifigatur.* Rursus replicat, ac innocentiam Christi prætexat: *Quid enim mali fecit?* Ah! si ingenuè non eos puduisset ad quæsitum hoc respondere, sanè internum cordis sui pandere debuissent rancorem, & dicere; veritatem deprædicavit, disseminavit scelera nostra, & improperavit nobis legis peccata, idcircò gravis est nobis ad videndum. Hujus tantummodò criminis reus est.
Vers. 13. *Tolle, crucifige eum.* Sicque *Veritas* creatorem ad infamem crucis mortem condemnavit. Unde illi apposite potest appropriari illud Jeremiæ:
Cap. 12. v. 13. *Seminaverunt triticum* (verbum nimirum veritatis) *& spinas messuerunt.* Ipse namque per omnem Judææ regionem veritatem disseminavit, & spinas, & clavos, & flagella, & crucem messuit.

O Christe! quamvis tu infinita sis æterni Patris sapientia, attamen politicam hujus mundi ignorare videris regulam, quæ habet: *Si veritas nocet, tacenda, si prodest, promulganda est.* Profectò ille insanus habetur, qui cum vitæ propriæ discrimine, suoque veritatem manifestat incommodo. *Quare,* inquit Doctissimus Tiletanus, *Iudico illum insanire* (secundùm mundanam loquitur politiam) *qui sese veritatis nomine, vel amore exponat periculis vitæ suæ. Is potiùs sapere mihi videtur, qui vitam omnem, & actiones suas componit ad mores hujus sæculi, hominumque, quibuscum conversatur. Et siquidem veritati usquam locus sit, sectetur veritatem. Sin minùs, relicta veritate, mendacium honestatis saltem specie obductum amplectatur.* Et illam mundi doctrinam Christo proposuisse creditur Pilatus, dum ab eo (ubi immediatè ante, quodnam delegatum obeundum munus à Patre cælesti accepisset, rogaverat, responsumque audierat: *Ego in hoc natus sum,* *Ioan. c. 18.*
& ad hoc veni in mundum (*ut testimonium perhibeã* *v. 37.*
veritati) petiit, *quid est veritas?* quod ironicè, & contemptibiliter dixisse quidam autumant Pilatum, Christumque hâc interrogatione cum sua veritate irrisisse. *Vt sit quæstionis sententia,* inquit Tiletanus, *quid audio? tune ob hoc tantùm in mundo venisti, ut profitearis, & doceas veritatem? tu miserrimus mortalium omnium cum tua veritate. Prædica, lauda, promove, tuere veritatem, quantùm voles. Equidem ausim affirmare, ut plurimum tibi esuriendum, algendum, fugiendum fore de loco in locum, multumque miseriæ, & ignominiæ ferendum. Deniq; pereundum etiam cum tua veritate.* Quod rectè Christo evenit, qui propter eam cruci affixus est. Sicque in Pilato omnium hominum, inquit præfatus author intuemur imaginem. *Qui etsi veritatem probent, non ulteriùs probant, nisi quatenùs utilis est, & facit ad pacem, & felicitatem hujus sæculi. Interim verò mores hominum, quibuscum vivitur, sectandos esse. Cumque imposturæ, & mendacia ferè sint felicia, putant prudentiæ genus esse, ad veritatem, & substantiam dissimulare audacter, donec ditescas, vel rem facias, vel te extrahas è malo aliquo, in quod fortè cecidisti. Fatuos enim mentisque impotes censent, qui vel causâ veritatis (quam putant meras esse nugas) periculis se objiciunt.* Fugienda itaque *Lib. 1. de*
apud mundanos est regina perfectionum *Veritas,* *Veritate*
& in exilium mittenda, quia nimis magnum parit *c. 32.*
odium, & per consequens eam adamanti & dicenti inumera præparat mala, teste Seneca Poëta, *sæpè cruentis veritas patuit malis.*

Sed heu! quas hi vel Epicuræi, vel Atheistæ,

vel politici nomine digni, daturi sint pœnas: vel ex hoc unico Apostoli Pauli percipite testimonio.
Ad Rom. c.10.v.18. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Et paulò post:
Vers. 25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium.* Et adhuc omnes vires contra veritatem in vanum exerunt mendaces. Quoniam tantæ est ipsa potentiæ, & efficaciæ, ut etiam acriter oppugnata, victrix evadat, & in ipsam obfuscantis, aut, falsificantis caput reincidat. *Primo loco,* inquit Tiletanus, *se offert vis veritatis, & fortitudo; qua fit, ut, tametsi laboret frequenter, vinci tamen numquam possit. Læditur, sed non extinguitur. Premitur, sed non opprimitur umquam. Quin potiùs tanta est ejus vis, ut non solùm de cunctis hostibus suis, & persecutoribus ad extremum victoriam referat; sed omnes etiam illorum conatus sæpè vertat in contrarium.*

Cujus veritatem, ut intimius penetremus, nobis consulenda est sacra Scriptura, Judith cap. 5. refertur, fortissimum militiæ Regis Assyriorum ducem Holofernem, intellecto, Israëlitas sese omnibus mediis, labore, industriâ, sagacitate præparare ad ei viriliter ac fortiter resistendum, maturum de expugnanda civitate Bethulia cum optimatibus suis iniisse consilium, atque populi hujus belligerum animum, patriæque circumjacentis
V. 2. 3. 4. fortitudinem inquisiisse. *Vocavit,* ait sacer textus, *omnes principes Moab, & duces Ammon, & dixit eis: dicite mihi, quis sit populus iste, qui montana obsidet? aut quæ, & quales, & quantæ sint civitates eorum? quæ etiam virtus eorum: aut quæ sit multitudo eorum: vel quis Rex militiæ eorum?* Ad quod quæsitum illico Achor veritatis memor, politiam mundanam abjurans, aperto corde (ast cum summo suo detrimento) respondit: *Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.* Quâ protestatione facta, seriem rei enarrare exorditur. *Populus*
Vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *iste ex progenie Chaldæorum est. Hic primo in Mesopotamia habitavit, quia noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari non posset exercitus.* Et commemoratis admirabilibus, quæ supremus Deus in plebis istius gratiam demonstrarat, concludit: *Non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus opprobrium universæ terræ.* Quo audito, insulsi aulici, perfidi adulatores Holoferni adblandiri conantes, in Achor stomachati, acriter insurrexerunt, dicentes: *Quis est iste, qui filios Israel* Vers. 27. 28.
posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor, & exercitibus ejus, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ? & mox certam *Veritati* dictæ decernunt vindictam: *Vt ergo Achor cognoscat; quoniam fallit nos: ascendamus in montana, & cum capti fuerint potentes eorum: tunc cum iisdem gladiis transverberabitur: ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* Quorum adulatorum iniquæ Holofernes subscribens opinioni, ad Achor conversus ait: *Quoniam prophetasti nobis dicens: quod gens Israel defendatur à Deo suo, ut ostendam, quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonozor: cum percusserimus eos omnes, sicut hominē unum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis.* Quam impietatem, & iniquitatem acerbè deplorans doctissimus Hugo Cardinalis ait: *Ah! ut Achior comprehensus est veritatis amicus, factus est Holofernis inimicus.*

Verùm, quantum superbienti Holoferni pertinax veritatis odium non attulit detrimentum? ecce, qui nimio præsumptionis tumore inflatus, Achior Bethuliam cum cæteris Israëlitis (urbe videlicet expugnata) interficiendum miserat; vino oppressus, fœmineâ manu summo cum opprobrio interiit. Sicque *Veritas,* quam ipse opprimere, imò & extinguere præsumpserat, justam de eo sumpsit vindictam. Ipsa enim oppugnari potest, vinci autem neutiquam potest.

Reg. l. 3. c. 22. commemoratur Regem Israël Achab, & Regem Judæ Josaphat in Galaad ruinam, & direptionem unanimiter conspirasse, seseque, transacto inter Syriam & Israël trium annorum Vers. 4 5.
quietis, & pacis spatio, ad ejus expugnationem fortiter armasse. Sic enim sacer habet textus: *Et ait* 3. Reg. 22.
ad Iosaphat, nimirùm Achab, *veniesnè mecum ad* v. 4. 5.
præliandum in Ramoth Galaad? Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu: populus meus & populus tuus unum sunt: & equites mei, equites tui: quo firmo inter sese inito fœdere, antequam tamen arduam hanc expeditionem attentarent, consultum, atque necessarium judicavit Rex Judæ super tam gravi negotio Dominū consulere, ejusque de eo inquirere voluntatem & arbitrium: *Dixitque Iosaphat ad Regem Israel: quæso,* Vers. 6. 7.
oro te, hodiè sermonem Domini. Cui annuens Achab cunctos Prophetas ad se accersiri jussit: *Congregavit ergo Rex Israel Prophetas, quadraginta circiter viros, & ait ad eos, ire debeo in Ramoth Galaad ad bellan-*

bellandum, an quiescere? Qui perversi Pseudo-prophetæ magis Regibus adulantes, quàm veritati studentes, responderunt: *Ascende, & dabit*
V.8. *eam Dominus in manu Regis.*

Verùm horum, non absque aliqua secuturæ veritatis suspicione, confidens vaticinio, sed quasi diffidens Rex Israël, dixit: *Non est hic Propheta quispiam Domini, ut interrogemus per eum?* Ad quod Rex Achab: *Remansit vir unus, per quem possumus intelligere Dominum. Sed ego odi eum:* Et illicò odii sui absurdam subjungit rationem: *Quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla.* Quibus verbis apertè satis videbatur Achab Regi Judæ conari dissuadere illius de prospero, aut sinistro successu exspectare judicium. Ast Josaphat suo tenaciter inhærens consilio, Michæam consulere statuit: *Vocavit er-*
V.9. *go Rex Israël eunuchum quemdam, & dixit ei: festina adducere Michæam filium Iemla.* Qui Domini sui promptè obtemperans mandato, celeriter rectum ad eum iter arripuit.

Sed quod hic annotandum, nuntius aulæ moribus egregiè imbutus, adulationis perversitati obnoxius, ubi ad Prophetam venit, non eum ad veritatem Domino indicandam instigavit, verùm è contra eum, ut ad instar reliquorum adulantium, placita & grata Regi denuntiaret, & quatenus aliis assentiretur, exhortatus est, sicut clarissimè attestatur Scriptura: *Nuntius verò, qui ierat,*
V.13,14. *ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones Prophetarum uno ore Regi bona prædicant. Sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Cui Michæas ait: *Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.*

Strenuus profectò Michææ Prophetæ pro veritate maximè commendandus, atque extollendus est animus, & ardens zelus. Verùm primâ fronte apparet, eum utcumquè labefactatum, languidumque redditum fuisse, dum in præsentiam Regum deductus est. Porrò interrogatus ab uno
V.15. eorum: *Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare?* qui respondit, *ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis.* Ecquid ais Propheta; ô perfide Pseudo-propheta! An tempori & loco inservis? hoccine est verbum veritatis, quod locutus est Dominus, & quod propalandum jurejurando Regis Eunucho, tam firmiter tibi proposueras? quomodo dictum hoc tuum verificari potest, & cum subsequenti connecti: *Vidi cunctum Israël dispersum* V.16.
in montibus, &c. Mysteriosa satis apparet hæc Michææ dissimulatio, quæ, si secundùm nudum litteræ textum, & sensum intelligeretur, stabilire apprimè appareret regulam politicam mundi: *Si veritas nocet, tacenda est; si prodest, promulganda.*

Glossa interlinearis prætactum difficultatis nodum dissolvit, autumans Spiritum Sanctum per Prophetam suum tantummodò prætendisse expiscari, an Achab, qui antea conquerendo protestatus erat, sese à Michæa numquam secundùm suum beneplacitum aliquod audivisse vaticinium, modò ei præsagienti gratum aures præberet, & falsitatem annuntianti applauderet. Idcircò ait ipse, Deum permisisse, ut Michæas à Rege ad veritatem dicendam, verbumque Domini revelandum juramento compelleretur. *Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi, quod* V.17.
verum est, in nomine Domini. Is tum demum Propheta palam veritatem manifestavit, dicens: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastores. Et ait Dominus: non habent isti Dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace.* Quod veritatis præsagium cùm intellexisset Achab, nimio accensus furore, & in extremo contra veracem præconem stomachatus, ait ad Regem Josaphat: *Nonne non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* Cùmque ulteriùs pergeret Michæas, & alios mendaces Pseudo-prophetas proclamaret: ecce veritatis propalationis iniquam recepit vindictam: *Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam.* Et Rex Israël adblandiens percutienti, ejusque factum quasi comprobans, hanc in innocentem injustam (sed proprio suo damno, ut pòst patuit) tulit sententiam: *Tollite Michæam, & maneat* V.24.
apud Amon principem civitatis, & apud Ioas filium Amalech, & dicite eis: hæc dicit Rex, mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum V.27.
pane tribulationis, & aquâ angustiæ, donec revertar in pace. Eum quasi reservari mandans post prosperum belli successum crudeliori tormento plectendum.

Spreto itaque Michææ vaticinio, ambo Reges Pseudo-prophetarum adulantium mendacitate decepti, armati descenderunt in Ramoth Galaad, ad præliandum contra Regem Syriæ. Sed quid evenit? ecce Achab, qui mordicùs veritatem in vita

oderat, cruentâ nece eam comprobavit. Ingruente namque certamine, ſagittâ inter pulmonem, & ſtomachum percuſſus eſt: *Et mortuus eſt veſpe-*
Verſ. 35. *re*, inquit Scriptura. Verum itaque manet illud, quod ſuprà ex Tiletano attulimus veritatis elogium: *Læditur, ſed non extinguitur. Premitur, ſed non opprimitur unquam. Quin potiùs tanta eſt ejus vis, ut non ſolùm de cunctis hoſtibus ſuis ad extremum victoriam referat, ſed etiam omnes illorum conatus ſæpenumerò vertat in contrarium.*

Mirum divinæ providentiæ eſt ſtratagema, quod Deus quandoque utitur ad impiis & ſceleratis veritatem denuntiandam. Danielis cap. 5. refertur, Balthaſar Regem, Principibus & Optimatibus ſuis ſolemne atque magnificum exſtruxiſſe convivium, in quo tum vino obrutus, tum præ nimia ſuperbia inſoleſcens, ſacra templi vaſa, ut ex iis convivæ biberent, à patre Nabuchodonoſore ablata, adferri juſſit: *Præcepit ergo jam temu-*
Dan. 5. 2. *lentus, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ abſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuerat in Ieruſalem, ut biberent in eis Rex & Optimates ejus.* Ob quam enormem iniquitatem excandeſcens Deus, juſtam impio Regi tribuit ſententiam. Verùm quomodo? An forſitan ad eum Prophetam, ut olim ad Davidem Nathan, ad Saul Samuelem miſit? Neutiquam ſanè. Ait namque Scriptura, cùm ſacra vaſa profanarentur: *In eadem hora apparuerunt digiti, qua-*
Verſ. 5. *ſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ.* Ob quod ſtupendum factum Rex hilaritati & deliciis intentus, illicò ſummoperè conturbatus eſt. *Et Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur. & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Quapropter Scripturæ interpretationem ignorans, cunctos Magos, Chaldæos, & aruſpices accerſiri mandavit, ut ab iis illius intentum ſciſcitaretur. Verùm in vanum. Nemo namque repertus eſt, qui exaratorum verborum explicationem potuit attingere. *Tunc ingreſſi omnes ſapientes Regis, non potuerunt nec Scripturam legere, nec interpretationem indicare Regi.*

Quid ageret in tanta anxietate miſer Rex? ecce memor Danielis, ab eo, (quem ad explicandam incognitam hanc Scripturam, ad ſe advocari juſſit) jam ad Regem ingreſſo, juſtam iniquæ vitæ audire coactus eſt correptionem: *Vaſa Iſraël*, inquit Daniel, *allata ſunt coram te: & tu, & optimates* Verſ. 23, 24, 25, 26, 27, 28.
tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis. Deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneoſque laudaſti. Porrò Deum non glorificaſti. Idcircò ab eo miſſus eſt articulus manus, quæ ſcripſit hoc, quod exaratum eſt. Hæc eſt autem Scriptura, quæ digeſta eſt, mane, thecel, phares, & hæc eſt interpretatio ſermonis: Mane, numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares: diviſum eſt regnum tuum; & datum eſt Medis & Perſis.

Verùm, quod hîc maximè notandum, quare Deus per Danielem non juſſit Regi divinam denuntiari ſententiam? nequaquam enim abſque magna neceſſitate multiplicanda ſunt miracula. Ah! quia in aulis Principum & Regum tam odioſa ac inviſa eſt veritas, ut in authoris ruinam & interitum iniquè ſæpe ſæpius detorqueatur. Deinde mirum eſt, cur ne quidem integro brachio, neque veris digitis, *Digitis quaſi manus*, &c. uſus eſt: ſanè id factum, quia radicatum aulicorum in veritatem odium eos miſerè confregiſſet. Nolens itaque Deus Prophetam Danielem evidenti vitæ exponere periculo, Regi miro modo veritatem manifeſtavit. *Mirabile myſterium hoc fuit*, inquit quidam modernus, *quòd Deus ſignificare voluit, ut in Regum & Principum palatiis parietes ipſi loquantur, & veritas in lapidibus manu è cœlo lapſa ſcribatur, cùm in terra nemo audeat ore pronuntiare.* Veritas namque odium parit.

Difficilis ſatis explicatu eſt Scripturæ locus, quem refert Spiritus Sanctus in vita Regis Joram. Hic patre ſuo Joſaphat defuncto, regni legitimâ hæreditate potitus, derelicto veri Dei cultu, eò temeritatis proceſſit, ut idololatriam priſtino vigori reſtituerit, & cuncta idolorum ſacrificia, quæ pater ſtrictiſſimè inhibuerat, redintegraverit. Ob quæ intoleranda ſcelera, ac abominanda crimina illi imminentia quamplurima à Propheta Elia denuntiantur mala, atque ſupplicia. *Allatæ* 2. Paral.
ſunt autem ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus 21. v. 2.
ſcriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: quoniam non ambulaſti in viis Ioſaphat patris tui, &c. Inſuper & fratres tuos meliores te occidiſti: Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ. Verùm quomodò hujus loci veritas conſiſtere valet: quandoquidem Elias à plurimis jam annis igneo curru in paradiſum raptus fuiſſet. Autumant

quidam,

Quidam, litteras has non ab Elia, sed ab altero Propheta tum vivente Regi Joram esse transmissas, quæ opinio, judicio meo, salvo meliori, fragili, & debili innititur fundamento. Nulla namque in tota sacra Scriptura, alterius Prophetæ, quàm Eliæ fit mentio. Alii censent, litteras illas ante ipsius in paradisum raptum fore conscriptas, & a Propheta tanta mala Regi Joram obventura præsagiente, cuidam suo tempore ipsi destinandas, in manus esse traditas. Sed nec hæc arridet explicatio. Scriptura enim harum latorem indubiè designasset.

Dico itaque, cùm impius, ac perfidus Rex Joram jam detestandam ageret vitam, neminem repertum fuisse capacem, qui ei scelera, & abominationes exprobraret. Quapropter divina Sapientia admodum necessarium judicavit, ut Elias è paradiso ipsi litteras mitteret, veritatemque propalaret. Non dicit autem, quis eas destinarit Scriptura, sed verbo utitur ambiguo: *Allata sunt autem ei litteræ.* Quare arbitror illi eas invisibiliter fuisse traditas: ut ex Hebraico colligit Pagninus, qui habet: *Et venit ad eum Scriptura ab Elia Propheta.* Idque, ne Regis furor in veritatis præconem severè animadverteret. Veritas namq; odium parit. Unde Galenus ait: *Omnibus hominibus hic mos est, ut eos oderint, qui vera loquuntur.*

Verùm nec pulcherrima virtus *Veritas* tantummodo è Regum, & Principum aulis exulat, sed etiam ex universo mundo misera videtur fugata, & relegata, & nusquam pedem secura figere potest. Hinc & Gandæ, cæterisque Belgii civitatibus (nec minus dico de aliis regionibus) aptè possem appropriare illud Jeremiæ iniquitatem conspicientis Jerusalem: *Circuite vias Ierusalem,*
Ierem. 5. 1. vias Gandæ circumite, *Et aspicite, & considerate, quærite in plateis ejus, an invenies virum facientem judicium, & quærentem fidem?* Pagninus ex Hebraico legit: *Quærentem veritatem.* Eique
Nahum 1 quoque rectè competit dictum Prophetæ Nahum: *Civitas plena mendacii.*

Quod, ut radicitùs penetremus, oportet veritatem in verum, seu justum mentis judicium, in veram oris locutionem, & in sinceram operis executionem sive adimpletionem partiri. Quantum ad rectum attinet judicium: nonne ille homo verax, qui petram æstimat panem, auricalchum aurum, nivem lanam, aut farinam? nemo est, quin eum erroris sit accusaturus. Similis falsitatis, inquit Tiletanus, quamplurimi rectè arguuntur Christiani: *Qui reputant mundanam voluptatem verè bonam, & appetendam esse, cùm noxia sit & fugienda, qui censent bona qualibet temporalia, divitias, honores, vitam hanc ipsam bona esse maxima, & pretiosissima. Adeò, ut qui præ illis cælestia omnia, æternaque despiciat, in maximo judicii errore versatur, procul que talis absit à recta via veritate.* Lib. I. de Verit. c. 57. Nec illi competere potest Psalmi: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui parva, seu verius nulla bona existimat comparatione cælestium, & æternorum.* Psal. 14. Ephes. c. 4. Veritas autem oris ea est, de qua Apostolus: *Loquimini veritatem unusquisq; cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.*

Sed heu! quot inveniuntur Christiani, hujus veritatis capitales inimici! quot sunt, qui eam vario mendaciorum colore denigrant, atque tetro falsitatis pallio obfuscant! quot sunt perfidi adulatores, qui abominanda aliorum vitia, quibus adblandiuntur, virtutis splendore adornant, & in perfectiones commutant! quot sunt, qui vindictam animi generositatē, prodigalitatem liberalitatem, furtum dexteritatem, insolentiam hilaritatem, avaritiam frugalitatem, dissimulationem prudentiam, & ut unico verbo cuncta complectar, omne crimen virtutem fore denuntiant, sicque nec hi aliam veritatis vitæ perfectionem assequuntur, quæ in recta operatione consistit, & de qua loquitur rursus Apostolus: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Vers. 15. Et hæc postulat, ut ea proximo in charitate præstemus, quod nobis fieri cupimus. A qua longè aberrant impii susurrones, detractores, adulatores, iniqui judices, &c. Hi omnes namque turpiter veritatem pedibus conculcant, & conterunt. Quos ad resipiscentiam adhortatur Propheta David, dicens: *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

Sed ut manifestiùs luctuosum miseræ veritatis exilium appareat, operæ pretium erit, aliquot diversorum hominum status lynceis mentis oculis perscrutari, in iisque sedulò veritatem inquirere. An forsitan hæc majestuoso in Regum aulis insideat throno, & cum debita reverentia recipiatur? Profectò eam ex iis olim exulasse jam statim patuit, & modò adhuc exulare ad oculum quoque constat, estq; unicuiq; notissimum, nullibi minùs, quàm in aulis illam regnare. Incipiat namq. quispiam divino instigatus zelo Principum & Magnatum insolentem vitam accusare, tyrannicum exponere eorum regimen, intolerabiles miseræ

plebi impositas reprobare exactiones: arguere pergat ab iis justitiam distributivam omninò pessumdari, cuncta Reipublicæ munia inidoneis, impiis, & sceleratis promiscuè conferri: ah! cuncti in talem illicò furibundi insurgent aulici, & Principem in furorem concitabunt, eique præsumptuosum præconem dirâ nece castigare persuadebunt: asserentes iniquam ipsius esse accusationem: cùm politiæ regula habeat, Principi cuncta licere, ipsum pro libitu suo statum & regnum suum posse moderari. Quibus adulationibus acquiescens Princeps, nudæ veritatis assertorem injustè condemnat.

Sed an fortè id dumtaxat de tyrannorum, hæreticorum, atque infidelium aulis intelligendum est? O utinam! verùm pudet fateri, odium veritatis, Principum quoque Christianorum & Catholicorum palatia occupat, & eam ab illis depellit. Hoc egregiè comprobat Turcicus quidam Sultanus, de quo refert Michaël de Palatio: Quòd certo tempore ipsum accesserit pius quidam Monachus, martyrii amore succensus, qui interrogatus ab illo, quorsum venisset, & quæ forent ejus prætensiones, constanter respondit: *Vt mortem inveniam veritatem tibi prædicando.* Ad quod Sultanus: *Ito ad Principes tuos, & prædica illis veritatem: & mortem quam apud me quæris apud illos invenies.* Ac si diceret: quid in infidelis, & pagani Regis aula necem, veritatem mihi propalando, & impiam vitam improperando anxiè quæris? ah, prudentiùs tanti itineris labori pepercisses. Ea namque in Christianorum aulis adeò exosa & ingrata est, ut, si illis illam nudam proposueris, defectus & vitam correxeris, indubiè dirâ morte mulctaberis.

Ah! si modò Principes agerent ad instar Antigoni, Asiæ dominatoris, qui, ut veritatem de modo suo regendi intelligeret, regalem vestem exuit, & vilem, ac plebeam induit. Cùmque à quodam, qui Regem non cognoscebat, de nimiis argueretur vectigalibus, & tributis, ad aulam reversus, noluit in posterum regium habitum resumere. Et à suis aulicis rogatus, cur contra regiam Majestatem tam abjecto uteretur vestimento? submissè respondit: *Hoc spoliatus veritatem audivi: hoc coopertus adulationem & falsitatem.* Sed heu, modò tempus Augusti rediit. Qui intellectâ Varri morte, ingemiscens, & lachrymans dixit: *Nunc, qui mihi veritatem dicat, non habeo.* Jam enim Principes in aulis suis hominem non habent, qui ipsis veritatem denuntiet: omnes veraces mortui sunt, & omnes revixerunt adulatores.

Fabulantur veteres Poëtæ de Argo Arcturis filio, eum centum habuisse oculos, at duobus tantùm per vices quietem permittebat, cæterisque vigilabat, ut Ovid. l. 1. Metamorph. cantat:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inque suis vicibus capiebant bina quietem.
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Hunc fingunt à Dea Junone Jovis sorore, & conjuge constitutum fuisse Pædagogum, & custodem Jusinachi filiæ, quam supremus Deus Jupiter in juvencam transformarat. Illum pòst asserunt de expresso Jovis mandato à Mercurio fuisse trucidatum. Imò Juno illius oculos avis sibi sacræ, & dedicatæ, nimirum Pavonis caudæ inseruit. Quæ autem hujus nefariæ necis fundamentalis extiterit ratio, incertum est.

Arbitrantur quidam Jovem & Junonem Argum odio habuisse, eò quòd noctu diuque vigilias agens, incestum eorũ intueretur, ideoq; eum vitâ privari jusserint, ne forsitan tantum scelus ab ipso iis improperaretur. Hoc fateor, merum fabulantium Poëtarum figmentum est, & purum delirium; verùm ad sanum deductum sensum, proposito nostro quàm optimè quadrat. Argi sunt Præsules, Pastores ovium suarum saluti sedulò invigilantes, & subditorum depravatos mores, & corruptam vitam reprehendentes. Argi sunt Confessarii, qui veram pœnitentibus ostentant vivendi normam, & peccata scelera que privatim acriter arguunt. Argi sunt zelosi Concionatores, qui intuentes tot execranda, atque horrenda scelerati hujus ævi crimina, in ea publicè in cathedra debacchari non verentur. Sed heu! quot Joves inveniuntur, qui in miseros Argos impiè stomachantur. Quot sunt, qui radicato sinceræ veritatis odio præoccupati, in veracis ruinam, & necem conjurant? hoc præcipuè Principes & Magnates committunt, quorum aures proferentem veritatem sustinere non valent. Cave itaque *Veritas*, ne aulam ingrediaris. Fuge, fuge pestiferum domicilium: illud namque innumera tibi comminatur mala.

Ast quò misera, profuga, & peregrina tandem fugiet? vive feliciter *Veritas*; video tibi securum quietis locum præparari, nimirum Judicum, Magi-

Magistratuum, & Consiliariorum tribunalia. In iis indubiè sinceros comperies amicos, qui te summo cum affectu amplectabuntur. Intrat timida, oculoque circumcircà ad instar Argi in sublimatos viros, eorumque judicia conjicit, & eheu; non invenit, nisi injustas litium decisiones, pupillorum, & viduarum oppressiones, juris sursum, deorsùm inversiones. Cernit judices considerare personam, non justitiam. Pauperes in minimo reos severè plecti, & divites longè pejores, & nequiores impunè dimitti. Intuetur lachrymabunda modernos rei-publicæ rectores potentem furem, & imbecillem eo modo tractare, quo homo sanguisugam & pulicem tractat. Quod si contingat illam de consilio medici brachio, aut alteri cuicumq; corporis membro applicari ad sanguinē exsugendum, ubi jam infecto cruore tumida à vena avellitur, dulciter in aqua tepida reponitur, ut deperditas recuperet vires. Si verò pulex unicam dumtaxat extrahat sanguinis guttulam, confestim inter duos ungues conteritur.

Haud dissimiliter agitur cum egeno & opulento potente & impotente, magnate & plebæo, nobili & ignobili. Si namque opulentus, potens, magnes, & nobilis, pauperum sanguinem, viduarum sudorem deglutierint, severam judicum evadent sententiam: pauperibus autem, abjectis plebæis & ignobilibus parvi tantùm criminis consciis, mox patibulum erigitur, & justitiæ unguibus illicò atteruntur, juxtà vulgare illud axioma: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Sed audite perversi ac impii æquitatis administratores, quid Deus vobis prædicat per Prophetam Davidem: *Nonne cognoscent, qui operantur iniquitatem?* id est, nonne legum mearum prævaricatores justam & rigorosam meam tandem experientur vindictam? & hi præsertim, *Qui devorant plebam meam, sicut escam panis?* O pulchra atque mysteriosa Psalmistæ inter plebem, & panem assimilatio! ecce, sicut panis, qui spinas, ut piscis, ossa, ut caro, non habet, absque ullo timore absorbetur, eò quod faucibus nullum inferre valeat detrimentum; ita quoque miseri plebæi à judicibus sine cunctatione, & animadversione in jus abripiuntur & condemnantur. Nobilium & magnatum verò potentiam reveriti, eos quietos relinquunt, nec in jus convocare audent. Aut si quandoque à tertio quodam instanter justitia urgeatur, is clavo affigitur, & ipsa quiescit. Possuntque potentes jure meritò sibi applicare illud

Psal. 13. v. 4.

Isaiæ cap. 28. *Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos, quia mendacio projecti sumus.* Qui plura de hac judicum iniquitate desiderat, legat concionem quartam supra Dominicam primam quadragesimæ circà finem: ubi fusè de hujus corruptelæ origine tractavimus. Concludendum itaque est, veritatem tribunalibus profugam exulare, locumque inquirere, ubi pedem figat.

Isa. c. 28. v. 11.

Verùm, si ipsa semel à sexu masculino ad fœmininum declinaret, nonnè ab eo honestius ac humanius tractaretur? nonne pulcherrima hæc virtus fœminis, blandi utpote humoris, aperti cordis, & nullis judiciariis negotiis intricatis maximè arrideret? ah! plurimum vereor, ne deterius ab iis recipiatur. Quoniam *Veritas* perfidiorem hostem non habet, quàm fœminam. Quod si paradoxum forsitan arbitreris, reflecte te lector ad mundi primordia, atque diligenter perscrutare, quisnam primò veritatem, à Deo in regali solio collocatam, ab eo depulerit. Quis primò falsitatem atque mendacium in mundum invexerit? autumant quam plurimi authorem ipsius fuisse diabolum, qui à SS. PP. Pater mendacii nuncupatur; innituntur hi hisce Scripturæ verbis ab eo prolatis: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Ast hoc fundamentum apparet mihi parùm debile. Diabolica namque propositio nudè est interrogativa, & non absolutè assertiva. Unde inde in se, nec formalem veritatem, nec falsitatem continere videtur.

Gen. c. 3. v. 1.

Dico itaque Evam primò mendacium formale protulisse. Etenim vix ipsa à dæmone de divino interrogata mandato, ecce falsitatis Magistra in unico responso tria enuntiat mendacia: *Cui respondit mulier: de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, nè comederemus, & nè tangeremus illud, nè fortè moriamur.* O vafra mendacii inventrix! ait: *Præcepit nobis, nè comederemus.* Ecce primum. Testatur enim sacer textus Capite 2. hoc præceptum directè tantùm ad Adamum, tamquam humani generis Caput, ac primariam radicem pertinuisse, eique illud in singulari fuisse impositum. *Præcepit ei dicens: ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas.* Addit: *& nè tangeremus.* Et ecce secundum, nullibi enim asserit Scriptura, imò nec leviter insinuat Adamo fructus istius ligni tactum fuisse inhibitum. Unde

Vers. 2.

Gen. c. 2. v. 16.

gratis hoc ab ipsa assumitur. Deindè dicit: *Nè forte moriamur*. Quod tertium, & pessimum est, etiam incredulitatis vitium in se comprehendens. Absolutè namque Deus transgressori mortis sententiam statuerat. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Et illa expressam Dei invertit comminationem, & dubiam reddidit, dicens: *Nè forte*: Sicque diabolum ipsum (qui tamen, ut ait Scriptura Gen. cap. 3. v. 1. Callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus) in mentiendo superavit. Qui duo tantummodò protulit, nimirùm *Nequaquàm moriêmini*. Et illud, *Eritis sicut dii*. Judicet itaque unusquisque, an misera veritas primum à fœmina non sustulerit insultum?

Nec in unica Eva hæc in veritatem hostilitas sopita est. Sed eheu! usque ad modernum ævum, & in præsenti viventes irrepsit fœminas. Has enim benè intuere, anatonomiza à capite ad calcem, ipsas comperies viva esse falsitatis exemplaria. Si caput unius propriis spolietur crinibus, illud alienis, ac fictitiis exornat. Squallidas genas, livida labia, vultumque pallidum falso colore obducit, ut suam deformitatem tegat, atque venustior appareat. Si gibbo gravetur, habitus proportionatos, & parùm strictos confici curat, ut ipse utcumque comprimatur, & sic recta putetur. Si staturæ sit exiguæ, ipsa calceis altioribus utitur, ut procerior appareat. Si dentes præ senio, aut ægritudine ex ore dilabantur, fictitios ex ebore confectos imponi jubet. In summa, ut breviter finiam, omnes filiæ & fæminæ faciei suæ decorem, apparentem rectam corporis compositionem, staturæ proceritatem, cæterasque pulchritudinis conditiones à falsitate emendicant. Insuper ad mendacia sunt proclives, adulationi deditæ & dissimulationi: in judicio maximè mutabiles, ad juramenta præstanda faciles. Unde notat Josephus libro 4. de antiquitatibus, in veteri testamento mulieres ad testimonium reddendum, non
Cap. 9. fuisse admissas. *Mulieri testimonium deponere non licet*. Quod in lege civili quoque fuit observatum. Lex enim: *Qui testamentum*, sic habet: *Mulier testis in testamento esse non potest*. Rationem genuinam hujus dat lex *Mulier*. *Quia testimonium mulieris est commutabile. Et ideò non testificatur*. Et adhuc modò in judiciis testimonia mulierum multum vilipenduntur, quia duo earum testimonia pro unico tantùm reputantur.

Quò jàm confugiet misera veritas, tàm inimicè & crudeliter à fœminis tractata? in quò asylo sese recipiet? mihi videtur, eam ad causidicos, jurisperitos, & litteratos gressum instituere, tamquam ad veritatis patronos atque protectores. Apud quos ipsa indubiè falsitati, & mendacio fundatam litem intentabit. Sed eheu! ô *Veritas*, siste gradum in pernitiem tuam, & totalem ruinam curris. Retrogredere, gressum suspende, ipsi namque, quos amicos æstimas, capitales tibi sunt hostes. Ab iis certissime opprimêris, & quàm pessime tractaberis, concilia enim modò perversis advocatis, impiis procuratoribus non carent. Ah, ah! quot inveniuntur (utinam nullus) qui iniquis, & injustis causis patrocinantur, & pecuniarum lucro inescati, litis jus palliant, & rectam veritatem falsâ larvâ obtegunt! quot sunt, qui utriusque partis litigantis causam sustinent! quot procuratores, notarii publici, qui auro corrupti chartas quasdam ad litis substantiam quàm maximè pertinentes lacerant, testamenta pia in hæredum favorem in abscondito detinent! quot sunt, qui à pauperculis rusticis, derelictis pupillis, & viduis pro labore duplicatam extorquent mercedem, & ut uno verbo absolvam, in hoc quoque hominum statu acriter vapulat *Veritas*. Quia & his ipsa odium parit.

Videamus itaque quomodò à mercatoribus, & artificibus, atque aliis operariis recipiatur. Inquiramus, an ei ipsi blandum vultum demonstrent. Profectò, ut mihi apparet, *Veritas* etiam omnium horum calculo in exilium mandatur. Mercatorum negotium, pravumque cum proximo agendi modum, si acutis mentis oculis inspicias, quid aliud comperies, nisi usuras, perjuria, iniquos contractus. Artifices verò & mechanicos si adeas, eadem falsitatis fæce illos adinvenies coinquinatos. Isti enim artem suam, ut merces multùm augeatur, nimiùm extollunt. Illi laborem, & materiæ præstitæ pretium ultrà debitum fraudulenter æstimant. Pharmacopola pharmaca omni vigore destituta, & ad infirmos curandos planè inutilia vendit, & recentia ea fore jurejurando sæpe sæpiùs affirmat. Calcearius calceos ex optimo corio desumptos esse asserit, & ad tres menses duraturos pollicetur, & vilissimum arripit. Sicque nec ad tres quidem septimanas ementium usui inserviunt. Braxator in coquenda cerevisia asserit sese pro quolibet vase tantùm grani insumpsisse, ideoque illam tanti constare, & splendide mentitur. Sartor rogatus, ut vestem pro aliquo, sive ex serico, sive ex panno consuat, quartam partem materiæ

materiæ pro ea conficienda, plusquàm necesse est, exigit; ut indè & sibi par manicarum possit appropriare. Molitor in molendino granum & frumentum mutat, viliusque tradit, & furtivè datum pondus diminuit. Rusticus, si minima belli oppressus fuerit tempestate, jurat sese omnia perdidisse, nè Domino quidquam donet : & intereà suam prolem alit, & sese alieno ære divitem reddit. Quid dicam ? mundus in maligno positus est, & in maligno posita est *Veritas*. Optimeque huic ævo illud potest accommodari, quod suo Isaias at-

Isai. c. 59. v. 14. tribuebat : *Et conversum est retrorsum judicium : & justitia longè stetit : quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivionem.* Hebraicus textus legit : *Et facta est veritas in aversionem* quam aversionem ad moralitatem satis ingeniose interpretatur Petrus Cluniacensis vulgari similitudine.

Si quis inquit in platea transeundo fœtidam, putridam, malè olentem reperiat bestiam, nares obturat, ne fœtorem sentiat, caput & faciem ab ea avertit. Sic & cuncti mundani in hoc depravato sæculo miseram veritatem torvè aversantur. *Desumpta est parabola*, ait, *à Cane mortuo in publica platea jacente, quem omnes, ut rem fœtidam aversantur.* Quàm detestandam hominis exaggerans iniquitatem S. Thomas à Villa-Nova, in hæc lachrymabunda voce prorumpit verba : *O sæculi nostri perditionem ! ô mundi pessimam corruptelam ! ô mundum mendaciis, & adulationibus plenissimum ! non est veritas in mundo, non est, qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodiè vulgus loquitur, fraus & adulatio est.* Edocti sunt enim linguas suas mendaciis accommodare : *In mundana schola*, inquit Thomas, *quàm optimè exercitati didicerunt homines fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex pulicibus elephãtes, hæc civilitas, hæc affabilitas : & inurbanus est, quisque fallere, & mentiri non potest. Si quis verax, si quis fidelis & probus, rusticus est, & stupidus reputatur. Verè diminutæ sunt hodiè veritates à filiis hominum : vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Et hi blandi adulatores, si vertas caput, sunt statim acerrimi detractores. Præsentem laudant, & exaltant : absentem verò radunt & lacerant,* Sicque desolata veritas à cunctis contemptibiliter exploditur.

Quid ergò ? nusquàm tutum firmæ quietis veritas adinveniet locum ? ah indubiè in confessionali regio honoratur throno. Ibi namque omnia seriò, sincere, & candide tractantur. Fateor veritas hic tot non comperit inimicos, tamen nec omnes effugit. Etenim sæpè sæpiùs tùm à pœnitente, tùm ab ipsomet confessario acerrimè oppugnatur. Ab illo quidem, dum in confessione peccata sua palliat, & speciosa aliquâ virtutis larva tegit, dum ea celat, dum rogatus an ex toto corde eum pœniteat, se summam illam bonitatem Deũ offendisse, ore affirmat, intùs verò negat. Dum concubinam domo ejicere, omnesque peccandi occasiones in posterum se evitaturum pollicetur, mente tamen aliud cogitat. Dum restiturum se aliena affirmat, ea tamen penes se inique conservat. Ab hoc verò, dum authoritatem, & potentiam confitentis veritus, illius peccata secundùm eorum gravitatem, & enormitatem arguere non audet. Dum eum sententias docet exoticas, minimeque probabiles (ut plerumque modò fit) & plenas ad omnem iniquitatem laxat habenas. Dum pœnitentium confessarius magis bursam quærit, quàm animam, tùm maxime veritati infestatur. Ecce nec hic omninò tuta est veritas, adeoque quàm optime dixit Propheta Isaias : *Facta est* *Isai. c. 59.*
veritas in oblivionem. Memoria illius prorsùs *v. 15.*
evanuit, nec usquam usitata est, quia ubique, & omnibus odium parit. Sed Cur, rogitat Augustinus : *Veritas odium parit, & inimicus factus est* *Aug. l. 10.*
homo tibi verum prædicans, cum ametur beata *Conf. c. 23.*
vita, quæ non est, nisi gaudium de veritate ? & respondit: *Nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc, quod amant, velint esse veritatem. Et quia falli nollent, nolunt convinci, quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant enim lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia etiam falli nollunt, & fallere volunt, amant eam cum se ipsam indicat, & oderunt eam, cum ipsos judicat.*

Exilium veritatis vobis utcumque pro ingenii mei imbecillitate descripsi, ô auditores! idque feci eam deprædicando, & in Cathedra concionatoria, tamquam in regali throno, & securo stabilis quietis loco recipiendo. Quoniam, cum dixi veritatem è mundo exulare, ab omni hominum statu repelli, contemni, pedibus conculcari, omnibus viribus collidi, veritatem denuntiavi. Hic quieta residêre debet amica veritas, hanc è pulpito intonare tenentur concionatores, & populo ob oculos ponere : ne & ipsi, ut inquit S. Chry-

Chrysostomus falsitatis rei reperiantur. *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille, qui non liberè pronuntiat veritatem, quam liberè pronuntiare oportet: aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere oportet. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet, sic laicus debitor est, ut veritatem, quam à sacerdotibus prædicatam è scripturis audivit, fiducialiter defendat. Quod si non fecerit, proditor est veritatis.* Imò ecclesiasticum veritatem subticentem, Christum ipsum prodere, & negare, audacter asserit S. Anthonius de Padua, dicens: *Qui veritatem prædicat, Christum confitetur, qui verò eam in prædicatione tacet, Christum negat.*

Quam infamem ignominiæ notam, nè incurram, liceat mihi, ô auditores (quandoquidem à veritate discursum hunc exorsus sim) cum ea finire, vobisque veritatem dicere. Fateor S. Ambrosium taciturnitatem consulere, & affirmare loquacitatem maximo subjacêre periculo, dum ait: *Quod præ cæteris debemus discere, est tacere, ut possimus loqui, nè priùs vox condemnet propria, quam absolvat aliena. Scriptum est enim verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior?* Me nihilominus ad veritatem propalandam cap. sequenti adhortatur hisce verbis: *Quid ergò, mutos nos esse oportet? minimè. Tempus est enim loquendi, & tempus tacendi. Deindè, si pro otioso verbo reddamus rationem, videamus, nè reddamus pro otioso silentio.* Cùm itaque modò tempus sit loquendi, ne similis reus fiam judicii, veritatem dicere pergo: summoperè quoque instigatus Divi Patris nostri Augusti doctrinâ dicentis: *Qui veritatem occultat, & prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat.* Veritas itaque est, ô homo carnalis, luxuriosè, adulter, incestuosè, concubinarie, nisi à tanta desistas impietate, ad optatam non attinges patriam. Veritas, est ô vindicative, nisi inimico condones, Deique præcipientis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros* legem adimpleas, peccatorum tuorum similiter ab ipso non percipies remissionem. Veritas est, ô perverse judex, nisi pauperi & diviti, nobili & ignobili, æqualiter justitiam administres, justum vindicantis Dei judicium minimè evades. Et, ut paucis absolvam, veritas est, ô peccator, quod qui iniquitatem colit, regnum cœleste non sit adepturus juxtà veridicum Apostoli testimonium: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare: neque fornicari, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Eja itaque ô homo, hanc veritatem cordi tuo imprime, veritatem mente cole & ore pronuntia, veritatem in omnibus actibus tuis exerce, veritatem errantibus ostende, ut in hujus mercedem recipere merearis æternam veritatis; quæ Deus est, fruitionem, quam nobis donet benignus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

FERIA SECUNDA

Dominicæ Passionis.

Miserunt principes, & Pharisæi, ministros, ut apprehenderent Iesum Joan. cap. 7.

Duo celebres & famosi Historiographi Lucianus & Pierius Valerianus nobis commemorant Ægyptios (qui secundùm S. Augustini judicium in Hieroglyphicis cunctis nationibus longo intervallo præcelluêre, in propriè, curiosè, atque subtiliter essentiam, proprietates & perfectiones cujusdam virtutis emblematibus exprimendi) quàm plurimùm laborasse, ut posteritati in æternam memoriam aliquod emblema relinquerent, in quo quasi ad vivum quisque intueri posset essentiam, effectus & efficaciam eloquentiæ. In quem, ut acutè colli-

collimarent scopum, à peritissimo istius ævi pictore artificiosè delineari curarunt fortissimum Herculem Leoninâ circumdatum pelle; manu dexterâ terentem clavam, sinistrâ pharetam sagittis refertam: quarum vi indomitas domabat feras. Ex ore ipsius multæ effluebant catenæ; quibus concatenatos constringebat, & arctissimè astringebat per aures diversorum statuum homines. Quo innuere intendebant (ut censet Alciatus in suis emblematibus) Herculem non brachiorum virtute, non fortitudine, non armorum directione, sed summâ suâ eloquentiâ, & effrenes in moribus homines ad rectum vivendi tramitem suaviter attraxisse, & in virtutum via quasi alligatos continuisse.

Miram eloquentiæ inditam esse efficaciam apertè confitetur ille Philosophus, qui interrogatus ab imperatore Vespasiano altiùs extollente Demosthenis eloquentiam, quàm invictam Alexandri Magni animi fortitudinem: in quo vis, & virtus vocis consisteret? respondit: *In loquela ritè pronuntiata continetur divina & cælestis quædam qualitas, quâ veluti catenâ voluntas ligatur occultè.* Ideoque à Cicerone Magno illo Oratore, *Ars divina nuncupatur.* Et Augustinus in libris confessionum apertè fatetur sese per verba Ciceronis, quæ in libris ejus legerat, ad meliorem mentem commotum fuisse. Audite illius verba: *Liber iste mutavit affectum meum & ad te ipsum Domine mutavit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia, viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebã æstu cordis incredibili, & surgere jàm cœperã, ut redirem ad te.*

Ah si tantâ polleat potentiâ humana vox, si tantùm in Augustino potuerit conscriptus Ciceronis liber, si Herculis eloquentia tot homines ad morigeram attraxerit vitam; quantâ non gaudebit divina vox, & verbum Dei, ut hominum corda à salutari via devia ad Deum allicat, & pertrahat? hoc eloquio attractus Propheta David per Prophetam Nathan ad pœnitentiam admonitus, ut infame adulterium, atque execrandum homici-
Psal. 118. v. 103. dium detestaretur, exclamat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.* Quare S. Bernardus in quodam sermone de voluntate Dei, attentè ruminans verbi divini efficaciam, ei quàmplurimos attribuit effectus: nimirùm quod sit fax ardens & lu-
Psal. 118. v. 105. cens, quâ in tenebris peccatorum sedentibus recta virtutis demonstratur semita teste Davide: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Verbum Dei insuper transfigit, & penetrat obdurata in malitia hominum corda juxtà illud Apostoli ad Hebræos
cap. 4. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetra-* Vers. 12.
bilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Attamen à similis gladii formidine Christianos volens liberare Bernardus ait: *Dum lædit, tunc medetur.* Verbum divinum in cor humanum dilabitur adinstar roris & imbris
suprà terram, ut fatetur Sapiens: *Et ipse tamquam* Eccl. c. 39.
imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. Et tandem v. 9.
honorifico hoc verbum divinum condecorat encomio Bernardus: *Primùm insonans in auribus animæ, vox divina conturbat, terret, dividit.* Id est animum peccatoris commovet, inquietum reddit, & cor omnimodè terrenis affixum, ad spiritualia attrahit. Et pergit paulò pòst: *Continuò liquefacit, calefacit, purificat, & illuminat,* videlicet quoad animam induratos infrigidatos, mortuos, & cæcos suâ virtute adjuvat. Nec adhuc eo hic S. Pater contentus elogio ait: *Denique est cibus noster, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies nostra.*

Hujus efficaciam millena comprobant sacræ
Scripturæ loca. Et in primis Joan. cap. 6, *Verba,* Vers. 64.
quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Rursus testatur Spiritus S. Verbum Dei fore ad instar pluviæ, quâ sordida emundantur; quia animas peccatis & sceleribus coinquinatas mundas red-
dit Ezechielis cap. 36. *Effundam super vos aquam* Vers. 25.
mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis vestris. Et Joan. cap. 15. *Et vos mundi estis* Vers. 3.
propter sermonem, quem locutus sum. Id ipsum comprobant S. Evangelista Joannes & Propheta
Jeremias. Ille ait, cap. 6. *Domine ad quem ibimus,* Vers. 29.
verba vitæ æternæ habes. Hic verò cap. 23. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram.*

Sed quid tam diu in congregandis hac de veritate testimoniis immoramur? stupendam enim verbi divini virtutem præsens ad oculum ostendit Evangelium. Ecce ab iniquis Pharisæis rabidi destinantur satellites, ut Jesum ad necem quærant. Hi tùm mercedis avidi, tùm justi sanguini inhiantes, summa cum velocitate mandato obtemperant. Verùm in vanum laboravêre; ait namque sacer textus: *Sed nemo misit super eum manus.* Sed quis quæso horum ministrorum insanam delinivit rabiem? quis à perversâ, & injusta Christi captura furibundas eorum cohibuit manus? clarè Scriptura indicat id effecisse verbum divinum.

Venerunt ergò ministri ad Pontifices & Pharisaeos:
Vers. 45. *& dixerunt eis illi : quare non adduxistis eum? responderunt ministri : numquam sic locutus est homo, sicut hic homo* Ecce tanta erat Christi verbi dulcedo, tanta efficacia, ut illud totum satellitum furorem demulserit, sicque à nefanda caede abstinuerint. Occasione itaque hujus Evangelii conabor pro mea imbecillitate vobis in hodierno discursu ob oculos ponere admirabilem verbi divini potentiam, simulque undè tamen proveniat, quod in depravato hoc saeculo saepè saepiùs, imò promiscuè suo frustretur effectu. Quod antequàm exordiar, unanimiter imploremus necessariam Spiritus S. assistentiam per Deiparam Virginem, eam honorantes Gabrielis elogio. Ave gratiâ plena.

Miserunt principes & Pharisaei ministros, ut apprehenderent Iesum.

PRo demonstrando eo, quod in proemio assumpsi ; in mentem mihi incidit curiosa S. Chrysostomi speculatio. Is namque si non omnia, saltem aliqua vitae Christi perscrutans mysteria, summoperè admiratur Christum, quamtumvis nulli legi foret obstrictus, utpote, qui peccatum non fecit, & in cujus ore non est inventus dolus ; legibus tamen judaicis cum caeteris paruisse: aut, ut melius dicam sese voluntariè subjecisse. Patuit, in tenera sua aetate die octavo circumcidi voluit, nec veritus est è tenello corpore pretiosum suum sanguinem effundere, qui planè innocens, & à peccato originali omninò immunis existebat. Rursus pauco pòst tempore in templo praesentatus est, & juxtà mores Judaeorum à Maria & Josepho oblatus. Et idipsum fecit in aliis quàm plurimis actionibus, quas modò brevitatis gratiâ praetermitto. Hâc irrefragabili veritate suppositâ, inquirit praefatus Doctor, quid mysterii lateat, cur quoque communem, & consuetam, quae apud Judaeos in usu erat, non elegerit mortem ? ordinariè namque rei, & criminosi lapidibus obruebantur. Quos ipse expressè renuit, atque rejècit, ut apertè attestatur Evangelista Joannes cap. 8. dum enim Judaei eum vellent lapidare, ut hoc necis genus evaderet, invisibilis per medium
Vers. 59. illorum evasit. *Tulerunt ergò lapides, ut jacerent in eum : Iesus autem abscondit se, & exivit de templo.* Quaestio itaque est, quare prae communi necis genere diram crucem amplexus sit? ubi tamen crux maledictionis infamiae erat obnoxia, juxtà illud Deuteronomii ; *Maledictus, qui pendet* Cap. 21
in ligno. v. 23.

Ut hujus genuinam expiscemur rationem, annotandum occurrit id, quod Christus saepè saepius de propria sua persona prophetizarat : nimirum sese extollendum fore in crucis trabe Joannis cap.
3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita* Vers. 14.
exaltari oportet filium hominis. Sed quae tanta necessitas, quae exigentia, & quod quaeso in tantum urgebat motivum, ut Christus in infami crucis patibulo mortem obiret ? rationem hujus ipsemet clarè manifestat per Evangelistam Joannem cap.
12. *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me* Vers. 32.
ipsum. Sed quomodo ? ah divinâ verbi mei, & praedicationis suavitate obdurata in peccatis horum perversorum hominum, impiorum Judaeorum corda emolliam, obcaecatos verbi lucernâ, & admirabili hoc lumine eluminabo, & spiritualiter mortuos ad pristinam vitam revocabo, recedant itaque lapides, qui omnem quietem prae nimio strepitu interturbant, silentium interrumpunt, auditumque impediunt. Ego animosè conscendam venerandam Crucis Cathedram, ut ex ea ad omnes cum silentio verba Spiritus, & vitae habeam. Vox namque mea magnetis virtute respectu ferri, est potentior, magisque attractiva. De
me praedictum est per Psalmistam : *Ego autem* Ps. 2. v. 6.
constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus. Verum quâ viâ, quo praetextu ? respondet : *Praedicans praeceptum ejus.* Et ideò inquit Chrysostomus lapidari neutiquam voluit. *Tumultuarium namque genus necis est, & inter lapidum fragorem non poterant audiri Christi verba.* Idcircò ait Tertullianus, *docebat eos de Cathedra crucis.*

Ast quo cum effectu ? ubi eloquentiae ejus efficacia ? Ubi verbi divini virtus ? attendite, & intelligite Christiani, ecce in horto Gethsemani benignus Dominus, ad rabidam Judaeorum sitim extinguendam, è cunctis corporis sui poris sanguineum emisit sudorem : per plateas & vicos copiosum flagellatus, & coronatus, crucemque bajulans, pretiosi cruoris sui superaffluenter obtulit thesaurum : ostenditur furibundae plebi totus cruentatus, cernuntque cuncti in eo à planta pedis usque ad verticem non esse sanitatem, neque hominis speciem ; tàm luctuoso nihilominus spectaculo cujuspiam animus mansuescit. Durities adamantis, qui ictibus malleorum resistit, hirci sanguine evanescit & devincitur: & obstinatum Judaeorum agnelli hujus sanguini cor non cedit?

cedit? Sic est; quid ergò Christus ingenti tàm
prætiosæ escæ amore inflammatus, adinveniet re-
medii? ecce ultimum suum ad verbum divinum
recipit refugium, ascendensque sanguinolentum
crucis pulpitum, jam ei clavis infixus, divinam
mysteriosam, fructuosam sermocinationem insti-
Luc. c.23. v.34. tuit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid fa-
ciunt.* O stupenda vox! ecce pro suis crucifixori-
bus crucifixus, pro tàm nefandi criminis venia &
remissione cœlestem patrem exorat Christus.
Quis vidit unquam tale? creator à sua creatura fu-
riosè torquetur, & creator creaturæ suæ benignè
medetur. Creatura creatorem sævè excruciat, &
creator creaturam pie dimitti expostulat.

Sed quid ad tàm symphoniacam emolumenti
promanavit resonantiam? sane non exiguum. Ec-
ce alto peccatorum oppressus lethargo latro, hâc
voce expergefactus, & quasi è gravi somno evi-
gilans, socium secum crucifixum blasphemantem,
Luc. c.23. v.39. & dicentem: *Si tu es Christus, salva temetipsum
& nos.* Acriter redarguit: *Neque tu times Deum,*
Vers. 1. *quod in eadem condemnatione es. Et nos quidem
justè, nam digna factis recipimus, hic autem nihil
mali fecit.* Et cuncta ex toto corde detestans la-
trocinia, execrans homicidia & furta, & ut uno
verbo finiam, suasque abominans iniquitates, ad
Vers. 42. Jesum conversus dixit: *Domine memento mei,
cùm veneris in regnum tuum.* De qua prima
præda maxime gavisus Christus, mox illius an-
Vers. 43. nuit voto: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in
paradiso.* Deinde clamat *Sitio.* Videlicet salu-
tem animarum vestrarum, & corda disponit, ut
homines suâ conversione sitim Domini refocil-
lent. Et tandem discessurus ex hoc mundo ad
cœlestem patrem, divinâ suâ utitur voce, tam-
quam extremo pro peccatoribus ad meliorem vi-
Marc. c.15 v.37. tæ frugem revocandis remedio. *Iesus autem emis-
sâ voce magnâ expiravit.* Cujus mirificam dul-
cedinis virtutem perlucide attestatur Evangelista
Lucas, loquens de conversione Centurionis, qui
Vers. 40. glorificavit Deum dicens: *Verè hic homo justus
erat.* Nec ipse dumtaxat verum Deum confessus
est hunc fore crucifixum, sed & quàm plurimi
Luc. c.23. v.48. alii, ut patet ex sacro textu: *Et omnis turba eo-
rum, qui simul aderant ad spectaculum istud, &
videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua re-
vertebantur.* De quo admiratus mellifluus Do-
ctor exclamat: *Ergo ad vocem credidit, & ex vo-
ce cognovit filium Dei.* Nec hic destitit stupenda
Christi Domini vocis efficacia. Ecce ad fidem
illuminatur Longinus, mortui è tumulis exur-
gunt, vitamque recipiunt, & cuncta elementa uni-
versaque mundi machina hâc voce deterrita, &
commota suum agnovêre creatorem. *Dedit vocem
suam,* inquit Bernardus: *In cruce Dominus, &
universa elementa contremuerunt & omnis ter-
ra mota est.* O mira verbi divini potentia! ô stu-
pendi affectus!

Cum modò in hoc versemur puncto, abs re (ut
autumo) non erit Christi Domini toto ferme
tempore passionis taciturnitatem demirari. Ete-
nim accusatus in palatio Caiphæ à duobus falsis
testibus obticuit, etiam silentium ipsi imprope- Matth. c. 26. v.62.
rante Principe Sacerdotum: *Nihil respondes ad ea,
quæ isti adversùm te testificantur? Iesus autem
tacebat.* Rursùs coram Pilato falsa audiens contrà
se proferri testimonia, obmutuit: *Et cum accusa-* Matth. c. 27. v.12.
*retur à principibus sacerdotum, & senioribus, ni-
hil respondit.* Ut adimpleretur illud Prophetæ
Isaiæ vaticinium: *Oblatus est, quia ipse voluit, &* Isai. c.53. v.7.
*non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem du-
cetur: & quasi agnus coràm tondente se obmutes-
cet, & non aperiet os suum.* & vix in cruce est ele-
vatus, ecce totus garrulus os reserat, atque myste-
riosa intonare aggreditur verba: *Pater dimitte il-
lis. Deus meus, ut quid dereliquisti me? mulier ec-
ce filius tuus. Hodiè mecum eris in paradiso, sitio,
Pater in manus tuas commendo spiritum meum,
consummatum est &c.* Quodnam igitur sub an-
tecedenti crucem silentio, & subitanea, pòst cruci-
fixionem eloquentia sublitescit mysterium?

Ad hoc in lucem producendum nobis appri-
mè quædam deserviet historiola, quam comme-
morat Plutarchus in vita Marii. Ait hic de Marco
Antonio celeberrimo Romanorum Oratore,
quod ipse à militibus belli ducis Annii de man-
dato capitalissimi inimici sui Marii ad necem re-
quisitus, non hastâ, aut gladio, aut quibuscumque
aliis armis impetum eorum compescuerit, sed so-
lâ suâ eloquentiâ, & magnâ verborum suavitate.
*Tanta verò, inquit, inerat Antonii sermonibus vis
demulcendi, atque gratia, ut cum is orsus fuisset
dicere: nemo militum tangere eum ausus fuerit,
aut intueri, sed directis in terram oculis, universi
fleverint.* Ah! si tantùm contrà furentem Annii
militem inanis Marci Antonii potuerit eloquen-
tia: quid contrà rabides tygrides, & famelicos
Leones Judæos divina non effecisset Christi Do-
mini facundia? benignus itaque Jesus, qui æstua-
bat humani generis redemptionem adimplere, &
clamabat: *Baptismo habeo baptizari, & quo-
modò coarctor, usque dum illud perficiatur.* Pru-
denter

denter siluit*, quoniam divinæ ejus eloquentiæ suavitate perfidi Judæi à tàm nefanda cæde destitissent: ut patuit in hodierno Evangelio. Mittuntur ministri à principibus sacerdotum, ut apprehendant Jesum, & nemo in eum, ut olim milites Anmi in Marcum Antonium, ausus fuit immittere manus. Sed cuncti immensâ Christi vocis dulcedine allecti, re infectâ abiêre, pro excusatione allegantes: *Nunquam sic locutus est homo, sicut homo iste.* Ne itaque mors sua retardaretur, aut impediretur, Christus subticuit.

Noverat quippè ipse mirificam verbi sui efficaciam, expertusque erat sæpè sæpius illius vires rabiem Judæorum, quantumvis inauditam totaliter enervasse. Testatur id ipsemet per Evangelistam Matthæum: *Quotidiè apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Idem confirmat Joannes: *Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo, & nemo apprehendit eum.* Unde in horto loquens, verbis suis milites, & Pharisæorum ministros adeò deterruit dicens: *Ego sum*, ut abierint retrorsùm, & in terram ceciderint. Tacens autem comprehensus est, ut subtiliter annotat antiquissimus Doctor Origenes: *Valentiora erant verba ejus his, qui eum apprehendere desiderabant. Ideò, si loquitur non tenetur, si tacet, tunc tenetur. Denique dum Pilatus eum interrogat, dum flagris cedit, tacet. Nisi enim taceret, in crucem ex infirmitate sublatus non esset. Quandoquidem infirmitas non sit in eis, quibus verbum loquitur.* Hinc totum hunc conceptum concludit Chrysostomus hisce verbis: *Verba non fecit in passione, & loquitur in cruce, ne per suam doctrinam redimeret mortem.* Tum namque dum cruci affixus erat, absoluta & irrevocabilis prolata erat ab iniquo Judice Pilato in Jesum mortis sententia.

Cap. 26. v. 55.

Cap. 8. v. 20.

Orig. Hom. 18. in Ioannem.

Ad hoc propositum curiosè advertit S. Anselmus de quatuor diversis materiis Pilatum Christum Dominum interrogasse. Primò an ipse regni Judaici regimen, & dominium esset adepturus. *Tu es Rex Iudæorum?* secundò è qua patria & regione erat oriundus: *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset.* Tertiò de ipsius actionibus, & vitæ conversatione. *Quid fecisti?* quartò ab eo expostulavit veritatis essentiam addiscere: *Quid est veritas?* sed hîc notatu dignum est, & sedulâ mente considerandum, Chrstum ad tria prima quæsita respondisse. Ad primum *Tu dicis.* Ad secundum eum quoque responsum dedisse constat ex subsequentibus verbis: *Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem.* Ad tertium ait: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudæis: nunc ergò regnum meum non est hinc.* Ad quartum autem nihil respondit. Quod suo neutiquam caret mysterio. Nec satisfaciet difficultati præsenti ille, qui Pilatum immediatè post suam interrogationem *Quid est veritas*, è pretorio exiisse asserit: *Et cùm hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos.* Sic proindè mirum non fore, Christum non respondisse, quandoquidem præses responsum non exspectârit. Contra hanc namque solutionem instatur, quare pòst illius reditum Christus veritatem ei non explicuerit, sed de illa omninò tacuerit? Anselmus hanc difficultatem enodat: Veritas, inquit, tanti est momenti, tantæ excellentiæ, atque eminentiæ, quod Christus ad eam clarè dilucidandam, & disertè denuntiandam, coactus quasi fuisset divinâ suâ uti eloquentiâ, cujus suavitate, vi, & efficaciâ veritus Christus, ne iniquum judicem ad partes suas attraheret, sicque mortē evaderet: Amore moriendi pro humani generis redemptione inflatus, ab illo quæsito enucleando abstinuit. Et hanc rationem fatetur Ansel. se ex Divæ Virginis Mariæ revelatione hausisse, dicentis: *Hanc quæstionem quartam non resolvit ei filius meus, quia, si solvisset, eum liberasset à morte, & genus humanum redemptum non fuisset.*

Anselm. de passione Domini.

Luc. c. 23. v. 3.

Vers. 6.

Ioan. c. 18. v. 36.

Cap. 18. v. 38.

Extollant itaque diserti, & eloquentes Philosophi stupendam magneti à natura inditam, & experientiâ comprobatam potentiam, quâm ferrum contrà ejus gravitatem sursùm ad se attrahit, imò & quasi unit. Fingant Poetæ Herculem verbi sui suavitate, atque mirâ eloquentiâ indurata hominum pectora emolliisse; Orphæum Calliopes & Apollinis filium lyræ suæ sibi à Patre datæ dulcedine sylvas, & saxa movisse, fluviorum cursum cohibuisse, ferasque furentes mitiores reddidisse, eumq; etiam cantus inauditâ harmoniâ infernalia monstra delinuisse. Fabulentur insani, Amphionem à Mercurio testudinem dono recepisse, ejusque soni vi saxa ad civitatis Thebanæ constructione necessaria attraxisse. Unde cantat Horatius:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda.

In altum evehant iidem Mercurium, eò quòd virtute lyræ suæ Argum ad soporem compulerit: & hoc stratagemate eum devicerit, atque de mandato

mandato Jovis occiderit. Ah! cedant cuncta hæc, tum vera, tum deliramenta potentiæ divini verbi, & palmam atque victoriam ipsi offerant. Hoc namque suavi suo concentu ad instar magnetis ferrea, id est, peccatis assuefacta corda, non tantùm commovet, sed & liquefacit. Illud suâ virtute inferni monstra, diabolicos spiritus deterret, & concutit. Illud debiles, ut ambra paleam suaviter allicit, & corroborat. Istud cæcos illuminat, mortuos vivificat; & ut unico absolvam verbo, illud est, quod supremâ in totum universum pollet potestate. Hoc apertè constat ex c. 1. Jeremiæ, ubi refertur, Deum ipsum tamquam legatum misisse, ad annuntiandum Dei verbum populo Israëlitico, eique dixisse: *Ecce, constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* O mira potestas! ecce datur Jeremiæ in gentes, & regna absolutum quasi dominium, eique conceditur plena evellendi, destruendi, dissipandi, ædificandi, plantandi vis & authoritas. At quæ virtus tanta, tamque efficax, ut tot opera unica perpetrare queat persona? Ah! hæc omnia potest solum verbum divinum: *Ecce, dedi verba mea in ore tuo.* Ac si diceret, ô Jeremia, à tanto onere humeros tuos jam verbis tuis declinasti, dicens *A, A, A, Domine nescio loqui, quia puer sum*: Ne metuas, ne te puerum fore dicas. Esto bono animo, acutâ verbi divini falce armatus, annuntia impio populo scelera & peccata ejus. Hâc resecabis vepres & spinas iniquitatum: his armis debellabis rebelles divinæ Majestati animos: hoc arcu proterva & elata contra justitiam transfiges capita. Perge, perge Jeremia, hoc unicum sufficit: *Dedi verba mea in ore tuo.* Hunc locum considerans Didacus, ait: *Unico Dei verbo opus habet, qui universum mundum evertere, & convertere cupit.* Cui assentitur Sapiens, dicens: *Omnipotens sermo tuus.*

Ier. 1. 10.

V. 9.

V. 6.

Sap. 18. 15.

Verùm, ut intimiùs perscrutemur admirabilem verbi divini virtutem, oculos paulisper reflectamus supra severam S. Thomæ à Villa Nova sententiam, explodentis, & deplorantis eorum hominum insaniam atque temeritatem, qui peccata sua radicem jacere, & inveterascere sinunt. *Peccatores obstinati, & obdurati, non nisi miraculosè salvantur.* Quia peccatorem peccatis, & sceleribus immersum sublevare, & ad rectam vivendi semitam deducere, censet non esse virtutis humanæ, sed divinæ. E quo ego eruo hanc legitimam consequentiam: ergò verbum Dei divinâ pollet potentiâ, & miraculosè operatur. Illud namque totum hoc potest. Ad probam. Augustinus sedulò ruminans mysteriosam quatriduani Lazari resuscitationem, summoperè admiratur raras Christi Domini operationes. Etenim, dum ad tumulum pervenisset, *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum.* Deinde lachrymas adhibuit, *Lachrymatus est Iesus.* Nec his contentus, ad orationem sese convertrit: *Et elevatis oculis dixit: Pater, gratias tibi ago, quoniam exaudisti me.* Sub quibus signis indubiè non exiguum latitat mysterium. Quorsum namque tot ambages, & præambula? ecce, dum filiam Archi-Synagogi ad vitam revocat, manum illius tangit: dum filium viduæ Naim resuscitat, blandâ voce ait: *Adolescens tibi dico, surge.* Et modò in Lazari resuscitatione tot absonis, (ut apparet) utitur ceremoniis.

In Dom. Sept.

Ioan. 11.

V. 34.

V. 35.

V. 41.

Hanc difficultatem subtiliter tangit, & enodat S. Augustinus. Sustinet ipse fœtidum, & putridum Lazarum, vivum non tantùm nudi peccatoris, verùm quàm maximè obdurati inveteratæ iniquitatis luto infixi, fore exemplar, & prototypon. *Tertius mortuus genus mortis horrendæ, & magna consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & continuò corrigitur, citò reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudini; qui autem peccare consueverit, jam sepultus est, & benè de illo dicitur, fœtet. Tales sunt assueti sceleribus, & perditis moribus.* Jesus ergo ut ostenderet, quàm difficile foret talem peccatorem convertere, infremuit spiritu, turbavit seipsum, & lachrymatus est.

Sed hic ad propositum nostrum annotandum est, omnibus his peractis, necdum Lazarum fuisse resuscitatum, sed insuper opus fuisse divino verbo: *Et clamavit voce magnâ, Lazare veni foràs.* V. 43, 44.
Et tum demum vitæ restitutus est mortuus: *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* Ad quod S. Augustinus: *Ah, quàm difficile surgit, quem moles consuetudinis premit.* Ecce quod nec animi turbatio, nec fremitus spiritus, nec oratio, nec lachrymæ potuêre, hoc sola divina potuit vox, & omnipotens Domini sermo. De quo obstupefactus doctiss. Rupertus, in hæc prorumpit verba: *Sic ligatus, nec pedibus ambulare, nec saltem manib⁹ reptare, nec oculis, quò prodiret, potuit videre. Quid ergò nobis Evangelium innuit, & statim prodiit?* & respondet: *Magnam fuisse fortitudinem vocis, vel clamoris, qui mortuum ligatum ad vivos excussit, & excutiendo vivũ fecit.*

Sed modò rursus duo occurrunt consideranda, præsenti instituto quàm optimè quadrantia. Primum, cur mors ex se tenacissima captivorum suorum, quàm citissimè hunc reddiderit captivum Lazarum? Secundum, quare Christus proprio nomine defunctum evocârit: *Lazare veni foràs*, & non dixerit indeterminatè, *Veni foràs*. S. Chrysologus ad primum respondet, illud fuisse subtile mortis stratagema, quæ non ignara divinæ vocis efficaciæ, citò dedit, quod receperat, verita, ne Christus aliâ voce cunctos mortuos ad vitam revocaret. *Tunc tartarus ligatum manibus & pedibus Lazarum retulit ad superna, timens ac tremens, ne dum solvit unum, ne, dum moras facit, ne, dum tardius refert unum, omnes cogatur afferre.* S. Augustinus ad secundum respondet: *Lazare veni foràs: ideo proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus ejus vocis, quòd pariter omnes mortui cogerentur exire, nisi per expressionem nominis virtutem suam determinasset.* Quod mors postea experta fuit in Christi morte; ait enim Evangelista Matthæus: *Iesus autem iterum clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Et tum quid accidit? *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Vocis nimirum illius efficaciâ.

Serm. 65.

Cap. 27. 51

Ex hoc itaque liquidò deducitur, quòd quantumcumque quis peccatorum sordido immersus sit luto, ipsi magna supersit convalescentiæ spes, si aures retineat sanas. Etenim ait Hypocrates: *In præcipitibus morbis, & turbulentis obveniens surditas perniciem minatur.* Ita & Scriptura: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Idque & in animantibus reperitur, ut experientiâ omnium rerum magistrâ apertè constat. Numquid, si velis dignoscere, an piscis recens sit, squammas, quæ ei pro auribus inserviunt, inspicis? si sanæ, atque rubicundæ sint, piscem approbas, sin minùs, reprobas. Pariformiter, si aures hominum bonæ sint, si libenter, & non ex curiositate, sed devotione verbum divinum percipiat, optimum salutis est indicium: quòd si non, evidens perditionis præsagium. Unde optimè de cura pastorali ovium loquens Propheta Amos cap. 3. & spirituali diabolicis unguibus animarum illam applicans ereptioni, ait: *Quomodo, si eruat de ore leonis duo crura, & extremum auriculæ, sic eruentur filii Israël.* Id est, sicut pastor, si ovis, aut cujuscumque animalis crura & aures ore leonis apprehensi emineant, illud faucibus ejus valet eripere: ita & quantumque obstinatum peccatorem faucibus diaboli arreptum, si pedibus ipse valeat, ut Ecclesiam adeat, & aurium sanitate fruatur, ut verbum Dei audiat, certum est, posse salvari. Nolite mihi credere, sed divo Ambrosio, dicenti: *Adhuc in his remedium salutis est, qui audiunt verbum Dei. Verbo enim Dei mortua resurgent cadavera: Vox redit, & redditur matri: revocatur à tumulo, eripitur à sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Ab hoc sepulchro te liberat Christus, ab hoc tumulo surges, si audias verbum Dei.* Et idcircò vaferrimus animarum nostrarum hostis diabolus omni modo conatur nos à verbo Dei audiendo avertere, pertimescens, ne vi illius retibus suis eripiamur.

Joan. 10. v. 27.

v. 12.

Miram S. Cyprianus habet speculationem. Is annotans circumspectè cuncta ultimæ Christi Domini cœnæ mysteria, ceremonias, atque circumstantias, summopere admiratur subitaneum Judæ infamis traditoris, postquam intinctum panem à Jesu accepisset, à cœna recessum. *Cùm ergò ille accepisset buccellam, exivit continuò.* Ioan. 13. v. 30. Quare enim rogat, ipse Judas cœnæ finem non exspectavit, & cum cæteris Apostolis gratias peregit? Ad hoc respondet, illud fuisse astutum dæmonis stratagemà, Verebatur namque, quòd Christus cœnâ peractâ, suos ad fidem & constantiam in eminente Domini passione esset adhortaturus, & prolixam de summa traditionis perfidia sermocinationem habiturus: cujus efficaciâ, ne à malevolo proposito Judas diverteretur, ipsum fraudulenter instigavit, ut discederet, ac intentum opus perageret. *Timebat diabolus*, inquit, *ne morando locus pœnitentiæ daretur, hâc de causâ festinat & impellit, timens, ne scintilla in ejus animum ascenderet, ac deinde illuminaret, & ad meliora pertraheret, præcipitem egit celeritate.*

Hoc apprimè confirmat S. Chrysostomus, advertens ad illum locum Matth. cap. 12. *Et dixit ei quidam* (tempore nimirum, quo concionabatur Jesus) *adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* Inquirit ipse, quisnam illum nuntium ad eum destinârit, nullam enim Mariæ, aut cujuspiam alterius commissionis mentionem sacra facit Scriptura. Hoc rursus effecisse diabolum arbitratur hîc S. Doctor, ipsumque quendam internâ suggestione instigasse, ut matris adventum filio annuntiaret, sicque exhortationem interturbaret. Cùm enim ipse perciperet, Jesum solidâ suâ do-

ctrinâ, atque indicibili verbi sui eloquentiâ, & suavitate quamplurimorum audientium animos ad pravos mores deserendos, & ad rectũ veræ vitæ tramitem amplectendum commoveri, ac attrahi, veritus, ne tota turba converteretur, verbum divinum interrumpere est conatus. *Venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur.*

Hinc piissimus Dominus, qui summus diaboli est antigonista, & longè ferventiori zelo nostras venatur animas, omne quoque removere satagit obstaculum, quo minus à nobis verbum divinum perciperetur. Mysteriosum est, quod narratur in Scriptura Lucæ cap. 22. Christus jam jam acerbam suam Passionem aggressurus, antequam hortum fatalem Gethsemani accederet, pro sui quasi defensione a dilectis Apostolis periit, an nemo eorum gladium haberet? Ac si diceret, ecce crudelis & hostilis Judæorum phalangis imminet assultus, inimici in procinctu sunt, ut sævas manus in me conjiciant, jam appropinquat perfidus traditor Judas, ut fraudulento osculo me impiè tradat, armis opus est, ad infestos aggressus repellendos: *Itaque qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* (V. 36.) Cùmque respondissent, sese duos habere, dixit: *Satis est.* Horum uno ergò accinctus est princeps Apostolorum zelosus, & strenuus Domini sui defensor, juxta promissa, quòd cum eo vellet in mortem ire. Quod opere volens complere, cernens furibundos milites in mansuetum illum agnellum Christum insilire, gladium è vagina extraxit, & Malchi auriculam amputavit. Ob quod factum indignatus & stomachatus Dominus, severè eum redarguit, dicens: *Converte gladium in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* (Matt. 26. v. 52.) De hoc obstupefactus Augustinus, exclamat cum S. Ambrosio: *Si prohibes ferire gladio, cur emere præcepisti?* (Aug. l. 22. cont. Faust.) Scio Augustinum dicere, Christum illum actum ægerrimè tulisse, eò quòd proprio motu & non divino extraxisset gladium, & percussisset, ut suprà alibi dixi: *Dominus jusserat, ut ferrum discipuli ejus ferrent, sed non jusserat, ut ferirent, exemit gladium authoritate propriâ extendens manum, non voluntate divinâ.*

Sed salvâ tanti Doctoris reverentiâ, aliam ad præsens institutum hujus Christi Domini choleræ rationem in medium producam. Nimirum: quia Petrus rectè Malcho auriculam ademerat, membrum, ad divinum verbum percipiendum quàm maximè necessarium, sicq; efficacissimum conversionis abstulerat remedium. Quapropter Christus etiam illi auriculam restituit, ut forsitan Christum cum aliis in cathedra crucis concionantem audiens, ad veram pœnitentiam attraheretur, & vi dulcedinis divinæ eloquentiæ ad rectam fidem converteretur. Sic apposite hoc explicat Divus Thomas: *Quòd denuò auriculam restituat, significat ultimam reparationem intellectus, indicatque, auriculam conversioni omninò fore necessariam.* Juxta illud Davidicum: *Misit verbum suum, & sanavit eos de interitionibus eorum.* (Psal. 106. v. 20.)

Primò, adeò potens est, & prægnans divinum verbum, ut eo (si possibile foret,) quoque diabolus ipse converteretur. Ut patet ex capite Joan. 7. disputabat Christus in Synagoga contra obstinatos in antiqua sua religione Judæos tam eruditè, tam efficaciter, atque disertè, ut sacer textus dicat, illum suâ eloquentiâ cunctos in stuporem rapuisse. *Unum opus feci, & omnes miramini.* (V. 21.) Notandum hìc autem est, in populari ista turba adfuisse dæmoniacum, ut commemorat Evangelista Luc. c. 4. qui procidit in genua, & Christum supplex adoravit, à quo super montem adorari desiderabat, multa promittens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* (V. 34. Ibid.) Nunc autem ait: *Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos? scio te, quid sis, sanctus Dei.* O stupide diabole, tu Christum Judæis legum perversorem, Pseudoprophetam, peccatorem fore omni modo conaris persuadere: unde nunc in eorum præsentia Divinitatem ipsius confiteris, *Scio te, quis sis, sanctus Dei?* quodnam te commovit motivum? Doctiss. Tertull. dicit, id rursus effecisse verbi divini efficaciam: *Quomodo eum agnoverit dæmon, jam video, quia tanta majestate ejus doctrina demulcebat aures, ut diabolus ejus divinitatem fateri, ac quodammodò admirari cogeretur.*

Mirum est, quòd Deus populo Judaico permiserit, in laudem & præconium Christi, omissis stupendis miraculis, aquæ verbi gratiâ in vinum conversione, stupendâ filiæ Archisynagogi, viduæ Naim filii, & quatriduani Lazari resuscitatione, decantare surdorum, obsessorum, & mutorum sanationem, Marci cap. 7. *Omnia bene fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* De mutis suprà Concione Dominicæ tertiæ attuli rationem. Modò de surdis illam nobis allegat S. Chrysologus, qui asserit, Christum, dum in mundo verbum Dei annuntiaturus, de loco ad lo-

cum

cum proficisceretur, quamplurimos adinvenisse dæmoniacos surdos, idque astu & industriâ diaboli, qui apprimè Christi Verbi cognoscens dulcedinem, ut prædam obtentam conservet, & ne è suis unguibus eruatur, aures obturat, auditum impedit, & ideo tam periculosæ animæ infirmitati eum specialiter voluisse succurrere. Quare & illud miraculum à plebe instinctu Spiritus Sancti inter magis specialia denuntiati jussit. *Antiquus hostis*, inquit, *ut cognovit, Dominum in terras advenisse, obstruxit aures hominum.* Quoniam, qui non audit verbum Dei, inter electos non censetur, irrefragabili, & infallibili sacræ Scripturæ condemnatus sententiâ: *Qui audit* Joan.4.6. *nos, ex Deo est, qui non audit nos, ex Deo non est: in hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris.*

Pythagoras celeberrimus ille Philosophus inter cætera suis scholaribus inhibebat esum piscis. Idque ideo, quia, ut ipse, & multi post ipsum sustinuêre, auditu carere, neque ullatenus edoceri potest. Sicuti quædam alia animantia, v. g. simia, psittacus, corvus, &c. Deus quoque in veteri lege à sacrificiis suis removit piscem, nec etiam in linteo Apostolo Petro ostenso reperiebatur: quoniam vivacissimum surdastris peccatoris est symbolum, qui verbum divinum auscultare negligit, & contemnit. Et hæc contra hujuscemodi Christianos severa à Deo per Prophetam Isai- Isa.43.8. am profertur sententia. *Educ foràs surdum*, id est, expellantur surdi è cælesti paradiso. Verùm mirum est, quòd additur: *Et aures ei sunt.* Ex hoc enim justè quis petere potest, ergò & auriti & surdi condemnabuntur? Ita est Christiane. Sed eheu! qui sunt quæso isti surdi? Hi in primis sunt, qui temporalibus implicati & immersi negotiis, spiritualia, & ad æternam animæ salutem pertinentia audire vilipendunt; ad inania verò, ut obscena colloqui, inhonestas cantilenas, infames detrectationes, &c. aures erectas habent, juxta di- 2.Tim.4. v.4. ctum Apostoli: *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et sic dicitur, *Et aures ei sunt*, nimirum ad vana & inutilia, imò & quandoque nociva.

Quod quàm stultum, quàm temerarium sit, nos egregiè, & quidem ad nostram confusionem, Lib.6. quamplurimi docent Ethnici Philosophi. Diogenes Cynicus, ut commemorat Laërtius, cùm de re seria, magni momenti, atque summa Reipublicæ sæpe sæpius dissereret utilitate, animadvertens, sese vix ullum attentum habere auditorem, ineptam & ridiculam incepit cantare cantilenam. Dumque ad eam audiendam accurrentem populum, benignasque aures porrigentem cerneret, cantu suspenso, inchoatam orationem resumpsit, & in stolidam acerbè insurrexit plebem, arguens tantam illius dementiam, quòd salutaribus monitis neglectis, rebusque necessariis contemptis, ad frivola attenderet.

Demosthenes quoque certo tempore Senatum ingressus, salutaria de publico regimine monita denuntiaturus, conspiciens sermones suos non assidentium aures, sed aërem pulsare, immutatâ disserendi materiâ, lepidam litem inter duos rusticos de umbra asini exortam enarrare cæpit, ut author est Plutarchus. Emerat quidam ab alio asinum, quo facto, emptor & venditor unà itinerati sunt. Contigit autem, ut ob vehementem Solis æstum ab incepto itinere parumper destiterint, & requieverint. Unusquisque verò umbræ asini contra nimium Solis ardorem prætendebat dominium. Venditor ajebat, sese quidem asinum vendidisse, de umbra autem nullam factam fuisse mentionem. Alter hanc rationem refellebat, allegans umbram corporis fore sequacem. Quâ futili materiâ cernens, auditorum attentionem attrahi: Confestim huc usque enarratam fabulam seposuit, & ad seria denuò reversus est. Sed quamplurimis Senatoribus assurgentibus, & expostulantibus, ut finem præfatæ litis denuntiaret, respondit: *De umbra asini audire cupitis, de salute Græciæ non vultis.*

Ah, proh dolor! quot sunt Christiani, qui surdi sunt, & aures iis sunt! quot sunt, qui lubentissimè longas de temporalibus negotiis, de messis abundantia, de novis, de mercatura, &c. audiunt sermocinationes, quæ respectu æternorum & cælestium bonorum non nisi vera sunt umbra. Si verò quispiam de animæ salute, de frequenti confessione facienda, de frequentandis Ecclesiæ Sacramentis, de audiendis sæpe sæpius concionibus, &c. loquatur, ah aures illicò obturant, dicentes: *Audiemus te de hoc iterum.* O miseri! ô insani! de asini umbra audire cupitis, de animæ salute non vultis. Audite, quid dicat S. Chrysologus: *Quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi sit quid laboriosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & in futuro præbens. Propter autem nostram salutem remissi & supini, & dissoluti videmur.*

Alii surdi sunt, qui non ad animæ emolumentum hauriendum, ad templum & conciones accurrunt, verùm vel ex curiositate, vel ad juvenum consortia reperienda, aut amasias intuendas, ad illas confluunt. Has optimè describit & explodit gentilis Seneca disertis hisce verbis: *Magnam hanc auditorum partem videbis, cui Philosophi schola diversorium otii sit. Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam vitæ legem recipiant, ad quam mores suos componant: sed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen cum pugillaribus veniunt, non ut accipiant, sed verba, quæ tam sine profectu alieno discunt, quàm sine suo discunt.* Sed educentur hujuscemodi surdi & auriti foras, nec regnum Dei possidebunt.

Seneca Epist. 109.

Adhuc alii reperiuntur surdi; nimirùm, qui attentè & summa cum modestia verbum Dei auribus percipiunt, sed cordi illud radicaliter non infigunt: sicque radicem jacere non valens, facilè evanescit. Iis jure merito illud Jacobi appropriari potest: *Si quis auditor est verbi & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Et notandum est hic, Spiritum sanctum talem surdum non comparare mulieri faciē suam in speculo contemplanti, sed viro; quia ipsa satis accuratè illud inspicit, attentèque considerat an in crinibus, aut capitis ornamento aliquid sit incompositum vel deforme. Quod si sit, id secundùm speculi repræsentationem corrigit & emendat: vir autem leviter illud intuetur, & quasi per transennam. Unde & subjungitur *Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus qualis fuerit.* Et his severè comminatur Deus per Evangelistam Matthæum: *Quicumque non receperunt vos, neque audierunt sermones vestros: exeuntes foras de domo vel civitate; Excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabiliùs erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die Iudicii, quàm illi civitati.*

Epist. Catholica c. 1. v. 23.

Matth. c. 10. v. 14. 15.

S. Gregorius maximè admiratur de quodam mysterioso facto, quod evenit Apostolo Paulo & Timotheo in socium jam recenter assumpto. Actorum c. 16. Paulo & Syllæ obtigerat onus per universam Asiam verbum Dei disseminandi. Ad quod munus fideliter obeundum cum pergerent, transeuntes quamplurimas civitates summo cum fructu incolarum Evangelicam doctrinam denuntiarunt, ut attestatur sacer textus. *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, qui erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Ierosolymis. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.* Sed mirum valde est quod subnectitur: *Transeuntes autem Phrygiā & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam* (nimirùm ad promulgandum Christum, ejusq; fidem) *Et non permisit eos Spiritus Iesus.*

Vers. 4. 5. 6. 7.

Verùm proh dolor! cur in hisce regionibus inhibentur rudem in Christiana doctrina erudire plebem; cur iis verbi divini manifestatio denegatur? ô mysterium absconditum à sæculo! videtur, quod hic cum S. Paulo jure merito possim exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ ejus.* Ecquis non dicet, Deum in hoc actu exceptorem fuisse personarum? aliis doctrina Christiana deprædicatur, & ecce ad rectam convertuntur fidem & salvantur. His autem vetitum est veritatem aperire, verbumque divinum denunciare. Et ecce illi in cœno erroris & tenebrarum jacent & remanent, quia non est, qui eos illuminet juxtà illud Apostoli: *Quomodò ergò invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* & sic miseri miserè in æternùm condemnantur.

Ad Rom. 1. v. 10. v. 4.

Ad Rom. c. 10. v. 14

Variæ assignantur pro hac difficultatae dissolvenda interpretationes à SS. PP. Gregorius autumat enormia illorum populorum contra legem naturæ commissa scelera affluentem divinæ misericordiæ obturasse fontem: sicq; in pœnam eorum justè inhibuisse Spiritum Sanctum, ne iis verbum Dei publicaretur. S. Cyprianus sustinet etiam in Asia divlgatam fuisse novæ legis doctrinam, secundùm illud: *In omnem terram exivit sonus eorū, & in omnes fines terræ verba eorum.* Sed eos obstinatos & induratos in sua iniquitate, idololatria, & falso alienorum Deorum cultu mordicùs perstitisse, & verbum divinum irrisisse, ne dicam repulisse? ideoque ipsis utpote indignis rursùs illud deprædicari vetuit Dominus. Fundamentum suum arripit ex 12. cap. Act. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Alii, inter quos S. Chrysostomus, arbitrantur hanc inhibitionem actum fuisse divinæ pietatis & misericordiæ. Noverat quippe Deus infinitâ suâ præscientiâ, qua scrutatur hominum renes & corda, obcœcatum hunc populum verbum Dei nullatenùs recepturum; sed illud protervè & stultè repulsurum. Quapropter illius commisertus, ne intolera-

tolerabilius ipsi accederet, quàm Sodomæ & Gomorrhæ, Apostolicos viros eam regionem tacitè pertransire voluit.

Sed proh dolor! quot sunt in scelerato hoc sæculo, qui verbum Dei explodunt, cachinnis, confabulationibus atq; variis insolentiis interrumpunt! quot sunt, qui verbum divinum à corde arcent ac repellunt, amaritudinem illius ferre non valentes, & abeunt retrò, ut ait Joannes: *Dicentes durum est verbum hoc, & quis potest capere illud?* in admirabili sua apparitione Joanni exhibita Deus, ut habemus Apoc. c. 10. ait: *Accipe librum & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, & in ore tuo erit dulce tamquam mel.* Sed quomodo liber iste amaritudinem ventri inferre potest, & ori dulcedinem? è contra namque primò ori amaritudinem, deinde ventri adducere deberet. S. Augustinus ingeniosè id explicat, intelligens per os morigeros & Christianis documentis quàm optimè imbutos, qui verbum divinum summa cum delectatione recipiunt, & quasi cum aviditate deglutiunt: per ventrem verò totaliter carnales, & omni deditos luxui & inordinatæ concupiscentiæ, *Quorum Deus venter est.* Per librum verbum Dei, quod bonis est mel, malis autem amaritudo & fel. *Mandata itaq; Dei,* inquit, *amara sunt timori, dulcia amori.* Et hinc ait Ecclesiasticus: *Audit luxuriosus* (exaggera de cunctis vitiis, audit avarus, vindicativus, ambitiosus, gulosus, detractor &c. mordacem in vitia sua invectivam) *Verbum sapiens, & displicebit illi, & projiciet illud post tergum suum.* Idque quia animum à prava nimium mundanarum deliciarũ liberum non possident inclinatione. Audite quid de hoc sentiat antiquissimus Doctor Origenes: *Sunt, qui omninò non concipiunt, quæ dicuntur, sed & mens eorum & cor in negotiis, aut in actibus sæculi & lucri.* Et subnectit: *Non concipit corde quis, nisi vacet corde, nisi mente liber, & totus intentus & corde vigilet.* Quod igitur verbum divinum in uno uberes proferat fructus, & in alio omni plane careat effectu, non ex illius provenit inefficacia, sed ex mala animi illud audientis dispositione, ut rectè annotat S. Augustinus: *Simul pluit Dominus super segetes & spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem; & tamen non est pluvia; sic verbum Dei super omnes pluit: videat quisque qualem radicem habeat. Videat quisque quo trahat pluviam bonam: Si eam trahit, ut generet spinas, numquid pluvia Dei accusanda est, antequam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum.* Et in Ps. 118. *Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiarum.*

Cap. 6. v. 61.

Vers. 9.

Aug. lib de natura & gratia c. 9.

Orig. hom. 13. c. 35. in Exod.

Aug. de benedictione Esau & Jacob.

Verùm quod pessimum est, quot in corde surdi reperiuntur spirituales, auribus quidem percipientes admonitiones, eas tamen animo repellentes, nec ibi adhuc eorum sistit pervicacia, sed tanta veritatis auditæ torquentur rabie, ut in ejus præconẽ omni modo insultent. Quia ut heri dixi ex Salviano: *Veritatem improborum aures sustinere non valent.* Si in adulterium concionator insurgat, in homicidium, vindictã, avaritiam, gulam, incæstum, luxuriam, detractionem, calumnias, mendacia, falsa testimonia &c. omnes eam veritatem detestantur, & contumeliis atque improperiis acriter persequuntur. Hinc S. Hieron. asserit hujuscemodi personas quàm optimè per Prophetã Isaiam accusari & reprehendi c. 59. dicentẽ: *Rugiemus quasi ursi omnes.* Pro cujus loci intelligentia atq; energia maximè annotanda est ursi essentia. Ille ex natura suâ (ut attestantur naturalistæ) luctamine gaudet, eâ attamen suppositione, ne nimium à commilitone comprimatur. Quod si colluctans, quasi suis viribus diffidens, in terram cadens urso cedat: ipse summoperè exultat, hominiq; adblanditur, si verò ursum omni conatu aggredi tentet, ab eo, ad summum concitato furorem opprimitur: ut contigit Totilæ Regis Austriæ filio. Hæc est ursi conditio & proprietas: & hæc quoq; perversa peccatorum, præsertim magnatum consuetudo. Si concionator blandè & suaviter de vitiis, de usura, detractione, &c. tractet, libenter auditur. Verùm si nimium contra aliquod crimen debachetur, ad instar ursi, qui tactus est, eum quærit prosternere & diffamare, contempto severo Domini judicio per Paulum comminantis: *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* Ad Rom. c. 1. v. 18.

Unde autem tanta perversitas promanet, satis dilucidũ est. Sicuti namq; contraria contrariis contrariantur; ita morigeris obsunt insolentes peccatores, & mendaces veritatem propalantes hostili odio persequuntur concionatores. Sicque confiteri cogimur in hoc perverso ævo quamplurimos comperiri impio Imperatori Neroni similes, de quo commemorat Tacitus lib. 6. Annal. quod ipse intueri non valens præclarum omnium moralium virtutum exemplar Thracium Romanæ Reipublicæ Senatorẽ, eum fœdifragè è vita sustulerit. *Memoria proditum est,* inquit Hector Pintus. *Pictorem quendã, qui malè pinxerat Gallos Gallinacios, jussisse famulo, ut longè veros Gallinacios propelleret à tabu-* Ezech. ... cap 32.

la; ne

Laine factâ comparatione, ejus deprehenderetur igna-via : sic qui specie honestatis flagitia cooperit, qui vir-tutis imaginē (secundum nimirùm læsos munda-norum oculos) *Malè depingit, viros virtutibus insi-gnes procul abigere conatur, ne ex illarū collatione e-jus ficta virtutes apertè dignoscantur.* Et apprimè in eo consentit Sapiens, loquens de impiis odio ha-bentibus justū. *Gravis est nobis ad videndum, quo-niam dissimilis est aliis vita illius & immutata sunt via ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo.*

Sap. c. 2. v. 15

Quod si quispiam indagaret, quare in tantum misera arduam persecutionem patiatur veritas (de quo satis latè tractavimus in præcedenti discursu) in promptu responsio est, concupiscentia præcipua originalis peccati pœna voluntatem allicit, volun-tas intellectum pervertit, sicque cunctis quasi con-sentaneū videtur, quod sensualitas suggerit. Quia autem veritas denuntiat id omne duntaxat bonum esse, quod honestum mandatisque divinis confor-me, displicet. Seneca lib. 3. de ira, mirabilem de Cambyse Persarum Monarcha scribit historiam. Ipse admonitus, ne sese ita vino & ebrietati devo-veret, à Praxaspe unico aulæ suæ fideli amico, alle-gante principis esse, semper compotem tenere mentem, turpeque esse in Rege (in quem cuncti conspiciunt oculi) causas justas præ nimia crapula & ebrietate non posse capere : ei in hunc modum respondit. *Vt scias quemadmodum numquam exci-dam mihi, approba jam, & oculos post vinum in of-ficio esse & manus.* Ingurgitavit sese post hæc ver-ba insolentius. Et jam vino madidus Praxaspis fi-lium foras deduci mandavit, quem arreptâ phare-trâ, emissâ sagittâ crudeliter transfixit : pectoreq; aperto, spiculum cordi inhærens mœsto patri o-stendit, eum interrogans, an post tanti vini pota-tionem, adhuc securam & stabilem non retineret manum. Et hoc infelici casu, ac execrandâ demen-tiâ veritatem sibi inimicam visus est vindicare.

Sen. lib. 3. de ira c. 14.

Berchorius ad hoc institutū congruam quam-dam refert fabulam, hisce verbis : *Ferunt duo idola in eodem templo reposita fuisse, quæ responsa da-bant iis, qui in templo aliquid rerum perdidissent illic depositarum. Ergo juvenis quidam thesaurum ex illo templo furatus est. Quæritur reus ex idolo uno, & denunciatur.* Verum ille ob veritatem in lucem jam deductam acriter stomachatus, idolo caput confregit. Contigit paulò post, ut alius, re quâ-dam deperditâ, alterum idolum instanter rogaret, quatenus furti conscium manifestare vellet ; at id obmutescens, nullum ad quæsitum protulit res-ponsum. Cumque variis oblationibus, & reite-ratis precibus ad veritatem dicendam urgentiùs instigaretur, tandem sui silentii rationem aperuit, dicens : *Tempora mala sunt, & homines deteriores fiunt. Sed & si quis loquatur verum, caput ei fran-gitur.* Fateor illud merum esse figmentum : atta-men veritatem continet, nimirùm eam odium pa-rere. Sed proh dolor ! quanto cum fundamento nunc nos non possemus dicere, tempora mala sunt & homines deteriores fiunt ? quàm facilè namque divini verbi & nudæ veritatis præcones, qui in e-normia & intoleranda Christianorum debachan-tur ac insurgunt crimina, eorum aures offendunt & indignationem incurrunt ? non est, qui id diffi-teatur. unde optimè ait S. Ambrosius : *Liberè e-nim & sine adulatione veritatem prædicantes, & ge-sta prava vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines.* Et rationem allegat. *Hæc est conditio ve-ritatis, ut eam semper inimicitiæ persequantur : sicut per adulationem perniciosæ amicitiæ comparantur. Li-benter enim, quod delectat audimus, & offendit omne quod nolimus.*

Ambr. in Epist. 1. ad Cor. c. 9.

Sed hujuscemodi verbi Auditores maximè similes sunt cuidam vetulæ. Hæc casu in ster-quilinio speculum adeò sordidum atque lutosum repererat, ut speculi munus obire non posset. Quare ipsa omni diligentiâ illud conata est emun-dare, aquâ calidâ lavans, linteis mundis sordes de-tergens, sicque vitrum omninò splendidum red-didit. Contigit verò, quod ipsa speculum parieti jam affixum transiens, faciem suam sit intuita. Sed videns tot frontis rugas, & annotans oculorum li-vorem, canos inspiciens capitis crines, & summam vultus deformitatem, tanto furore in speculum ex-arsit, ut illud in minusculas comminuerit partes, il-ludque rursus suprà sterquilinium projecerit, di-cens : *Nunc sterquilinio dignum es, quia tam candidè meam turpitudinem ostendis.*

O insana mulier ! quid agis ? in speculo nullus est defectus, sed in facie tua magna reperitur tur-pitudo. Ait namq; Philosophus istius, illud esse na-turæ, ut deformia, deformia, venusta, venusta re-præsentet: Quid igitur in speculū excandescis? ta-les sunt, inquam, infames loquaces, concionatori-bus oblatrantes. Accedunt ad Ecclesiam, ut verbū Dei percipiant, ac concionem audiant : verùm ubi ab iis veritatē proponi, morum argui deformitatē, vitiorum enormitatem, corruptæq; vitæ debitam audiunt correctionem, in eos furibundi insurgunt, & minutim quasi masticare desiderant, verisimi-les simiis, de quibus referunt fabulæ, eas maximè veritati esse inimicas. Peragrârunt quodam tem-

pore duo socii veridicus & falsidicus, quamplurima mundi regna: tandemque ad certam regionē pervenerunt, quæ a simiis gubernabatur. Quarum suprema regina à veridico petiit, quod ipse de dominio & regimine simiarum judicaret. Qui ingenuè respondit: *Videmini mihi, quotquot estis, omnes esse simiæ.* Quo dicto, cunctæ quamplurimùm exacerbatæ & stomachatæ, in miserum veridicum crudeliter insiliêre, eumque dentibus & unguibus in partes discerpsêre. Post interrogatus est falsidicus, ut ipse suam de simiarum prudenti gubernamine ferret sententiam, qui luctuoso comitis sui veridici edoctus excidio, earum dominatum atq; imperium splendidum, regimen quàm maximè politicum fore asseruit, & ita ei summus à simiis demonstratus est honor. Hanc fabulam ortum accepisse arbitror è simiarum natura. Quæ ea est juxtà naturalistas, quod ipsa ex naturali instinctu summoperè inclinetur, ut speculum inspiciat. Ubi tamen suam ex eo apertè cognoscit deformitatem, in furorem rapitur, illudque absque mora confringit. Sic, sic, ô Auditores! in moderno sæculo tractantur miseri concionatores veritatem verbi divini propalantes. Adest adulter, concubinarius, & insignem in tantam iniquitatem audit invectivā, adest avarus, & sordidam intelligit avaritiæ nequitiam, & sic discurre de cæteris. Et ecce mox tacti, veritati obmurmurant, linguamque veridicam eruere exoptant.

Verùm quod de similibus & nos dare possumus judicium? hoc unicum certum & verum, quod ipsi hæreditate cœlestis regni, ad quam omnes creati sumus, privabuntur. Ad probam. In Genealogia Christi quàmplurimi Israelitarum reges omittuntur, è quorum sanguine ipse tamen progenitus est. Et quod quæstionem adauget & difficiliorem reddit, est: quod nominentur multi peccatores & & peccatrices, ut David, Salomon, Bethsabæe, Ruth, &c. quod non absque mystica ratione Evangelistam Matthæum fecisse judicans Rupertus, curiosè petit, quare è numero parentum Christi expungantur Ozochias & Joas, & Amasias? & subtiliter respondet, prædictos reges vehementer in Dei Prophetas, & ejus verbi denunnriatores insultasse, ideoque à Genealogia Christi tamquàm indiguos fuisse amotos. *Isti soli*, inquit, *de memoria præsenti de libro generationis Iesu Christi repulsi sunt, qui verbum audire, vel præcones verbi Dei vivere passi non sunt.* Ozochias namque, ut narratur 4. Reg. c. 1. ad Prophetam etiam in vincula conjiciendum (eò quod ipsi mortem prædixerat: *De lectulo suprà quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*) misit quinquaginta viros, quos ignis divinitùs è cœlo dimissus absumpsit. Joas Zachariam filium Joadæ, quia idololatriam ipsius incusabat, impiè interfecit, ut patet ex 2. Paral. c. 14. *Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioadæ Sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis: hæc dicit Dominus Deus: quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, ut derelinqueret nos? qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxtà regis imperium, in atrio domus Domini. Et non est recordatus Ioas Rex misericordiæ, quam fecerat Ioada Pater illius secum, sed interfecit filium ejus.* Amasias quoque a Propheta increpatus, quia diis filiorum Seir incensum offerebat, in eum quàm maximè debacchatus est, ut constat ex c. 25. Paral. lib. 2. *Cur adorasti Deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? cumque hæc ei loqueretur, respondit ei: num consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te.* Et vos insulsi Christiani & obdurati peccatores, non veremini ab æterna repelli hæreditate, qui in divini verbi præcones, enormem vestram vitam, depravatos mores, & intoleranda accusantes flagitia, insurgitis, eorum vitam denigratis, & falsis contumeliis atque detractionibus persequimini? non timetis à cœlesti exulare patria, qui interiùs concionatorū dictis compuncti, exteriùs in illos vindictam sumere conamini? profectò à grege ovium segregabimini, & inter hædos collocabimini. Oves enim Dei vocem ejus audiunt.

Vers. 20. 21. 22.

Nunquàm annotâstis, ô perversi! quæ tantæ stragis, cladis & ruinæ civitatis Jerosolymitanæ exstiterit origo? certè, nonnisi verbi divini hæc fuit rejectio. Scriptura namque apertè id indicat: *Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidiè commonens, eò quod parceret populo & habitaculo suo. At subsannabant nuntios Dei, & parvi pendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.* O nos miseri homunciones! admiramur Deum Gandā, Belgium, totumq; Christianismum severò, nunc famis, nunc pestis, nunc sævi belli flagello percutere, Turcā, infestissimosq; alios Ecclesiæ Romanæ hostes undequaq; feliciter regiones aggredi Christianas. Et eheu neutiquàm tanti mali, quod ad nostram correctionem permittit Deus, fontē intuemur. Ah ponderemus semel intima cordis nostri penetralia, & sedulò inquiramus, an libenter verbū divinū, ejusq; sermo-

2. Paral. c. 36. v. 16.

sermo-

ſermones audiamus? an concionatores veritatem deprædicantes non contemnamus! quod ſi ſic: rectè deducamus, propter hoc omnia illa accidunt mala.

Aſt, quia perverſum hoc ſæculum adeò à verbo divino nudè, & veraciter percipiendo abhorret, quia tot reperiuntur ſimiæ, quæ deformitatem ſuam cernentes, rabidè in ſpeculum inſurgunt; idconè concionatores, & ad verbum Dei denuntiandum deputatos, vitia ſubtricere, aures tantummodò demulcere, & internum animæ ulcus negligere decet? minimè ſanè. Ut namque heri ex divo Chryſoſt. audivimus, non tantum ille eſt veritatis proditor, qui falſa profert, ſed etiam ille, qui eam liberè, nudè, atque apertè propalare non audet. Imò & ſimilem ſanctus Antonius de Padua Chriſtum negare aſſerit. Clament itaque auditores prædicatorem nimis acriter, & mordaciter iniquitatem culpare, nimis arctam ad cœlum oſtendere viam: nullo modo à veritate abſtinendum eſt. Peccatoris namque tacti clamor, internæ conſcientiæ commaculatæ eſt teſtis, & ad emendationem diſpoſitio.

Unde concionator optimè poteſt aſſimilari iſti peregrino, de quo narrat quædam fabula. Morabantur in campo aliquot agricolæ, qui intuentes arborem unam in vertice exſiccari, de remedio illi adhibendo inter ſeſe conſultârunt: & unanimiter eam irrigandam judicârunt. At aliqui aſſerebant aquam ſuper radicem debere effundi; alii in ſummitate, quia non inferiùs, ſed ſuperiùs areſcebat. Quare concluſum eſt aquam ſurſum deferre. Et cum ſcalam ſufficientem, ſatiſque altam ad manum non haberent, pedibus intra ſeſe complicatis aſcenſum adinvenerunt, ſuperiorique cacabum aquâ plenum præbuerunt, ad arborem aſpergendam. Caſu verò contigit, ut ipſo aculeo apis in manu tacto deorſum cadente, cæteri ceciderint. Cumque unuſquiſque ſeſe in pedes erigere conaretur, pedes proprios comperire non potuerunt, unus enim affirmabat hunc ſuum fore, alter ſuum, ſicque inter ſe rixantes in terra remanſerunt. Pertranſiit fortuitò illâc quidam peregrinus, manu baculum tenens, qui petiit ab iis diſſidii cauſam, quam ipſi nudè enarrârunt. Ad quod ipſe dixit: vultiſne, ut ego cuilibet ſuum pedem reſtituam? iis annuentibus, baculum elevavit, & in medio percuſſit. Et cum unus clamaret acriter tactus, proh dolor! ipſe reſpondit, amice ille pes tuus eſt, vade in pace, & rursùs idem faciens, ictum ſentienti & clamanti dixit, & hic amice tuus, ſicque omnium pedes reperiit. Pariformiter vos peccatores tractat Concionator in communi vitia arguens. Si in adulterium exurgat, & tu adulter clames & ſentias, tuam conſcientiam tetigit, ſi in avaritiam, & tu avare obmurmures, fœditatem tuam manifeſtavit, & ſic de cæteris. Redite itaque cuncti domum in pace, & conſcientiam baculo Concionatoris tactam, maturè ruminate & polite emendate, ne verbum divinum ſuâ fruſtretur efficaciâ, cadens ſuprà petram, aut inter ſpinas, arripite illud auribus piis, tenero corde, ut ſic incidens in terram bonam, fructum producat abundantem, voſque ſuâ virtute ad cœleſte & æternum evehat habitaculum, quod mihi & vobis omnibus concedat Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

FERIA TERTIA

Dominicæ Paſſionis.

Ambulabat Ieſus in Galilæam, nolebat enim in Iudæam ambulare, Joan. cap. 7.

FAmoſiſſimus Hiſtoriographus Plutarchus ſummopere demirans intolerandam Rom: cæcitatem, qui quemadmodum atteſtatur doctiſſimus Valerius Maximus, vano falſorum Deorum ſuorum cultui adeò fuerunt dediti, *ut nullam Roma gentium reſpiceret religionem:* mentis ſuæ oculos conjicit in eorum mores atque vivendi normam, ſecundùm quam anteacto ſæculo gubernarant. Et comperit Romam ſexaginta annis ab omni idololatria extitiſſe immunem:

Roma sexaginta annis sinè cultu. Quapropter laudabili instigatus curiositate, inquirit, unde tot diversi cultus & ritus tam celeriter irrepserint, & tanta pestis suam desumpserit originem, & re maturè consideratâ, tandem affirmat, sese comperisse totum malum è nimio familiari ipsorum cum obcæcata gentilitate provenisse commercio: *vicinitate & commixtione*, inquit, *gentium subitò talis cultus introductus est ità ut omnes Roma superaret.*

Hoc confirmârat, & dudum ante prædixerat Propheta David Psal. 105. *& commixti sunt inter*
v. 35. 36 *gentes, & servièrunt sculptibilibus eorum: & factum est illis in scandalum.* Nec id sanè est mirum: quoniam, sicut torpedo suâ activitate & vi, per virgam piscatoriam dimissâ venenosâ quâdam qualitate, piscatoris manus inficit, & paralyticas reddit, ut sustinent Naturalistæ, & experientia convincit, sic, inquit Plinius, impiorum consortium probos pervertit. *Sumuntur à conversatione mores, & ut quædam in tactis corporibus vitia transiliunt, sic animus perversus proximo suo mala tradit.* Unde quàm plurimùm laudatur subtile Aristippi responsum, qui interrogatus, quid omnium observatu foret difficillimum, dixit? *Virum probum inter improbos probitatem servare.* Quod optimè perponderans Philosophus Seneca, familiaribus suis sanum dabat consilium: *Quando invitatus es ad convivium, considera priùs cum quibus comedas, quàm quid comedas.* Cujus irrefragabilem adfert rationem S. Hieronymus: *Proclivis est malorum imitatio, ut quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.*

Unde perspicuè liquet pravum consortium esse ad instar pestiferi mali, & perniciosi veneni omni studio ac conatu evitandum, tùm juxtà veteres Scriptores, imò & quidem gentiles Philosophos, tùm juxta sanctos Patres & sacram Scripturam, quæ ait: *Qui amat periculum peribit in illo. Qui tangit picem, coinquinabitur ab eo. Cum bono bonus eris, & cum perverso pervertèris.* Imò idipsum nobis apertè satis inculcat ipsemet Christus; ecce evitat Judæam, nec in ea commorari desiderat, quia perfidorum hominum, ac impiorum Judæorum abundantiâ scatebat, qui eum quærebant occidere, & quantumvis ipse, utpotè impeccabilis, nullo planè foret perversionis discrimini subjectus, attamen hoc actu nos voluit docere sceleratorum societatem necessariò debere devitari, quia ut rectè ait Bernardus: *Non est humanæ infirmitatis, sed virtutis divinæ, bonum & impium simul commorari.* Quod in præsenti discursu pro imbecillis ingenii mei viribus vobis conabor demonstrare, prævia tamen pro impetrando Spiritus S. subsidio, Mariæ Virginis intercessionis imploratione, atque Angelicâ salutatione: Ave gratiâ plena.

Ambulabat IESVS in Galilæam: nolebat enim in Judæam ambulare.

Gravissima quandoque à quibusdam subtilibus ingeniis ventilata est quæstio, an saluti animæ hominis magis conducat, eum ab omni tumultu, sæcularibus negotiis, & aliorum consortio semotum, vitam degere solitariam, an verò cum hominibus conversari. Et sicuti diversa sunt hominum judicia, atque animi inclinationes, quælibet opinio suum adinvênit patrocinium, & advocatum. Si Seneca in præjudicium solitudinis asserat: *Omnia nobis mala solitudò suadet*; attamen Aristippus audet in illius favorem hanc ferre sententiam: *Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere*, id est, qui desiderat vitam ducere innocentem & rectam. Quod si S. Chrysost. in solitudinis vituperium dicat: *Solitaria difficilis est vita*: pro hac viriliter militat doctissimus Petrarcha, dicens: *Vita procul dubio singularis & non tantùm tranquillior, sed & altior est & felicior.* Si rursùs solitudini adversetur Sapiens, dum ait *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se.* Et rectè v. 9 *Melius est duos esse* Eccl. c. 4.
simul quàm unum: habent enim emolumentum societatis, ut, si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Modò vers. 10.
in contrarium Seneca ad amicum suum Lucullum scribens, pro ea mordaciter pugnat *Quoties inter homines fui, minus homo redii*, & rationem subnectit: *quia avarior redeo, ambitiosior, crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui*

Quibus omnibus visis, & auditis pro utraque parte fundamentis & ratiocinationibus, prudentiores, meo judicio (salvo meliori) cum distinctione suam promunt sententiam: videlicet conversationem humanam bonam esse, sed cum piis & bonis; verum malam cum malis & impiis, est namque melius malorum habere odium, quàm consortium, quia ut rectè ait Isidorus: *Sicut bona* Lib. 1.
multa habet communis vita sanctorum, sic plurima solilo.
mala societas adfert malorum. Hinc gentilis Philosophus Theognides hanc invictam veritatem non ignorans, cunctis salutarem inculcat admonitionem hoc uno disticho:

Te conjunge bonis, & ab his bona plurima disces:
Cumque pravu vivens, tu quoq; pravus eris.

Verùm

Verum quamvis hæc satis superque eluceat, aggrediamur tamen eam variis Scripturæ locis, experientiis, ac SS. PP. testimoniis fortiùs comprobare. Antiquissimus Doctor Tertullianus acutè annotat id, quod Evangelista Marcus enarrat contigisse cap. 1. Erat quodam tempore inter Judæos & Pharisæos in Synagoga quidam obsessus, qui cernens ibidem Christum adesse, velociter ad eum accurrit: *& exclamavit dicens, quid nobis & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? scio quis sis, sanctus Dei.* Hic totus obstupefactus, interrogat præfatus Doctor: quodnam motivum habuerit diabolus, quodve fundamentum, quod Christi divinitatem quasi agnoverit: *Scio quis sis, sanctus Dei.* An forsitan è continuis ipsius miraculis illam elicuit? an forsitan, quia mortuos ad vitam revocabat, ei potentiam divinam adscribebat? hoc argumentum non erat omninò efficax. Elias namque filio Sarephtæ defuncto vitam restituit, ut patet ex 3. Regum cap. 17. Idem effecit individuus Eliæ comes, qui filium mortuum vivum Sunamitidi restituit, 4. Reg. cap. 4. an quia lepram curavit? hæc ratio adhuc minor est; etenim rursus Elisæus in Naaman Cyro eandem exercuit virtutem. An quia aquam in vinum transsubstantiavit? Moyses quoque aquam in sanguinem convertit; an stupenda illius doctrina, arcana sapientia eum in admirationem rapuit? juxtà illud Marci: *Stupebant super doctrina ejus.*

Vers. 24.

Pro dissolvendo hoc nodo Tertullianus advertit ad locum, videlicet ad Synagogam, in qua tùm temporis Christus morabatur, quæ erat mera cloaca nebulonum, perfidorum Scribarum, & Pharisæorum, qui ibidem populum indies in innocentem Christum, tamquam seditiosum commovebant. Cumque itaque diabolus cerneret, eum ab omni peccati labe prorsus immunem, nec improborum consortium, conversationem, atque exempla illum posse labefactare, conclusit, ipsum divinitatis esse participem: *Scio quis sis, sanctus Dei.* Quoniam non est humanæ infirmitatis, sed virtutis divinæ bonum & impium simul commorari. Et idipsum videtur S. Joan. confirmare, qui cap. 1. mentionem faciens de mysteriosa Verbi divini Incarnatione, ait: *Et Verbum caro factum est: & vidimus gloriam ejus*, quæ ultima verba non absque fundamento addita fuisse arbitror: quoniam, nonne abunde sufficiebat in ejus encomium hoc unicum dumtaxat dicere: *Et verbum caro factum est*, quandoquidem ipsa gloria Verbo ex essentia competat, sitque sibi ipsi gloria? Sane summo cum mysterio Evangelistarum loquitur aquila; etenim quia immediatè antecedit, *& habitavit in nobis*, id est, inter peccatores, & omni scelerum generi obnoxios conversatur, & tamen peccati noxâ non commaculatur, stupenda ejus eminet gloria, & per hoc mirabiliter elucet divinitas; humanum namque non est, sed quasi impossibile, ut quispiam pravo intersit consortio, quin iniquitatis pice attingatur, & coinquinentur.

Marc. c. 1. v. 22.

Joan. c. 1. vers. 14.

Hoc quàm optimè noverat Patriarcha Jacob, ut colligere est ex cap. 33. Genescos, ubi narratur Esau fratri suo: Mesopotamia ad patriam suam cum tota sua familia redeunti, quàm plurimis stipatum domesticis & servis obviam ivisse, eumque summo cum gaudio & applausu recepisse, atque illi pretiosa munera in sinceri amoris, & candidi animi mnemosynon obtulisse. Quo peracto, ait Scriptura, Esau instanter desiderâsse dilectum suum fratrem Jacob comitari & incolumen domū deducere? *Vix fratre compellente suscipiens, ait: gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Verum Jacob Esau comitatum comiter recusavit: *Nôsti Domine me, quòd parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum, quas si ambulando plus fecero laborare: morientur unâ die cuncti greges; præcedat Dominus meus antè servum suum, & ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad Dominum meum in Seir.* Cumque urgentiùs instaret dicens. *Oro te, ut de populo, qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ*, humaniter respondit: *Non est necesse.*

V. 12. 13. 14.

Sed ob quam, obsecro, rationem Jacob consortium fratris, quandoquidem illum tanto temporis spatio non vidisset, aut servorum ejus non admisit? sanè mihi illud maximæ inurbanitatis apparet indicium. Prudentissimè tamen fecit Jacob, agnoverat quippè fratris Esau perversum genium, depravatos mores, inordinatam vivendi normam, & totius ejus comitatus insolentiam, ideò, ne teneri puerorum suorum animi hujuscemodi mores imbiberent, quos ipse summâ vigilantiâ in timore Dei, & modestiâ enutrierat; aut nè quispiam è familia sua pestifero pravæ societatis veneno inficeretur, iis suos neutiquā voluit permittere commisceri. Et hunc verum fuisse Jacob motivum, satis apertè expiscari quis potest ex ipsamet Scriptura. Non obstante enim, quòd pollicitus fuisset se secuturum vestigia fratris, donec veniret ad domum

domum ejus in Seir, attamen ab ea via deflexit: *Re-*
v.17. 18. *versus est autem illo die Esau itinere, quo venerat in*
Seir, & Iacob venit in Secoth, transivitque in Salem,
urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan. Nec
unquàm legitur in tota vita Jacob Esau invisisse,
ignarus quippe non erat, quàm fallax sit torpedo
malum consortium, ac proinde illud judicabat
quàm diligenter effugiendum; *Quia proclivis est*
malorum imitatio. In hoc laudabili Prophetæ Ja-
cob actu pulcherrima profectò pro parentibus
continetur eruditio, qui tàm facile, tàm inconsi-
derate filios & filias ad mundana conventicula,
convivia, bacchanalia, & periculosa consortia pro-
perare permittunt, & hyeme juvenculas cum ju-
venibus glaciem conscendere, pòst cum iis in ta-
bernis laute potitare sinunt. Ah! quot, quot sunt
filiæ, quæ cum detrimento proprii honoris, &
summo cum parentum luctu & lamento in simili
consortio ad inhonestatem, & carnalem concubi-
tum alliciuntur, convincuntur juvenum blandi-
tiis, sicque misere cadunt! recipite ô Patres, ô Ma-
tres admonitionem, quam vobis inculcavi supra
tractans de cura parentum: & magis indubie cir-
cum spectè ageris.

Verùm in discursu nostro progrediamur, pro
quo indagandum est, inter omnes pœnas & affli-
ctiones, quas ob peccata & scelera hominum be-
nignus iis inflixit Deus: quænam omnium exsti-
terit gravissima? Non ambigo, quin quilibet sit
responsurus diluvium universale, cui Sodomæ &
Gomorrhæ cedere debet ignis: Dathan & Abiron
in terram absorptus: civitatis Jerosolymitanæ per
Titum & Vespasianum eversio: imò nec hæ pu-
nitiones universali mundi inundationi, ne umbra-
tice quidem possunt adæquari. Hoc pro vero sup-
posito, nunc operæ pretium est inquirere, quodnã
fuerit peccatum tam horrendum, ut Deum ad
tantam concitârit vindictam; etenim, quando-
quidem gravitas pœnæ præcise commensurari de-
beat gravitati delicti, nec ullatenùs rigor possit se-
cundùm justitiam pœnam excedere; & cum ad
misericordiam pronior nunquam ad æqualitatem
crimen castiget: mirum apparet tale, tamque gra-
ve potuisse ab homine committi, quod tantam
stragem in mundum invexit; quodnam ergò est
illud? Hoc sacra Scriptura clarè indicat Genes. cap.
Vers. 2. 6. dicens: *Videntes filii Dei filias hominum, quod*
essent pulchræ, acceperunt sibi uxores.

Tertullianus hic per *Tò filios Dei,* omnes eos in-
telligi asserit, qui ex pio & obediente patre Seth
erant progeniti, per *Tò* verò *filias hominum,* de-
scendentes ex impio genitore Cain, quæ idcircò
filiæ hominum nuncupantur, quia enormia facta
perpetrantes Caini vestigiis inhæserunt. Sic quo-
que sen i Glossa ordinaria in hunc locum: *Viden-*
tes filii Seth religiosi, mulieres descendentes de Cain,
quæ erant curiosæ, dissolutæ, & lubricæ, eas acceperunt
sibi uxores. Quæ phrasis & loquendi methodus est
maximè usitata. Ordinarie namque peccatores, &
mundanis omnino voluptatibus dediti hoc decoro
titulo insigniuntur, ut Psalmista satis apertè indi-
cat, dicens: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut* Ps. 4. v. 2.
quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Et
rursùs Psal. 61. *Vani filii hominum mendaces in sta-* Vers. 10.
teris. Et ecce ob hoc crimen in tantùm excanduit
divina justitia, ut universale diluvium immiserit,
omnemque carnem (excepto Noë cum familia)
deleverit. *Non permanebit spiritus meus in homine,* Gen. c 16.
quia caro est. O stupendum opus! ô absconditum vers. 3.
mysterium à sæculo! verè hic cum Apostolo ex-
clamandum est: *Quis novit sensum Domini, aut* Rom. c. 11.
quis consiliarius ejus fuit? ô bone Deus! hocne vers. 34.
tam grande, tàm enorme est scelus? ut tantâ ple-
cti mereatur pœnâ? ah! justa est Dei vindicta.
Filiæ Cain idololatriæ addictæ, omni immersæ
iniquitati, pessimo suo consortio & moribus totam
stirpem Seth infecerunt, & à veri Dei cultu diver-
terunt, ideoque ad summum incensus est justitiæ
Dei furor, ut eum tot dierum & noctuum spatio
aquæ è cælo dilapsæ extinguere non valuerint.
Hoc itaque facto ostendit Deus, quantum sibi dis-
pliceat, quòd homo pravo sese commisceat
consortio, & animam tàm nobilem à Deo
creatam, tanto pretio redemptam, evidenti perver-
sionis, atque æternæ ruinæ committat periculo:
Quia nihil facilius, inquit Cypr. libro de spectacu-
lo, quam ut superbia superbiam, iracundia iracun-
diam: omne denique vitium sui generis vitium in
aliorum animis pariat.

Ex hoc rursùs suum Catholici parentes desu-
mere possunt documentum; præcipue, qui primò
de filii aut filiæ divitiis indagant, antequam matri-
moniali contractui consentiant, mores autem, de-
votionem ac probam educationem negligunt; imò
& eò proterviæ procedunt, ut ipsam Religionem
seponant, modò nummi sonent, & potentes in hoc
sæculo efficiantur, sicque prolem suam hæreticis
tradunt. Ah! non veremini fatui & insulsi filiam
tuam à marito pervertendam, ejusque filios in
hæresi fore alendos? Ah parentes, animas eorum
Dominus de manu vestra requiret: quàm benè di-
cit de vobis Gregorius Nazianzenus: *Corpora na-*
torum

torum suorum amant, animam autem contemnunt, desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant, quid passuri sunt in altero. Insuper ô miseri! non consideratis, quàm verum sit, & ab omnibus receptum axioma, cum quo conversaris, cum eo honoraris, id est, pro tali reputaris? Si itaque cum bono quis tractet, bonus habetur: sin verò cum malo, malus. Ecquid igitur adeò sordida divinarum hujus mundi vos commovet cupiditas, ut proli vestro cum tanto honoris sui detrimento persuadeatis cum hæretico connubium inire? Ecce illa pro simili jure merito exploditur, & ut hæretica reputatur. Quod etiam optimè indicat Divus Thomas dæmonem non ignorâsse. Hic curiosè indagat, quare ipse in passione Christi Judæos instigârit, ut eum medium inter duos latrones crucifigerent? & respondet, quod ipse invidiâ crepans, eum justum & innocentem à quàm plurimis reputari, omne remedium, omne stratagema inquisierit, ut bonam hanc de illo opinionem è mente eorum eradicaret: sic itaque argumentabatur: non potest bonus cum malo commorari: atqui crucifixus inter duos nebulones, nefarios sicarios, infamesque latrones pendet, ergò non est bonus, sed nebulo, latro, &c. *Malam opinionem,* inquit Angelicus Doctor, *de Domino innuere volens, etiam latrones faciebat crucifigi cum eo, quia cum quo conversaris, talis reputaris.*

Amperatori Augusto, ut Romanæ commemorant historiæ, duæ geminæ erant filiæ sibi invicem vultu, staturâ, & oculorum colore adeò similes nomine Livia & Tullia, ita ut à nullo, eò quòd persimili quoque habitu induerentur, secerni possent. Romani itaque unicum eas inter se dignoscendi indagare coacti sunt signum, quod tandem adinvenerunt, nimirùm diversitatem consortii & comitatûs. Livia namque filia morigera, modesta & pietati omninò dedita, Deorum templa sæpè sæpius frequentabat, Diisque sacra faciebat, & sacrificia offerebat, honestarum puellarum atq; gravium & venerabilium senum consortio latus ejus stipabatur. Tullia verò tota voluptuosa, & deliciis assuefacta ad lubrica properabat spectacula, in comædiis summoperè delectabatur, tripudiis libenter animum relaxabat, per plateas promiscuè vagabatur, & magna semper dissolutorum, impudicorum, ac luxuriantium juvenum eam comitabatur caterva, unde Romani Liviam à Tullia discernebant è consortio & comitatu.

Quod si modò à me quis peteret, quomodo filias Gandenses morigeras, honestas, bonisque moribus imbutas, ab immorigeris, lascivis & dissolutis possem distinguere: responderem ad instar Romanorum, me eas dignoscere, sicut ipsi Tulliam à Livia: videlicet è consortio, si enim insulsorum juvenum admittant consortia, & impiorum delectentur alloquio, Ecclesias Dei contemnentes, Deique verbum negligentes, ad tripudia, & comedias properent: ego tales numero *Tulliarum* collocabo, secus verò, si pravam adolescentum & impiorum virorum respuant societatem ac conversationem, si templa sedulò frequentent, conciones avidâ aure percipiant, cum honestis & morigeris conversentur filiabus & fœminis: illas ut *Livias* reputabo. Si itaque tu Pater, tu Mater desideres scire, cujus vitæ sit filius tuus, vel filia tua, inspice quibuscum ipse vel ipsa conversetur, & è consortio tuum profer judicium, impossibile namq; quasi est probum inter improbos sine corruptela vivere posse.

Ad præsens institutum notatu digna est curiosa sacræ Scripturæ interpretum aliquorum mysteriorum, quæ in prima hujus mundi creatione peracta sunt, animadversio: ii inprimis maximè obstupescunt, quòd benignus Deus (ut narratur Genes. cap. 1.) piscibus & volatilibus jam productis divinam suam impertitus sit benedictionem, & non animantibus reptibilibus & bestiis terræ. *Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque iis dicens: Crescite & multiplicami, & replete aquas maris:* De aliis autem subnectitur: *Dixit quoque Deus; Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumque est ita,* & nulla subsequitur benedictio. In quo facto magna primâ fronte apparet partialitas. Cujus vix micam rationis ipsi adinvenire queunt. Cur namque animalibus terræ, piscibus quàmplurimum nobilioribus benedictio eripitur, illis autem ultrò datur? *Gen. cap. 1. vers. 21. 22. 23.*

Duas ad hanc difficultatem enucleandam reperio rationes. Una est S. Augustini, altera S. Chrysologi. Pro primæ intelligentia mente revolvere oportet pulchram quæstionem, quam instituit Aug. lib. 1. de mirabilibus Cur nimirum universali diluvio pisces, & aquatica animantia, sicut terrestria communi stragi ac ruinæ non fuerint subjecta: *Sed universa, quæ in aquis vivere possunt, plaga ista non tetigit, terrena tantùm animalia mortificavit.* Et rationem occulti Dei judicii requirens pergit: *Quam ob rem terrena animalia sua vindi-* *Cap. 4.*

cta plusquam aquatica succumbunt ? quorum nec plura peccaminum gesta subveniunt

Si dicas id ideò factum esse, quia pisces in naturali suo commorabantur centro, nimirum aqua, à quo inundans diluvium eos dimovere non poterat, ac per consequens nec nocere ; non videris satisfacere. Potuisset namque Deus saltem supernaturaliter animalia terræ, sicut illa in arca, & paradisum terrestrem à communi interitu conservare. Quare itaque Deus in hæc tàm sævus, in illos extitit tam pius ? S. Augustinus moralem hujus nobis
Cap.18. subministrat rationem, & dicit terram, jam commisso Adæ peccato, à Deo fuisse maledictam, & quia animantia terrestria ab ea fulciuntur, sustentantur & enutriuntur, ex venenoso ejus contactu, juxtà illud: *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea*, etiam hanc maledictionem participârunt. Audite magni illius Doctoris verba: *In peccato primi hominis, terra, de qua gustaverat, statim maledicitur. Per divinum namque edictum ita infertur, maledicta terra in opere tuo. Quàm re notandum ipsa animalia, quæ maledictam terram manducaverunt, expertia maledictionis esse non posse.* Et hæc eadem est ratio, inquit idem: Cur Deus terram tantum maledixerit, & non aquas; quia ipsa Adamo de fructu suo probandum præbuerat. *Non aquam contra edictum Domini bibit, sed de terra fructum homo comedit.* Si quis autem curiosè modò inquirat, cur nihilominus terrestris paradisus universali diluvio servatus fuerit intactus, consulat Mariale, legatque concionem 2. de immaculatæ Virginis Conceptione, & ibidem hujus rationem ad longum deductam comperiet.

Chrysologus verò censet terrestria animalia benedictionem Domini non percepisse, quia in eorum consortio venenosus serpens conversabatur. *Associatâ serpente*, inquit, *divinâ benedictione indigna erant.* Quod si ita est, hûc vos advoco, ô imprii parentes! An non veremini filias, & filios vestros ex hæreticorum familiari consortio fore coinquinandos, & à Catholica Religione divertendos? Ecce animalia terræ aquarum diluvio suffocantur, quia cum terra maledicta communicant, & tu filia Catholica connubiali vinculo maledicto hæretico adstricta divini furoris non extimescis fulmen? Animantia terræ indigna benedictione judicantur divinâ, quia serpenti associantur juxta Chrysol. & tu associata perfido serpenti, jurato Ecclesiæ Romanæ hosti, cœlestem & æternam adipisci præsumis benedictionem? Ah summum subest periculum. Rarum namque est, imò vix possibile, probum cum improbo conversantem in probitate persistere. Cavete vobis itaque ô parentes, ô filiæ, & filii ab hujuscemodi conjugiis, quæ cor in fide sanum & rectum pervertunt. Cogitate, quid dicat Alexander ab Alexandro: *Par est, ut nos, qui Christiani sumus, omnes, qui contrà Christum loquuntur, animoque sunt ab eo alienato, tanquam Dei hostes, & corruptores devitemus.*

Et ecce quàm egregiè totum meum dictum confirmat ipsamet veritas Deus. Hic quippe promissâ amplâ, & stupendâ populo suo in Amorrhæum, Chananæum, Ethæum victoriâ, Exod. c.
34. ei mòx notabile intimat præceptum: *Cave, nè* Vers.12.
unquam cum habitatoribus terræ illlius jungas amicitias, & sint tibi in ruinam; nè ineas pactum cum hominibus illorum nationum. Sed attendite parentes, percipite filii, & filiæ, & ad vos salutare hoc deducite monitum: quo rationem allegat infinita Sa-
pientia. *Nec cum fornicati fuerint cum Diis suis, &* Vers.13.
adoraverint simulachra eorum, vocet te quisquam, ut comedas de immolatis, nec uxorem eorum accipies filiis tuis, nè, (quòd maximè notandum) *pòstquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.*

Sed hæc sint per transennam dicta. Resumamus rursùs materiæ nostræ objectum, atque ostendamus ulteriùs, quantùm animæ saluti pravum consortium adferat detrimentum. In sacra Scriptura quàm plurimas Dei Abrahæ comperimus apparitiones, quæ Patriarchæ adeò gratæ extitêrunt, ut pòst quamcunq; in divini cultus protestationem, & de tanto beneficio gratiarum actionem Domino solemne sacrificium obtulerit: exceptâ tamen unâ, quod ad propositum meum maximè est annotandum, Gen. c.12. refertur: *Apparuit autem Do-*
minus Abraham, & dixit ei, semini tuo dabo terram Vers.7.
hanc. Et mòx subjungitur: *Qui ædificavit ibi altare Domino qui apparuit ei.* Et rursus c.13. *Dixitq; Dominus ad Abram, pòstquam divisus est ab eo Loth: Leva oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem, Meridiem, Orientem, & Occidentem. Omnem terram, quam aspicis tibi dabo, & semini tuo*
usque in sempiternum. Et sequitur inferiùs v. 18. Vers.14.
Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit, & habitavit juxtà vallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.

Denuo c.22. Deus ei in figura Angeli apparuit (ut sustinent quàm plurimi SS. PP. inter quos Theophylactus &c.) in monte, in quo unigenitum, & dilectum filium suum Isaac erat immolaturus; *Dixitque ei, non extendas manum tuam su-*

per puerum, neque facias ei quidpiam: nunc cognovi, quòd times Deum, & non pepercisti unigenito tuo propter me. Et ecce statim Abram intuitus est arietem vepribus inhærentem, & cornibus implicatum, quem confestim divino cultui & sacrificio destinavit: *Quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.* In apparitione autem secunda, quæ enarratur Gen. cap. 12. Abram de nullo prorsus offerendo intentus fuit sacrificio. *Dixit autem Dominus ad Abram, exi de terra, & cognatione tua: & de domo patris tui, & veni in terram, quam ego demonstrabo tibi faciamque te in gentem magnam &c.* Cui divino præcepto promptè & alacriter obtemperans Abram, omisso omni holocausto: *Egressus est sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Loth. tulitque Sarai uxorem suam &c.* Verum, quare in omnibus aliis apparitionibus, & non in hac Abram sacrificium Deo obtulit: Hoc profectò satis mysteriosum est, quod nobis pandit doctissimus Oleaster, dicens: Deum Abram, ut infidelem, & veri Dei ignarum, ad rectum cultum, & infallibilem religionem radianti potentis gratiæ suæ lumine attraxisse, eique revelâsse omnia sacrificia, atque oblationes, quæ fiebant in domo Thare patris sui, & in terra Haran, non esse, nisi idololatriam, diabolica inventa, & intollerabiles abominationes. Quo cognito, perrexit Abram secundum mandatum Domini, nec ullam itineri injêcit moram, veritus, ne ipse jam fidelis redditus, ex tam impii consortii exemplo, aut forsitan allectione, aut adhortatione similibus idololatriæ, & diabolici cultus iniquitatibus ex fragilitate involveretur; relinquens simul posteris doctrinale monitum, ut societatem perversam quantociùs effugiant, ne fallaci visco intricentur, & in æternum præda diaboli remaneant; quoniam *proclivis est malorum imitatio.*

Gen. c. 22. vers. 13.

Gen. c. 12. v. 4. & 5.

Quodam tempore Propheta regius totus mœstus & desolatus ob magnam perfidi regis Saulis persecutionem summoperè fuit lamentatus, & summas de aulicis, & Sauli assistentibus deposuit querelas, dicens ipsimet Regi, ut fatetur Scriptura 1. Regum cap. 26. *Si filii hominum maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: vade, servi Diis alienis.* Hujus tamen improperii aulicorum Saulis facti nullam sacer textus facit mentionem. Unde apparet illud Davidis lamentum non adeò fuisse justum, & bene fundatum. Dicere autem Psalmistam absque fundamento fuisse conquestum, est temerarium;

Vers. 19.

Pro hujus itaque dilucidatione appositè deserviet intollerabile scomma, quod Prophetæ Job sedenti in sterquilinio testudine scabiem radienti improperavit Eliu. Hic erat unus è numero amicorum ejus, qui quoque infortunia tanta deploraturus, illumque consolaturus advenerat. Sed verè amici majori patienti Jobo fuêre tormento & afflictioni, quam adjumento, & consolationi, ut ipsemet attestatur cap. 19. *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? En deciès confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.* Ipsi namque tantam afflicti viri miseriam, ne divinam accusarent providentiam, aut justitiam, tantæ afflictionis causam argumentabantur esse varia à Job commissa scelera. Unde Eliphaz Themanites eum immisericordiæ, & pauperum injustæ oppressionis redarguit *Nunquid timens arguaet te: & veniet tecum in judicium. Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas? Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem. In fortitudine brachii tui possides terram, & potentissimus obtinebas eam. Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita.* De quibus Eliphaz calumniis, cum Job sese ad amussim purgâsset, ut patet ex toto cap. 31. Eliu potentius ipsius impietatem convincendi adducit argumentum cap. 34. vers. 7. *Quis est vir ut Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam.* Et vers. 8. *Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis.* Ac si diceret: Quis illum justum, & innocentem judicabit, qui cum impiis & perfidis conversatur? Quis eum omni iniquitate conspersum non credet, qui continuo pessimorum interest consortio? *Non est enim humanæ infirmitatis, sed virtutis divinæ bonum & impium simul commorari.* Ecce è consortio Eliu juste pravam deducebat Job vitam.

Vers. 2. & 3.

Iob cap. 22. vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Nunc elucescit proposita de Davide difficultas: *Vade, servi Diis alienis.* Quantumvis enim neutiquam quispiam aulicorum Saulis ad idololatriam eum instigasset, quia tamen eorum persuasu forsitan aulam deserere, & sic ad regem Achis Seth cogebatur confugere, & in terra idololatriâ repleta, & omni iniquitati subjecta, commorari, judicabat sese quasi ad patriæ illius cultum observandum dimitti. Credebat namque firmissimè, impossibile fore impiorum consortio commisceri, & eorum iniquitate non coinquinari.

Hic denuò parentes suam haurire possunt in-

ſtructionem, qui filios in Angliam, Hollandiam, Sueciam, Daniam, & ad Indias orientales & occidentales pro addiſcenda mercatura dimittunt. Quoniam de iis optimè poteſt dici, dum filiis valedicunt, ipſos hæc verba proferre: *Itote, ſervite Diis alienis*, quia proclivis eſt malorum imitatio. Unde ſi quis deſideret ſcire, quodnam inter omnia, quæ Spiritus S. Prophetæ Job adſcribit, emineat encomium: illud paucis hiſce comprehenditur verbis:

Iob. cap. 1. verſ. 1.

Vir erat in terra Hus nomine Iob ſimplex & rectus. Quibus non abſque ſumma ejus laude ſpecialiter locus habitationis exprimitur, ut major ejus elauceat ſanctitas. Terra etenim Hus iniquitate plena, diſſoluta & omnino impia erat. In ea tamen commorans Job ſimplex & rectus reperitur, ſicque non

Greg. lib. 1. mor. c. 1.

humana ei, ſed divina adſcribenda eſt virtus. *Dicatur*, inquit Greg. *itaque ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile eſt, bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis.* Hinc Themiſtocles ſtrenuus Athenienſium Dux quodam tempore, dum prædium exponeret venale, publicâ præconis voce per totam civitatem Athenienſem denuntiari juſſit, illud inter probos, & morigeros vicinos ſitum eſſe: ratus magnum hoc ad agri commendationem momentum adferre.

Narrat ſacra Scriptura Patriarcham Abraham mortuâ Sarâ chariſſimâ ſuâ uxore, finitoque ſolito planctu, quia ſepulchrum non habebat, in quo eam conderet, à filiis Heth emiſſe agrum, in quo erat ſpelunca duplex, ad ibidem corpora ſuorum humanda. *Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, loquutus eſt ad filios Heth, dicens: advena ſum & peregrinus apud vos, date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum. Reſponderunt filii Heth dicentes: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos; in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum: nulluſque te prohibere poterit, quin in monumento ejus*

Gen. c. 23. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

ſepelias mortuum tuum. Verùm ad præſens propoſitum annotandum eſt, Abraham iis de tanta benevolentia ſummas egiſſe gratias, & noluiſſe abſolutè Saram in eorum monumentis deponere, ſed expreſsè deſideràſſe pro ea, & poſteris illius propriũ ſepulchrum extruere. Quapropter replicavit, dicens: *Si placet animæ veſtræ, ut ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor: ut det mihi ſpeluncã duplicem, quam habet in extremâ parte agri ſui: pecuniâ dignâ tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri.* Sed quare Abraham tàm amplam à filiis Heth recuſat oblationem: indubiè ibi magnatum & principum reperiebantur monumenta. Cur igitur ſuis unum ex nobilioribus non elegit? Nonne, ſi magnæ familiæ nobilis, aut princeps quidam alicui peregrino, & incognito magnificum, quod proprio ſtemmati erectum eſt, offerret ſepulchrum, hoc ei ſummo verteretur honori? Indubiè ſanè. Et tamen hoc non admiſit Abraham.

Ad hoc myſterium diſcooperiendum pluſquàm neceſſarium eſt animadvertere ſedulam curam, quam olim SS. Patriarchæ pro ſepultura habuerunt. Jacob jam morti vicinus, ſingulis filiis propriis datis benedictionibus, ut conſtat ex cap. 49. Gen. tandem locum ſuæ ſepulturæ deſignat, & illos paterno mandato adſtringit. *Verſ. 29.* *Et præcepit eis dicens, ego congregor ad populum meum: Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi contrà Mamore in terra Chanaan, quam emit Abraham.* Joſeph quoque ingredi viam univerſæ carnis præſentiens, de ſepultura fuit quàm maximè ſollicitus, quamtumvis prophetico ſpiritu cognoſceret regem Pharaonẽ non permiſſurum, ut corpus ſuum ex Ægypto tranſportaretur ad terram Chanaan. Præſagiens tamen tandem tranſmigrationem populi Iſraelitici è terra Ægypti futuram, de oſſibus curam geſſit, imò filios & poſteros juramento devinxit. *Gen. cap. 50. v. 24.* *Cumque adjuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto: mortuus eſt.* Sed quæ tantæ diligentiæ genuina aſſignari poteſt ratio? Sanè non alia, niſi, quia S. Patriarcha à peſtifero conſortio ſummopere abhorrebat. Et quamvis vivi inter eos commorari ſumma ex neceſſitate, divinâ ſic diſponente providentiâ, fuiſſent coacti, tamen mortuos apud eos quieſcere noluerunt. Quia itaq; Hethæi, & Ægyptii erant ſcelerati & idololatræ, maximaque in his regionibus vigebat iniquitas & impietas, corpus Jacob, & oſſa Joſeph ad piorum ſepulchrum tranſportare curarunt. Quod annotans Oleaſter ait: *Oleaſter in hunc locum.* *Ecce quam mala ſit conjunctio malorum, ut non ſolum vivi, ſed etiam defuncti nolint cum iis commorari.* Quibus verbis hic Doctor pro evitando pravorum conſortio, nervoſum à minori ad majus conficit argumentũ, ut intelligenti patet.

Nec quis mihi in ſui defenſionem ſuam obtrudat conſtantiam, dicatque, in me lapſus periculum nullum ſubeſt. Multa videre poſſum, quæ oculos quidem attingunt, mentem tamen & animam minimè penetrant. Sit arduum inter improbos probitatem ſervare, in arduis tentanda eſt virtus. Socors miles eſt, qui aſpera non aggreditur, fortis verò athleta, qui nulla pericula formidat. Noli, noli

homo

homo sic temerariè ratiocinari. An forsitan tu, quiscumque fueris, te Petro Apostolo arbitraris fore constantiorem & fortiorem? Indubiè temerarium esset id asserere. Et ecce tamen in magistri sui conspectu, & discipulorum cœtu de sua quasi sese [Luc.c.22. v.55.] jactans constantia dicebat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ubi tamen sese perfidorum Judæorum, & impiorum vigilum ac militum consortio intermiscuit: *circum sedentibus illis erat Petrus in medio eorum*, ait Lucas, turpiter cecidit, & illum, quem Deum in Apostolorum præsentia confessus fuerat: [Matth.c. 16.v.17.] *Tu es Christus filius Dei vivi*, frivolâ muliérculæ cujusdam voce magnus hic Achilles dejectus hominem negavit; *Mulier non novi hominem*. Quid igitur non potest pestiferum hoc venenum, perversorum societas ac improborum commixtio? Hujus virtutem atque probos pervertendi efficaciam, egregiè exaggerat Glossa ordinaria hisce verbis: [Luc.c.22 vers.57. in Matth. cap. 26.] *Quàm noxia pravorum colloquia! inter infideles se negavit hominem nosse, quem inter condiscipulos jam filium Dei confessus fuerat.* Cui quàm optimè adstipulatur Paschasius: *Considerandum etiam est, ubi neget Petrus: non in monte, in quo fuit cum Domino, non in templo, non in domo sua, sed in prætorio Iudæorum. Ibi ergò negat, ubi veritas non est, ubi Christus ligatus est.* Nemo itaque sibi de fortitudine præsumat, nemo propriæ confidat constantiæ: *quia non est humanæ infirmitatis, sed divinæ virtutis probum cum improbo commorari.*

Christus Dominus, imminente jam acerbissimâ sua passione & morte, cum charis suis discipulis ultimam cœnam, sane mysteriosam sumpsit: Cuncta enim Christi verba & actiones verissima fuêre mysteria. In ea instituit stupendum illud venerabilis Eucharistiæ mysterium, quod fuit perfectissimum sui amoris complementum. [Cap.13. vers.1.] *Cum dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos*, ait Joannes. In ea non sine magno mysterio turbatus est. *Et cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu.* Et hoc propter unum Judam, quem divinâ suâ præscientiâ prævidebat in æternum periturum. Et, ut eum à maligno proposito avelleret, & obduratum ejus animum emolliret, internæ conturbationis propalavit causam: [Vers.21.] *Et protestatus est, & dixit: Amen, Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Verum cùm Jesus (qui scrutatur penetrabili suo intuitu renes & corda hominum) animum impii proditoris cognosceret ipso adamante duriorem, ferro flexibiliorem, in hæc verba (quæ quoque suum specialiter in sese continent mysterium) prorupit: *Quod facis, fac citiùs.*

Hic hæreo, hic obstupesco. Quid hoc O bone Jesu! tu clarissimè intueris infamem hunc proditorem nefariam intentionem formasse, te perfidis Judæis tradendi, *& tu ais, quod facis, fac citiùs.* Tradere morti authorem vitæ, creaturam prodere creatorem & redemptorem, impium est ultra, quàm concipi posset, crimen; & tu ad illud properandum eum instigas & acceleras? Hoc, hoc à tua pietate apparet alienum. Debuisses profectò illum efficaciter fuisse exhortatum, ut tantum nefas, quod meditabatur, attentius præponderaret, ut intimius animæ suæ æternam inspiceret jacturam: ut tot divina beneficia, quæ à magistro suo acceperat, penes sese exactiùs recolligeret, sicque moram nefandæ impietati injiceret. Et tu dicis, *quod facis, fac citiùs.* Non capio mysterium. S. Euthymius autumat hisce verbis: Christum prætendisse vehementem cordis sui indicare ardorem, quo æstuabat, ut redemptionem generis humani compleret, juxta illud ipsius dictum: *Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor, dum illud perficiatur.* [Luc.c.12. v.50.] Verùm, (salvâ magnâ Doctoris Euthymii reverentiâ) aliud sublitescere mysterium, satis dilucidè innuunt subsequentia textûs verba: *Cùm ergò exisset, dixit Iesus: nunc clarificatus est Filius Dei.* Videtur namque *Tò nunc* aliquam cum *Tò quod facis, fac citiùs* habêre connexionem. Sed quid, nunc clarificatus est? nimirùm, cùm exisset infamis proditor, an igitur ante illius egressum non fuit clarificatus Jesus?

Pro hoc advertendum id, quod dicit Evangelista Matthæus, loquens de tremendo Judicii [Matth.13. v.42.] die: *Mittet filius hominis angelos suos, & colligens de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* Quo facto ait Textus: *Tunc fulgebunt justi sicut sol.* Sed quare tunc? ante forsitan non fulgebant? Respondet ad hoc Joachimus Abbas: *Separatis injustis de medio justorum, fulgebunt justi sicut sol, quia nimirum nec potest dies esse in tenebris, crepusculum lucem aliquando obscuratam relinquit: sed quomodo discedentibus tenebris dies clarius affulget, ita detrusis impiis in inferno, fulgebunt justi.*

Quia impius iniquitatis suæ nebulâ Sancti gloriam & splendorem quasi denigrat.

Idem argumentum conficitur de Christo Domino in cœna, aderat perfidus proditor Judas, qui densis tanti sceleris nubibus, resplendentes Solis justitiæ Christi radios obtegebat. Huic Christus, ut debito gloriæ splendore frueretur; ait: *Quod facis, fac citiùs.* Ad egressum è cœnaculo eum excitans. Quo absente, tota gloria Christi apparuit, idemque dicit: *nunc clarificatus est filius Dei.* Sic apposité hunc conceptum confirmat S. Augustinus dicens: *Exit Judas & clarificatus est Iesus, exit filius perditionis, & clarificatus est filius hominis. Exeunte immundo, omnes mundi permanserunt.* Cui accinere videtur mellifluus Doctor, inquirens: cur Deus, qui nil frustrà operatur, expresse velit, ut Sancti & beati cernant damnatorum pœnas atque tormenta, juxtà illud Davidicum: *Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Nimirùm, ut ipsi certi & securi reddantur, eos ita in inferno pro tota æternitate fore conclusos, ut nunquàm ad superna sint ascensuri, & gloriam eorum interturbaturi. Sic ipse in hunc Psalmum, *Retributionem peccatorum videbis: securitas perfecta justorum, erit justa retributio peccatorum, qui videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultrà vereri malitiam possent.* Ecce O Christiani, quanto nocumento justis pravum sit sceleratorum consortium.

Aug. in Psal. 9.

Ps. 60. v. 8.

Mirum est, quod sacer textus commemorat de Loth. Gen. cap. 19. Divina bonitas enormibus sceleribus Sodomitarum ad iracundiam provocata, tandem in eos severam sumere statuit vindictam. Ad quam Angelos justitiæ suæ ministros destinavit, ut igne & sulphure Sodomam & Gomorrham funditùs delerent. Qui sub figura juvenum domi Loth hospitati, imminentem ipsi ruinam prædixerunt, ut si quempiam in his civitatibus è consanguineis aut affinibus haberet, eum ad discedendum admoneret. *Dixerunt autem ad Loth: habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac. Delebimus enim locum istum; eò quò increverit clamor eorum coràm Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.* Quod intelligens Loth, absque ulla mora, summa cum celeritate ad generos suos properavit, ut illis stragis futuræ nuntium deferret, ne & illos furor divinus absorberet.

Vers. 12. 13

Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit: surgite egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc, & visus est eis quasi ludens loqui, Ideoque nec dictis ipsius credidêre. Sed ecce (quod hic maximè notandum) Loth, qui tanto zelo generos suos admonuerat, negligens sui, cladis futuræ quasi immemor, moram traxit, & quidem in tantum, ut ab Angelis debuerit ad egressum compelli. *Cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* Quibus adhuc non acquiescentem vi civitate extraxerunt. *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus Eduxeruntque eum, & posuerunt extrà civitatem.* Verùm, qui fieri potest, Loth, qui antea tanta cum festinatione suos ad exitum sedulò fuerat adhortatus, nunc adeò deses sit, & in fugiendo tardus? Angelicus Doctor in cap. 19. Gen. sustinet Loth à generis suis irrisum & explosum, eò quòd tam facile futilibus hospitum suorum verbis crederet, etiam de eventu futuro dubitasse. *Ex derisione generum suorum aliquantulum obscurata fuerat, & turbata fides ejus.* Ecce quantum valeat impiorum persuasio & societas. Quæ, si Loth labefactavit & inconstantem reddidit, quam vim & impetum contrà nos non exercebit.

Vers. 14.

Vers. 15.

Audeo modò paradoxum proponere, atque asserere tantâ pravum consortium pollêre virtute, ut & Deum (si possibile foret) coinquinaret. Constat hoc apertè ex cap. 22. Ezech. *Sacerdotes mei contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam: inter pollutum & mundum non intellexerunt: & à Sabbathis meis averterunt oculos suos: & coinquinabar in medio eorum.* Quæ locutio neutiquàm secundùm sanum sensum (quandoquidem absolutè repugnet, Deum ipsum posse coinquinari) nisi pro emphatica accipienda est; nimirùm, ut signanter denotetur, quantum malum, malignum perversorum hominum inducat consortium.

Vers. 26.

S. Apostolus Paulus magnam inter sanguinem Abelis, ab impio fratricida Cain violenter effusum, & Christi Domini cruorem flagris Judæorum impiè extractum, facit differentiam. *Accessistis ad Novi Testamenti Mediatorem Iesum Christum, & sanguinis aspersionem melius clamantem, quàm Abel.* Hæc Apostoli verba difficilem

Ad Hebr. c. 12. v. 24

ficilem

Lib. 4. in Gen. c. 6.

ficilem satis inter doctissimos sacræ scripturæ Interpretes excitant quæstionem, & ab eis inquiritur, an omnis Christi Domini sanguis effusus, clamaverit pro venia: è contra verò sanguis Abel pro vindicta? Doctissimus Rupertus aliter de cruore Christi in cruce emanante, atque in horto Gethsemani è poris corporis effluente ratiocinatur. De illo ait: *Pro omni mundo interpellat, & universorum peccata excusat, ipsos quoque, qui fuderunt illum, ad pœnitentiam invocat.* De hoc verò: *Verè tantum miraculum sudoris otiosum non fuit, quia contra infelices & impios homicidas Iudæos in præsagium Iudicis terribilis, & vindictæ horribilis in terram decurrit* Ast unde tanta hic oritur disparitas, quod sanguis in cruce clamet veniam, in horto vindictam?

Rupert. l. 12. de victoria verbi c. 13.

Ad hoc enodandum nota, cur Christus, qui peccatum non fecit, nec inventus est in ore ejus dolus, ac per consequens nulli contra peccatum medelæ fuit obnoxius, voluerit baptizari: De hoc quippe obstupefactus Joannes Baptista dicebat Christo: *Ego à te debeo baptizari? & tu venis ad me?* De cujus stupore diserte ait S. Paschasius: *Expaverat eum ad se venisse, cui nulla inerat baptizandi necessitas, eò quod ipse tolleret peccata mundi* Respondet ad hoc dubium Sanctus Maximus: *Vt sanctificaret aquas.* Quam sententiam hausisse videtur ex S. Ambrosio dicente sermone 6. *Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificaretur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificaret.* Verùm quare sanctificari debebant aquæ? Ratio est, quia à terra maledicta, cui aquæ innituntur, coinquinantur. Hinc sanguis Abel, quia in terra effusus erat à Deo maledicta, vindictam clamavit, ait Ambrosius. *Non dixit clamat ad me de vulnere, sed clamat ad me de terra. Et, si frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat.* Et ideo quoque sanguis Christi Domini in horto decurrens in terram clamabat vindictam, non sic in cruce. Si itaque tantùm rei pravæ inanimatæ & maledictioni subjectæ commixtio adferat detrimentum: quodnam animabus nostris perversorum conversatio non conferet nocumentum.

Matth. c. 3. v. 14.
Pasch. l. 2. in Matth.
Max. homil... Epiph.
Ambr. l. de Cain & Abel.

Audistis fusè satis, ut credo, Auditores, pestiferi malæ societatis veneni efficaciam, quamque periculosum sit, probos inter improbos commorari, quod profectò opus est, non humanæ infirmitatis, sed divinæ virtutis. Intellexistis quoque quomodo prima Ecclesiæ Christi columna Petrus in pravo consortio contremuerit, percepistis, arbitror, suis neutiquàm confidendum esse viribus. Eja igitur Christiani, omne evitate & effugite malignorum consortium, è quo notabile scaturit damnum, & bonorum quærite societatem, è qua maxima oritur ædificatio & utilitas. Cordis vestri penetralibus auream (cum qua finio) Augustini imprimite admonitionem. *Perfectorum virorum consortio fruere, & à verbis eorum non avertas aurem tuam, & in eorum consilio delectetur anima tua. Verba enim vitæ sunt verba timentium Deum, & incolumitas animæ iis, qui ea libenter audiunt & attendunt. Sicut Sol oriens fugat caliginem, ita sanctorum doctrina à sensibus nostris expellit tenebras. Devita, quæso, viros superbos, invidos, detractores, mendaces, perjuros & salutem suam negligentes, qui mortui sunt virtutibus, & lætantur in propriis voluptatibus, ut gaudiis careant divinis. Dico, ut non vel unum in domo tua habeas, sed ubicumque tales esse audieris, hos devita.* Ne scilicet pravæ societatis visco implicatus, ad æternam nequeas avolare beatitudinem, quam ut cunctis donet exopto, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

Aug. lib. de salutaribus documentis.

FERIA QUARTA

Dominicæ Passionis.

Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Joan. cap. 10.

CUriosi rerum naturalium proprietatum & essentiarum indagatores, inter cætera attributa, quæ perdici attribuunt, notatu dignum hoc est, quod ipsa ex naturali instinctu & proprio intrinseco motu maximè avida sit quàmplurimas parvulas producere. Quapropter ad aliena ova furanda vehementer à natura instigatur. Sed postquam ea debito calore, & sedulâ diligentiâ fovit, pullosque jam exclusit, quandoque iis subitò privatur, & totaliter lugens atque mœsta sola relinquitur. Etenim perdix hâc quoque gaudet proprietate, ut, si casu per aerem volitans matris propriæ percipiat vocem, ad eam velocissimè, ut legitimam productricem convolet, primamque ut novercam deserit. Hunc naturæ illius instinctum curiosè annotat S. Hieronymus, sese maturè reflectens suprà hoc Prophetæ Jeremiæ verba: *Perdix fovit, quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in novissimo erit insipiens.* Omni suo nimirùm frustrata desiderio.

Ier. c. 17. vers. 11.

Præfatus S. Doctor volens ex hoc pulchram eruere moralitatem, Christum perdici comparat. Ipse namque cupidissimus est plurimorum filiorum, tantoque erga animas nostras inescatus est amore, ut ad eas capescendas, fovendas & enutriendas è regio majestatis suæ solio in terram descenderit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, & Verbum caro factum est.* Ex harum ferventi amore durissimam crucem subiit, infamemque mortem passus est, *ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum.* Et omnia nobis quasi factus est, ut nos sub alis infernalis perdicis diaboli latitantes, (qui è contra quoque nos fovere conatur) ad se alliceret. Quam charitatem Dei nostri in tantùm extollit S. August. ut non vereatur exclamare: *Quis exigeret tanta de Deo nostro, fratres, pro nostra salute & redemptione, nisi charitas, quæ numquàm cadit? ô charitas quàm magnas vires habes? de cœlo Deum deposuisti.* Et alibi totum hoc prolixiùs deducit. *Quomodò nos amâsti Pater bone, qui filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? Quomodo nos amasti, pro quibus ille (qui non rapinam arbitratus est, esse æqualis tibi) factus est subditus usque ad mortem crucis. Vnus ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam, pro nobis tibi victor & victima & ideo victor, quia victima, pro nobis tibi sacerdos & sacrificium, & ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo nobis serviendo.* E quo magnam in animo suo de Deo excitat confidentiam dicens: *Meritò mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos per eum, qui sedet ad dexteram tuam & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, sed major & amplior medicina tua.*

Ioan. c. 1. vers. 12. *Ioan. c. 11. vers. 52.* *Aug. serm. 46. de tempore.* *Aug. lib. 10 conf. c. 43.*

Ex hoc Augustini loco, (qui constanter asserit efficaciorem fore Domini nostri ad animarum curanda vulnera medicinam, quàm peccati nequitiam) clarissimè refellitur calumniosum, quod impii Judæi Christo objiciunt in hodierno Evangelio improperium: *Quousque animam nostram tollis?* quasi ei imputantes animarum suarum ruinam, *si tu es Christus, dic nobis palàm.* Ac si dicerent, nisi hoc feceris, nos innocentes remanebimus, & omnia nostra in caput tuum redundabunt peccata. Hunc excusationis modum didicerant à primis nostris parentibus. Ecce protoplastes Adam vix divinum fuerat transgressus mandatum, quod adeò leve erat ad observandum (*ubi præsertim*, inquit Aug. *non voluntati cupiditas resistebat*) illud ex humeris suis conatus est decutere, & uxori suæ imponere. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Imò & ipsi, ut apparet Deo; quippe quasi diceret, si tu mihi eam in adjutorium non creasses, neutiquàm in tantum delictum cecidissem. Tibi itaque Domine tanquam vitæ ipsius authori culpa attribuenda est. Quam lectionem subitò sagax & bene docta percepit

Gen. c. 3. v. 12.

cepit Eva, & totum factum in serpentem retorsit. *Serpens decepit me, & comedi.* Nec à moderno sæculo exulat stolida hæc hominum dementia, verùm firmiter radicata est. Interroga namque insulsum juvenem, cur luxuriæ, carnalibus voluptatibus, illicitisque desideriis indulgeat? Respondet: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et crimen culpamque carni imponit, non attendens spiritum tenêri rationis fræno rebellem carnem refrænare. Alii culpam in varias peccandi occasiones, quibus implicati sunt, rejiciunt. Sed multùm falluntur.

Ast vultisnè scite ô Christiani! cur ita inconsideratè viam iniquitatis ingrediamini? hoc est, quia vocem Domini non auditis. Intonat divina hæc perdix per Apostolum: *Abstinete ab omni specie mala. Fugite à peccato, sicut à facie colubri.* Sed tamquam adulterini filii auditum avertitis, & ad fabulas convertimini, quas vobis cantat mundus, caro, diabolus? Et hæc tria sunt, quæ animam vestram tollunt. Clamat Christus: *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos,* Mundus intonat ego deficiam, Caro ego inficiam, & Diabolus ego decipiam, & mavult insanus homo vocem sequi deficientis, inficientis, & decipientis, quam in æternum permanentis, sanantis, & reficientis. *Perditio itaq; tua ex te,* & tu ipse animam tuam tollis, & æterno consecras supplicio. Ideoque Christus calumniam Judæorum refellit, iis improperans, quod ad vocem ejus non attenderent: *Sed vos non creditis.* Occasione itaque hujus Judæorum improperii in præsenti discursu conabor dilucidè demonstrare, Christum animas nostras non tollere, sed è contrà omni diligentiâ, omni methodo, omni stratagemate uti, ut illas sibi lucrifaciat, expostulato tamen priùs per interventionem Deiparæ Mariæ Virginis, Spiritus S. gratiæ præsidio, pro quo eam salutemus Angelicâ salutatione. Ave gratiâ plena.

Ad Thess. c.5. v.22.

Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.

QUamvis stupendam in expiscandis è turbida mundani maris aqua hominum animabus curam, & ad cœlum eas perducendi solertiam ipsamet veritas Christus apertè satis & abundè demonstret per Prophetam Isaiam dicens: *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Et per Evangelistam Matthæum: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Et quid indè advenit rebelli divinæ gratiæ, internæque inspirationi refractariæ animæ? Certè non nisi, quod Deus talem tandem deserat juxtà subsequentia verba: *Ecce relinquetur domus vestra deserta, &c* Quamvis rursùs repeto, hæc duo loca, & centena sacræ Scripturæ alia, quæ iis possent adjungi, sufficienter Christi zelū in procuranda omni modo hominis salute comprobent; nihilominùs perplacet ulteriùs, & intimiùs illam anatomizare.

Isa. cap. 5. vers. 4.
Matth. c. 23. v. 37. & 38.

De Protheo, qui Ægypti rex, patriâ Mamphytes, Pharaoni in regnum successit, regnavitque belli Trojani temporibus (ut recenset in suo dictionario historico geographico poëtico Carolus Stephan.) fabulantur poëtæ, eam diversas figuras, tum viventium, tùm inanimatarum rerum assumpsisse. Nunc leonis, nunc tauri, nunc arboris, quandoque etiam ignis. E quo sibi stultè persuaserunt, Protheum divino specialiter dotatum fuisse ardore, ut sese cuilibet hominum statui pro servitio præstando valeret accommodare. Fateor, ego hæc pura Poëtarum autumo figmenta; verùm, id quod stultè stulta Protheo adscripsit gentilitas, verè & Catholicè divino nostro Protheo Christo possum appropriare. Ipse enim omnia nobis factus, non varias assumpsit figuras, sed varia sibi à Spiritu S. permisit attribui nomina, ut iis mysteriosè manifestaret, quanto amore ergà genus humanum ardêret, & ut se parumper imbecillitati conformando hominis, saluti nostrûm invigilaret.

S. Chrysol. de hoc quàm vehementer admiratur, annotatq; id non absque occulto factum mysterio. Nuncupatur *Rex,* de eo quippe cantat Ecclesia in celebri ipsius nativitatis solemnitate: *Magnificatus est rex pacificus super omnes reges universæ terræ.* Regiam ejus dignitatem perfidus confessus est Pilatus, dum ipso toto corpore sauciatum, & undique sanguine conspersum rabidis Judæis exposuit dicens: *Ecce rex vester.* Nec hanc subticuê- Ioan.c.29.
runt in triumphali ipsius Jerusalem ingressu, non vers. 14.
tantùm adulti, verùm etiam balbutientes, loquelæ incapaces, & adhuc maternis uberibus admoti infātes, qui divinitùs adjuti ore lacte madido unani-
miter exclamârunt: *Hosanna, benedictus, qui venit* Ioan. c.12.
in nomine Domini rex Israel. Ideoque ait Propheta vers. 13.
David: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Sed quare ille, qui humilis & abjectus natus est in stabulo, regio gaudere voluit titulo ac dominio? An fortasse, ut more terrenorum hujus mundi Principum gravia, & intollerabilia miseris subditis vectigalia atque tributa imponeret? An forsitan, ut authoritate regali suffultus, nos ad militandum contra hostes suos visibiles vi adigeret?

An, ut summa cum pompa, & fastu imperiali throno insideret? Minimè, inquit Aug. sed, ut nobis regnum cœleste donaret, ut nos protegeret, gratiæ suæ potentiâ fulciret, & ab æterna diaboli servitute, atque peccati jugo emanciparet. Quod beneficium hîc S. Doctor exaggerans clamitat: *Quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias satis esse contenderint?* Sed pro quo Augustine? Attendite quid respondeat; *Quod nos oneratos, obrutosq; peccatis, & à contemplatione suæ lucis aversos, ac tenebrarum, id est, iniquitatis dilectione cæcatos, non omninò deseruit, misitq; nobis Verbum suum, qui est ejus unicus filius, qui pro nobis, assumptâ carne, nato, atq; passo, quanti Deus homines penderet, nosceremus, atque illo sacrificio singulari à peccatis omnibus mundaremur, ejusque spiritu, in cordibus nostris dilectione diffusâ, omnibus difficultatibus superatis, in æternam requiem, & contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus.* Ecce, ut cœleste regnum homini procuraret, Rex factus est.

Lib. de Civit. Dei cap. 31.

Propheta Baruch mentionem faciens de cœlesti Jerusalem, & superno paradiso, ei titulum, & nomen domus attribuit. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus, magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Psalmista verò illum civitatem nuncupat: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Verùm, quomodò hæc duo nomina sibi invicem cohæreant, vix ipse video. Domus enim particulare cujusdam familiæ est habitaculum, Civitas verò publicus & amplus locus, ad quem confluunt sub una communitate diversi hominum status. Qui itaque fieri potest, ut unus paradisum cœlestem domum, alter autem civitatem appellet? Difficultas hæc facillimè parvulâ dissolvetur historiolâ.

Baruc. c. 3. v. 24.

Psal. 86. v. 3.

De Octaviano Augusto Romani commemorant annales, eum quodam tempore Romæ sumptuosam, ac superbam erigere voluisse fabricam, atque imperiali majestate dignum exstruere palatium. Ad quod è diversis mundi angulis peritissimos, & artificiosissimos accersiri jussit architectos, ut omnem suam industriam, artem, & peritiam magnifico huic ædificio adhiberent. Sed ante omnia iis insinuavit, sese hujus esse intentionis, ut cuilibet per quinque distinctas portas in palatium pateret aditus. Cumque unanimiter architecti contrà normam ac regulam architecturæ fore tot portas in unico palatio conficere assererent, replicuit: *Ego quinque volo, quia domus Imperatoris, ut civitas patêre debet.* Fiat itaque illud non ad-instar domus, sed civitatis.

Cœleste illud ædificium, ad quod possidendum misericors & benignus Deus hominem creaverat, per deplorandam primi parentis Adæ divini mandati transgressionem obseratum est, & quasi domus particularis effectum, cujus porta omni homini occlusa erat, nec ad eam cuipiam concedebatur accessus & introitus: inhabitabatque illud sola sanctissima Trinitas, associata suo famulatui, videlicet novem Angelicis choris, juxtà illud Davidicum. *Cœlum cœli Domino.* Et de cœlo, dum ei titulum domus adscribit, Propheta Baruch, pro tunc temporis loquitur. Verùm post completum stupendum Incarnationis mysterium, illud apparet ut civitas: quia postquam Verbum sibi humanam copulavit naturam, & descendens Rex pacificus, qui anteà iratus erat, & execrandam hominis culpam pretiosi sanguinis sui virtute diluit, cœlestis Jerusalem duodecim reseratæ sunt portæ, per quas duodecim tribus Israël, id est, omni hominũ statui publicus ingressus permissus est: Et de hoc cœlo tractat præcitato loco David, quando illud civitatem nuncupat. Optimè itaque consistunt hæc duo Domus & civitas, domus tempore justitiæ, civitas tempore misericordiæ.

Psal. 113. vers. 16.

Corroboratur idipsum pulchrè in sacra Scriptura. Prudens latro trabi crucis à dextris Salvatoris affixus, ei summa cum fiducia pro regno cœlesti obtinendo offert libellum supplicem: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Cui absq; ulla interjecta mora pius annuit Dominus: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Ast, hoc Christi responsum juxtà certas Grammaticæ regulas mihi non apparet justum & adæquatum. Latro quippè pronomine utitur possessivo *tuum*, cui non correspondet Christus dicens: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Relicto, & silentio suppresso possessivo *tò meo.* Quare itaque illud subticet? Indubiè non sinè legitima & mysteriosa causa.

Luc. cap. 23. vers. 42. & 42.

Pro qua dignoscenda admodum necessarium est, ut in memoriam revocemus libellum supplicem, quem Christo Domino Mater filiorum Zebedæi præsentavit. De quo ait Evangelista Matth. cap. 20 *Tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? ait illi: Dic, ut hi duo filii mei sedeant unus ad dexteram tuam, alius ad sinistram in regno tuo.* Ad quod respondet Dominus: *Nescitis quid petatis.* Sed quid Domine, nesciunt quidnam petant? Regnum rogant cœleste, æternam expostulant beatitudinem, quæ cunctis terrenis, tùm existentibus, tùm possibilibus, tùm imaginabili-

Matt. cap. 20. v. 20. & 21.

bus

bus infinitè præeminet, & ignorant quid petant? Nonnè tu jussisti orare: *Adveniat regnum tuum*? Non capio hoc mysterium. Sed ecce mox sese explicat Christus. *Non est*, inquit, *meum dare vobis*. Sed quid rursùs hoc? Denuò hic tenebras comperio. Nonnè de te attestatur Psalmista: *Tui sunt cœli, & tua est terra.* Quomodò ergò ait: *Non est meum dare vobis?*

Psal. 88. *vers.* 12.

Lumen & filum, ut ex hoc labyrintho egrediamur, nobis subministrat alius ejusdem Davidis locus. Is loquens de mirabili Christi Incarnatione, ejusque mirifico effectu, dicit: *Inclinavit cœlos & descendit.* Verùm, quid opus fuit, ut Verbum in terram dilaberetur, cœlos ipsos inclinare, & quasi incurvare, quandoquidem Deus cuncta materialia penetrare possit? Aut certè, cur cœlos non aperuit, & sic descendit. Ratio in promptu est: quia ipse in mundum descendens, cœlum quasi secum detulit, ut quilibet homo illud facilè arripere queat. Quapropter clamabat Joannes Baptista: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et ob hanc rationem omittit Christus, dùm latroni regnum supernum promittit, possessivum *meo*, quia non audet sibi totum dominium adscribere, eo quod mediante incarnatione illud omnibus commune effectum sit. Et idcircò etiam dicit, non est meum dare vobis, *quia regnum Dei intrà vos est.*

Psal. 17. *vers.* 10.
Matth. cap. 11. *vers.* 12.
Luc. c. 17. *vers.* 21.

Et quidem effectivè Christus de cœlo descendens, *cœlos inclinavit.* Etenim, nonne annotastis, quod secundùm leges civiles, dum alicui, seu emptori, seu hæredi cujusdam domus dominium, & possessio transfertur, ipsi istius consignantur claves? Credo quod sic. Nunc peto, cui traditæ sint claves regni cœlestis? Mundo profectò & homini, nimirum Apostolo Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Benè itaque rursùs repeto, ait: *Non est meum dare vobis.* Quoniam absolutum istius dominium homini donârat. *Regnum Dei inter vos est.* Hoc ego Rex mansuetus attuli, ut cuilibet eo potiri liceret, quod si illud socors homo non arripias, *perditio tua ex te.*

Matt. c. 16 *vers.* 19.

Ast, quia quidam non abjectam posset objicere contra meam ratiocinationem objectionem, nimirum cur regnum Dei intrà nos esse asseram, quandoquidem adeò pauci illud adipiscantur, ad illam cogor respondere. Dico itaque hoc ex obfuscato hominum intellectu & depravata voluntate oriri. Intellectus namq; mundanarum rerum possessionem & spem cœlestium bonorum spei anteponendam illi proponit, & ipsa stultè consentit, & verè stultè. Quandoquidem vana, quoad futuram rem speratam, certa sit, secura & in æternum permansura; altera autem vana, & sicut umbra peritura. Audite, obsecro, & benè attendite magni Doctoris Augustini verba: *Exultent superbi de præsenti felicitate, tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis, obsequiis clientum stipentur. Prætereunt ista, & transeunt tamquam umbra. Cùm ille finis venerit, ubi omnes, qui modo in Domino sperant, gaudebunt: tunc illis veniet sinè fine tristitia, tunc superborum plausus convertetur in luctum.* Et rationem adjungit: *Quia de corruptibilibus præsumpserunt, spes eorum corrumpetur.* Cui vanæ spei mox securam futurorum bonorum è diametro opponit: *Nostra verò spes tunc erit res. Promissio enim Dei manet integra, & firma, & certa ergà nos.* Et præmonens nos, nè illi fiduciæ excidamus, ait: *Noli ergò timere, nè promissionem Dei corrumpat aliquis potentum. Ipse verò non corrumpit, quia verax est. Potentiorem non habet, à quo ejus promissio corrumpatur. Certi ergò simus de promissione Dei. Cantemus jam undè incipit Psalmus, Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi, & invocabimus nomen tuũ.* Et hæc, inquam, cæca hominum imaginatio, quæ in mundanorum, & præsentium bonorum spe consistit, eos ab æterni regni spe, & amore avertit. Nemo namq; potest benè duobus dominis servire. Et sic, quamvis regnum cœlorũ intrà nos sit, ab illo vili terrenarum rerum cupiditate abstrahimur.

Aug. in Psal. 74.

Redeamus modò ad divinum nostrum Protheum Christum, qui quoq; sacerdotalem assumpsit dignitatem, ideoque ait Apostolus: *Appellatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech.* Sed quorsùm? An forsitan, ut victimas nostras acciperet, de oblationibus viveret, aut decimis sacerdoti debitis ditaretur? Ah nihil horum. Verùm ad hoc, ut in durissimæ crucis ara seipsum hostiam sanctam & immaculatam æterno Patri pro humani generis redemptione offerret, & primi parentis Adæ noxam pretioso suo sanguine, non clamante ad-instar Abèlis sanguinis vindictam, sed veniam, & misericordiam, penitus expiaret, atque diabolicas subjugaret potestates, ut testatur Paulus: *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians Principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Ad Hebr. c. 5. *v.* 10.
Ad Coloss. c. 2. *v.* 14. *&* 15.

Hic curiosè potest inquiri, quare divinus noster Protheus humapam assumpserit naturam, non verò angelicam? Mirum namque videtur, quod tres præteriens spirituum hierarchias, & prætermissâ

tam nobili creaturâ, in tantum sese exinaniverit, ut divinitatem adeò vili facturæ communicârit. *Et Verbum caro factum est.* Verum id forsitan factum, ut terrenas hæreditates, tamquàm hominis filius à nobis adipisceretur? Hoc sanè minimè concedendum. Ps. 23. v. 1. Ipsius enim, inquit Scriptura, *Domini est terra & plenitudo ejus*; nec bonorum nostrorum indiget possessione. Cur itaque? Ecce rursùs formam hanc arripuit cœlestis Protheus, ut amorem suum erga homines mirificè ostenderet, ac ampliora beneficia elargiretur, & sic eum in strictioribus vinculis charitatis ad se alliceret, atque attraheret. At quæ beneficia? Profectò inperscrutabilia. Quorum (nè prolixior sim,) pauca, sed præcipua pandam. In primis, quod hoc medio animas nostras sacrâ Synaxi, cibo cœlesti, scilicet pretioso sanguine, & corpore suo spiritualiter saginârit. Etenim, si angelicæ naturæ hypostaticè divina fuisset conjuncta, nullatenus tantum instituere valuisset Sacramentum, quandoquidem Angelus carne, & sanguine careat Sicque non potuisset dixisse: Ioan. c 6. v. 55. & 56. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & qui manducat meam carnem, manet in me, & ego in eo.* Quod donum quàm inæstimabile sit, qui thesaurus quàm immensus sit, vobis demonstrabo suo loco infrà.

Secundum speciale beneficium, quod ex hoc resultat, est, quod ipse fragilitatem & imbecillitatem nostram, utcumque in propria persona fuerit expertus, exclamans in horto Gethsemani: Matth. c. 26. v. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et ita ad misericordiam, atque condonanda nobis peccata factus sit pronior & proclivior. Verbum itaque caro factum est, non Spiritus, ut ex sua parte omne possibile medium adinveniret, ad hominem ad æternam beatitudinem deducendum.

Tertium est, quod ipse mediante mysteriosâ hâc copulâ Angelo eripuerit redemptoris honorificum titulum, & mirificam gloriam. Et itâ, quia ipse idem, qui hominis exstiterat creator, factus quoque beneficus redemptor, totum humani affectus vigorem sibi devincire conatus est, & indivisum ejus cor comparare. Cujus quàm zelotypus sit, fusè demonstravi suprà concione pro feria secunda Dominicæ 4. Quadragesimæ.

Dixi paulò superius cœlestem Protheum Christum carnem factum esse, & non Angelum, ut famelicas, & esurientes hominum animas cœlesti hâc escâ reficeret. Ob eandem prorsus rationem panis assumpsit metaphoram, dicens: Ioan. c. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Imò ausim dicere, eum ob hanc, vitem sese appellâsse: Ioan. c. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera.* Quia nimirum sitibundis & arescentibus animabus salutari pretiosi sanguinis sui liquore venerat succurrere. Ut sic vel etiam invitos, quantum ex se est, salvare conaretur.

Pro cujus proba, & intelligentia maximè necessarium est mysteriosam Christi Domini venerabilis Sacramenti in ultima cœna sub bina specie annotare institutionem, & ejusdem distributionem. Corpore sub speciebus panis constituto, ait: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Nullo planè addito signo, nec universali, nec particulari. Post verò dum vinum in sanguinem suum transsubstantiavit, dixit: Matt. cap. 26. v. 27. & 28. *Et accipiens Calicem, gratias egit: & dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes.* Subjungens signum universale *omnes.* Verùm quare in una potius, quàm in alia distributione (quandoquidem corpus & sanguis sub utraque specie per concomitantiam ponantur) universali signo utitur. Id enim casu accidisse minimè credendum est. Undè hujus absconditi manifestam operæ pretium est in lucem producere rationem.

Pro qua in mentem revocanda sunt quædam in Christi passione judicis Pilati ad populum Judaicum verba, & ejusdem responsum. Is cernens furibundam gentem in perverso contra Christum odio permanêre obstinatam, nihilque aliud audiri, quàm rabidam vocem: *Crucifigatur.* Tandem inquit Evangelista Matthæus: Matt. cap. 27. v. 24. 25. 26. *Videns autem Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aquâ, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* Ad quod insana plebs, & innocentis sanguinis sitibunda, respondit: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Sed ecce ascendens duram crucis trabem, primum, quod profert verbum, misericordiam & veniam resonat: Luc. c. 23. v. 34. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

At ô benigne Jesu, ô prodige amator, ô divine Prothee! Quid adhuc tua movet viscera charitatis? Quid te urget, ut pro ingrato populo, & omni beneficio indigno cœlestem Patrem deprecêris? En auribus propriis insanam Judæorum vocem: *Sanguis ejus super nos,* percipisti, quâ omnem delictorum respuunt, atque aspernantur indulgentiam, & tu adhuc tàm patienter pro iis iratum Patrem (quem ad vindictam instigant muta ipsa elementa, & totius universi machina) pro venia rogitas? Ah quid ad hoc noster Protheus? Profectò videor eum audire respondentem: Ego carnē assumpsi, ut ex illius venis in cunctorum remissionem,

& cu-

& cujuſcumque quidem nefandi ſceleris rei ſanguis effflueret. Et quantumvis iſti perfidi tantum ejus pretium contemnant, & veniam averſentur; attamen ego ex mea parte illum in tanti criminis abolitionem patri offero, & etiam invitis dono: & ſic clariſſime oſtendo, quam ardens meum hominis mihi lucrandi ſit deſiderium. Sic appoſitè explicat mellifluus Doctor: *Etiam invitis ſuffragavit, ut miſericordiam ſuam ſuper impietatem eorum exaltaret.*

Modò facilè erit quæſtionem de venerabilis Sacramenti inſtitutione propoſitam diſſolvere. Et quidem ſecundùm mentem Theophylacti, qui conſtanter aſſerit, illud ſub ſpecie quoque vini inſtitutum fuiſſe propter Judam, ut qui corpus Dominicum ſub panis ſpeciebus latitans infami ori extraxerat, illud vel invitus, mediante calicis potu accipere cogeretur. Audite ejus verba: *Præviderat unigenitus, quod Iudas panem & corpus ſuum comedere non debebat, etſi eſſet accepturus, ut oſtenderet Iudæis, & diceret, quod panem corpus ſuum Chriſtus aſſereret: Poculum autem invitus biberet, quia non poterat occultare. Ideò ei etiam ſanguinem dedit, ut invitus & recalcitrans, adhuc Chriſti ſanguine ſaginaretur.* Concludo itaque ad unum proditorem attrahendum tantæ charitatis actu, venerabile Sacramentum ſub una ſpecie fuiſſe inſtitutum. Sicque minimè Judas Chriſto improperare poterat: *Quouſque animam meam tollis?* Sed ſibi ipſi animæ ruinam imputare cogebatur, & exclamare: *Perditio tua ex te Iuda.*

Nec à quàm plurimis aliis figuris cœleſtis noſter Protheus abhorruit, ſed varias adhuc in hominis emolumentum aſſumpſit. Leo namque ipſe effectus eſt, non ſanè, ut nos peccatores voracibus faucibus deglutiret: Verùm enimverò, ut infeſtiſſimum illum inferni leonem diabolum victorioſus & triumphans proſterneret, ut nos è rapidis illius unguibus potenter eriperet. De qua victoria ſibi applaudunt cœleſtes Spiritus in myſterioſa illa divi Joannis viſione Apoc. cap. 5. vociferantes: *Ecce vicit leo de tribu Iuda.* Agni quoque metaphoram non eſt averſatus. Tali nam[...]nomine à ſuo præcurſore Joanne Baptiſta [...]inſigniri. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et finis illius fuit, ut tamquam manſuetus agnus iniquitates noſtras ſacroſancto ſuo ſanguine dilueret, & deleret chirographum, quod contra nos poſitum erat, juxta illud Iſaiæ Prophetæ vaticinium: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & tamquam agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de judicio ablatus eſt.* Inſuper etiam paſtor factus eſt, unde de ſe ait: *Ego ſum paſtor bonus.* Idque, ut ovem errabundam, humanam videlicet naturam in vaſto hujus mundi deſerto aberrantem, ad verum gregem, id eſt, ad beatorum conſortium reduceret: ſicque ſeſe poſſet jactare de præda, & cunctos ad ſibi congratulandum convocare. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Neque petræ nomen recuſavit, teſte Scripturâ: *Petra autem erat Chriſtus.* Non ut nos læſæ Majeſtatis reos contereret, ſed ſuprà petram fundamentalem Eccleſiam ſuam erigeret, eamque firmiter & ſolide fundaret, ut nullo hoſtium impetu poſſet dejici & devinci, ut ipſemet aſſerit: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Tandem nec metaphoram vilis ſerpentis rejecit. Sane, non ut venenoſo morſu nos inficeret, ſed è contra vulnera animæ noſtræ, id eſt, peccata ſanaret. Sicut namque filii Iſrael in deſerto commorantes, intuitu ænei ſerpentis in altum erecti, à ſerpentum morſibus curabantur; ita & myſticum noſtrum ſerpentem in alta crucis trabe clavibus confixum mentis noſtræ oculis contemplantes, à peccatorum noſtrorum morſibus liberamur. Hinc ipſemet Chriſtus ait: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Et rationem mox ſubnectit: *Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Stupendam ad præſens propoſitum in veteribus Romanorum annalibus comperio hiſtoriam de Juliano apoſtata, poſt ad imperium evecto. Is hâc inexpectatâ intumeſcens dignitate, crudeliſſime perſecutus eſt Eccleſiam Dei, & ejus filios graviſſimis affecit tormentis. Hunc variis modis, nunc infortuniis, nunc infirmitate &c. conatus eſt benignus Dominus ad gremium ſuum allicere. Verùm in vanum. Manſit namque tamquam duriſſima rupes immobilis, & ad omnes ſenſibiles divinæ manus ictus imperterritus, neque ad unguem à prava ſua vita voluit deflectere. Quid ageret cum adeò obdurato peccatore miſericors Deus? Ecce ultimum tentat medium. Contigit quodam tempore eum (ut referunt hiſtoriæ) ad Perſas debellandos potenti cum exercitu Româ diſceſſiſſe, ipſumque in itinere obvias habuiſſe non modicas hoſtium copias, quæ illum ad ſanguinolentum certamen compulêre. In cujus initio Deus divinâ ſuâ providentiâ permiſit, ut ferali ſagittæ ictu graviter fuerit ſauciatus, cogitans ipſum inſtantis mortis metu emollire, quem aliis

Ss 3 modis

Margin notes: Verſ. 5. — Ioan. c. 1. verſ. 29. — Iſai. c. 53. verſ. 7. 8. — Ioan. c. 11. verſ. 14. — Luc. c. 15. verſ. 9. — 1. Cor. c. 10. v. 4. — Marc. c. 16. v. 18. — Ioan. c. 3. v. 14. & 15.

modis ad se attrahere nequiverat. Verùm ille hoc vulnere magis inflammatus, vehementiùs induruit. Etenim sumpto è vulnere sanguine, eoque cœlum versus projecto, horrendâ voce exclamavit: *Vicisti, vicisti Galilæe, satia te sanguine meo Nazarene, quem sitisti.* Ac si diceret, ô Christe multis uteris stratagematibus, ut me vincas, quàm plurima expiscaris media, ut me sternas, varios injicis laqueos, ut me illaquies, undequaque fallacia jacis retia, ut me irretias: Fac quod vis, & quod potes, obduratam meam mentem non inflectes, animam meam, quam tantopere desideras, & tam ferventi ardore concupiscis, non tibi, sed diabolo consecro. Tolle vitam, & cuncta, quæ possideo, attamen tuo me non dedicabo servitio. Possetne ô Christiani, infamis hic Apostata Julianus de Deo conqueri, & dicere: *Tu animam meam tollis?* Minimè sanè. Ah! quot sunt peccatores, quos Deus omni modo conatur ad se attrahere, nunc adversitate, nunc infirmitate, nunc bonorum temporalium, nunc filiorum, & parentum ereptione, nunc bellorum immissione, nunc patriæ devastatione, &c. *Sed nulla,* inquit Salvianus, *ex pœna correctio.*

Attenti estote Auditores, & auribus non surdis admirabile misericordis Dei, animas nostras salvandi desiderium, & varia media, quibus id conatur exequi, ex S. Thoma à Villa Nova percipite. Tria sunt, quæ dicit ad nostram confusionem de mirifica ipsius pietate. *Multifariam, multisque modis nos allicit Deus ad se, & salutem nostram procurat. Per varia media nos dirigit in finem: nonnunquam minis, & terroribus nos concutit, objiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia & miserias peccatorum? assidua flagella, & frequentes molestias inimicorum, & insupportabile tormentum iniquorũ. Quòd si minæ non sufficiunt, flagellis & infortuniis affligit nos, in camo & fræno maxillas nostras confringens, ut revertamur ad ipsum.* Quòd si his mediis necdum induratum peccatoris animum emollire queat: ad alia ipsa progreditur benignitas ait S. Thomas. *Et si hâc viâ magis induratur cor nostrũ, mille blanditiis (ecce rigorem in favorem commutat) nos mulcet, augens dona, multiplicans & cumulans beneficia: si fortè vel sic ad amorem largitoris provocemur.* Et si hæc quoque in vanum fiant, neque terror, neq; beneficium quidpiam in saxeum peccatoris animum valeat, ea propter tamen divina non sistit misericordia. Verùm enim verò ulterius progreditur, & proposito æterno præmio, devium & errantem ad rectum vitæ deducere conatur ter-

Conc. 2. de S. Ægidio.

minum, ut constanter asserit præcitatus Doctor. Audite, quid subjungat: *Quod si hæc parva videntur, multa majora promittit, ingerens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus se, innumerabiles gratias, quas hic confert custodientibus præcepta ejus. Istis itaque & plurimis aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut Pater piissimus, ac munificentissimus, vitam, salutemque nostram inquirit nihil omittens eorum* (quod maximè notandum est) *quæ nobis prodesse poterunt ad salutem.* Unde per Propheram Osæam ait cap. 6. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Et paulò inferiùs obstupescens Thomas tantam Domini benevolentiam, concludit, & exclamat; *quanta misericordia, quanta magnificentia, quanta clementia! undique Domine nos cogis, undique stringis, & compellis ad te, væ nobis, si recesserimus à te.* Sed eheu! quod sanguineis lachrymis est deplorandum, omnia in vanum agit benignitas. *Hæc autem omnia Dei incitamenta,* inquit, *& blandimenta, quasi nihil contemnimus & floccipendimus: neque dignamur, vel à longè ea aspicere & considerare, quasi ex debito redderentur, neque tortoribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficiis allicimur, neque promissionibus provocamur.*

Vers. 4.

At poteruntne hujuscemodi obdurati peccatores ad Deum clamare: *Quousque animas nostras tollis?* Hoc nullus sanæ mentis asseret. Ipsemet namque veritas ait: *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos & noluisti. Perditio tua ex te Israel.* Vis itaque scire, ô homo, quis animam tuam tollat? Audi luxuriosè, luxuria tua, libido tua, carnalitas tua, animam tuam tollit, non Deus. Vindicative, vindicta tua, odium tuum, rancor tuus, animam tuam tollit, non Deus. Avare, avaritia tua, fraudulentia, iniqua alienorum bonorum possessio animam tuam tollit, non Deus. Inique Judex perversa tua judicia, injustæ litium determinationes, munerum acceptiones, pupillorum & viduarum oppressiones animam tuam tollunt, non Deus. Et sic de cæteris. Denique ô Christiane certò [...], quòd peccatum tuum, & perversa tua voluntas animam tuam tollat, & non Deus. Ipse enim tuam desiderat salutem.

Matth. c. 13. v. 37.

Totum hoc apprimè confirmat ipsemet Spiritus S. Apoc. cap 21. ubi narratur Evangelistam Joannem in mysteriosa quadam visione relegatum in Insulam Pathmos, vidisse mirabilem civitatem repræsentantem sanctam Jerusalem, quam

ipse

Apoc. cap. 21. v. 12. ipse describit hoc modo: *Habebat murum magnum & altum habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim: & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Verùm suprà hanc scripturam duo annotanda occurrunt mysteria. Primò, quare duodecim Angeli duodecim portis præficiantur, ut tribuum quilibet suam per portam, cui proprium nomen inscriptum erat, intrantem acciperet. Secundùm, cur Deus in hac civitate duodecim portas extrui voluerit pro duodecim tribubus Israel? Quandoquidem constet ex Scriptura, ex tribu Dan neminem intrasse. Dicit enim Joan. Apoc. cap. 7. *Vers. 4.* sese quàm plurimos vidisse signatos ex tribubus Israel.
Vers. 5. 6. 7. & 8. *Ex tribu Iuda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati: ex tribu Gad duodecim millia signati: ex tribu Aser duodecim millia signati: ex tribu Nepthali duodecim millia signati: ex tribu Manasse duodecim millia signati: ex tribu Simeon duodecim millia signati: ex tribu Levi duodecim millia signati: de tribu Issachar duodecim millia signati: ex tribu Zabulon duodecim millia signati: ex tribu Ioseph duodecim millia signati: ex tribu Benjamin duodecim millia signati.* De tribu autem Dan nullam Joannes facit mentionem. Cur itaque isti tribui porta construitur, eique illius nomen inseritur? Ah! attende Christiane. Per hoc misericors innuit Dominus sese cunctis cælestem civitatem Jerusalem præparasse, atque introitum permisisse, & omni hominum statui Angelum designasse ad illos recipiendos. Quod si quis neglexerit, culpam non ipsi Deo, sed hominis perversitati ostendit esse attribuendam. Et sic, si nullus ex tribu Dan intrarit, quia porta illius aperta erat, potest dicere: *Perditio tua ex te Dan.* Quemadmodum exponit S. Fulgentius supra hæc verba: *Vos me dereliquistis, & ego dereliqui vos. Iustè deseritur à Deo, qui deserit Deum.* *Lib. 1. de triplici prædestinat.*

Rursus idem corroboratur ipsiusmet Christi Domini verbis. Ipse namque jam ascensurus ad cælestem suum Patrem, volens suos, quos corporaliter deserebat, consolari, & firmiorem de obtinendo æterno regno ipsis inculcare fiduciam, ait: *Ioan. cap. 14. v. 2.* *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sed ad quid Deus multas in aula superna ædificavit mansiones, quandoquidem idem dicat, ut attestatur *Matth. c. 20. v. 16.* Evangelista Matthæus: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Paucitas enim multitudini correspondere non potest. Hoc ex parvula, & pulchra capiemus historiola. Narrat Doctissimus Maldonatus, quod Imperator Antoninus desiderans ex Italia in Franciam tendere, ne apparatus Cæsarea majestate, & nobilium suorum comitatu dignus deesset, scripserit Humelio in alpibus Romanæ militiæ præfecto, ut cubicula pro mille personis præparari curaret. Hic, receptis magistri sui litteris, quàm velocissimè ejus volens obtemperare mandato, summâ celeritate, ingenti curâ, & extraordinariâ diligentiâ pro duobus millibus honesta quietis, & refectionis loca accommodari, ac de omnibus necessariis provideri jussit. Antoninus ad Humelium præveniens, cernens mensam opiparam, cunctis ciborum speciebus ornatam atque onustam, & tot cubicula pro tanta multitudine præparata, quasi iratus interrogavit: quorsum tot inanes & superfluos sumptus fecisset? quandoquidem ipsi scripsisset, sese tantùm in comitatu suo mille personas habiturum? Ad quod Humelius modesto & composito vultu respondit: *Vt majus meum desiderium tibi inserviendi, quàm mihi imperandi ô Cæsar ostenderem.*

Haud dissimiliter Deus, ut nobis clarissimè demonstraret fervens homines salvandi desiderium, sese quàm plurimas dicit præparasse mansiones, (non quod dicam eum superfluas construxisse, cùm ipse divinâ suâ præscientiâ prævideret certam & determinatam Angelorum ruinam, certo & determinato hominum numero fore reparandam) ut saltem ex sua parte innueret, ut quicumque ad unam istarum mansionum non attingat, culpam Deo non imponat, sed pravæ suæ vitæ, & impiæ voluntati imputet. Sic hoc moraliter exponit S. Hilarius: *Licet pauci electi sint, mansiones tamen multæ in divina domo sunt, ut in ea mansionum abundantia ostendatur, Deum velle omnes homines salvos fieri.*

Ad hoc institutum duo indagare aliquis posset. Unum, quare pius Dominus claves regni cælestis potiùs tradiderit abjecto homini Petro: *Tibi* *Matt. cap.*
dabo claves regni cælorum, quàm Angelo digniori *16. v. 18.*
ac nobiliori, quandoquidem ille ei custodiam terrestris paradisi commiserit? Secundum, cur Christus in tantum se humiliarit, ut ad pedes perfidi traditoris Judæ prostratus, eos propriis manibus laverit. Respondet Landolphus lib. de vita Christi. Id ex summo Christi salvandi proditoris amore factum esse. Non ignarus enim erat Jesus, Patrem cælestem totum divinæ gratiæ thesaurum in manibus suis tradidisse, juxta illud Joannis testimonium: *Sciens quia dedit ei omnia in manus.* *Ioan. cap.*
Eas ergo sordidis Judæ pedibus supponens, cona- *13. v. 3.*
batur illum, ut eum piè furaretur, & ad meliorem men-

mentem rediret tacitè adhortari. *Vide*, inquit, *quantopere animæ tuæ salutem unigenitus Patris sitierit, qui ut depravatum cor Iudæ ad Deum converteret, ad diabolici pedes sese inclinare non dubitavit.* Ad aliud respondet Chrysostomus, benignum Deum id fecisse, ut altiùs in humano corde spem cælestis beatitudinis adipiscendæ erigeret. Si namque claves illius Angelis, utpote, qui nunquam peccaverunt, nec rebellioni carnis extiterunt obnoxii, commisisset, forsitan imbecilles & pusillanimes sibi persuasissent timendum fore, ne ab iis procul ab æterno regno arcerentur. *Ideò non Angelis*, inquit, *hæc est commissa potestas, quia nunquam peccaverunt, sed homo passibilis supra homines ordinatur, ut dum in aliis suas recolit passiones, mitem ad eas se præbeat & benignum.*

Antiquissimus Doctor Origines admirabilem & curiosam modernæ materiæ congruam habet speculationem, annotans justi judicis in extremo die judicii judicandi methodum. Ipse, de quo dicitur *reddet unicuique secundùm opera ejus*, æquam pro bonis actibus justis daturus retributionem: vos vocat & clamat: *Venite benedicti Patris mei, possidet paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Dum verò impiis debitam distribuit pœnam, & horrendam æternæ damnationis profert sententiam, eos similiter citat, & ait: *Discedite à me maledicti, & ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Inquirit hic Doctor, cur dicat Judex Christus justis: *Venite benedicti*, cum addito *Patris mei*, Et reis atque sceleratis: *Discedite à me maledicti*, subticens τò *Patris mei. Et ite in ignem æternum.* Et cur judicium in præmiando ferens, annectat præmium à Patre ipsis fore destinatum: *Possidete paratum vobis regnum.* E contrà verò in condemnando, pœnam non dicit hominibus à Deo esse statutam, sed duntaxat diabolo, & asseclis ipsius. *Ite in ignem, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Huic quæsito suo divinè respondet: Deum ex propria inclinatione maledictionis non existere authorem, bene tamen benedictionis. Quoniam puniendi ansam sumit ex alieno, præmiandi autem ex proprio (ut fusè diximus ex S. Bernardo concione Dominicæ 4. Quadragesimæ) & sic ipsum, ut ita dicam, nobis infernum in pœnam & vindictam non præparasse, sed nos nobismet ipsis. Audite illius verba: *Considerandum est, quoniam Sanctis non solùm dictum est benedicti, sed cum additamento Patris mei. E contra verò reprobis, non dicitur maledicti Patris mei, nam benedictionis quidem ministrator est, maledictionis autem unusquisque sibi est author.* Itaque perditio tua ex te ô homo, id est, ait Glossa, tu ipse es causa perditionis tuæ. Unde finaliter de hac materia loquens Origines alibi concludit: *Major cura inest Deo, ut homines ad veram pertrahat salutem, quàm diabolo, ut nos ad æternam damnationem impellat.*

Matth.c. 25. v. 34.
Orig.ho.9. in Evang.
Vers. 41.
Matth.c. 25. v.34.
Vers. 41.
Orig. ho. 10. super Num.

Verùm hâc suppositâ veritate, anxius quispiam posset indagare, an ex aliquo colligi queat felix æternæ beatitudinis, aut infaustus damnationis exitus? Ad quod breviter respondeo; utcunque, & morali probabilitate quempiam eum valere expiscari ex certis quibusdam particularibus regulis. Universalis namque prædestinationis & electionis regula est: *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata.* Ingredere ergo Christiane cordis tui penetralia, rumina conscientiam, discute animum, examina actus tuos, si ii divinis præceptis conformes sint, fiducialiter spera in Domino, quòd mediante illius gratiâ perseverantiæ ad supernum pertingens regnum; sin verò in corde & anima reperias adulteria, commessationes, fornicationes, rapinas, stupra, incestus, detractiones contumelias, &c. De quibus ait Apostolus, quod regnum Dei non possidebunt, time & contremisce, vitamque tuam pessimam in meliorem mutare satage.

Matth. c. 19. v. 17.

Ast ad particularia signa parumper descendamus. Primum est, & infallibile certæ prædestinationis signum, quod nobis ipsamet increata veritas clarissimè indicat: *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Ad quod signum omnia facilè sunt intelligenti reducibilia ad genus suum: *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata*, tamquam species. Et sanè mihi videtur infinitam Sapientiam meliùs non potuisse electos suos exprimere, quàm sub metaphora ovis. Hæc namque hujus est naturæ ut ipsa etiam millenis ovibus intermixta propriam matrem ex balatu apprime cognoscat. Quo percepto, totum ovium gregem perfringit, & ad eam velociter accurrit. Tunc itaque Christiane scire desideras, an in extremo tremendo judicii die ad dextras Christi inter oves collocandus sis? Attende, an ad vocem Patris tui, ad quem clamas: *Pater noster, qui es in cælis*, hilariter properes. Examina conscientiam tuam: ecce ipse clamat: *Ego autem dico vobis, diligite inimi-*

Ioan. cap. 10. v.27
Matth.c.5 v. 44.

inimicos vestros. Quòd si observes, omnia prospera sunt; si secùs ipsius voci & mandato recalcitres, verendum tibi est, quòd à grege ovium sis segregandus, & inter hædos constituendus. Ipse clamat: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Et tu avare, qui nudum & famelicum crudeliter ab ostio tuo repellis, inter oves annumerari autumas? Erras stulte, oves enim ejus, vocem illius audiunt, id est, mandata ipsius observant. Non enim sufficit vocem Domini externam percipere, verùm etiam omninò necessarium est, ei obtemperare, & assensum præbere. Unde cum Samuel diceret Sauli: *Quare non audivisti verbum Domini: & versus es ad prædam, & fecisti malum in oculis Domini?* respondit ille, *imò audivi verbum Domini.* Contra hoc institit Propheta, & eum vocis divinæ prævaricationis redarguit: *Pro eo ergò, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* Non obedire enim voci Dei, est eam contemnere, & flocci pendere. O perverse Saul, nonne de mandato Dei hæc Samuel tibi intimavit: *Interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactantem, bovem & ovem, & camelum & asinum.* Et tamen præcepto isti non acquievisti, & obtemperasti. Hoc de te testatur Scriptura: *Et pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea.* Hinc cùm Deus de Israelitis per Prophetam Davidem conqueritur: *Non audivit populus meus vocem meam,* de vocis suæ obedientia loquitur.

Luc. c. 6. v. 36.

1. Reg. cap. 15. v. 19. & 23.

Vers. 3.

Vers. 9.

Famosissimus Scriptor Plinius de natura atque innatis ovis proprietatibus disserens, dicit, quòd si quis expiscari exoptet, an ovis fœta fœtum album, aut nigrum sit productura, solummodò opus esse ejus linguam elevare, & si in ea venulam nigram reperiat, nigrum inquit, si albam, album pariet. Tu Christiane desiderasne dignoscere, an in fine vitæ tuæ animam albam & candidam, an verò nigram & fœtidam sis exhalaturus, linguam tuam linceis mentis oculis intuere, & respice, an nil nigri, nil fœtidi in ea lateat; vide an illa detractionibus, falsis juramentis, convitiis, calumniis, maledictionibus, &c. non sit coinquinata. Quòd si non, exulta, optimum signum est; si sic, pessimum: quia voci Domini omnem hanc iniquitatem inhibentis es refractarius. *Susurro & bilinguis maledictus,* ait Ecclesiasticus cap. 28. *Non pejurabis in nomine meo, nec polues nomen Dei tui: Ego Dominus.* Levit. dicitur cap. 19. Contra conviciatores in Scriptura sacra apprimè edoctus Augustinus ait: *Si non aurem solam percutit iracundia criminantis, verùm etiam conscientia mordet veritas criminis: quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus extollat? Ita nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, & convulnerat convitiantis opprobrium.* Qui itaque convitium, contumeliam, & his similia facilè admittit, periculum istorum criminum vix intelligit. De quorum gravitate sic disserit S. Bernardus: *Levis quidem sermo exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur: facilè volat, ideò facilè charitatem violat: tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest, substantiâ quidem infirmum, atque exiguum, sed usu magnum & validum invenitur: tenuis & lata, & ideò aptissimum evacuandis sordibus instrumentum.* Hinc ait Apostolus Jacobus: *In manibus linguæ est vita & mors.* Quòd si ergo illam ab omni macula, & nigredine immunem possideas, vita tibi restat, & ovis es denunciandus: sin autem maculatam, mors, & hædorum numero indubiè adjungendus: quia vocem Domini non audivisti, id est, eam non observasti.

Vers. 15.
Vers. 12.

Aug. contra Prot. lib. 3.

Idem Scriptor Plinius docet, si pastor quærat prævidere, an ovis vetula adhuc hâc hieme sit supervictura: attentè inspiciat, an nix in dorsum illius incidens, confestim liquefiat, & diffluat. Quòd si sic, certò credat, eam non morituram: signum namque est adhuc superstitis interni caloris, qui sufficiens est ovi vitam conservare. Si verò non, imminentis mortis evidentissimum est prognosticum. O Christiane avesne scire, an in æternum in cœlesti & superna illa Jerusalem sis victurus: Perscrutare, an, dum frigida peccati nix in animam tuam incidit, illam citò calore contritionis ex dolore Dei summi boni offensi, & sacramentalis pœnitentiæ ardore excutias: an autem grave iniquitatis tuæ onus annis & annis humeris tuis incumbere permittas. Si primum, optimum signum est, quia timorem Dei, & animæ curam habes. Si secundum, pessimum, quia peccatum radicatum & inveteratum, (ut latè suprà demonstravi concione pro feria 2. post Dominicam secundam Quadragesimæ) non nisi miraculosè depellitur. Nec hujuscemodi peccatores audiunt vocem Dei imperantis: *Non tardes converti ad Dominum.* Et per consequens nec inter oves computabuntur. Oves enim Domini, vocem ejus percipiunt. Hinc etiam magnum prædestinationis in-

Eccl. cap 5 vers. 8.

dicium est libenter verbum Dei audire, è contrà reprobationis, illud negligere. Ita censet lumen illud Ecclesiæ Augustinus: *Sicut nullum majus signum est æternæ prædestinationis, quàm libenter audire verbum Dei: sic nullum signum majus æternæ reprobationis est, quàm nolle audire verbum Dei.*

Aug. lib. de prædest. sanct. cap. 25.

Dixi jam, si exoptemus ovibus annumerari, necessarium esse vocem Domini percipere, eique obedire, qui ex pura & puta benevolentia, variâ voce nos ad bonam vitam vocat & allicit: *Quatuor voces sunt principales*, inquit S. Thomas à Villa nova, *quibus Dominus loquitur huic deserto* (per desertum peccatorem intelligit) *scilicet vox gratuitæ donationis, vox exterioris prædicationis, vox acerbæ correctionis, vox interioris inspirationis.* Primò enim Deus nos multifariis beneficiis etiam temporalibus, ad sese conatur attrahere, ut vel iis devincti animum nostrum & affectum ad eum convertamus. *Deus tractat peccatorem primo benignè & benevolè, dat ei salutem, & bonos successus temporalium, honores, divitias, & facit, ut ei omnia ad libitum succedant si fortè convertatur & dicat: Anima mea serviamus tam bono, & pio Domino qui tam benignè nos tractat: qui pro tormentis tot largitur beneficia, & pro inferno, quem promeremur, dat nobis rerum temporalium abundantiam.*

Thomas à Villa nova Dom. 4. Advent.

Sed eheu! quoties magnificus largitor, insignis benefector fine suo frustratur! quot sunt, qui terrenis beneficiis abutuntur, & magis in iis insolescunt Audite præfatum Doctorem hoc amarè deplorantem: *Beneficiis & donis deteriores sumus, & amplius insolescimus, sicut vilia mancipia, & succedentibus prosperis, obliviscimur donatoris, & superbimus* Verùm attentè percipite Auditores, quantum paulò infrà hic S. Doctor detestandam hanc nostram exaggeret ingratitudinem. *Omnes bestiæ benefactorem agnoscunt, & beneficiorum gratiam reddunt, tu solus homo rationalis, ut fera truculenta, ut vipera venenata, & basiliscus pascentem mordes: non recognoscis benefactorem tuum, blasphemas, offendis. O feritatem supplicio ultimo dignam! Hanc vocem, quocumque te vertas, audis.* Et si quis hanc non audiat, & benefactori suo inserviendo, & mandata illius observando, non correspondeat, æternam gehennam pertimescat, quia ait idem: *Si non esset aliud peccatum sola ingratitudo sufficit ad infernum.*

Hac benigna beneficiorum voce non sufficiente ad obduratum hominis animum emolliendum secunda utitur Deus, videlicet doctrinæ, prædicationis, *quâ ipsum hortatur*, inquit Thomas, *ut redeat ad se ipsum. Vox enim prædicationis, non prædicatorum, sed Dei æstimanda est. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis*, ait Lucas. Hac voce non cessat peccatores vocare Deus. Unde ad Prophetam ait: *Clama, ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum* Sed eheu! quot sunt peccatores, qui externam quidem vocem audiunt, sed eam mente non percipiunt id est, ei non obediunt: ac proinde nec hi inter oves collocabuntur; audire quippè & non obedire, ut ipsemet attestatur Spiritus S. manifestissimum æternæ damnationis est præsagium *Sta*, inquit Deus Prophetæ Jeremiæ, *in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud* quod, quia non observarunt, audite quid dicat: *Locutus sum ad vos, manè consurgens, & loquens, & non audivistis: & vocavi vos, & non respondistis.* Et dum pergit: *Tu ergo noli orare pro populo hoc: nec assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te.*

Ierem cap. 7. vers. 13.

Misericors itaque Dominus cernens nec hanc ad convertendum peccatorem promiscuè aliquid posse, ad vocem progreditur, ait Thomas, acerrimæ correctionis: *Excitat igitur Dominus peccatorem voce castigationis: quia eum non exaudit vox beneficiorum, vox doctrinæ, ideo Dominus multiplicat plagas, & adversitates, dat ægritudines, infortunia, afflictiones peccatoribus. Sicut enim sopitos gravissimo somno, quando non audiunt voces, manu pulsantes excitare solemus. Sic facit Deus si fortè vexatio dabit intellectum. Sic olim fratres Ioseph in angustia positi, agnoverunt peccatum suum, dicentes: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, ideirco venit super nos tribulatio. Et hac voce quidam excitantur, & evigilant, juxta illud Psalmistæ: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina; scilicet doloris & ægritudinis.* Sed eheu! alii sunt, inquit Thomas, qui nec acriter tacti, dolore & pœnitentiâ anteactæ vitæ compunguntur. *Alii autem tam alto lethargico somno tenentur, ut nec sic excitentur: & etiam miserabile, videre manum Domini aggravatam super eos, percutientem terribiliter, & ipsos somno peccati deceptos non corrigi, sed effrænatius peccare.* De quo lamentatur Dominus per Prophetam suum Jeremiam: *Percussi eos, & non doluerunt.* Et iterùm: *Frustrà conflavit conflator, rubigo illius non est consumpta.*

Ier. c. 5. v. 3
Cap. 6. v. 29.

Quærit itaque hic Doctor, quid juvaminis, quid subsidii simili peccatori pro ejus inflectendo

animo

animo, sit necessarium? Ah inquit suavis & alliciens interna divinæ gratiæ vox: Hac Deus cor nostrum tepidum, & congelatum accendit & in malitia obduratum conterit. *Scriptum est enim*, inquit ipse per Jeremiam: *nunquid non verba mea, quasi ignis, & malleus conterens petras?* Et cap. 20. *Et factus est sermo Domini quasi ignis in corde meo.* Et id quoque sponsa attestatur: *Anima mea liquefacta est, postquam dilectus meus locutus est mihi.* Hac voce allecta est ad Christi pedes Magdalena, hac attractus est summus Ecclesiæ Dei persecutor Paulus, & factus est gentium Apostolus: hac vocatus, ad Christum velociter cucurrit usurarius Matthæus. Sed eheu! quot sunt, qui ad hanc vocem surdi persistunt, & sese ad illam vix reflectunt atque in viam iniquitatis currere pergunt! Sed nec hi sanè improperare possunt vocanti: *Quousque animam nostram tollis?* Quoniam volenti Deo habitaculum cordis eorum intrare, resistunt. Unde perditio & ruina ex ipsis est.

Ier. cap. 23 Vers. 29. Vers. 8. Cant. c. 5. Vers. 6.

Quidam nobilis Romanus ex ludibrio oraculum Delphicum accessit, tenens manibus inclusam parvulam aliquam aviculam petiitque ab eo, an id, quod in manu erat, viveret, an non? cum ea intentione, quòd eam, si diceret non, avolare in aerem relinqueret: Quòd si sic, eam fortiter constringendo occideret; & ita Oraculum falsitatis, atque mendacii accusaret. Verùm ipse suâ spe, & fine frustratus est. Nam Oraculum respondit: *Vivit si vis, mortuum est si vis.* Hoc idem tibi appropriari potest, ô Christiane! Anima tua in manibus tuis est, si vis mortua est, nimirum si gravi peccatorum pondere eam opprimas. *Anima, quæ peccaverit ipsa morietur.* Si vis etiam vivit, eamque ad cœlum avolare facere potes, si scilicet voci Dei obtemperes, obedias ac consentias. Unde concludendum, perditionem nostram perversæ voluntati esse attribuendam.

Audistis Auditores satis fusè, ut credo, quanto zelo, amore, & desiderio benignus Deus, animam hominis lucrari conetur: Percepistis quot figuras assumpserit divinus hic Protheus, ut eum ad æternam deduceret beatitudinem. Quid jam opus est, ut vos Christiani faciatis? Attendite ad divi Thomæ à Villa nova salutarem instructionem: *Hodiè si vocem ejus* (videlicet vel gratuitæ donationis, vel exterioris prædicationis, vel acerrimæ correptionis, vel interioris inspirationis) *audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut fecerunt illi, quibus juravit in ira sua: si introibunt in requiem meam propter solam duritiam; nam cor durum malè habebit in novissimo.* Et pergit, ac petit hic Doctor, quid sua voce prætendat Deus, & respondet: *Parate viam Domini, non petit grandia, non difficilia, non ut nos eum ditemus donis & gratiis; nam suum est ditare cor. Sed solùm ut nos præparemus, ut nos disponamus: nam & hominis est Deo prævenienti præparare cor, sed Dei est perficere, ut non resistamus ei volenti ingredi in habitaculum cordis nostri. Parate inquit viam Domino, hoc sufficit, ne resistatis.* Hanc namque repugnantiam, ut execrandam reputat Deus, teste eodem: *Stat ad ostium, & pulsat, rogat Majestas, ut accipias, ut aperias. Quanta perversitas, quanta cæcitas nolle aperire, nolle hospitari! hoc sufficit, ne resistatis.* Et mox media insinuat, quibus Domino anima est præparanda: *Tollite petras & scopulos, & spinas viarum vestrarum: tollite peccata horrenda, rixas, dissensiones, odia, inimicitias, usuras, simonias, adulteria, furta, superbiam: nam peccata divis runt inter vos & Deum vestrum.* Et hæc animam tuam tollunt, & ad inferni præcipitium deducunt.

Patriarcha Jacob meditans ad paternam regionem regressum, Laban allocutus est hisce verbis: *Tu nosti quomodo servierim tibi: Iustum est igitur, ut aliquando prævideam etiam domui meæ.* Ah ô Christiani! clamet quiscunque peccator sit, ô voluptas, ô munde fallax & decipiens! ô diabole pervicax, ô perversa caro blandiens! Tu nosti, quomodo servierim tibi, laxans ad omnes iniquitates, contemnens divina mandata, habenas. *Iustum igitur est, ut aliquando etiam provideam animæ meæ.* Tempus est ab iis desistendi & meliorem vitam arripiendi. Vale, vale munde, apage diabole, fuge caro. Nunc animæ meæ saluti intendo, nunc me virtuti destino. Supremus non est Deus, qui animam meam ad æternam proditionem tollit, sed prava & iniqua mea voluntas. Hoc, hoc clama, & fac homo, ut æternam in cælis recipere merearis beatitudinem, quam mihi & omnibus vobis tribuat Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

Gen. cap. 30. vers. 30.

****

FERIA QUINTA

Dominicæ Passionis.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Luc. cap. 7.

EXperientia nos docet, oculis propriis intuemur, sanâ mente comprehendimus, omnes totius mundi universi creaturas, seu animatas, seu inanimatas, quò sint majoris eminentiæ, celsitudinis, nobilitatis æstimationis & pretii: tantò majori curâ naturam conservasse, & sedulò invigilasse, ut illæ ab omni discrimine liberarentur. Ipsa namq; provida & prudens quodcumque creatum pro sua nobilitate maximè occultum, & si quandoque apparet, suo tempore occultandum procuravit, ex instinctu proprio innuens, melius esse latere, quàm patere. Oculus, (quem divinum ob tantarum rerum intuitum vocitat Plato) utilissimum sane, juxta omnium judicium totius corporis membrum, delicatâ pupillâ obtegitur & occluditur, ne vel vento pulverem, vel arenam excitante, offenderetur, aut intenso quandoque Solis lumine læderetur. Cor humanum, quod juxtà Philosophos, & Medicos quàmplurimos est primum vivens & ultimum moriens, securum in medio corporis, tanquam in centro quietis suæ obtinet locum, atque membranula quadam ob suam nobilitatem insuper à natura custoditur. Nobilia illa, & quàm maximè æstimata mineralia argentum & aurum in profundo terræ conduntur. Rursùs coralium (quod Naturalistæ ex propria natura asserunt fore candidum & album in abysso ipsius maris latitans) extractum rubescit: quasi pudeat illud à natura quasi destinatum ad tenebras, in lucem prodire.

Id quod natura naturaliter nobis quoad creata ostendit, hoc nos apprimè docet ad salutarem animarum nostrarum instructionem ipsa veritas. Omnium pretiosissimum, quod in terra reperitur quoad animam loquor) sunt virtutes atque opera bona. Et quantò magis ab hominum oculis semoveantur, & abscondita remaneant, atque præclaram virtutem humilitatem comitem habeant, eò in oculis divinis splendidiora apparent. Econtrà verò, si à perversa illa tinea vanæ gloriæ, atque mentis tumoris corrodatur, tamquam fumus illa dissipantur, atque in aerem avolant, juxtà veridicum mellifluì Doctoris dictum: *Inanis gloria spiritualium operum est latro, animarum hostis, tinea virtutum.* Hæc itaque summopere cavenda est, & humilitas arctè amplectenda. Ipsa namque opera pia consolidat, virtutem elevat, & mentem Christianam nobilitat. Unde in hoc illius encomium erumpere cogitur S. Chrysost. *Nihil conferendum est humilitatis virtuti. Ipsa est mater, & radix, & alumna, & fulcimentum, & vinculum bonorum. Sine illa abominabiles & scelesti, & immundi sumus. Esto, quis mortuos suscitet, & claudos sanet cum superbia, nihil eo contaminatius, nihil magis impium, nihil scelestius.*

Hoc apprimè noverat famosa illa peccatrix Maria Magdalena, de qua in hodierno Evangelio tractat Evangelista Lucas. Ecce intus ardenti amoris & doloris anteactæ vitæ flammâ accensa, malleo divinæ gratiæ concussa, foras prorumpit, & sauciata medicum quærit, ut medelam vulneri adhibeat. Unde illa morbo suo invigilat, adinstar Philonidis Syracusani, de quo narrat Manutius in suis Apothegmatibus, quòd ipse quodam tempore magnis corporis stimulatus doloribus omnis moræ patiens, ad Menecratem expertissimum medicum accesserit, etiam in ædibus cujusdam Principis convivam, importunus quidem convivo, opportunus tamen beneficio. Unde dicit Manutius: *Ejus adventus ira & fremitus in Principibus causa fuit, sed in Menecrate propriæ gloriæ cupido, summi gaudii, & delectationis.* Sed ipse cernens è torvo accumbentium intuitu indignationem, sese tantæ audaciæ modestè excusavit, dicens: *Parcite quæso graviter laboranti, Nemo scit, quod acriter laboro.* Tali modo, inquam, animæ suæ spiritualem Magdalena quæsivit medicum,

ut cognovit, quod ille accubuisset in domo Pharisæi, ociosissimè advolavit, & convivium interturbavit, tacitè sese excusans ob nimiam suam infirmitatem. *Vidistis,* inquit Augustinus, *mulierem in civitate famosam malâ utique famâ, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, & quæsisse piâ impudentiâ sanitatem. Eruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quem venerat, sciebat.*

Aug. lib. Hom. hom. 23.

Et ideo, *ut cognovit,* illicò accurrit. Ecce non exspectat, donec alibi solus commoretur Jesus, verùm *ut cognovit,* quòd accubuisset in domo Pharisæi, omnes moras interrumpit, ad domum illius velociter tendit. Erubescentiâ non terretur, ab accumbentium intuitu non abhorret, sententiam Simonis non formidat: sed intùs vehementer calens, turpitudinem suam tacitè confitetur. Stat retrò pedes Domini judicans sese indignam fore, in tantam majestatem oculos conjicere Deinde se prosternit ad Christi pedes, eos ungit, osculatur, lachrymis rigat, & capillis abstergit. Cunctis utens instrumentis ad Christi obsequium, quibus usa fuerat ad carnis suæ delectamentum. Et sanè non propalat, nec verbis vehementem cordis sui exprimit dolorem, ingentem non deprædicat charitatem; sed ab eo, qui scrutatur renes & corda, tot enormium scelerum expostulat veniam atque remissionem. Ratione itaque summæ Mariæ Magdalenæ humilitatis, conabor in moderno discursu vobis demonstrare illius celsitudinem, eminentiam, atque efficaciam. Addamque quàm necessarium sit in cunctis bonis operibus ventum & fumum inanis gloriæ devitare Quod exactè fiet, si illa non propter hominum laudem, sed propter Deum operemur, eique illa omnia attribuamus. Quod priusquam exordiar: sollicitate mecum Auditores necessariam à Spiritu S. per potentissimum Mariæ Virginis patrocinium, assistentiam, dicentes Ave gratia plena.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix ut cognovit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.

UT propositum jam jam præsentis ratiocinationis motivum aggrediar, ostendamque profundæ humilitatis supra alias virtutes præeminentiam, melius non comperi medium, quam ab ipso Deo, incarnato Verbo, Christo Domino fundamentum arripere. Etenim, si dilucidè comprobem, tùm eum, tùm hunc sibi in hac virtute extrà modum complacuisse, illamque hominibus specialiter inculcasse. Legitimè inferre potero, ergò hæc eminentissima est, quandoquidem Dei amor objecti amati nobilitatis justa sit mensura. In hoc namque secundùm Angelicum Doctorem Thomam Aquinatem amor divinus, & amor humanus differunt, quòd hic bonum in re amata præsupponat saltem ut apprehensum: iste verò bonitatem in objecto causet. Ut à Deo itaque incipiam, dico certissimum fore, eum ab initio mundi humilitatem adamâsse, nostrisque cordibus illam firmiter imprimere intendisse.

Pro quo probando duo curiosè annotanda occurrunt, quæ in prima universæ hujus mundi machinæ creatione fecit omnipotens artifex. Primò attestatur Scriptura, eum pro efformationis Adæ materia usum fuisse vili limo terræ, & sordido luto Genes. cap. 2. *Formavit Dominus hominem de limo terræ.* De quo quis justè posset admirari, & petere, cur creatura omnium nobilissima ex tàm abjecta producatur materia; quandoquidem cætera creata, ut firmamentum, stellæ, planetæ, cunctaque animantia longè præstantiori modo, unico videlicet *Fiat,* suam existentiam receperint, & è nobiliori materia compacta sint? *Vers. 7.*

Secundum est, quod mihi sanè non minorem ingerit stuporem, scilicet, cur Deus creatis cunctis aliis creaturis, tùm sensibilibus, tùm insensibilibus, mox in earum deprædicandam eruperit laudem & bonitatem, ut patet ex cap. 1. Geneseos. *Dixitque Deus fiat lux & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona* Et rursus vers. 9. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum est ita.* Et vers. 10. subjungitur: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Et denuò vers. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti.* Et additur vers. 18. *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Et sic de cæteris. Et tamen, ubi ad hominis tàm nobilis creaturæ, in cujus obsequium omnia alia creata erant, productionem devenit, nihil encomii, nihil laudis adfert, nec suam extollit imaginem & similitudinem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, omniq; reptili, quod movetur super terram.* Et non adjungitur: *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* De hoc secundo quæsito non minus, quam ego obstupefa-

Vers. 4.

Gen. cap. 1. vers. 26.

pefactus S. Chrysost. rogat: *Si homo ita est perfectus, cur, cum aliæ creaturæ, ut ex divino opificio novæ, recenterq́; procedebant, statim à Deo laudabantur, solus autem homo ex sui artificis manibus abiit illaudatus?* Et diviné respondit: *Ideo Deus eum non laudavit, ut omnem ei adimeret superbiendi occasionem.* Et eadem responsione quoque solvitur primum. Veritus enim, nè homo quoad unã compositi sui partem (videlicet animam) admirabilibus ornatus dotibus, gratia justificante, scientiâ infusâ omnium rerum, innocentiâ, & pleno in totum universum potitus dominio, intumesceret, ac superbiret, aliam vilem atque abjectam adjunxit, nimirùm luteum corpus, ut illius reminiscentiâ, omnis elatio temperaretur, imò sedaretur: quia ipsa *est blandus animarum hostis, & tinea virtutum.*

Si verò de Christo incarnato in eodem puncto velimus differere: non minori zelo ac ostentatione ipse nobis idem documentum præbuit. Testis sit mihi S. Bernardus, qui constanter sustinet, Verbum divinum suavi & grato virtutis humilitatis odore è sinu paterno ad terram, imò & ad ipsa virginea Mariæ viscera & ubera fuisse attractum. Doctrinam illam suam eruit ex illo loco Cant. cap. 1. vers.
12. *Dum esset rex in accubitu suo*, id est, cùm suprema illa majestas regali suo adhuc insideret throno, atque cœlesti assisteret aulæ: *Nardus mea dedit odorem suum.* Et confestim subjungit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Ubi maximè advertendus est mysteriosus Sponsæ loquendi modus. Antea namque erat Rex & Dominus universorum, in triumphali suo requiescens solio, & mox illius denunciatur amicus, & quasi sponsæ æqualis (amicitia enim, ait Aristoteles, est inter æquales.) & inter ubera ejus gratam capit quietem.

Bern ser. 12. in Cāt.

Sed quî hoc fit? Ah nardus ejus dederat suavitatem odoris, id est, humilitas Mariæ Virginis tàm mirificam exhalarat odoris fragantiam, (*Nardus enim*, inquit Bern *herba humilis humilitatem significat*,) qui naribus divinis in tantum complacuit, ut ejus quasi suavitate violenter è sinu cœlestis Patris Verbum ereptum sit, & ad sacrosancta Deiparæ Mariæ ubera, tanquàm desideratum quietis centrum descenderit, atque deposito ingenti majestatis & gloriæ suæ splendore, ipsi amicus & similis effectum; *Et Verbum caro factum est.* Tum nimirùm, dum exclamavit ipsa, quæ Regina cœli, Domina mundi, gratia plena ab Archangelo declarabatur: *Ecce ancilla Domini.* Sic ad amussim hunc locum interpretatur præcitatus Doctor: *Anteà Rex, modò dilectus, anteà in accubitu regio, modo inter ubera sponsæ.* Verum, undè tanta immutatio? Et respondet: *O magna humilitatis virtus! cui tam facilè majestas Deitatis se inclinat, & reverentiæ nomen in amicitiæ vocabulum immutatum est.* Et hom. 1. super missus: *Etsi placuit virginitate, de humilitate* (ubi emphasis *to de* advertenda est, quæ causalitatem quasi denotat) *tamen concepit.* Quod quoque annotat Hugo à S. Victore: *Virginitas & humilitas, quomodò in unum convenistis? Quid fecistis?* Et respondet: *Sic sublimastis humanitatem, sic fœcundastis Virginem, ut Virgo Dei pariat filium, & humilis habeat Dei sponsum.*

Hom. 1. super missus.

De lamentat. Virg.

Naturalistæ curiosè animadvertunt ab authore naturæ stupendam balenæ esse attributam proprietatem, scilicet, quòd ipsa ex naturali instinctu gnara pisces eam, ut summopere inimicam, & monstruosam devitare, famelica tamen, & satiari cupida guttur latè aperiat, è quo suavissimos emittit odores, quorũ mirâ dulcedine pisces allecti balenæ appropinquant, & ut majori cum aviditate, tàm gratâ fragantiâ perfruantur, immanes illius fauces subintrant, & balenæ in escam & nutrimentum præda remanent.

Profectò, dum hoc recolligo insigne naturæ stratagema, cogor ingenuè fateri Mariam Virginem ad instar balenæ fecisse. Ecce famelica divinæ misericordiæ, redemptionis, ac humani generis reparationis in terra misera jacebat natura humana. Pro salutari esca, pro certa medela jam tot anteactis sæculis ad cœlum lachrymosæ dimissæ erant voces: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum; Aperiatur terra, & germinet salvatorem.* Verum in vanum. Adhuc namque Deus à fœtida hominis abhorrebat natura. Ideoque lamentabilibus hominum precibus surdas præbebat aures. Ast, ubi advênit divina illa balena Maria, & è sacrosancto suo ore exhalavit dulcisonas & odoriferas has voces: *Ecce ancilla Domini*, tantæ humilitatis odore ita extractus est, ut audeat asserere Richardus: *Eo momento, quo dixit: Ecce ancilla Domini, inclinavit cœlos, atque disrupit, descendit in eam.* Quàm eminentem hujus virtutis vim, miram efficaciam, atque nobilitatem obstupescens magnum illud lumen Augustinus, non adinveniens congrua verba, ad eam justè, & debitè extollendam, tandem cogitur in hæc divina prorumpere verba: *O sancta, venerabilisque humilitas! Tu Dei filium descendere fecisti in uterum Mariæ Virginis. Tu eum fecisti involvi vilibus pannis, ut nos indueret virtutum ornamentis. Tu eum circumcidisti in carne, ut nos circumcideret*

Isai cap. 48. vers. 8.

Lib. 1. de laudibus Virginis.

Aug. serm. de superbia.

cideret in mente. Tu eum corporaliter flagellasti, ut nos à flagello peccati liberaret. Tu eum coronasti spinis, ut nos coronaret suis æternis rosis. Tu eum infirmare fecisti, qui medicus cunctorum erat, solo verbo sanans omnia, & universa, ut sanaret infirmos. O humilitas quantùm potes, quantùm vales!

Curiosè indagant quidam sacræ Scripturæ interpretes, cur Christus Dominus sibi post mortem latus aperiri permiserit? Tùm nimirum, quando miles lancea latus ejus aperuit, *& continuò exivit sanguis & aqua*; non verò voluerit, ut mysteriosa hæc pectoris sui apertio in vita perageretur. Ad hujus quæsiti dilucidationem, pro indubitato statuendum est, secundùm communem SS PP. sententiam, ex hoc vulnere profluisse duo præcipua Ecclesiæ Sacramenta, videlicet venerabilem Eucharistiam per sanguinem repræsentatam, & sacrum baptismum per aquam significatam. Quibus tanquam arrha connubiali Christus Dominus sibi dilectam sibi sponsam Ecclesiam desponsavit. Dicunt ergò jam quidam; quandoquidem omnis desponsatio & matrimonium morte desponsantis & contrahentis dissolvatur, expressè voluit eam post obitum fieri, ut in æternum (quandoquidem Christo ultrà mors non prædominetur) perseveraret juxtà suum promissum: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Ioan. cap. 18. vers. 34.

Matt. cap. 28. vers. 20.

Hanc rationem alibi ad aliud propositum lubens recepi. Verùm modò aliam præsenti instituto magis congruam in lucem deducam, eamq; architectorum modo & arte explicabo. Hi (ut cuilibet compertum est) priùs de fundamento cogitantes, quàm de tecto, terram effodiunt ad tantā profunditatem, donec firmum fundum reperiant. Suprà quem tandem fundamentalem jaciunt lapidem, & sic ædificium paulatim in altum erigunt. Christus celeberrimus ille architectus mysteriosam decreverat extruere fabricam, nimirùm Ecclesiam suam; unde solido invigilans fundamento, contrà quod nec portæ inferi, nec tenebrarum potestates unquā possent prævalere, pro lapide fundamentali præclaram virtutem elēgit humilitatē. Et quantumvis ipse ab initio vitæ in utero materno cōceptione, in nativitate, in circumcisione, in prædicatione, &c. hanc ad amussim observârit, & sedulò exercuerit; nondum tamen ad *non plus ultrà* attigerat. Idcircò nec fundamentum ponit. Verùm, ubi humilitatis fundamentum mediante morte: *Humiliavit semet ipsum usq; ad mortē, mortem autem crucis,* adinvênit, tùm magnifici hujus ædificii firmissimum jecit lapidem, faciens effluere & scaturire ex sacrosancto lateris sui fonte duo prædicta Ecclesiæ Sacramenta: *Et continuò exivit sanguis & aqua.* Audite quàm apposite ad hunc conceptum ratiocinetur S. Chrysost. *Vnusquisque humilitate suppositâ, tutissimè omnia alia superponit ædificia. Hac verò subductâ, etiamsi ad ipsum usq; cœlum conversationis sublimitate pervenerit, simul omnia subtrahuntur, atq; in finem pessimum relabuntur.* Nec Augustinus verum humilitatis exemplar fundamentalem hanc omittit encomiare virtutem, nos ad hanc exhortans divinis hisce verbis: *Si omnipotens Deus causam nostram nimiùm malam humilitatis privilegio bonam facit: & ideo destruxit mortem, & mortis authorem, qui omnia, quæ persecutoris manus intulere, non renuit, sed obediens Patri, crudelitatem sævientium mitissimâ lenitate tolleravit: quantùm nos humiles, quantum nos oportet esse patientes, qui nunquam, nisi nostro merito adversa sustinemus? Quis enim invenitur immunis à culpa, ut in eum non habeat, vel justitia quod arguat, vel misericordia quod remittat?* Et tandem concludit. *Vndè tota Christianæ sapientiæ disciplina est, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & in voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab utero matris, usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine elēgit & docuit.*

Chrysost. hom. 15. in cap. 5. Matth.

Aug. ser. 8 Epiph.

Et hinc non est mirum juxtà magnū hunc Doctorem, Christum non tantùm exemplo, verùm etiam verbo tam sedulò humilitatem præ cæteris virtutibus sequacibus suis inculcasse, quandoquidem ab ea tota Christianæ vitæ directio totaliter dependeat. Audite, quid dicat S. Augustinus suprà illud Matthæi cap. 11. vers. 26. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Christum alloquens: *Quid discimus à te? Novimus te Domine, in principio Verbum Deum apud Deum. Omnia per te facta sunt, quæ videmus, & quæ non videmus. Quid discimus? Non enim alium discipuli tui, tanquam discipuli artificis & fabricatoris condituri sumus mundum. Vnum condidisti, cœlum & terram fecisti. Vtrumq; suis creaturis, ornamentisq; illustrasti. Ideo quid à te discimus? Discite à me, cum essem in principio Deus apud Deum, creavi vos. Hoc volo discatis à me, factus sum, quod feci, nè perirent, quæ feci. Vndè factus sum quod feci? Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo. Ecce in Patris æqualitate natus est de Patre. Quid tamen fecit propter te? Semetipsum exinanivit.* Ecce propter te Deus factus est homo sine peccato, & non vis cognoscere te cum peccato, ut venias ad illum, qui te blande invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiā vos?*

Aug. ser. 12. de verbis Apost.

vos? Et adhuc instantiùs, urgens *to discite*, in humilitatis laudem atque eminentiam prorumpit lib. de virginit. dicens: *Non dixit discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare, sed quia mitis sum & humilis corde. O doctrinam salutarem! O magistrum & dominum mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atq; transfusa est. Noluit dicere, quod ipse non esset, noluit jubere, quod ipse non faceret. Video te, bone Iesu! oculis fidei, quos aperuisti mihi, tamquam in concione generis humani clamantem & dicentem: Venite ad me, & discite à me. Quid, ut discamus à te, venimus ad te? Quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde.* Et tantam tò *discite &c.* demirans energiam pergit: *Huccinè redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno dicamus à te: quoniam mitis es & humilis corde? Itanè magnum est esse parvulum, ut nisi à te, qui tàm magnus es, fieret, disci omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto digesto tumore, quo magna sibi erat, tibi sana non erat.* Nimirùm inanis gloriæ ac superbiæ veneno infecta. Magistrum suum Augustinum sequitur fidelissimus ejus discipulus Thomas à Villa nova sese suprà eadem verba reflectens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: non vos doceo potentiæ meæ miracula perpetrare, non cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos suscitare: sed mansuetudinem, humilitatemque. Hæc omnis mea doctrina est.* Nec de hoc quispiam rectè potest admirari: quoniam dicit hic Doctor hanc quàm plurimarum virtutum esse fontem perennem. *Ex hoc enim fonte innumeræ virtutes scaturiunt: indè obedientia, timor, reverentia, mansuetudo, modestia, amicitia, pax.*

Conc. 1. de S. Martino

Quandoquidem jàm mentionem fecerimus de Christi Domini humilitate, quæ maximè in ejus Incarnatione illuxit, operæ pretium est curiosè certam quamdam, quæ ab Ecclesia Sacerdoti sacrificanti, & *Credo* pronuncianti injungitur, annotare. Ipse illud incipiens ait: *Credo in Deum Patrem, omnipotentem factorem cœli & terræ, &c.* Deindè quoque nomen Verbi, ut verbum est, recitat, Spiritus S. nomen etiam non subticet, ut patet legenti. Cum hac tamen maximè consideranda circumstantia, & differentia, quòd in altari sacratissimam ore suo proferens Trinitatem, genua non incurvet, sed immotus stet, donec de Verbo incarnato tractare incipiat: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlo: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Tùm enim genuflectit, summam ostentans reverentiam. Rogo modò ego, quare, dùm de Patre loquitur æterno, & ut Verbi principio, de Verbo ut verbo, de Spiritu S. ab utroque procedente, hanc non demonstret? Profectò, quia cuilibet hoc maximè apparet mirum & paradoxum, indubiè credendum est, illud stupendum quoque in se comprehendere mysterium. Et solido cum fundamento: Quoniam eadem cæremonia in recitatione Evangelii S. Joannis Evangelistæ strictè observatur ad hæc verba: *Et Verbum caro factum est.* Non autem dum proferuntur hæc: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed quis nobis arcanum hoc pandet? Recurramus ad summum illud Ecclesiæ sydus Augustinum, qui de hoc etiamnùm obstupefactus, ait: *Multa fecisti Domine pro me, & dominum totius mundi constituisti me, & non genuflectens adoravi te. Fecisti mundum propter me, & non genuflectens adoravi te: at postquam te vidi humilitatum propter me, & de cœlo descendisse, infantulum natum lachrymas fundentem, in præsepio reclinatum, frigore tremebantem, non potui ampliùs subsistere, sed tanto amoris pondere in terram prostratus adoravi te.* Attendite ad hoc Christiani superbia intumescentes, & inani gloriæ, vanæ pompæ, & larvatæ ambitioni omne studium adhibentes. Ecce summa illa majestas, quæ semper adorari debet, attamen non quando divina sua sapientia mundum & hominem condit, non quando de incomprehensibili Verbi agitur productione, aut Spiritus S. processione, sibi genua incurvari desiderat, sed ad ostendendam eximiam humilitatis eminentiam & gloriam, dum ipsa per abjectam divinæ naturæ cum humana copulatione exinanitur, & ad summum humiliatur, tùm specialiter sibi reverentiam exhibêri imperat.

Ast, inquiramus parumper latiùs, quàm sagaciter proprio suo exemplo Christus suis asseclis hanc inculcarit virtutem. Pro hoc ostendendo quàm plurima nobis inserviunt sacræ Scripturæ loca. Propheta David de Christi Domini tractans nativitate signanter advertit, & sane non absque mysterio, eum, utpote lumen ad revelationem gentiū, in mundo tempore tenebrarum introiisse: *Exortum est in tenebris, misericors, miserator, & justus.* S. Bernardus indagat, cur Christus de nocte voluerit nasci, & respondit illum id fecisse, ut à primo ætatis suæ die, mirabilium suorum, quæ in stabulo peracta sunt, occultatione cunctos à vana gloria amoveret, & ad veram humilitatem pertraheret. Unde ad confusionem superbientium exclamat: *Iam verò nocte voluit nasci: ubi ergo sunt, qui*

Psal. 111. vers 4.

Bern. ser. 3. de Nativ

qui tàm impudenter gestiunt ostentare semetipsos? Ecce Christi humilitatis primordia. Transeamus ulteriùs, ipsumque per totum vitæ suæ decursum verissimum præclaræ illius virtutis nobis extitisse comprobemus exemplar.

Pro hoc meminisci oportet eminentium aliquot, quæ Christus Dominus perpetravit, miraculorum. Matth. cap. 9. cuidam homini insanabili oppresso paralysi pristinam restituit sanitatem: Quo facto, eum sanum domum dimisit, non permittens, ut diutiùs inter turbam commoraretur. *Surge, tolle grabatum, & vade in domum tuam. Surrexit & abiit in domum suam.* Ibidem refertur vers. 25. eum quodam tempore defunctam Archisynagogi filiam ad vitam revocasse. Sed maximè annotandum est, ipsum hoc miraculum coram turba tumultuante, & tubicinibus noluisse perpetrare. Ait namque sacer textus: *Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Admirandum opus in quatriduani & jam fœtentis Lazari resuscitatione ostentavit Christus, ut commemorat Evangelista Joannes cap. 11. (cujus, quantumvis alibi stupendas, & quasi exoticas ad aliam materiam annotaverim cæremonias, & circumstantias) nihilominùs pro præsenti instituto hanc quoque non esse prætereundam censeo, nimirum, quòd ad vitam revocatum abire jusserit, & è turba discedere. *Lazare veni foras & statim prodiit, qui fuerat mortuus: dixit eis Iesus, solvite eum, & sinite abire.*

Matth. c. 9. v. 7. & 9.

Ioan. c. 11. v. 44.

Verùm adhuc magis exaggerandum est illud, quod de quodam dæmoniaco à Christo liberato, narrat Evangelista Marcus cap. 5. Is jam sanæ mentis factus, ne forsitan temporis lapsu tanti beneficii recepti memoria excideret, & sic sordidæ ingratitudinis accusaretur, unice à Domino expostulavit, ut ipsius comitatui posset annumerari, teste Scripturâ: *Cùmque ascenderet navim, cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.* Sed non obstante tanto illius Christum benefactorem suum sequendi desiderio, repulsam passus est, ut satis luculenter constat ex subsequentibus verbis: *Et non admisit eum, sed ait illi, vade in domum tuam.*

Marc. c. 5. v 28. & 29.

Me hercle hîc totaliter cum S. Ambrosio obstupesco, cogorque cum eo exclamare: *Cur non recipitur liberatus, sed domum abire jubetur?* Nonnè namque solido cum fundamento contra hoc Christi factum instare possem, & petere; quare, ô pie & misericors Jesu! hunc à consortio tuo repellis? Tu Matthæum usurarium sub gravissimo avaritiæ & divitiarum amoris pondere miserè succumbenti, ingenti divini intuitus potentià sublevasti, & suavissima tua voce ad Apostolatum, & tuam sequelam mirabiliter allexisti, ut testatur Scriptura: *Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, & surgens secutus est eum.* De te rursùs ait Evangelista Marcus, quòd tu mirà divinæ vocis tuæ efficacia tres charissimos tuos Apostolos Petrum, Joannem, & Andream potenter attraxeris: *Præteriens secùs mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare* (erant enim piscatores) *& dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et continuò relictis retibus, secuti sunt eum.* Tu adolescenti ex filiali erga patrem defunctum affectu obnixè expostulanti parvulum moræ tempus, donec piá in eo sepeliendo perfunctus fuisset cura: *Domine permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.* Respondes: *Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et sequelam tuam, atque comitatum tanto ardore ambientem, procul à te abigis! domumque remittis? vade in domum tuam?

Matth. c. 9. v. 9.

Luc. c. 9. v. 59.

Profectò premerer hæc considerans in divina illa, & mysteriosa Apostoli erumpere verba: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis cognovit sensum Domini, & quis consiliarius ejus fuit?* Nisi aliquam præfati Christi Domini facti mihi S. Ambrosius in hunc locum adferret dilucidationem. *Cur verò*, inquit, *non recipitur liberatus?* Audite, quid respondeat: *Non nisi, ut jactantiæ causa vitetur, & fidelibus humilitatis præberet exemplum.* Ac una sequaces suos erudiret & admoneret, quantâ circumspectione, quantâ sollicitudine eos vanam gloriam, venenosam omnium virtutum tineam oporteat execrari, & quàm necesse sit minimam illius devitare occasionem. *Time sagittam*, ait Bern. *Leviter volat, leviter penetrat. Sed dico tibi non leve infligit vulnus. Citò interficit, nimirùm sagitta hæc est vana gloria.* Ne itaque ex dæmoniaci jam sanati consortio perpetrati miraculi reminiscentia indies vivisceret, illud totaliter sopire desiderans, ejus præsentiam repellit. Totum namque Christi studium fuit, sæpiùs portentosa sua facta celare, ut patet, dum leprosum mundavit Luc cap. 5. *Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret.* Item idipsum attestatur Evangelista Matthæus loquens de mysteriosa Christi Do-

Ad Rom. c. 11. v. 33. & 34.

Luc. c. 5. v. 14.

Matth. c. 17. v. 9.

sti Domini transfigurationе : *Et descendentibus illis de monte,* præcepit eis Jesus dicens ; *nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.*

Et hæc est fundamentalis & exacta ratio, quare nullum infirmum, quem ipse divinâ suâ omnipotentiâ summo cum stupore plebis, curarat, aut defunctum, quem ad vitam revocarat, ad consortium suum voluerit admittere, & tubicines, turbamque tumultuantem è cubiculo, in quo mortua jacebat puella, expelli mandarit ; videlicet, ne ipsi, viso stupendo Christi miraculo, clangore tubarum ipsius potestatem per universam illam regionem propalarent. Sic apposité ad nostrum conceptum idem explicat S Chrysost. specialiter loquens de resuscitato Lazaro supra hæc Christi verba : *Solvite eum, & sinite abire. Intuere,* inquit, *quòd nullam gloriam exspectet, non ducit secum mortuum id est, Lazarum, non jubet secum esse, ut rem ostentet facto miraculo.* Quoniam si Lazarus Christum Dominum verbum Dei deprædicantem per totam Judæam fuisset comitatus, absque ullo prorsus dubio universa plebs conglomeratim accurrisset, ut propriis oculis resuscitatum intueri posset, sicque Christum inauditi hujus miraculi patratorem ad summum laudibus & encomiis extulisset. Ut igitur intimis cordis nostri penetralibus humilitatem, omnium virtutum fundamentum & basim imprimeret, & vanam gloriam summopere esse fugiendam, nos edoceret, ab omni ostentatione abstinuit, & Lazarum abire imperavit. *Vt discamus* inquit Chrysost. *benefacta non esse aperienda.* Inanis namque gloria virtuti, bonisque operibus maximè insidiatur, ut testatur S. Augustinus : *Sermo ore procedens, & facta, quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata suffragia tentat : ut cùm à me in me arguitur, eò ipso, quo arguitur, tentat. Et sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, qui intùs gloriatur.* Et hoc venenum, ubi vel tantillum virtutem infecit, eam plane enecat inquit Augustinus : *Intentio quippe cordis humani, quò dirigatur, & quo spectet, intuendum est. Si enim, qui vult videri ab hominibus bona opera sua, gloriam & utilitatem suam ponit ante homines, & hanc in conspectu hominum quærit, nihil eorum, quæ de hac re Dominus præcepit, implevit : quia & attendit facere justitiam suam coram hominibus, ut videretur ab eis,*

Aug. lib. 10. conf. cap. 38.

& non sic eluxit lumen ejus coram hominibus, ut ad hoc viderent opera ejus, & ut glorificarent eum, qui in cælis est. Se quippe voluit glorificare, non Deum. Hanc pestem itaque, magistri nostri exemplo edocti, sedulò devitemus.

Ostensum jam est Christum Dominum per totam vitam humilitatem fuisse sectatum, & vanam gloriam execratum. Videamus semel evidentius (ut inde colligamus, quanti momenti sit salutare hoc documentum) an idipsum in morte quoque non observarit. Pro quo annotandum est, quòd Sol, Christo creatore suo jam crucis ligno affixo in mœstitiæ, simul & indignationis testimonium ingrato mundo suum subtraxerit lumen. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam,* ait Matthæus. Cujus portenti rationem maturè perscrutantur SS. PP. & sacræ Scripturæ interpretes, qui diversimode de hoc sentiunt. S. Bernardus inauditum hunc contra inditam Solis naturam eventum in execrandum Judæorum scelus retorquens, dicit : *Gravissimum enim est, & singulare, quod commissum est in divinam majestatem scelus, cum viri impii sacrilegas manus injecerunt in Dominum ipsum, Dei filium, crudelissimi homicidæ, si fas est dicere. Deicidæ.* Quod facinus splendidissimum illud sydus lucis suæ denegatione ad summum detestatum est. De hac Solis defectione fuerat vaticinatus Propheta Ezechiel : *Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum ; omnia luminaria cæli mœreri faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam.* Quod vaticinium, sicut & illud Joelis : *Sol convertetur in tenebras.* Ruminans S. Hieronymus ait : *Sol quoque conversus est in tenebras, quando pendentem Dominum videre non est ausus.* Augustinus autem succincte omnium creaturarum, tum cœlestium, tum sublunarium insolitam considerans commotionem, solis obfuscationem, petrarum scissionem, terræmotum, monumentorum apertionem, mortuorum resurrectionem, &c eas pari naturæ instinctu authoris, & conditoris sui interitum deplorasse, aureis, ut solet verbis, constanter asserit : *Apertè rerum natura perspicitur commoveri, velut in vindictam authoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat, tamquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine, quomodo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu more lugentis induitur. Et ut tota cæli facies Dominicæ Nativitatis gloriam nova luce*

Matth. c. 27. v. 45.

S. Bern. serm. 4. hebd. sanct.

Ezech. c. 32. v. 7. & 8.

Ioel. c. 3. v. 13.

S. August. ser. 12. de diversis.

vâ luce testatur, ita crucis injuriam novis tenebris detestatur.

Prædictas rationes, ut pias, sanctas, & subtiles ambobus brachiis amplector; illis nihilominus pro nunc (salvâ tamen magni Doctoris Augustini, aliorumque SS. PP. reverentiâ) aliam magis nostro præsenti proposito accommodam in medium proferam, quam ex ipsamet sacra Scriptura Marci cap. 1. deducam. Ubi Evangelista signanter annotat tempus, quo Christus Dominus Capharnai infirmos curavit. *Vespere autem facto, cùm occidisset sol; afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus.* Quod idem exactissimè observat Evangelista Lucas cap. 5. *Cùm autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. Et ille singulis manus imponens, curabat omnes.*

Marc. c. 1. v. 32. & 33.

Luc. c. 4. v. 40.

Hujus difficultatis dissolutionem ex ipsomet Marco ibidem eruere possumus: nimirùm eum hoc fecisse, ut nos omnes in operibus nostris bonis ostentationem, & omnem inanis gloriæ ventum cautè devitare, atque insignem humilitatis virtutem arctissimè amplecti admoneret. Idcircò subnectit Evangelista: *Et dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui.* Ne scilicet ipsius divinitatem majestatem, ac stupendam potentiam plenâ buccâ, præsente populo, deprædicarent. Ob hanc quoque rationem, ne sequenti die à plebe agnitus præter desiderium suum, & humilitatis affectum forsitan extolleretur, & nimiis encomiis celebraretur *diluculò valdè surgens, egressus, abiit in desertum locum.* Ita divinè ad meum intentum hoc exponit Bernardus: *Ideò cùm sol occidisset, curavit infirmos, ipse enim, ut jactantiam evitaret, voluit in tenebris miracula facere.* Et eadem omninò est ratio, quare Dominus crucifixionis tempore expressè voluerit, ut sol priùs lucis suæ radios à terra retraxisset; quandoquidem enim ipse insolita prodigia, atque inaudita portenta, etiam infami crucis trabi affixus divinâ suâ potentiâ esset perpetraturus, nempè, ut apertis sepulchris mortui ad vitam redirent, ut durissimæ rupes in partes scinderentur, & universa terra horrendo motu concuteretur, tenebras ad ea occultanda adesse jussit. Sic apposite S. Hieronymus: *Sol obscuratus est, ne videretur resurrectio mortuorum, petrarum confractio, aliaque Dei, quæ in ejus morte contigerunt, mirabilia.*

Concludo itaque legitime Christum Dominum Christianæ scholæ institutorem, apertissimum per totam vitam humilitatis extitisse exemplar. Dicto meo rursùs divinè suffragatur S. P. N. Augustinus, dicens: *Cùm Pater omnia dedisset Christo in manus discipulorum, non manus, sed pedes lavit. Et cum se sciret ex Deo exisse, & ad Deum pergere, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Et ad magnum cumulum humilitatis accedit, quod traditoris sui non dedignatus est pedes lavare, cujus manus prævidebat in scelere. Quid autem mirum, si surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Et quid mirum, si præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo? quid mirum si aquam misit in pelvim, ut lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit quo immunditiam dilueret peccatorum? quid mirum si linteo, quo erat præcinctus, pedes, quos laverat, tersit, qui carne quâ erat indutus Evangelistarum vestigia confirmat?* Et pergit hanc Christi profundæ humilitatis virtutem exaggerare, nunquam quasi satur de ea disserere. *Et linteo quidem, ut se præcingeret, posuit vestimenta, quæ habebat; ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat, deposuit, sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sanè suis expoliatus est vestimentis, & mortuus involutus est linteis: & tota illa ejus passio, nostra est purgatio. Passionis igitur præmisit obsequia, non solùm eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas. Quia homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inveniret, venit enim filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Perierat autem superbiam deceptoris secutus.* Et argumentando solide concludit: *Ergò humilitatem redemptoris sequatur inventus.*

Augustin. tract. 55. in Ioan.

Et bene sane dicit Augustinus? Quid mirum & toties repetit: quoniam quandoquidem ipse è sinu Patris descenderit in terram, ut nos miseros fœci & luto peccatorum immersos eriperet & ad supernam patriam elevaret, maximè necessarum fuit; ut nobis gradum & viam ad eam suo exemplo indigitaret. Quæ cùm alia non sit, quam profunda humilitas, Christus verum humilitatis sesé exhibuit prototypon. Sic sentit rursùs S. Augustinus: *Christus voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinẽ*

Augustin. tract. 28. in Ioan.

per humilitatem viam ſternere; nam & illi diſcipuli utique gloriam requirebant, qui volebant ſedere, unus ad dextram ejus, & alter ad ſiniſtram. Attendebant, quo, & non videbant quâ viâ Dominus eis ordinaret, ut venirent ad patriam. Excelſa eſt enim patria & humilis eſt via. Qui recuſat viam, quid quærit patriam? Unde maximè hallucinantur quàmplurimi in hoc ſæculo homines qui ſuperbiâ tumidi & elati præſumunt ad ſuperna ſeſe poſſe pertingere. Hi namque viam recuſant, ne itaque patriam quærant. *Altus eſt Deus,* inquit Auguſtinus, *non eum attingit elatus: omnia ſublimia ut contingamus, attollimus nos; et ſi attingere non poſſimus, machinamenta aliqua, vel ſcalas quærimus, ut ſublimati ſublimia contingamus. Contra Deus & altus eſt, & ab hominibus contingitur: ſcriptum eſt, propè eſt Dominus his, qui obtinuerunt cor. Tritura cordis pietas eſt & humilitas.* Quam doctrinam approbat Evangeliſta Matthæus dicens: *Qui ſe exaltaverit humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur.*

Ibidem.

Matth. c. 23. v. 12.

Quàmplurimi SS. PP. atque ſacræ Scripturæ interpretes ſummoperè demirantur miram Chriſti Domini ante pedes præcurſoris ſui Joannis Baptiſtæ ſubmiſſionem, dum ab ipſo etiam renitente & replicante: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Voluit baptiſmum recipere: *Sine modò, ſic enim decet nos omnem implere juſtitiam.* Quandoquidem enim ipſe nulli obnoxius eſſet culpæ, nulla illius indigebat expiatione, nullaque neceſſaria erat juſtificatio ei, qui peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus. Sicque ſuperfluus apparet baptiſmus. Quorſum ergo Chriſtus tanta cum humilitate ſeſe ante Joannis pedes proſtravit? Id abſque ullo myſterio factum eſſe non arbitror. Quòd ſi quiſpiam reſpondeat, eum ſanctum Baptiſmi lavactum ad noſtram inſtructionem ſuſcepiſſe: Rurſus replico, quare illud à ſanctiſſima ſua matre, ſicut & circumciſionem, ſecundum Bernardum, non recepit. S. Chryſoſtomus rationem genuinam elicit ex ipſo ſacro textu Marci cap. 1. Joannes Baptiſta quantumvis in ſanctitatis eminentia, & omnium virtutum excellentia cæteros Sanctos longo intervallo antecederet, ut atteſtatur per eſſentiam veritas Chriſtus: *Inter natos mulierum, non ſurrexerit major Ioanne Baptiſtâ.* Attamen tantum, tamque profundum humilitas in anima illius jecerat radicem, ut manum ſuam vel ad Chriſti calceamenta diſſolvenda judicarit fore indignam: *Cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.* In cujus meritum manus illa ſuper benedictum Domini caput clevata eſt, & Joannes erectus procumbenti & genuflectenti Jeſu ſacrum lavamen impetitus eſt. Sic explicat præcitatus Doctor: *Ioannes dixit de Chriſto, cujus non ſum dignus, &c. & manum, quam dixit eſſe indignam, hanc ſupra caput ſuum Chriſtus attraxit, quando ad baptiſmum cervicem inclinavit.* Manet itaque ratum & fixum, quòd qui ſe humiliat, exaltabitur.

Matth. c 3. v. 14. & 15.

Matth. c. 11, v. 11.

Marc. c. 1. v. 7.

Chryſoſt. ho. 36. ad pop. Antioch.

Stupendam hujus virtutem & efficaciam apprimè noverat Auguſtinus, & ideò, ſicut eam ſuos ſequaces inceſſanter docuerat, ita & illam mirificè excoluit. Ut ei juſtè poſſit appropriari illud, *qui fecerit, & docuerit, hic ſalvus erit.* Patet hoc luculenter ex libris confeſſionum, & variis illius ſcriptis. Etenim, cùm ei litteras encomiis, & laudibus plenas tranſmiſiſſet Audax, humillimè reſpondet ad ſingulas. *Oraculum legis quomodò ſum, de quibus latis & abditis penetralibus neſcio longè plura, quàm ſcio: Porrò ſacrator juſtitiæ quis ego? Iam verò quid inſtauratorem ſpiritalis gloriæ me appellas: da veniam: multùm, cui loquaris, ignoras. Ipſe quippè adhuc in hac gloria ſic inſtauror, ut de die in diem, non ſolùm quantùm accedam, ſed utique omninò aliquid accedam, latere me fateor. Diſpenſator planè ſalutis æternæ cum cæteris innumerabilibus conſervis meis ſum.* Ideò quoque Pelagio, eum è moribus, probitate, atque doctrina ſummopere extollenti, ſcribit: *Admoneo, ut potiùs ores pro me, quò talis fiam, qualem me jam eſſe arbitraris.* Nec minorem in ſuo reſponſo ad Darium oſtendit humilitatem. *Sume itaque fili mi, ſume vir bone libros, quos deſideraſti Confeſſionum mearum. Ibi me inſpice, ne me laudes ultra, quod jam ſum. Ibi & non aliis de me crede, ſed mihi. Ibi me attende, & vide, quid fuerim in me ipſo, per me ipſum. Et ſi quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me.* Ac ſi diceret, quidquid boni in me intuêris, nullatenùs meis adſcribendum eſt viribus, ſed divinæ miſerentis Dei miſericordiæ. Quod conſtanter aſſerit in omnibus ſuis ſcriptis, continuò clamans: *Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem diſſolviſti, gratiæ tuæ deputo, & quæcumque mala non feci.*

Aug. epiſt. 139.

Lib. de geſtis Pelagii cap. 26.

Aug. epiſt. 263.

Pulchra ſane inſtructio pro ſuperbientibus hominibus, qui ad inſtar Pharisæi in ſuis operibus intumeſcunt, & alios, ut ipſe publicanum,

tamquam vitâ indignos viliter aspernantur. Dic mihi caste vir, pudica filia, juste judex, modesta matrona, &c. unde hæ tibi proveniunt virtutes, atque bona opera? An forsitan à propriis proficiscuntur naturæ tuæ viribus, & innato libero arbitrio? Ah falleris, si sic sentis. Audi, & attende Augustinum: *Nunquid libero arbitrio potest homo operari bene?* Et respondet: *Absit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut cùm quis se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, dum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium.* Nimirum ad bene operandum. Et constanter concludit: *Non debemus superbire, totum bonum, quod habemus, ab ipso artifice nostro habemus. Quod in nobis nos fecimus,* (id est, absque adjutrice Dei gratiâ) *inde damnamur. Quod in nobis ille* (eâ scilicet mediante) *fecit, inde coronamur.*

Lib. 14. de Civ. Dei, cap. 11.

Et hujus rationem allegat: *Quia totum nostrum bonum est à Deo, totum Deo tribuere debemus, quòd rectè vivimus: in nullo gloriandum, quando nostrùm nihil est.* Hoc variis sacræ Scripturæ testimoniis, & ipsius Cypriani verbis demonstrat Aug. nam erroneam refutans opinionem eorum, qui dicunt: *Ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo, tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur eo merito, quæ capit à nobis, &c.* & infra, *Nolens ergo, his* (ab Aug. citatis) *tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse, quod credit: quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat.*

Lib. de Præd. SS. c. 3. & 4.

Non sic pius, atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quia nostrum nihil est, quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum dicentem: Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Et salubriter proinde concludit is: *Tutiores ergo sumus, si totum Deo damus, & nil nobis ex parte committimus.*

Quod vidit ille Venerabilis Martyr; nam cùm eumdem locum exponeret, ait post cætera: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ: dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, &c.* Et tandem concludit: *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio ad gratiam, quam defendimus, sola sufficeret, quia nil nobis reliquit, in quo tamquam in nostro gloriemur.*

Lib. de dono pers. cap. 6.

Mos vigebat & consuetudo apud veteres Romanos, ut commemorat Pierius Valerianus, quòd viatores ex ardua quadam expeditione & sanguinolento prælio regressi, peracto debito victoriæ triumpho, Capitolium ascenderent, templumque supremi Dei Jovis visitarent. Ante cujus aram prostrati, ei coronas, omniaque, quæ è certamine reportarant spolia, ac trophæa consecrabant. Hâc ceremoniâ innuentes, victoriam, omnemque de hoste debellato gloriam, non propriæ virtuti debere adscribi, sed divinæ. Quod Romani falso Deo, cuncti cæli incolæ vero attribuunt. Cap. 7.

Joannes in mysteriosa quadam apparitione dicit, sese vidisse cælum apertum, omnesque Sanctos congregatos. Et inter cætera mirabilia narrat: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Sed quid hâc prætendebant seniores ceremoniâ & submissione? Sane id aperte insinuant ultima citata verba: *Dignus es Domine Deus noster, &c.* Significant enim, & ingenue confitentur, omnes virtutes, pias actiones, sanctitatem, omnesque præclaras in hac mundi militia contra dæmonem, mundum, & carnem reportatas victorias summi Numinis gratiæ, & non propriæ virtuti esse attribuendas. Ita egregie ad meum conceptum exponit S. Gregorius: *Coronas suas mittere ante thronum Domini, est certaminum suorum victorias, non sibi tribuere, sed authori; ut illi referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis.*

Apoc. 4. 10.

Greg. l. 22. moral.

Ubi signanter notandum, eos non partem coronarum divinæ Majestati, secundùm Cypr. allegatum monitum, *tutiores ergo, &c.* offerre, sed integras: volentes in hoc mundo armis cælestis gratiæ secure belligerare, desiderantibus inculcare, quòd totum opus bonum Dei adscribere debeant auxilio.

Propheta Job mirabilem ad hoc institutum de se loquens, cap. 31. profert sententiam: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Sed quid ais Propheta? An tanta tibi videtur iniquitas, propriam exosculari manum, ut eam idolo-

Vers. 27. & 28.

idololatriæ & Dei abnegationi assimiles? Quæ, quæso, in hoc resplendet scintilla malitiæ? S. Bernardus dicit: *Osculari manum*, nil aliud insinuare, quàm operationes suas bonas propriis viribus & gloriæ, & non Dei supernaturali auxilio adscribere. *Quod fieri arbitror*, inquit, *cùm donum Dei non Deo, sed meritis adscribitur actionum*. Quam detestandam ingratitudinem justè juxta dictum Job nuncupari asserit negationem contra Deum: *Si in te, & non magis in Domino glorieris, propriam profectò, & non Domini manum osculari convinceris, quod juxta Iobi sententiam est iniquitas maxima, & negatio in Deum.* Fuge itaque à vana & inani gloria, tanquam à facie colubri. Hujus malitiæ efficax, & maximè nocivum venenum volens exaggerare doctissimus Rupertus, illam appellat *Sanctitatis tineam*, sed inversam. Pro quo annotat, quòd si quis per integrum annum vestes cistæ includat, easque numquam Soli exponat, eæ à tinea lædantur. Si verò quandoque, splendente Sole, expandantur, illæsæ conservantur. E contra vana gloria *tinea inversa* opera bona, quæ in lucem prodeunt, & fiunt, ut videantur ab hominibus, corrodit & enecat; si verò sedulò occultentur, ea attingere hæc tinea non potest, sicque illæsa & viva remanent. Simon à Cassia hanc quoque honorat insigni notâ, vocans eam latrocinium divinorum. *Cujus finis est latrocinium divinorum.* Ipsa namque gloriam Dei in opere bono impie furatur, quæ ei absolutè debetur & reservatur. *Ego gloriam meam alteri non dabo.*

Accede itaque superbe, & bonis operibus intumescens, siste te divino tribunali, & de furto gloriæ divinæ te accusantem & dicentem attende justitiam: *Quid habes, &c* Dic obsecro, à quo procedit opus tuum bonum, & meritorium? Quid obmutescis? Quid ad hæc respondes? Bene taces, quoniam te apertissimè confunderet Augustinus:

Aug. ser. 94. de temp. Idem ser. 11. de verbis Apost.

Nihil placet Deo, nisi quod habes ex Deo, quod autem habes ex te, displicet Deo. Voluntas namque humana nil ex se, quàm malum agere potest: *O malum arbitrium*, exclamat idem, *sine Deo! ideo miseri facti sumus; quia sine Deo quid valeat, experti sumus.* Idque constanter asseverat in millenis locis. Sit unus pro mille lib. 12. Confess. *O veritas, lumen cordis mei erravi, & recordatus sum tui. Audivi vocem tuam post me, ut redirem, & vix audivi propter tumultus peccatorum: Et nunc ecce, redeo æstuans, & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat hunc bibam, & tunc vivam. Nam non ego vita mea. Si malè vixi, ex me mors mihi est, & in te revivisco. Quid enim ego sum sine te, nisi dux in præceps?*

Idem l. 12. Conf. c. 10

Concludendum itaque, Deum benignè voluntatem nostram ad bonum inclinare, & dirigere. Quod rursus attestatur Augustinus, dicens: *Cùm Deus vult aliquid boni fieri, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo sic inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.*

Idem l. de prædest. SS. c. 20.

Ex quo clarissimè sequitur, gloriam operis Deo fore adscribendam, & per consequens eum, qui hoc non facit, illam ab ipso furari. *Si quid boni est in nobis*, inquit Augustinus, *parvi vel magni, donum tuum est, & nostrum, non nisi malum. Unde igitur gloriabitur omnis caro? Nunquid de bono alieno? Hæc non est gloria, sed miseria. Num gloriabitur de bono? Nunquid de alieno? Tuum est Domine bonum, tua est gloria. Qui enim de tuo bono sibi gloriam quærit, fur est & latro, similis diabolo, qui furari vult gloriam tuam.*

Idem lib. Soliloq. cap. 15.

Imò non tantùm Augustinus docet, opera bona Deo dedicari, sed etiam oportere ipsius gratiæ adscribi, quòd in varia abominanda non incideris scelera atque crimina. Audi superbe & inflate divina tanti Doctoris verba: *Adulter non fuisti in vita tua præterita, hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit, ut suasor deesset, ego feci: Adfuit suasor, non defuit locus, ut non consentires, ego terrui.*

Idem hom. 23.

Et concludit: *Agnosce igitur gratiam ejus, cui debes, & quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non potest facere alter homo, nisi adsit rector, à quo factus est homo.* Quid igitur vanâ intumescens gloriâ, te de bonis operibus jactitas, & alios temerariè condemnas? Quid gloriaris in virtutibus tuis, quæ tibi non magis attribui possunt, quàm pictoris pictura penicillo. Ah stulte, omne donum optimum de sursum est, lauda eum, qui in te bona facit, non te, qui nil ex te, nisi malum agere potes. Attende ad id, quod inculcat Propheta David. *Omnis spiritus laudet Dominum.*

Ps. 150. 6.

Ad quod divinè ait Chrysostomus: *Laudet eum oculus, qui non intuetur impudica, & lingua, quia psallit, & aures, quando improbant cantilenas & accusationem proximi, & mens, quando dolos non struit, sed scatet charitate, & pedes, quando non currunt in vitium, sed ad res bonas gerendas, & manus, quando non ad furtum & rapinas, nec ad verberandum, sed ad eleemosynam, & ad eos defendendos, quibus fit injuria, extenduntur.*

Finio

Finio Auditores, quoniam, ut arbitror, utcumque; quamvis non sufficienter virtutis humilitatis, numquam satis encomiatæ eminentiam, ejusque stupendos percepistis effectus. Quippe, quòd illa scalam struat ad cæleste regnum, & humilem exaltet, constantem Christi verbo & exemplo audivistis ad humilitatem adhortativam sermocinationem. Inanis gloriæ pessimæ omnium virtutum tineæ, nocivum intellexistis venenum, nec aures vestras subterfugit execrandum ipsius latrocinium divinorum. Quid igitur restat agendum? Ah homo amplectere à Christo tantopere amplexatam humilitatis virtutem, ut experientiâ ejus addiscere possis effectum, *qui se humiliat, exaltabitur.* Fuge vanam gloriam, quæ cuncta destruit pia opera, latrocinium divinorum evita, & omnia bona opera tua divinæ consecra gratiæ. Sequere humilis Augustini sanam doctrinam: *A cipiendo donum, non tibi, sed nomini ejus da gloriam. Da semel, da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis beneficiis.* Aug. lib. 9. Conf. c. 13. Delectare cum August. in agendo Deo gratias, qui de se ait: *Nihil me tam dicere delectat, quàm ubi mihi, & scriptura plurimum suffragatur, ut in omnibus gratias agamus Deo nostro, sursum corda habentes: Unde à Patre luminum omne donum optimum, & omne donum perfectum*, ut post hanc fugitivam vitam permanente cælestis gloriæ frui merearis delectatione, quam mihi, & vobis omnibus donet Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

FERIA SEXTA

DOMINICÆ QVINTÆ

QUADRAGESIMÆ.

Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Joan. cap. 11.

NAturalistæ stupendam cujusdam animalculi, quod nuncupatur Dipsas, omnium reptilium, (juxta Pierium pernicìosissimi, *Medicina quidem est corpo-* Pier. l. 16. *re, ac vipero perquàm simile, sed ad actum violentissimum*) nocivam commemorant virtutem. Hominem acerrimè insectatur, eique incessanter insidiatur, ut illum venenoso suo morsu inficiat. Qui tantæ est virulentiæ, ut cunctos, quos attigerit, insatiabili siti torqueat. Sic attestatur idem author: *Veneno hac, scilicet* dipsas, *plurimo & immedicabili quosque momorderit, usque adeò inflammat, ut propemodum exardescere videantur, atque igne veluti circumfuso concremari. Supremè verò sitiunt. Quòque magis potant, eò potandi avidiores fiunt, ut sitis ea nulla aquarum vi sedari posse videatur; verùm eò magis sævire, quò magis abluitur & irrigatur, perinde ignem oleo superfuso extinguere conaretur.*

Hoc animalculum dipsas quàm optimè apud Ægyptios, verùm effrænatæ rerum mundanarum & terrenorum bonorum concupiscentiæ statutum est hieroglyphicum. Ipsa namque ubi miserum hominem venenoso ictu arroserit, ipsius animum admirabiliter inflammat, & immedicabili siti accendit, ac consumit. Et quò plus homo terreno gaudio, divitiis, deliciis, honoribus, & aliis fluxis bonis potiatur, eò illius sitis vehementiùs exardescit, juxta illud Joan. *Qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum.* Et hæc Joan. 4. 13. perversa sitis totum mundum interturbat, justitiam corrumpit, & ad desideratum finem per fas & nefas perveniendum, sitibundum hominem instigat, Deum & leges contemnit. In summa, ait Augustinus: *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Nonne id clarissimè videmus in hodierno Evangelio? Ecce, Scribæ & Pharisæi adversùm Christum iniquum ineunt consilium, ut eum morti injustè tradant. Verùm cùm nil nisi bonum, & quam-

& quamplurima in illo comperirent beneficia, ubique, qui cæcos illuminarat, claudorum bases consolidarat, & cunctos infirmos adjuvarat; regni, regiminis, & bonorum deperditionem objiciunt: *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Et sic Christum perdere, quàm tantum damnum pati malunt. O venenosa dipsas! ô iniqua cupiditas tanti homicidii, imò, si fas est dicere, Deicidii origo! Sed eheu, quot, quot in depravato hoc sæculo homines exitiali hujus dipsadis dente sunt compuncti! quot inveniuntur sitibundi! hic totum se avaritiæ, ac pecuniis accumulandis devovet, ille ambitione inflatus, omni medio, omni conatu & labore, sibi ad honores & potestatem gradus sternit, & in iis totam suam complacentiam, gaudium & delectamentum collocat. Sed quid agis, miser homuncio? An his aquis tuam restringere autumas sitim? Ah falleris, quia quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, nimirum terrenarum rerum. Solus verus fons Christus Deus appetitum tuum satiare potest. Ideò clamat Christus: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Hoc egregiè attestatur Augustinus super illud Prophetæ Isaiæ, asserens: *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundat fluctus ejus in conculcationem & luctum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Ubi notandum, eum non dicere: Non est pax impiis, dicit homo, sed hoc dicit ipsamet per essentiam Veritas Dominus. Mundani namque opulenti, & ad sublimem statum elevati, videntur pace & gaudio frui, sed illud quod pacem & gaudium appellant & arbitrantur, non nisi fictâ pacis & gaudii larvâ obtegitur, sub qua inquietudo & mœstitia sublitescit; quod asseveranter confirmat Augustinus in illa verba Psalmistæ: *Delectabuntur in multitudine pacis,* Psal. 36. dicens: *Delectetur hic impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremò divitiarum, violentiæ, lautissimorum, & luxuriosorum convivorum. Hæc est potentia, cui inniteris, iste flos est, qui te delectat? Nonne, etsi semper sic esset, plangendus esset? Quæ erunt autem deliciæ tuæ? Et delectabuntur in multitudine pacis. Aurum tuum pax, prædia tua pax, vita pax.* Verùm pergit Augustinus, asseritque hominem in hoc quàm plurimùm hallucinari, in Psal. 84. *Deus tuus pax, Quidquid desideras, pax tibi non erit: quia hic aurum, quod est, non potest tibi esse argentum, quod vinum est, non potest tibi esse panis, quod tibi lux est, non potest esse potus. Deus tuus totum tibi erit.* Et luculentiùs fraudulentam detegit larvam, ruminans illa verba Prophetæ Davidis, Psal. 84. *Plebs tua lætabitur in te. Malo suo lætabitur, inquit, in se, bono suo lætabitur in te.* Et rationem subnectit: *Quando enim voluit habere gaudia in se, invenit planctum in se. Nunc verò, quia totum gaudium Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Quid enim vultis fratres mei gaudere in argento? Aut argentum perit, aut tu: & nemo scit, quid priùs: verumtamen illud constat, quia utrumque periturum est, quid prius incertum est: quia nec homo hic potest manere semper, nec argentum hic potest manere semper. Sic aurum, sic vestis, sic domus, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremò lux ista. Noli ergò velle gaudere in istis, sed gaude in illa luce, quæ non habet occasum, gaude in illa luce, quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus.* Et in Psal. 48. strictiùs urget diabolicâ hac dipsade læsos, ajens: *Itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorũ. Quasi ipsorũ felicitas est sæculi, verùm pœna est, nostrum autem quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus, quasi gaudentes, semper autem tristes, aut quasi tristes, & quasi gaudentes; sed ait: quasi tristes, semper autem gaudentes.* Et tandem concludit: *Extolluntur homines in avaritia, & honoribus sæculi, & lætitiâ quâdam insaniunt, sed non est gaudere impiis, dicit Dominus.*

August. in Psal. 36. Isa. c. 57. v. 20, 21.

Ecce, ô obcæcati homines! quàm liquidò non demonstrat August. mundi fallaciam, rerum terrenarum vanitatem, divitiarum atque honorum instabilitatē. Supra abundè satis Concione quarta tractavi de divitiarum fallaci cupiditate, & in ea perversos fusè auri explicui effectus. Ipsius insatiabilitatem, nocumentum, &c. Concione 14. latè exposui. Quapropter pro hoc discursu mens est perniciosam arripere dipsadem, ambitionem nimirum, & honorum cupiditatem, & ostendere, dignitates, status, honores, fore fallacem suavitatem, malam servitutem, eosque esse periculosos, & maximè onerosos, ac nocivos. Quod cùm mundo sibi in iis applaudenti persuadere perquàm sit difficile, operæ pretium duxi, ad vos Auditores confugere, & rogare, ut dignemini mecum divinam Spiritus S. implorare assistentiam, per beatæ Mariæ Virginis intercessionem,

nem, ut ad intentum attingere queam ſcopum, ſalutantes eam Ave gratiâ plena.

Si dimittemus eum ſic, venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.

CUm cogitarem congruam materiæ propoſitæ adducere probam, hæſit lingua, & hebes remanſit intellectus, neſcius, an in ſeriis, an verò ridiculis forer procedendum. Tandem concluſi à ridiculis incipere, & ſeriis finire. Notus eſt unicuique, ut puto, tum pueris, tum grandævis quidam luſus, vulgò vocatus idiomate Flandrico *Crommecalſpel*, jucundus valde tam ſpectatoribus, quàm colludentibus. Illo utuntur puellæ & adoleſcentes in pomariis, aut etiam in clauſis cubiculis. Illi, qui ad alium quærendum & apprehendendum ſorte eſt condemnatus, obvelantur quodam linteo oculi. Colludentes larvatum continuò deludunt, nunc ad hunc, nunc ad illum currentes locum. Attamen ipſe nec labori, nec induſtriæ parcit, ſed ſuo inſiſtens curſui, manus & brachia hinc inde extendit, ut optatam apprehendere queat prædam. Verùm, dum nimiùm velox eſt, & fervidus in currendo, ſæpè caput in parietem, vel arborem impingit, aut pronus in terram decidit. Nec ideo ab incepto deſiſtit: at reſumens animum, generosè colluſores inſequitur, memor Solonis adagii, quòd una ſagitta fortem non labefactet, niſi cor transfigatur. attendit ad currentium, & fugientium riſum & cachinnos, obſervat auribus eorum motum, & quandoque immotus ſubſiſtit, quaſi ſuam laſſitudinem indicans. Exſpectat, donec ab iis de loco ad locum manibus detrudatur, ſperans hoc medio, captâ prædâ, ab onere currendi liberari; ſed ut ipſe decipiatur, ſpectator ſe in loco colludentis cujuſdam ſubſtituit. Apprehenditur ſummo cum gaudio à larvato, qui confeſtim larvam ab oculis removet; ſed ecce cernens, ſeſe non colluſorem, ſed ſpectatorem apprehendiſſe, totaliter obſtupefactus hæret, & confuſus remanet.

Hic luſus fateor puerilis & ridiculus eſt. Aſt ſi eum ſecundùm ſpiritualem ſenſum velimus interpretari, inveniemus diabolum, ad hominem decipiendum, ſimilem in exordio mundi inſtituiſſe, cumque etiamnum hoc tempore in uſu fore. Ille nefarius hoſtis oculos primi noſtri parentis Adami obvelavit velo dubiæ & inconſtantis fidei: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum, & nequaquam moriemini.* Gen. 3. 5, 6. Colludebat Deitas, divina ſcientia, & immortalitas. Spectatores erant mors, ignorantia & miſeria. Adam brachia expandit, pomum vetitum arripuit, & putans apprehendere colludentem Divinitatem, ſcientiam & vitam, detracto velo, ſeſe mortem complecti videt, & omni gratiâ, donis, ſcientiâ infuſâ, felicitate, paradiſique dominio ſpoliatum comperit. Hunc luſum in hoc mundo modò ludunt effrænati ambitioſi, hâcque eâdem diabolicâ larvâ eorum obvelantur oculi. Ipſi namque fallaci honorum, ſtatuum, atque dignitatum ſplendore obcœcati, in illis auream quærunt libertatem, gratam quietem, ſecuram vitam, & deſideratam beatitudinem. Verùm cuncta hæc fugiunt & evaneſcunt. Unde à Propheta Job cineri aſſimilantur: *Memoria veſtra comparabitur cineri.* Iob. 15. 12. Ad quod Gregorius ait: *Recte ergo memoria ſtultorum cineri comparatur, quia ponitur ubi ab aura rapiatur. Quantumque enim quis pro facienda gloria ſui nominis laboret, memoriam ſuam quaſi cinerem poſuit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit.* Et quid tandem miſeri arripiunt? Ah profectò duram ſervitutem, ſollicitudinem, periculoſum gaudium, continuum laborem, denique mortem æternam. Unde dipſadem hanc egregio hoc condecorat elogio S. Bernardus: *Fallax ſuavitas, mala ſervitus, periculoſa jucunditas, & continuum martyrium.* O præclara ſententia, digna, ut omnium ambitioſorum cordibus profundè inſculpatur! Quoniam à parte rei ambitioni omnes præfati effectus ad amuſſim conveniunt, ut in ſuis declamationibus idem conſtanter reiterat: *Iudicent nunc, & prejudicent filii ſuperbiæ, cum Rege ſuo ſedeant, qui ſibi latera Aquilonis elegit, exaltentur, & leventur ſicut Cedri Libani. Tranſibimus, & ecce, non erunt. Opprimant nunc, quos poſſunt, blaſphement, congregent maledicta, veniant ſuper nos opprobria, gloriamque ab invicem habeant, utique vanam & mendacem: quoniam vani filii hominum, mendaces filii hominum. Gloriam enim, quæ à ſolo Deo eſt, nolunt veram utique & manentem. Quoniam ipſe eſt veritas, & ipſe eſt, qui eſt. Infelix prorſus ambitio, quæ ambire magna non novit, quærens de modico creſcere, & de maximo minui.* Huic quoque dipſadi adjicit encomium, quòd ſit dæmonis traditor, hominem ad miſerum æternæ damnationis lapſum perducens. Audite illius verba:

Bern. ser. 6. in Psal. Qui habitat. *Quis putas erit hic proditor? Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, magister hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem. Quanto hoc negotium perambulantes in tenebris, trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans.* At, quis hanc fomentat? Mehercle non nisi larva *Crommecalle*, quæ falsitate veritatem tegit, amara in jucunda commutat, futuram quandoque amaritudinem fallaci hujus sæculi suavitate palliat, servitutem ut libertatem homini propinat, & martyrium, ac tormentum falsis gaudiis obvelat. Unde rectè de ea dicit: *Fallax suavitas, &c.*

Et in primis, ut evidenter ostendam, illam fallaci suavitate esse larvatam, mihi quàm optimè non tantùm SS PP. sed & gentilitium acerrima deserviet decertatio. Quidam enim, quantumvis non adeò constanter honores & dignitates vituperent, nihilominus ad illud vitium ex depravata natura inclinatos esse asserunt, quia omnis sublimitas etiam Deum, sed falsum, capax est intoxicare, Unde ait Titus Livius: *Regnum inter Deos hominesque, res pul herrima.* Et doctissimus Salustius idem confirmat, dicens: *Natura mortalium avidi est imperii.* Tacitus ulteriùs progreditur lib. 4. annal. *Optimi mortalium*, inquit, *altissima cupiunt.* Quibus adstipulatur Quintilianus lib 11. ajens: *Habet mens nostra sublime quoddam, & erectum, & impatiens superioris.*

Veriùs tamen autumo eos asseruisse juxta acceptam antiquitùs in omnis Reipublicæ academia regulam: *Regiminis gloria non est levamen, sed gravamen.* Unde Justus Lipsius in suis notis ad lib. 2. Politicorum, cap. 2. egregiè dicit: *Omnes fateantur, regnum inter divina, humanaque bona maximum, augustissimum, & summo studio appetendum esse. Atque ego, si me effundere in asserendo, laudandoque principatu velim, benigna materia est, sed malo te hæc ab aliis petere* Nimirum, qui in politicis contra meum judicium illum in altum extollunt.

Quapropter sæpe sæpius Rex Antigonus prudens pater, in auribus filii intonabat hæc verba: *Scias, ô fili, regnum nostrum non esse aliud, nisi splendidam servitutem.* Maximus, jam violentâ manu à quibusdam sicariis trucidato Valeriano, ad Romanum assumptus Imperium, in hanc præclaram erupit sententiam: *Felix est, qui non nisi unico prandio gubernavit.* De Adriano sexto veteres commemorant historiæ, eum in Hispania commorantem, cùm intellexisset nuntium, sese ad Pontificalem dignitatem fore evectum, lacrymosa voce exclamasse: *Si vera sunt, quæ nuntiantur mihi profectò maximè est dolendum* Cui opinioni (nimirum omni homini Christiano omnem sublimitatem, tamquam pestem esse evitandam) adeò tenaciter inhæsit, ut etiam mandarit, post mortem sepulchrali lapidi, & epitaphio hæc insculpi verba: *Adrianus VI. hic situs est, qui nil sibi infelicius in vita duxit, quàm quòd imperasset.* Alexander Magnus, armis suis jam subactâ totâ Asiâ, quodam tempore obvium sibi habuit Abdolaminum, regio stemmate oriundum. Qui nihilominus ad tantam redactus erat egestatem, ut propriis manibus, & labore victum suum lucrari cogeretur. Cujus conspectu ad pietatem & commiserationem commotus Alexander, ipsi omne servile opus inhibuit, tamquam regia conditione indignum, eique pro congruo sustentaculo integrum regnum donavit. Certo tempore transacto, à Rege Abdolamino, jam in regali solio sedente, Alexander petiit: *Libet scire, inopiam quâ patientiâ tuleris?* Ad quæ ipse candidè respondit: *Utinam eodem animo regnum pati possim.* Ecce, ipsimet Ethnici, solo dumtaxat naturæ lumine ducti, omnem eminentiam, regna, principatus, tamquam fallacem jucunditatem aspernati sunt? & nos Christiani in schola humilitatis à Christo Domino edocti & instructi, honores & dignitates ambobus brachiis, ferventi corde, & effrænata cupiditate amplecteremur? Pudeat hoc Christianum. Attende ambitiose ad salutarem S. Augustini admonitionem, & in illa inspice ambitionis fallaciam. *Noli*, inquit, *exquirere dignitates, divitias, & gloriam saculi. Quoniam caduca illa sunt, & citiùs abeunt, quàm veniunt.* Cui accinit S. Gregorius: *Præsentis vitæ gloria in alto cernitur, sed nullâ stabilitate solidatur.* Quod egregiè annotat S. Bern. triumphalem Christi Domini in civitatē Jerosolymitanā ingressum, & mox acerbam subsecutam passionē considerans: *Quis ergo*, inquit, *sperare debet in incerto gloria temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, creatore & conditore universitatis post tantam exaltationem, tantam nihilominùs humiliationem sequi in eadem civitate, & ab eadem plebe, & eodem*

In Psal.

Greg. lib. 10. moral. cap. 24.

dem tempore, nunc quidem processionis gloriâ est honoratus, postea vero cum sceleratis deputatus.

Et ob hanc rationem S. Augustinus incessanter terrenarum rerum divitiarum, luxuum, dignitatum, ac honorum, variis in locis Christianis dissuadet amorem: quia nimirum in iis non perfectum gaudium, sed fallax & imaginarium tantùm comperitur. Illud namque in Deo solummodò quærendum est. *Extolluntur homines,* inquit, *in poculis, in prandiis, in avaritia, in honoribus sæculi, & lætitiâ quâdam insaniunt. Sed non est gaudere impiis, dicit Dominus. Est autem jucunditas quædam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Et in Psal. 137. ait: *In illa vita beata, sola sunt bona, non malis mixta bona, securitates, in quibus gaudeas quantùm vis, & nemo dicat tibi, tempera te. Hîc autem de terrenis gaudere molestum est, & periculosum nimis: ne sic gaudeas, ut hæreas, & gaudendo malè pereas.* Et irrefragabilem suam doctrinam mordaciter prosequitur in enarratione Psal. 102. dicens: *Deus satiat in bonis desiderium tuum. Et quasi quæreres, quando satiat: modò enim non satior, ad quodcumque me convertero, vilescit mihi adeptum, quamvis accenderit desideratum. Cùm omnia, quæ non habeo, amo, cùm habuero, contemno. Quod bonum me satiabit? Laus Dei.* Et infrà, multis interjectis, subjungit: *Sic ergo satiat in bonis desiderium tuum: quasi responderit anima: non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus, aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat.* Hoc quoque egregiè fatetur verum fore Ethnicus Plutarchus in ambitioso Mario, de quo ipse sic ait: *Primus omnium hominum, qui septies consul fuerat factus, multisque suffecturas Regibus opes paraverat: is fortunam suam* (morti jam nimirum vicinus) *deplorabat; ante sibi moriendū esse, quàm quæ cupiebat, assequutus fuisset.* Concludamus itaque, perversam statuum & honorum cupiditatem, animique bonorum in momento transeuntium inordinatum appetitum fallacem induisse larvam, & sub specie delectabilis boni hominem ad æternam pertrahere ruinam, ac damnationem.

In Ps. 86.

Plut. in Marium.

Verùm, quandoquidem præallegatæ Augustini sententiæ, directè in genere contra omnium rerum terrenarum pravam concupiscentiam limitet (quantumvis generis rationem & essentiam, tam species, quàm individua imbibant) specialiter tamen opus est, juxta meum intentum, venenosæ dipsadis ambitionis manifestiùs nocivum detegere venenum, & ostendere miram omnis dignitatis vanitatem. Et ut à vanitate exordiar: Nonne id vanum est, quod ad instar fumi evanescit, & tamquam cinis vento à facie terræ elevatur, & dissipatur? Nonne vanum est, quod non nisi imaginatiam & fucatam in se continet bonitatem? Indubiè sanè, quoniam si secùs dicatur, malè de bonis hujus mundi concludit doctissimus Tertullianus in sua Apologia: *Omnia imaginaria sunt in hoc sæculo, & nihil veri.* Item malè subtilissimus Philosophus Seneca, qui bona terrena non simpliciter & absolutè nuncupat bona, sed bona dumtaxat *secundùm quid.* Malè quoque ingeniosissimus Doctor Augustinus, qui in Psalmum 106. de cælestium bonorum excellentia loquens, rogat: *Illa bona* (nimirum cælestia) *quare bona sunt?* Et respondet: *Quia æterna sunt.* Malè etiam Innocentius III. differens de terrenarum rerum fallacia: *Semper mundanis deliciis tristitia repentina succedit. Et quod incipit à gaudio, deficit in mœrorem. Mundana quippe felicitas multis amaritudinibus respersa est.* Quod idem asserit Gregorius, rationem allegans, quare omnia mundana vilipendenda sint: *Quia carnalis gloria, dum nitet, cadit, dum apud se extollitur, repentino fine terminatur.*

Seneca epist. 21.

Lib. 1. de contemptu mundi.

Lib. 6. moral. cap. 5.

Hinc S. Paulus mentionem de mundi vanitate faciens, ait: *Præterit enim figura hujus mundi:* videlicet, quia non essentialem & realem mundus continet substantiam, verùm tantummodò substantiæ figuram, aut imaginem, juxta sententiam Theodoreti, in hunc locum: *Imago figuras, non res habet:* Talis est præsens vita, quæ non habet positivum, neque stabile. Unde curiosam ab Apostolo à cera (in qua quælibet imago impressa caloris efficaciâ liquefacta dissolvitur, & evanescit) desumptam metaphoram egregiè extollit Theophylactus, dicens: *Mundi verò dixit figuram, quia ejus bona solo terminantur aspectu, & apparentia sunt, & nullo fundamento consistunt.* Idem constanter asseverat S. Gregorius hisce verbis: *Vana sunt gaudia sæculi, quasi manentia blandientia, sed amatores suos citò transeundo decipiunt.* Et quidem Philo Judæus de immensitate Dei differens, huic innititur veritati, dicens: *Nihil est in rebus humanis præter umbram, auramque levissimam, sine mora transeuntem.* Quapropter optimè sustinet sanctus Ambrosius, temulentum Regem, & quasi vino sopitum Herodem justo judicio Herodiadi filiæ in mercedem

1. Cor. cap. 7. v. 31.

Greg. in lib. 1. Reg. cap. 15.

 cedem

eedem saltus constituisse regni sui dimidietatem. Quoniam si operi merces comparetur, ipsa illud perfectè adæquabit. *Sicut* enim saltus ex se in altum est elevatio, & confestim in terram relapsus; pariformiter, qui pedes per honores, dignitates, & ambitionem in sublime efferunt, facillimè ad ima decidunt. Unde experientia optimè edoctus Propheta Job, rectè ait: *Elevasti me,* [Iob 30.22.] *& quasi super ventum ponens, elisisti me valde.*

Quoad hoc autem, quòd dixerim in hoc sæculo præ cæteris eminentiam, dignitatem, gloriam, & honorem, & cuncta, quæ mundi sunt, quia transitoria & ambulatoria, fore vana, frivola, ridicula; & ad summum explodenda; quantumvis id tum profanis, tum sacris historiis, tum SS. PP. testimoniis luculenter queam demonstrare: quoniam illa demonstratio ex sequentibus abundè satis intelligenti elucescet, modò supersedebo, & dumtaxat illum Evangelistæ Marci arripiam locum registratum cap. 9. ubi refertur, Christi Domini discipulos inter sese de præeminentia instituisse litem: siquidem inter se disputaverant, *quis* [Marc. 9. v.33,44.] *eorum major esset,* de quo summoperè scholæ Christianæ magister stomachatus Christus, (ut subjungit sacer textus) volens eorum deprimere ambitionem, & sublimare humilitatem, dixit: *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.*

S. Hieronymus curiosam, atque subtilem in hunc locum habet animadversionem. Quærit namque, quare Apostoli de ambitione, de præcedentia, majoratu, principatu inter sese rectè itinerantes, & per viam transeuntes altercati sint, non verò domi, aut in alicujus ædibus quiescentes? Apte & mysteriose hoc factum fore respondet præfatus Doctor. Quia sicut per campos ambulantes & itinerantes continuo motu corporis agitantur, & numquam quiescunt, ita ambitio, præeminentia, statuum sublimitas, ambitiosum incessanter movet, nec unquam quiescere finit. Audite illius verba: *Rectè in via tractabant de principatu, similis enim est hæc tractatio loco. Principatus namque sicut ingreditur, sic deseritur, & quàm diu tenetur, labitur, & incertum est, in qua mansione, id est, in qua die finiatur.* Hinc ait Tacit. lib. 15. de animal. *Omnibus affectibus dominandi cupido flagrantior est.* Unde ambitiosus quàm optime draconi comparatur. Cujus essentiam, & proprietates enarrat Solinus, qui dicit, eum tam calidæ esse naturæ, ut sitim numquam possit extinguere. Quapropter pro ea moderanda, & parumper sedanda fauces aperit, aquæ laborans penuriâ, ut ventos captet. Sic inquam est ambitiosus, qui semper exhalat ad novas, & majores promotionis occasiones. In exemplum Solinus adducit Julium Cæsarem, qui tam vehementi ambitionis, & regendi cupiditatis stimulo agitabatur, ut ipse existens in quodam oppidulo ultra Alpes in hæc verba proruperit: *Mallem hic primus esse, quàm Romæ secundus.* Huic persimiles in moderno ævo reperiuntur quàm plurimi, qui etiam in hac vita malunt primi esse, quàm in cælo secundi. Sed horum dementiam & insaniam (ut refert Strobæus ex Val. Max.) prudens quidam Rex explosit, qui antequam inauguraretur, & regalem habitum, coronam, ac diadema acciperet, dixit: *O nobilem magis, quàm* [Ser. 49.] *felicem pannum! si te homines cognoscerent, ne humi quidem jacentem tollere vellent.* Idcircò Carolus V. magnus ille Imperator, rebellium domitor, & strenuus fidei Catholicæ defensor, dum Bruxellis, præsentibus totius Belgii Statibus, variisque Principum Legatis, cuncta sua hæreditaria regna filio suo Philippo II. tum temporis Regi Angliæ, resignaret, hanc salutarem ipsi cecinit cantilenam: *Fili, ego tibi hodie magnum onus impono.*

Pro hujus veritatis confirmatione quidam difficilis satis annotandus occurrit sacræ Scripturæ locus, qui reperitur apud Ecclesiasticum cap. 1. vers. 12. ubi Sapiens de seipso ait: *Ego Ecclesiastes Rex fui Israël in Ierusalem.* Quæ verba, quomodo cum veritate consistant, neutiquam capio. Etenim nonne Salomon tum temporis, hæc dicens, adhuc Israëlitico potiebatur regno? Non est de hoc dubitandum. Quoniam nullibi in sacro textu legimus, illum suo principatu fuisse privatum. Imò expresse ille lib. 3. cap 11. dicit, Salomonem usque ad mortem suam populi Israëlis regimen reservasse. Cui defuncto successit filius ejus Roboam. *Dies autem, quos regnavit* [V.42,43.] *Salomon in Ierusalem super omnem Israël, quadraginta anni sunt. Dormivitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in civitate David patris sui, regnavitq; Roboam filius ejus pro eo.* Quomodo itaque ipse veraciter dicere potest, *Ego Ecclesiastes Rex fui, &c.* Nonne enim ille, qui dicit, Rex fui in *præterito*, virtualiter insinuat, sese in præsenti Regem non fore? Quod in Salomone falsum

est, eum autem mendacii accusare, blasphemum est; quandoquidem hæc verba instinctu S. Spiritus sint prolata.

Mysterium hoc feliciter nobis pandit doctissimus Hugo Cardinalis hisce verbis: *Rex fui, jàm non sum. Sic labitur humanus status, sic fluunt universa res hominum, ut veriùs de unaquaque re possit affirmari, quod fuerit, quàm quod sit.* Ecce rectissimè sentit, sese regem Israel extitisse, & modò non esse; quia præsens regnum, principatus, omnis mundi gloria pro nihilo reputatur. Et hoc quoque apprimè noverat Similus rex (ut attestatur Dionysius Cassiodorus, qui ait, sese in marmoreo, quo mortuus tegebatur, lapide, hæc insculpta legisse verba:) *Similus hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit, tamen dumtaxat septem annis vixit.* Scilicet addit Dionysius: *iis, quibus se à negotiis ad quietem subtraxit.* Hæc de vanitate regnorum, & sublimium statuum dicta sufficiant.

Hugo ho. 5.

Ser. 49.

Quantùm ad gravia exitialis hujus veneni, nimirùm ambitionis attinet damna: Ea quilibet vel ex unica, sed aurea hujus pestis descriptiva S. Chrysostomi percipiet sententia *Docet, quod natura non novit; cupit, quod pietas ipsa exhorrescit.* De cujus veritate minimè est ambigendum. Etenim nonnè natura exhorrescit, quòd filii in patres crudelia assumant arma? quòd ensem in eorum perfide stringant necem? Affirmativè indubiè respondebis. Hoc tamen facit ambitio, ut clarè patuit, inquit Chrysostomus, in scelerato, & perduelli Absolone, qui sese in pium patrem fortiter armavit. De Cosroe potentissimo Persarum rege narrat Theatrum ex Cuspiano, quòd ipse, jàm tribus sanguinolentis præliis, ab Heraclio devictus, rebus modò desperatis, ultrà Tiberim fugam capturus Medarsum juniorem filium legitimũ regni hæredẽ declararit. Quod resciens natu major Siroes, clam cum Heraclio paciscitur, & in ruinam tùm patris, tùm fratris iniquè conjurat, omniaque tentat media, ut tandem regnum Persicum obtinere queat. Hos ambos in fuga apprehensos in vincula conjicit, & paulò pòst crudeliter interfici mandat. Imò quàmplurimi referunt Historici, crudelem Siroem eò severitatis, ac impietatis processisse in proprium patrem, ut ejus collo ponderosum auri, monilium, unionum pretiosorum onus appendi jusserit. Hæcque patri dixerit improperando impius filius verba: *Ob hæc Romanis Persas hostes fecisti, & mutuis præliis innumeras cædes patrâsti: patere & tu merita supplicia.*

Verùm quid tempus in comprobanda divi Chrysostomi sententia innutiliter tero. Veritas illius dilucide patet ex Nabuchodonosoris infami actu, qui patris defuncti corpus ad ludibrium exhumari imperavit, illudque pòst, spectante populo, in frusta concidi fecit, eaque canibus pro pabulo destinavit, veritus ne fortè membra in terra putrefacta rursùs reviviscerent, quemadmodum ex bestia similitudinaria pòst septem annos effectus fuerat homo. Hoc tamen nefandum scelus ipsa exhorrescit natura.

Docet ambitio, *quod natura non novit.* Nunquid idipsum luculenter constat in enormi Innocentium strage, mandato impii regis Herodis, tùm regnantis in Jerusalem, facta? Quoniam in tantùm ejus insolens, & inordinata efferbuit, ac exarsit rabies, ut etiam ad Christum capiendum mortique tradendum, proprio suo non pepercerit filio. Sic ex Macrobio narrat fidelissimus Scriptor Baronius: *In quo quidem patrato scelere, eo apparuit Herodes iniquior, quo quis occisus est innocentior: reliquos etiam sic jussit occidi filios, nè occideretur ab ipsis, qui dicebantur necem parasse patri. At in filio infante quid timuit? Nè ipse,* respondet; *esset, quem Magi prædixissent natum regem Iudæorum. Sed ex hoc ipsi magis gratulandum fuisset, quod sciret certum habiturum regni filium successorem* Ideò ait Macrobius: *Maluissem tempore Herodis fuisse porcum, quàm ejus filium.* Concludamus itaque, quòd ambitio faciat, à quo natura abhorrescit, & quod non novit.

Baron. Anno 1. Christi.

In confirmationem hujus dicti non desinam enarrare illam, quam ex Mureto lib. 6. variarum lectionum cap. 17. eruit historiam theatrum vitæ humanæ. Hoc namque de Semiradis regis Ninivorum uxore commemorat, quòd ipsa quãdam vice ab illo instanter expostularit, ut sibi unico dumtaxat die regni gubernamen administrare liceret. Quo concesso, Semiradis regale ascendit solium, & pro tribunali sedens proprium legitimum maritum, ambitione regni incensa, à satellitibus occidi mandavit.

Nec id solùm constanter testantur veteres profanæ historiæ, verùm etiam ipsamet S. Scriptura. Perfidus Saul animo elatus, atque ambitione regni inflatus, quid in Innocentem Davidem Goliath interfectorem, & populi Israelitici gloriam, non est machinatus, ut narratur lib. 1. Reg. cap 18. Vers. 7. Ecce applaudentem ob tantam victoriam Davidi, vix audierat plebem, & cantantem: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Confestim summoperè

moperè excanduit : *Iratus eſt Saul nimis , & *
Verſ.8. *diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte. Dixitque, dede-*
runt David decem millia, & mihi mille dederunt.
Et oculos ambitioſos in eum conjiciens, ſubdit :
Quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum ? Quod, ne for-
ſitan deperderet, ex tunc animo concêpit Davi-
dem hoſtiliter proſequi , & ad necem quærere.
Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die
Verſ.9. *illa, & deinceps.* Imò furor ejus in tantùm ex-
arſit; ut Achimelech ſacerdotem, quia Davidem
hoſpitio receperat, cum cæteris ſacerdotibus per
Doeg juſſerit occidi, ut liquet ex cap.22. Imò &
civitatem Nobe funditus deſtrui mandarit. *Et di-*
xit rex ad Doeg : convertere tu, & irrue in ſacer-
dotes. Converſuſque Doeg irruit in ſacerdotes, &
Verſ.18. *trucidavit in die illa octoginta quinque viros ve-*
Verſ.19. *ſtitos Ephod lineo. Nobe autem civitatem ſacer-*
dotum percuſſit in ore gladii, viros & mulieres, &
parvulos, & lactantes, bovemque & aſinum, &
ovem in ore gladii.

Rurſus lib.2.Reg.cap.3. refertur execrandum
ſcelus, quod impius Joab in innocentem Abner
perpetravit, dumtaxat peſtifero dipſadis ambitio-
nis intoxicatus veneno. Ipſe namque intelli-
gens, illum cum Davide fœdus iniiſſe , & in
ejus gratiam rediiſſe, veritus, ne ſua authoritas
diminueretur , & exercitus regimen & directio
Abner committeretur , eum fraudulenter à ci-
ſterna Sira reduxit , ibique truculenter occidit.
Verſ.27. *Cùmque rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum ad-*
duxit eum Ioab ad medium portæ , ut loquere-
tur ei in dolo : & percuſſit eum in inguine, & mor-
tuus eſt.

Quid dicam de impio & ſcelerato filio Adolpho Egmundano? Qui ut refert Juſtus Lipſius lib.2. monitorum politicorum cap.5. regimen Arnoldi patris non tollerans, & longævum Geldriæ Ducatus ipſius imperium minimè ferens, tacitis conjurationibus , & factionibus quoſdam ſeditioſos ad ſuas partes traxit, atque rebelles manus perduellis in patrem armavit. Quod bellum, ut ſopiret Carolus audax , tamquam totius controverſiæ moderator, hanc tulit ſententiam, ut pater ſolummodò titulo Ducis Geldriæ gauderet, cæteræ verò ditiones filio Adolpho cederent, *exceptâ ſola Gravia.* Inſuper ut filius annuam ei penſionem trium aureorum millium præciſe perſolveret. Sed audite & horreſcite effrænati ambitioſi juvenis reſponſum, & judicate pro veſtra prudentia , an ambitio noverit naturæ leges vereri , & jura pietatis ſervare. *Quod malum,* inquit, *ſi pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit? Æquum eſt, ut ad nos recurrant regnandi vices , neque aliud admiſero, quàm de penſione , ſic ut pater Geldria tota excedat, numquam in eam pedem relaturus, imò impius filius in patrem quàm plurima objiciens opprobria perrexit, alias malim præcipitem dare parentem in puteum, & me ſuper injicere, quam in has conditiones paciſcar.* O deteſtandum & infame reſponſum!

Eadem venenoſa ambitionis dipſas graviter læſerat Cham Tartarorum Principem. Ipſe, prout narrat idem author, intellectâ Stephani prudentis Regis Poloniæ morte , per Legatum ſuum Comitiis regni interfuit , pro novo creando rege Cracoviæ habitis , & per eum ſuum ſuffragantibus pro adjuvanda, atque augmentanda Polonia obtulit obſequium , & ut hoc ad effectum deduceret, mirâ enarratâ ſua potentiâ , veritus, ne religionis forſitan diverſitas electioni & prætenſioni ſuæ obſtaret : hæc nomine ſuo dici in Comitiis mandavit. *Quod ad religionem attinet : tuus pontifex, meus pontifex, eſto.* Ecce ambitio nec ſacra, nec Deos veneratur.

Citiùs deficerent ſenſus & manus, calamus ac tempus, quàm ſimilia facta & exempla tùm profana, tùm eccleſiaſtica enarrare poſſem ; quapropter iis ſuperſedeo, arbitrorque magis congruum, utile, & neceſſarium fore , venenoſam dipſadem noſtram prolixiùs & exactiùs exenterare: imò eam accuratiùs anatomizare, ut cæco mundo, larvato homini, inſano ambitioſo illius venenum maniſeſtiùs appareat. Et ut à ſecundo ejus (de primo enim jàm ſatis dictum) à divo Bernardo ipſi attributo incipiamus effectu *mala ſervitus*, non abſonum mihi videtur , vobis ô Auditores, ob oculos ponere ridiculam (ut in ſe apparet,) verùm myſterioſam, quæ in S.Scriptura regiſtratur Judic.c.6.v.9. commemorare hiſtoriolam, *Ierunt ligna, ut ungerent ſuprà ſe regem.* Et bene indubiè conſideratis cujuſcumque arboris eſſentiis, proprietatibus, & effectibus, regiam palmam ſupremumque gubernamen Olivæ obtulêre : *Dixeruntque Olivæ impera nobis.* Sed ipſa abnuens reſpondit : *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ & Dii utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear?* Quâ repulſa attonitæ arbores, compulſæ ſunt ad ficum refugium ſuum arripere : *Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, & ſuper nos regnum accipe.* Quæ non minùs onus regendi recuſans, ait: *Nunquid poſſum deſere-*

rere

rere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? Hâc obstante excusatione, institerunt apud vitem, ut regnum acceptare dignaretur. Sed & ab hac rejectæ
Vers. 10. 11. 12. 13. & 14. sunt dicente: *Nunquid possum deserere vinũ meũ, quod lætificat Deos & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Tandem Rhamnum in regem eligêre: *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, veni, & impera super nos.* Quæ imperiũ assumpsit.

Fateor hæc mera fabula est, & pura fictio. Verùm à Spiritu S. absque mysterio neutiquam autumandum est tam seriis fore intermixtam, ut abundè patet ex illius plena explicatione cap. citato. Ad nostrum institutum parumper inquirendum est, cur Rhamnus, ut reliquæ arbores gubernaminis splendorem non rejiciat? Cur non dicat, nunquid possum deserere vepres & spinas meas? Ah! hîc egregiè indicat ipsa veritas, Superiorem, Prælatum, Rectorem, Regem, omnemque hominem in altum elevatum non posse spinis, & duris puncturis carêre. Quia per se ambitio est crudelis ambitiosi cordis tortor, sæva crux, malaque servitus. Unde pulchrè ethnicus philosophus Seneca disserens de contemptu mundi ait: *Honores solicitè possidentur, etiamsi fortuna juvante alta in unum congesta sunt, dominis suis incumbunt gravia, & illos semper premunt, aliquando & elidunt.* Hujus sententiæ ad amussim subscribit mellifluus Doctor in hæc prorumpens
Ber. ser. 12 in Cant. verba: *O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torques?* Undè rursus Seneca. *Magna servitus, magna fortuna.* Nec id denegare ausus est quidam historicus, qui de Julio Cæsare prudentissimè dixit. *Ex quo Cæsar orbi terrarum se dedicavit, sibi eripuit libertatem, & siderum modo, quæ irrequietè semper suos cursus explicant, nunquàm licet illi subsistere, nec quidquam suum facere.*

Sed, si fortassis, ô ambitiose, nec his fidem adhibere velis testibus, ut fallacem superbiæ & honorum larvam deponatis: Te ad tibi similes cito, qui fuco ambitionis obcæcati in hoc mundo exstitêre, & in severis tormentis suam acerbissimè deplorant, & in æternum deplorabunt dementiam. Accede, obsecro, interroga eos, quid de vanitate, honoribus, divitiis &c. sentiant. Audi quid miseri respondeant: *Quid nobis profuit superbia? Aut quid contulit nobis?* Ast insta, urge, & pete. Nonnè saltem honores & dignitates, summum vobis attulerunt delectamentum, ma-
Sap. cap. 5. v. 4. ximamque suavitatem & dulcedinem? Ah proh dolor inquiunt! *Lassati sumus in via iniquitatis, vias ambulavimus difficiles.* Quia quod mundus auream æstimat libertatem, nos damno irremediabili duram experti sumus servitutem. Concludamus itaque cum S. Bernardo: *Ambitio mala servitus.*

Pro quo dicto urgentiùs confirmando, non pauca sanè curiosa nobis suppeditat sacra Scriptura loca. Gen. cap. 49. narratur, quòd Patriarcha Vers. 3.
Jacob antè suum ex hac vita ad alteram discessum, filiis impertiri desiderans paternam suam benedictionem, eos ad se accersiri mandarit; & incipiens à primogenito Ruben, summum animi demonstrarit dolorem. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio.* Hîc liceat mihi, quæso, ô sanctissime Propheta, te interrogare, quodnam motivum tuum commovit, & afflixit spiritum? Quæ ratio tot è cordis tui penetralibus deprompsit gemitus? Tu summa cum patientia duram fratris tui Esau sustulisti persecutionem, tu pondus diei & æstus in servitio avunculi Laban immotâ mente portasti. Quid nunc ingemiscis, quid alteraris? An fortassè, quia adstantem Joseph suam quoque recepturum benedictionem cernis, cui utpote quem præ cæteris tenerrimè diligis, primogenituram tribuere cupis, & id contra primogeniti jus fore sentis? O Jacob in mentem revoca, quid egeris cum Manasse & Ephraim Joseph filiis. Nonne tu, etiam renitente, & protestante Joseph, juniori elargitus es primogenituram? *Videns autem Ioseph, quòd pater suus posuisset dexteram suam super caput Ephraim: graviter accepit. Et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre ad caput Manassa.* Additâ facti sui ratione: *Non* Gen. c. 48. v. 17. 18. & 19.
ita convenit pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus. Et tamen renuisti, & incœpto institisti, dicens: *Scio fili mi scio.* Quare itaque & modò pro tuo beneplacito charo filio Joseph non impertiris primogenituram, & imperium? Ipse namque præ cæteris longè capacior est; quia tanto tempore regimini assuetus.

Ad discooperiendum hoc mysterium, & genuinam doloris Jacob, & de Joseph quæsiti, nimirùm, cur ei non attribuerit principatum, assequendum rationem, opus est, ut nos ad alium sacræ Scripturæ locum transferamus, è quo fortassis aliquid luminis hauriemus, ad intricatum hunc labyrinthum evadendum. Gen. cap. 9. commemoratur, quòd Patriarcha Noe ob magnam

filii

filii Cham irreverentiam summopere stomachatus, volens patefacere, sibi illam quàm plurimum displicuisse, maledictione percusserit Chanaan: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.*

Gen. c. 10. v. 25.

In hunc locum subtiliter annotat S. Chrysostomus, Chanaan filium Cham quidem prophetico ore ad servitutem fuisse condemnatum: verùm quàm plurimum desudat, ut demonstret prædictam prophetiam fuisse adimpletam & consummatam. Quoniam, ut ex cap. 10. aperte liquet (ubi Genealogia Noe describitur) posteritas Cham, tum in descendentibus Chus, tum Chanaan existit felicissima, potentissima, & in secundo gradu ad principatum, & post ad regnum elevata est. Sicque cæteris Noe filiis, eorum descendentibus longe præeminuit. *Filii autē Chanaan Chus: porro Chus genuit Memrod.* De quo mox subjungit Scriptura: *Ipse cœpit esse potens in terra.* Et tandem usque ad regimen & imperium progreditur: *Fuit autem principium regni ejus Babylon & Achab.* Vers. verò 19. de Chanaan dicitur: *Facti sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram usque Gazam.*

Gen cap. 10. v. 6.
Vers. 8. 10.

Quomodo itaque veraciter sustineri potest progeniem Chanaan servituti à Patriarcha Noe fuisse addictam? Ecce ubi ego lumen sperabam, tenebras comperi; quibus me difficulter extricatem, nisi facem mihi subministraret Divus Chrysostomus dicens: *Memrod preavum suum imitatus, fieri Princeps & Rex attentavit, quod magna servitus est.* Quia, ut rectè ait Bernardus: *Potentes potenter tormenta patientur.*

Vers. 19.
Bern. ser. 6. in Psal. qui habitat.

Ex hoc modò elucescit ratio ob quam Jacob Ruben primogenito donans principatum, ingemuerit, doloremque expresserit. *Tu principium doloris mei.* Hebraicus textus legit, *tu caput dolorum meorum.* Amor itaque singultus & gemitus in Jacob causabat, non ignaro sese tum ejus humeris insupportabile pondus, malamque servitutem imponere. Quod quoque (ut dixi) inaugurato filio, confessus est Carolus V. hisce verbis: *Fili, ego hodiè tibi magnum onus imposui.* Hoc nec diffitetur magnus ille Doctor Augustinus, sed è contra dilucidè confirmat, prudentia S. Paulini de dignitate extollens verba, dicentis: *Blandum nomen honor, mala servitus, exitus æger, quem nunc velle juvat, mox habuisse piget.*

Augustin. epist. 36.

Et ob idem motivum nullatenùs volebat Jacob dilectum præ cæteris filiis Joseph in principatu collocare, ne eum tam gravi servitute oneraret, & tanto animæ periculo exponeret. Sic ingeniosè & subtiliter quidam censet modernus. *Quia, quem præ cæteris amabat, eundem à scelerum incitamento, quale est imperium, remotiorem cupiebat.* Concludendum itaque est, ambitionem, & ad regimen, ac sublimes status elevationem splendidam & duram fore servitutem; ac proindè maximè mundum cæcutire, ambitiososque multum hallucinari, dum in iis levamen, & libertatem quærunt; quia ad instar *Crommecalle* misere deluduntur. Quam dementiam acerbè deplorat S. Bernardus in hæc prorumpens verba: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales crebrius negotio hoc.* Cui rectissimè concinit S. Basilius supra hunc Psalmistæ locum: *Mendaces filii hominum in stateris,* dicens: *malè libram expendis, mala pro bonis eligens, vana veris anteponens, momentanea perpetuis meliora ducens, transitoriam denique dignitatem pro lætitia nunquam desitura præeligens. Mendaces ergo homines in stateris iniquitatis.*

Bern l. de consideratione ad Eugenium
Basil. in psal. 61.

O stulte! ô insanè! benignus Deus tibi offert bilancem, in una parte ponit levia, suavia, salubria, & æterna; diabolus vaferrimus humani generis hostis in alia collocat gravia, acerba, nociva, transitoria & peritura, quæ nec ipse quidem præbere potest. Christus clamat, venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos: Ipse verò donat aquam turbidam, quæ sitim tuam neutiquam valet extinguere; & eo procedis temeritatis, ut terrena amplecteris, & cœlestia asperneris? Ut diabolum potius sequaris decipientem, quàm Christum reficientem? Audi quid de te dicat mellifluus Doctor: *Diabolum dicit ego decipio, mundus ego deficio, caro ego inficio: Christus ego reficio; attamen superba mens hominum plùs sequitur diabolum decipientem, mundum deficientem, carnem inficientem, quàm Christum reficientem.* Sed eheu mendaces filii hominum in stateris iniquitatis! Nec hæc stultitia dumtaxat viget in depravato hoc sæculo: sed sicut ab initio in hunc mundum invaluit, ita verendum est, ne & ad finem ejusdem perseveratura sit.

De profanis sacerdotibus loquens magnus ille historiographus Plutarchus emblemate primo, inquirit, cur Honori, qui magnus apud gentiles æstimabatur Deus, tanta exhiberetur reverentia, ut soli ipsi, & non Veneri, Apollini, imò nec summo Jovi solemnissimum cultum facerent; nimirùm discooperiendo caput. *Quid est, quòd Honori*

aperto

Honori aperto capite rem divinam faciant ? Et respondet : *Quia splendidum quiddam, & illustre & apertum, & latè patens gloria est, omnes enim pileo in manibus dignitates concipiunt.* Et hic mos agendi etiamnum apud Christianos viget, ut patet ad oculum.

Verùm, ut à cæcurientium ambitiosorum, obfuscans intellectum, ingenium, sensus, & memoriam, oculis larva detrahatur, & ludentium in hoc mundo lusum *Crommecalle*, appareat infelicitas, progrediamur ulterius malam *dipsadis* servitutem, onus, & incommodum è sacra Scriptura ostendere. 1. Reg. cap. 9. refertur Samuelem Sauli mox Israelitarum Regi unguendo certum nutrimentum destinasse, ut patet ex versu 23. *Dixitque Samuel coco : da partem, quam dedi tibi & præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul ; Dixitque Samuel : Ecce*
Vers. 24, *quod remansit pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi.* At modò inquiro, an in toto convivio nil delicatius inveniretur ovino armo, & quare Spiritus S. tam exactè commemoret Prophetam Samuelem de industria Sauli (indubiè non absque divino instinctu) eum reservasse ? Hoc namque suum continere non ambigo mysterium.

Quod ut faciliùs comprehendamus, rursùs recurrendum est ad alium Scripturæ locũ registratũ apud Matthæum cap. 8. ubi narratur, cùm Jesus
Matth. c. 8. v. 6. 7. 8 & 9. introiisset Capharnaum : *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur.* Cui summa cum humanitate, & benevolentia respondit Salvator: *Ego veniam & curabo eum.* Ad quod confestim humiliter Centurio : *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, Et rationem allegat : *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Sed quid ais Centurio? *sub potestate*, non dominium sonat, sed famulatum, & servitutem. Tu dominus es, ut ex propriis tuis convinceris verbis : *Dico huic, vade, & vadit, & alii veni, & venit : & servo meo fac hoc, & facit* Debuisses itaque dixisse non *sub*, sed *in potestate constitutus*. Seneca nodum hunc etiam inscius dissolvit, dicens : *Dignitas onus est, sub quo humana mens premitur.* Optimè igitur ait *sub* & non *in* ; quia *Dominis suis sublimia incumbunt gravia, semper premunt, quandoque & illidunt.* Hinc Sauli jam regimini populi Israelitici à Deo destinato studiosè reservatur armus ; quoniam, cùm armus sit sustentaculi symbolum, oneris portandi fulcrum, indicatur humeris illius summum pondus impomi. Sic curiosè explicat quidam modernus : *Cùm armus maximè valeat ad onera portanda, ille de industria reservatus est, ut Saul cogitaret, se non ad dignitates, sed ad maxima onera ferenda, & sustentanda vocari.* Unde & Reges dicuntur portare regnum ; ideò nuncupatur secundùm hebraicum textum in Scriptura *basis populi.* Quod confirmat Propheta Ezechiel loquens de Rectoribus : *Superducam onus istud.*

Et totum hoc egregiè confirmat ipsummet divinum Decretum, quo ordinatur, ut humeris sacerdotis ornamenta imponantur, in quibus duodecim nomina tribuum Israel erant inserta, Exod. Vers. 6. & 7.
cap. 39. *Portavit & duos lapides onychinos astrictos, & inclusos auro, & sculptos arte gemmariâ nominibus filiorum Israel, posuitque eos in lateribus superhumeralis in monumentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.* Quod subtiliter animadvertens S. Gregorius in hunc locum, bene dicitur humeris sacerdotis onus illud imponi ; quia illi gravis tribuum cura demandabatur. *Tot quippè pondera Rectores portant, quot sunt homines, quibus dominantur.* Quocirca jure meritò lamentabatur Moyses grave nimiùm sentiens à Domino impositum regendi gravamen, Numer. cap. 11. *Quare afflixisti servum tuum? Quare non inveni gratiam coram te : & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me* ? Ad quod rursùs Gregorius : *Homo quippè in sublimibus elevatus, tantos super se sustinet, quantos suppositos regit.* Et pergit : *Elevatio ipsa ruina est, quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloria vera evacuantur, decipiuntur & falluntur.*

Decepit itaque & fallit astutus dæmon ambitiosos homines vano inanis gloriæ vento, eosque tractat, sicuti corvi nuces, & aquilæ testudinem. De illo asserunt Naturalistæ, eum illas rostro in altum elevare, & in terram, petras, & tecta relabi sinere, ut sic confractarum nucleis perfruatur. Sic
Plinius : *Cornices volantes in altum, nucem in saxa,* Plin. l. 16.
tegulasque jaciunt iterum, ac sæpius, donec quassatam c. 12.
perfringere queant. Pari modo cum testudine agit aquila. Illa avida prædæ, impotens tamen, ut conchyllam disrumpat, elevando eam in rupes & charybdes illidit, ut eâ confractâ, ipsâ potiatur. Sic inquam cum ambitioso agit diabolus, qui quærens à Deo escam sibi, hominem devorare non potest, quàm diu duro humilitatis cortice obtegatur. Quapropter, ut ille in frusta conscindatur, ipsum in altum tollit, ut juxta commune adagium : *Casu graviore ruat.*

Sed eheu! quot sunt, qui mundi honores non tantùm simpliciter ambiunt, verùm contra fas nefasque quærunt, arbitrantes eos non esse gravamen, sed levamen. Ah obcæcati, & intoxicati ambitiosi! si depositâ larvâ, maturè mentis oculos in statuum sublimitatem conjiceretis: doctrinam Bernardi ambobus brachiis amplecteremini, dicentis *Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores si esse scirent & onera.* Quod & Oleaster insigniter prosequitur & inculcat: *Putant usque hodiè insensati filii Adam imperia, regna, principatus hujus sæculi honores esse, non onera; non ergo Prælate, dum ad prælaturam vocaris, te ad honorem vocari putes sed ad onus. Et te sub prælatura tibi gemendum puta sicut sub onere gravi.* Concludamus itaque, *Ambitio mala servitus*

Bern. epist. ad Archiepiscopum Senensem. Oleast. in c. 9. Isaia.

Ex jam dictis quantumvis utcunque clarè quilibet possit dignoscere, quàm veraciter dicat Bernardus: *Ambitio periculosa jucunditas*: Attamen perplacet, ut nimis radicatum hoc malum, & venenosam dipsadem è hominum cordibus evellamus; parumper prolixiùs veridicum hoc dictum comprobare. Pro quo notatu dignum est id, quod refertur Judic. cap. 9. videlicet viros Sichem, perpetrato jam inaudito scelere fratricidii septuaginta fratrum ab Abimelech (ut testatur Scriptura vers. 5. *Et venit in domum fratris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros*) eum in regem elegisse præcisè juxta quercum: *Congregati sunt autem omnes viri Sichem & universa familia urbis Mello: abieruntque & constituerunt Regem Abimelech juxta quercum.*

Vers. 6.

Verùm cur populus Sichem, Abimelech in aula regia diadema capiti, & manui sceptrum non imponit, sed ad campum pergit, & rectè quercum, non aliam arborem eligit? Ex Pierio aliqualem hujus possumus cernere rationem, qui sustinet illam principatus, & honoris fore hieroglyphicum. *Cæterùm & in aruspicum disciplina quercus principatum ostendit, quod multis olim auguriis observatum est.* Unde narrat Plinius quercum fuisse habitam arborem honoris, è cujus ramusculis corona civica omnium coronarum nobilissima, iis debita, qui concives à morte liberarant, contexebatur. Ac proinde quis dicere posset; ideò Abimelech juxta quercum coronatum fuisse; quia ad principatum eligebatur. Hanc rationem non rejicio; verùm validiorem arbitror nos expiscari posse ex naturæ illius secreto. Afferunt Naturalistæ in radice quercus quandoque generari, & enutriri quendam parvulum serpentem maximè venenosum, qui appellatur *Chersidrus*, & in Græco significat *quercinus*, quia est coloris quercus. Et quantumvis, ne illa in altum assurgat, non impediat, nihilominùs tamen veneno suo paulatim radicem inficit, & tandem perire facit. Talis serpens est ambitio, quæ quercus, id est, ambitiosos ad summum quidem sublimari sinit, sed interea temporis pestifero suo veneno elatum inficit, & ad interitum trahit.

Plin. l. 17. cap. 4.

Nonne experientiâ id ipsemet edoctus (de quo agimus) comprobavit Abimelech? Ecce vix in altum extollitur, & ab imbelli muliercula ad humum dejicitur. Ait enim Scriptura: *Accedensque Abimelech juxta turrim pugnabat fortiter, & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur. Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit caput Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Optimè itaque Abimelech apud quercum in regem eligitur; quia omnes electiones ad honores, non nisi in ruinam vergunt. Fuge ergò homo nocivam hanc dipsadem, & ut faciem colubri devitare; quoniam dignitates leviter quidem extollunt, sed graviter illidunt.

Iudic. c. 9. v. 52. & 53.

In sacra historia commemoratur, quòd mortuo Elimelech marito Ruth, propinquior oculos suos conjecerit in possessionem defuncti, eamque desiderârit emere. Quod quamvis Bhooz neutiquam impedire vellet, attamen ei difficultatem & obligationem proposuit coram senioribus populi: *Si vis possidere jure propinquitatis: eme & posside. Si autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi ut sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus excepto te, qui prior es, & me, qui secundus sum.* At ille respondit: *Ego agrum emam.* Ad quod Booz: *Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem quæ uxor defuncti est, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.* Quo audito, mox respondit: *Cedo juri propinquitatis, tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.*

Ruth. c. 4. v. 4.

Ah sic omnis respondere deberet Christianus, dum ei sublimes offeruntur dignitates! ô homo, peto, desiderasnè Consulatum, Prælaturam, Consiliariatum, Episcopatum, &c. Indubiè annues adinstar propinqui Ruth, quòd sic. Sed attende ad tuam obligationem, inspice maturè, quid concupiscas, larvam ab oculis amove, interrogare, anima quid postulas, felicitatem? Hæc in dignitatibus non est reperienda, sed fallax quædam suavitas. Libertatem? Nec illa, at mala servitus. Securam jucunditatem? Nec ista, sed periculosa jucun-

Jucunditas. Quietem? Nec hæc, sed vigiliæ, & ingens animarum cura. Quod dum attente rumi- nas, nisi cæcutias, clamabis, *cedo juri meo*, alter eo utatur. Dices, apage honores, apage dignitates, elati status, & cuncta, quæ sublimia sunt, quia se- cum non nisi vigilias, & anxias curas tra- hunt.

Hoc clarissimè testatur S. Thomas à Villa No- va, qui omni modo desiderans vulgatem & com- munem ambitionem fore meram insaniam pate- facere, ostendit per diversos honoris discurrens sta- tus, quam ille sit periculosus & anxius. *Quis es tu?* inquit, *sum Imperator, Rex, Princeps* Audi quid ipse replicet ô ambitiose? *Magnus status, imma- ne pondus: magna dignitas, sed laboriosa & periculo- sa: Noli altum sapere, sed time. Ab altitudine diei timebo inquid Psalmista.* Sed quare? *Quia oportet te tantùm cæteros homines præcedere virtute, quan- tùm præcedis dignitate.* Cuncti namque subditi in Rectores, atque Superiores oculos conjiciunt, & sibi vitia licere eadem indocta plebs autumat, quæ ab iis perpetrari conspicit. Ut latè ostendi supra Concione 12.

Dom. 3. Advent.

Tu quis es? Pergit Divus Thomas. Interroga- tus respondet. *Sum Prælatus.* Sit ita. *Quid est esse Prælatum? Esse Pastorem? Non dominum, non prin- cipem, non dominantes in Clero (inquit Petrus) sed forma facti gregis, exemplum sanctitatis in populo. Sed cujus gregis? Utique illius, pro quo filius Dei vitam posuit. Quam non auro, & argento, sed sanguine suo pretiosissimo emit.* Et post de ovium multitu- dine differens, rogat? *Et quantus grex? Decem millia, centum millia ovium, difficilis cura. Unus an- gelus unam sibi ex illis omnibus sufficere putat, & tu tantas? Quæ conventio cum domino gregis. Custodi,* inquit Ezechiel, *virum istum, & si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Sanguinem ejus de manu tua requiram. O terribilis obligatio! & est, qui velit ad hoc obligare seipsum?* Imò, imò respondet hic Sanctus: *Sunt multi, qui non solùm volunt, sed cu- piunt, & ambiunt. O cæci filiorum Adam!* Et sic de aliis statibus, scilicet Judicibus, Magistratibus, Præfectis, &c. discurrit.

Hanc irrefragabilem doctrinam Divus Tho- mas videtur elicuisse ex illo loco Apostoli, 1. ad Thim. cap. 3. *Sermo fidelis, qui Episcopatum deside- rat, bonum opus desiderat.* Ubi curiosè advertit, quòd Apostolus dicat: *Tò opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat?* Sed eheu! è contra accidit quàm sæpissimè, vix enim quàm plurimi ad ali- quem honoris gradum ascenderunt, mox super- biâ inflati originem & stirpem suam non conside- rant; imò, quod abominandum est, proprios pa- rentes pauperes, & præ penuria pereuntes agnosce- re dedignantur. Sed iis ego illud improperarem, quod Plutarchus notat Archimedem imprope- rasse Philippo Macedonum regi ob insignem quamdam reportatam de hoste victoriam, super- bienti. *Si metiaris umbram tuam, haud quaquam reperies illam majorem factam, quàm erat ante vi- ctoriam.* Quoniam nec ad sublimem statum ele- vati, majorem corporum suorum adinveniunt umbram.

Vers. 1.

Plut. de Archimede.

Inter cætera Pythagoræ, quæ suis præscripsit scholaribus, præcepta, præcipuum quasi habitum fuit: *Abstinete à fabis.* Multùm tamen inter sa- gacia ingenia ventilatum est, cui fundamento tam prudentis Philosophi admonitum innitere- tur. Celeberrimi quidam Medici Pythagoram non doctoralem pro anima, sed pro corpore de- terminasse arbitrantur medicinam. Alii verò è contra spiritualem eum dedisse sustinent politici, & persuasisse teneræ ætati seriisque studiis occupa- tis, Venerem & luxuriam (cujus faba verissimum est hieroglyphicum) ut pestem evitare. Huic sen- tentiæ Pierius suffragari videtur: *Sunt, qui fabam nihil aliud sibi velle disputent, quàm amovendas à manibus, oculisque nostris omnes nequitiæ causas, ut castiorem agamus vitam; eòque spectare Pythago- ricum præceptum, ut à fabulo abstineamus.* Quàm sententiam Empedocles ita denuntiat: *Ah miseri! à fabulo miseri seducite dextras.*

Pierius l. 57.

Verùm ad meum propositum plùs mihi arri- det Plutarchi sententia, qui (ut idem refert ibidem) Commentario de liberis instituendis, Aristote- lem secutus: *Abstinendum ex hoc monet à tractan- dis rerum publicarum muneribus quòd in creandis magistratibus fabæ calculorum vice usui essent: quem morem pleraque civitates adhuc obtinent. Romani calculis videntur usi, eisque albis, aut nigris, quorum niger in Comitiis funestum significabat. Aristoteles hinc opinatus est civiles administrationes à Pytha- goræ improbatas, ut ex ejus libris Laertius observa- vit.* Nunc quærunt quidam curiosi, cur pro cal- culo ad electiones, ad publica munia, mos invalue- rit apud veteres, non nummo aureo, aut argenteo, ut etiamnum & modò experimur, negotium deci- datur, sed fabâ. Marcus Varro animadvertit fabas, dum florescunt, nigras habere notulas, quæ apud priscos censentur infelicitatis augurium; quia ex iis litteris componitur *luctus. Dicere itaque,* in-

inquit, *abstinete à fabis, est dicere fugite electiones ad honores; quia secum nil, nisi pericula & miserias portant.* Fuge itaque ô Judex electionem ad tuum ministerium; evita suffragia consiliarie, cave quicumque sis, ad communia subeunda vocari officia, *quia secum nil nisi pericula & miserias portant.*

Ad præsens institutum duo mihi consideranda occurrunt, quæ causaliter reperi cap. 1. Cant. ubi sponsa sponsum allicit, & ut eam ad se trahat, hisce blandis verbis invitat: *Trahe me, curremus in odorem unguentorum.* Et quòd ipsa conquerens, dicat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Quoniam hæc bina loca non concipio, dum alia etiam in Canticis enarrata maturè considero. Etenim, quomodo sponsa dicere potest: *Trahe me*: Ubi illa tam anxiè eum quæsierit, ut liquet ex cap. 5. Cant. vers. 7. *Quæsivi, & non inveni illum; vocavi, & non respondit mihi.* Insuper quomodò dilecta trahi velit à dilecto eam tam amicabiliter invitante: *Veni de libano sponsa mea: veni de libano veni:* non capio.

Cant. c. 1 v. 4. & 6.

Pro enodanda hac difficultate, & benè dissolvenda, prorsus necessarium est ad mysteriosam S. Joannis visionem registratam Apoc. cap. 7. recurrere. Hic fatetur sese quâdam vice intuitum fuisse totum electorum in cælo cætum, qui certo stigmate ad præscitorum differentiam erant insigniti. Et incipiens ab enumeratione tribuum Israel: ait, *Ex tribu Iuda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati.* & sic de cæteris, ut patet ex citato cap. De tribu verò *Dan* nullam planè facit mentionem. Unde meritò inquiri potest, an illa tribus à Deo fuerit reprobata.

Apoc. cap. 1. v. 5.

Sed ecce, ut sæpè sæpiùs mihi contingit, loco lucis & diei, densas tenebras, & nigram noctem comperio. Quæ, ut delucidatur, denuò ad alium Scripturæ locum eundum est, nempè ad cap. 49. Gen. In quo legimus (ut supra vidimus) Patriarcham Jacob filiis suis singulis singularem impertitum fuisse benedictionem, indubiè mysteriosam. Nunc notate Auditores, quænam à Jacob attributa sit tribui *Dan.* Sacer textus eam ad oculum manifestat vers. 16. *Dan judicabit populum suum.* Ecce judicium ei imponitur, & periculosum & grave justitiam administrandi, pupillos & viduas adjuvandi, subditosque in pace continendi onus: unde ait doctissimus Cajetanus. Et tum *capta est Dan*: quia omnis superioritas onerosa est servitus, & periculosa jucunditas. Quâ, quoniam tam multi; imò, quòd maximè dolendum est, ferme omnes miserè falluntur, quasi ab æterna beatitudine ob ingens discrimen secluduntur à Scriptura. Hæc minimè ausus essem dicere, nisi mihi ad amussim suffragaretur aurea D. Chrysostomi sententia: *Quid dicemus, inquit, de infelicibus & miseris, qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, & se in tantorum suppliciorum abyssum jactant? Omnium quos regis, mulierum, puerorum atque virorum, tu rationem redditurus es, & tanto igni tuum subjicis caput.* Et quod omnium terribilissimum est, tandem concludit. *Miror, si potest salvari aliquis Rectorum.* A cujus doctrina neutiquam videtur deviare S. Bernardus, qui considerans animarum curæ periculum contremiscens, teste D. Thoma à Villa Nova sic ait: *Accedit ad cumulum sollicitudinis, & pondus timoris, quod meam, & proximi conscientiam servare necesse sit, & neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est, utraque mihi nox est & nihilominus exigitur à me utriusque custodia; & clamatur: Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Et non est mihi dicere cum Cain: Nunquid custos fratris mei sum ego?* Unde quàm optimè dicebat Homerus principatum & vigilantiam fore gemellos ejusdem partus. Et Plutarchus contra Principem imperitum affirmat, moris fuisse apud reges Persarum, ut cubicularium vigilem haberent, qui eum ad vigilias, tantillo transacto somno, adhortaretur hisce verbis: *Surge Rex, & negotia cura.*

D. Chrysost. hom. 34. in ep. ad Hebræos cap. 13.

Ex hoc jam prætactarum difficultatum elucescunt solutiones; etenim, quòd sponsa, quæ tanta cum anxietate suum per vicos & plateas quæsierit dilectum, & modò ab eo vocata, *veni de libano,* discessum recusavit, est, quia sponsus adjunxerat, *coronaberis.* Fugit itaque docens homines coronas, honores, & dignitates tanquam onerosas, & periculosas debere evitare. Et quandoquidem pro recto omnis reipublicæ, communitatisque gubernamine Rectores planè sint necessarii, eos trahendos indicat, & ambientes elationem, & ad sublimes status celeri gradu properantes confundit, & explodit: *Veni, coronaberis. Trahe me.*

Jure quoque merito lamentabatur sponsa: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Quia ei vineæ custodia & vigilantia committebatur, ut liquet ex textu: *Posuerunt me custodem in vineis.* Quæ cura, quoniam tanto subjecta est discrimini, summopere illi displicet. Sic S. Bernardus serm. 30. in Cant. *Ab illis ipsis fatetur se promotam, à quibus & passam.* Bernardi sententiæ mordaciter adhæret Benedictus Ferrerius, dicēs in ipsius persona:

Cant. cap. 1. v. 5.

Tot

Tot spicula in meum contorserunt pectus, quot vota in meam electionem conjecerunt, non tam electores, quam contemptores. Et rectè sane periculosas illas animarum & vineæ Christi prudens sponsa aversatur vigilias: quoniam menti suæ forsitan altè impresserat illud Jacob, ovium avunculi Laban pastoris: *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi. Nec raptum à bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam. Quidquid furto perierat, à me exigebas. Diu noctuque æstu urebar, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Cujus gregis curam infinitè indubiè æstimabat ovilis Christi custodiâ inferiorē. Quod argumentum Gregorius M. in quatuor Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Jerosolymitanum & Antiochenum ei de pontificatu congratulantes, vehementer stomachatus, assumpsit: *Si igitur sic laborat & vigilat, qui pascit oves Laban quo labore, quantis vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei.* Ex quo concludit: *Condolete mihi & collachrymamini*: videlicet, quia insupportabili & periculoso pro Christi grege, pretioso ejus sanguine redempto, aggravabatur onere.

Gen. c. 31. v. 38.

Greg. M. lib. Epistolarum 14. Epist.

Hinc hoc super negotio scribens Theotistæ Imperatoris sorori, ait: *Alta quietis meæ gaudia perdidi intus corruens, ascendisse exteriùs videor.* Et infra specialiter de dignitate mentionem faciens pontificali, subjungit: *Repentè autem rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores, pavoresque corrui. Quia etsi mihi nihil timeo: aliis tamen, qui mihi commissi sunt, multùm formido, undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus premor. Vt dicam rectè. veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et sane non absque solido fundamento Gregorius videtur sublimitatem, eminentiam & honores, fluctui & tempestati maris assimilare; quia Joannes fatetur sese juxta sedem seu thronum, qui majestatis locus est, vidisse mare. *Et in conspectu sedis tamquam mare.* Sic semetipsum explicat loco citato: *Videatur mihi in throno stare, & dicere possum, veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* A qua, ut liberari queamus, Apostolus specialiter pro sublimatis & in honore constitutis, ad Deum orationes fundi imperat & adhortatur. *Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt. Hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri.* Ubi adverte: nonne sufficiebat dicere *pro omnibus hominibus.* Quandoquidem & reges, & in sublimi statu constituti in *tò omnibus* implicitè comprehendantur, quare itaque addit, *pro Regibus &c.* Id enim superfluum esse, valde temerarium foret asserere. Quapropter cum Augustino dicendum, id Paulum subjunxisse, quia majori discrimini expositi, particularibus plebeorum precibus, ut à lapsu præserventur, indigent. *Bonum,* inquit, *coràm Salvatore Deo nostro, id est, ut etiam pro talibus oretur. Statim, ut desperationem tolleret, addit, qui vult omnes homines salvos fieri. & quidem Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium.* Et iterùm repeto non absque solida ratione; quia ut rectè Ambrosius, dipsas hæc sentina est omnium malorum. *Quos vitia nulla flectunt, facit ambitio criminosos.*

Epist. ad Theotistã.

Apoc. c. 4. v. 6.

Ad Thim. 1. c. 2. v. 1. 2 3. & 4.

August. in Enchirid.

Ambr. in c. 4. Luc.

Hujus nocivam venenosi animalculi efficaciam, & maximum honorem non ignorans S. Augustinus, periculum, jam fidei luce illuminatus omnem sublimem statum semper devitare studuit. Idcircò, cùm invitus ad sacerdotalem dignitatem raperetur, summum animi, etiam cum abundantibus lachrymis, indicavit mœrorem, ut ipsemet scribit ad Valerium, qui eum ad hunc gradum promoverat: *Quàm periculosissimum judicare hoc ministerium potuit. Hinc enim lachrymæ illæ, quas me effundere in civitate, ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animadverterunt, & nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui ad vulnus meum non pertinebant, tamen bono animo consolati sunt.* Et infrà pergit, totum nostrum fermè discursum paucissimis verbis confirmans: *Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius.* (ah! quodnam de moderno sæculo Augustinus daret testimonium) *laboriosius & periculosius Episcopi & Presbyteri*) ac per consequens omnis planè dignitatis) *officio. Sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Quod discrimen si maturè perscrutaretur homo: non tantâ cum alacritate ad thronos & dignitates curreret. Quare bene ait S. Bernardus: *O utinam tam vigiles reperirentur ad curam quàm alacres currunt ad cathedram Sicut peremptoria altitudo est quæsita, ita periculosissima est oblata*

Augustin. epist. 14. ad Valer.

Sed proh dolor! maximè deplorandum est & detestandum, pessimam hanc dipsadem suo veneno non tantùm laicalem, verùm etiam sacerdotalem statum graviter infecisse, teste Origine dicente:

cente: *Nonnunquam etiam vitium istud superbiæ penetrat non solùm pauperes plebis; verùm etiam sacerdotalem ordinem.* Nec hoc solus dicit Origines: sed ipsamet quoque experientia comprobat. Nonne enim præ oculis intuemur, si quis Sacellanus sit, illicò Pastoratum ambit, si pastor, Canonicatum, si Canonicus, Decanatum, si Decanus, Præposituram, si Præpositus, Episcopatum, si Episcopus Archiepiscopatum, si Archiepiscopus Cardinalatum, si Cardinalis Pontificatum. Sicque mortifera dipsas ambitio Ecclesiasticorum sitim, imò & Monachorum in claustris degentium extingui non sinit. Quod dicere vererer, nisi id S. Bernardus amarè deploraret. *Video, quod magis doleo,* inquit, *post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis magis eam addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere & impatientes ampliùs fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua, nonnisi contemptibiles esse potuerunt.* Unde concedendum est totum mundum in maligno positum esse, & larvatis hominibus lusum *Crommekalle* ludentibus plenum.

Bern. super missus hom. 14.

Verùm, ne prolixior sim, & forsitan lectori nauseam & tædium pariam, coronidem huic discursui impono, & ultimam pestiferæ dipsadis qualitatem aggredior. Nimirùm, quod ipsa sit *continuum martyrium.* Quod unico dumtaxat (quandoquidem ex antedictis hæc veritas abundè satis eluceat) conceptu propono. Constat cuilibet ex communi Romanæ Ecclesiæ praxi, sanctos martyres, qui tanquàm veri magistri sui Christi sequaces pro honore & amore illius sanguinem profuderunt, ordinariè depingi, aut sculpi in ære, argento, vel alia materia cum instrumentis, quibus à tyrannis sunt martyrizati. Patet in Apostolo Paulo, qui gladium in manu portat. Bartholomæus cultrum tenet, Andreas cruci affixus cernitur, & sic de cæteris. Hoc tamen adverto, Apostolum Petrum cum clavibus, & non cum cruce repræsentari, quam tamen instrumentum ipsius martyrii extitisse, ex fide constat.

Sed quid obsecro, hoc sibi vult, quod ei crux eripiatur, & claves exhibeantur? Pro hoc adverte semel ad id, quod Seneca quodam tempore suo amico scripsit Lucullo: *Audi sententiam Mœcenatis in equulio sedentis.* Verùm quomodò ille equuleo torqueri potuit, quandoquidem usque ad ultimũ vitæ terminum maximè intrinsecus Augusti Cæsaris exstiterit amicus? Id explicat doctissimus Lipsius, dicens: *Volo tibi referre dicta Mæcenatis vera in equuleo sedentis, in equuleo, id est in aula sedentis. Ubi assidua sunt tormenta.* Bene itaque Petrus cum clavibus depingitur; quoniam cùm eæ authoritatem & pontificalem repræsentent sublimitatem, & omnis potestas continuum sit martyrium, plus passus est Ecclesiam Christi spatio viginti quinque (vel ut alii volunt triginta duorum annnorum, octo Antiochiæ, & viginti quinque Romæ) regendo, quam duram crucem paucis horis sufferendo. Ita appositè ad hunc conceptum dicit doctissimus Salmeron: *solerter advertendum est, quod cæteri martyres cum martyrii sui signaculo repræsentantur: Petrus verò, demptâ cruce, cum clavibus figuratur. Sed facilè respondendum est, quod si claves pontificiam dignitatem significant, eædem Petro cruce ipsâ crudeliores exstiterunt & duriores.* Sed heu! Crux hæc à cœco homine stultè amatur & arctissimo complexu constringitur, ut suprà dixi ex S. Bernardo: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places!* Unde te insane, Agrippinæ Neronis matri persimilem esse non ambigo. De qua veteres commemorant Annales, quod ea omni conatu allaborârit, ut ipse ad imperialem fastum eveheretur. Et quantumvis ab aruspice didicisset, ingratum filium, si eò pertingeret, propriam matrem crudeliter necaturum, respondit: *Occidat, modò regnet.* Sic tu agis, inquam, ambitiose, qui spretâ animæ tuæ salute, status & honores per dona & munera, per fas, nefasq. quæris, & tacitè in corde dicis: Peream, modò regnẽ, modò in sublimi vivam statu.

Bern ser. 12 in Cant.

Sed ex hoc profundo lethargo expergiscere tandem ô Anima Christiana, infinito pretiosi Christi sanguinis pretio ab æterna damnatione redempta! & à tanto errore tantaque dementiâ resipisce aliquando. Tolle diabolicam larvam, quâ oculos offuscat infernalis hostis, Desine ludere lusum *Crommekalle*; alioquin decipiêris: quia abunde audisti, quod non colludentes avidè arripias. Tu quæris hujus mundi delicias & suavitates, sed capis fallacem, ut suprà fusè vidimus, dulcedinem. *Ambitio fallax suavitas.* Tu auream appetis libertatem, & heu! miser homo, tu intollerabili oneraris gravamine, & duram incurris servitutem; *Mala servitus,* Tu in sublimi statu securè tuam imaginaris posse salutem operari, & è contra millena & millena in æternùm pereundi capiti tuo imponis pericula? *Periculosa jucunditas.* Tandem quietam vitam in honoribus desideras, & tu tibi crucem & martyrium præparas. *Continuum martyrium.*

Hæc

Hæc omnia luculenter in hoc discursu probata sunt. Quid itaque ô obcœcate homo adhuc ambitionem, ut Deam, veneraris? Resipisce, retrahe pedem, ut ne adeò avidè curras ad honores, & tandem tam pestiferam ac venenosam detestare dipsadem. Imprime intimis cordis tui medullis divinam mellislui Bernardi sententiam, nunquam è memoria eradicandam: *Meditantibus autem honores blandiuntur, sunt onera pensantibus ipsis tadio sunt atque formidini. Non omnes autem capiunt verbum hoc. Multi enim non tantâ alacritate currerent ad honores, si sentirent & onera. Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo, quarumlibet acceptarent infulas dignitatum. Nunc verò, quia sola attenditur gloria & non pœna, purum esse Clericum in Ecclesia erubescitur, seque viles æstimant & inglorios, qui in quocumque eminentiori non fuerint sublimati.* Hinc concludit S. Augustinus, & ego cum eo concludo: *Qui veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus & prætereuntibus, & collocare ea in verbo Domini, ut adhærens ei, quod manet in æternum, ut ipse etiam cum illa maneat in æternum*, quod mihi & omnibus vobis concedat Pater, Filius & Spiritus S. Am.

Bern. ad Henricum Episc. Sen. epist. 41.

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. cap. 21.

CUm triumphalem & mysteriosum Christi Domini totaliter humilis, attentâ mente dudum in Jerusalem perpendissem ingressum: primo intuitu mihi in animum suspicio quædam inciderat, eum non adeò ambitionem quam tamen præcedenti discursu fusè demonstravi venenosam, maximèque perniciosam fore dipsadem, detestari. Verùm re ipsâ matutiùs considerata & inspecta, tum SS. PP. tum sacræ Scripturæ Interpretum super hunc triumphum interpretatione, illum summæ humilitatis, & quidem usque ad mortem crucis, verissimum fuisse comperi prognosticum. Etenim cuncta, quæ secundum humanam apparentiam censeri poterant gloriosa, felicia, in ignominiosa & infelicia commutata sunt. Quod ut evidenter videamus: Assimilemus parumper hodiernum Christi triumphum antiquo Romanorum Imperatorum triumphantium in urbem Romanam ingressui, circumstantiasque pariter examinemus.

Consuetudo inoleverat apud Romanos, ut triumphatorem tubicines, & laudum factorumque ejus heroicorũ præcederent præcones. Sic attestatur author antiquitatum Romanarũ lib. 10. c. 29. *Christo præconia, sublimiaq; attribuit elogia accinens Iudaica turba: hosanna filio David: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Sed ô bone Jesu! nonne suavisonæ & dulces istæ voces in amaritudinẽ & acerbitatem conversæ sunt? *Benedictus qui venit*, quomodò stat cum rabidorum Judæorum vociferantium clamore, *Crucifige, crucifige eum*: Ubi tamen ait Scriptura: *Maledictus est, qui pendet in ligno.* Qui consistere potest in veritate tò *benedictus*, cum tò *seductor. Seductor ille dixit*, & ipsorum dicto, *numquid & vos seducti estis*? Non ignorabat impius Judex Pilatus, certam Christi tot falsis testibus accusati innocentiã. Perceperat plebem clamasse; *hosanna filio David.* Ad eam itaque mitigandam, tumultumque sedandũ, Christum vel Barabbam latronem proponit dimittendum, & ecce benedicti loco iniquus eligitur latro, vocesque mutantur: *Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamaverunt ergò rursùm omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam.* Ah bone Jesu! quàm propriè tibi attribuere posses illud Jeremiæ Prophetæ: *Facta est mihi hæreditas mea in silva, dedit contra me vocem.*

Matth. c. 21. v. 9.

Luc. c. 23. v. 21. Deut. c. 21. v. 23.

Matth. c. 27. v. 62.

Ioan. c. 18. v. 39. & 49. Ier. c. 12. v. 8.

Post tubicines victimæ in Capitolio summo Jovi sacrificandæ deducebantur, eique hostium spolia atque manubiæ offerebantur. *Post hæc*, inquit, *ducebantur boves in sacrificiis, vittis sertisque redimitis, & aliquando auratis cornibus.* Adduxit sanè Christus in hunc triumphum boves insignes, nimirùm Apostolos suos, qui cornibus laboris & vigilantiæ, incultum adhuc primitivæ Ecclesiæ agrum ararent & colerent. Et quæ quæso pretiosiora spolia summo Jovi, Patri æterno, poterant præsentari, quàm proprii discipuli? Nec hac victimâ contẽtus erat divinus hic Triumphator, sed

seipsum

seipsum non ad Capitolium, sed Patris sui domum & templum (quo dono pretiosius nullum) oblaturus perrexit.

Adhuc una Romani triumphi congrua ad meum intentum non est prætereunda circumstantia. Olim triumphali currui tintinnabulo & flagello appenso, intonabantur à publico ministro, ad hoc munus deputato, hæc verba: *Respice post te, hominem memento te.* Per quæ seriò admonebatur volubilitatis fortunæ, atque indicabatur ipsi, eam trabali clavo carêre, qua novercante tergumque vertente, prosperitas in calamitatem redigitur: Et cui ipsa modò adblanditur, paulò post illum flagris cædet.

Similem admonitorem nonne habuit Christus, urbem videlicet Jerosolymitanam? Nonne in ea infinita ista Sapientia (quæ toties, ut ex Scriptura
Matth. c. 20. v. 18. pater, eam declarat passionis suæ locum: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & flagellabitur &c.*) imminentem suam intuebatur passionem? Nonne videbat prostratis vestimentis, sese propriâ à militibus spoliandum fore inconsutili tunicâ? Nonne noverat ramos palmarum acerba subsecuta esse flagra? Nonne sciebat sese triumphum illum in monte Calvariæ, non mansueto insidens animali, sed in durissima crucis trabe recumbens, peracturum, longè à primo differentem? Quis est, qui de hoc dubitet? Voces enim laudis in voces commutantur vituperationis, inquit S. Bernardus sermone 2. de ramis: *O quàm dissimile est: Tolle, tolle, Crucifige eum: & benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna, hosanna in excelsis? Quàm dissimile Rex Israel; & non habemus Regem, nisi Cæsarem? Quàm dissimile rami virentes, & Crux: flores & spinæ?* Et concione de S. Andrea, de Christi triumpho, & brevi subsecutâ passione mentionem faciens, ait: *Ab eodem populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus? cui priùs sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea.* Concludamus itaque illum in tam solemni triumpho etiam post se respicientem prospexisse lugubrem passionis suæ imaginem, ac proinde triumphum hunc, quamvis secundùm litteram magnifica & honorifica repræsentet; attamen non nisi luctuosum eventum & stupendam catastrophen secundum spiritum præsagiisse. Quapropter sancta mater nostra Ecclesia sacrosanctum Passionis Christi Domini annualis temporis inchoans memoriam, sub mystico sensu triumphum passionis proponit; non ignara, quantæ sit illius reminiscentia utilitatis, & quantum nobis, ut à peccatis abstineamus, gratitudinemque Deo exhibeamus, sit incitamentum. Et hic scopus erit brevis hujus discursus, quem ut rectè attingere queam, rogo ut mecum imploretis per divam Virginem Spiritus S. gratiam, salutantes eam Angelico præconio, Ave gratiâ plena.

Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.

APud Veteres nobilitate & stemmate cæteris eminentiores motis erat, ut in gentilitiis armis quoddam ex heroicis prædecessorum suorum factis signum constituerent, & si alicui ex iis aliqua infamiæ inusta fuisset nota, à familiæ genealogia, ne illius tali nebulâ splendor obfuscaretur, rejiciebatur. Unde magnifica acta studiosè divulgabant, ignominiosa verò alto silentio sopiebant. Christus Dominus, ut mihi videtur, è diametro contrarium egit; etenim ipsemet sedulò pro insigniis, suis posteris & successoribus Christianis infamem & probrosam exponit crucem: *Ecce Rex tuus* non aurea, sed spinea coronandus venit corona: *tibi mansuetus*, tua summa cum clementia abluturus peccata. Ipse toties seriam passionis & crucis ingerit mentionem: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis crucifigetur.* Dum ma- Matth. c. 2. v. 18.
ter filiorum Zebedæi ipsum ad filios usque, ad thronum cœlestem promovendos & extollendos deprecaretur, ad interrogatum non respondens, passionis suæ figuræ reminiscentiam inculcat: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus* Matth. c. 20. v. 21.
sum?

Ah Christe, liceat mihi, humiliter obsecro, te interrogare, quare pro præclaris tuis gestis non enarras inaudita & stupenda à te perpetrata miracula? Cœcorum illuminationem, surdorum auditus restitutionem, mortuorum resuscitationem &c. An forsitan pie Jesu à cruce gloriam tuam arbitraris auspicari, ut sic Christianismum eximio nobilitatis splendore corruscare facias? Sane contra te totus militat mundus, qui crucem omnium necis instrumentorum, reputat ignominiosissimam. In campum prodeat pro hoc probando eloquentissimus Cicero, qui de indemnitate & privilegiis civium Romanorum tractans, ait: *Faci-* Cic. in Verrem lib. 5.
nus est vincere civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere?

cedere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Additque amplius pro Rabirio ad crucem condemnato, coràm plebe Senatuque Romano perorans: *Nomen ipsum crucis, non modò à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis & auribus alienum.*

Imò tanto habita fuit ab omni plebe crux odio, ut illâ tyranni & impii Reipublicæ moderatores, tamquam maximè infami nece plecterentur. Sic Ovidius asserit Achæum Lydiæ Regem à populo tumultuant cruci traditum fuisse, & Artaginem Regis Persarum Præfectum à Xantipone Atheniensium duce captum, atque in vincula conjectum, dum eorum Rempublicam depopularetur, communi sententiâ ignominiosam crucis mortem subiisse Herodotus litteris mandat, Hesticam Melesium nobilissimum Principem, cùm in manus infestissimi inimici sui Arpagi Darii tribuni incidisset, eodem mortis genere fuisse peremptum. Sic & Volumanar, inquit Justinus: item & Glaucus (ut author est Plutarchus) famosissimus Alexandri Magni medicus (eò quod charum & fidelem monarchiæ suæ servum Ephestionem sinistrè curâsset) eandem sententiam subire coactus est. Quapropter Apulejus crucem nuncupat *damnatem.* Seneca *infelix lignum, infelicem stipitem*: Tacitus *servile supplicium.* Lactantius *supplicium homine libero indignum.* Quid plura? Graccus nil infamiùs, turpiùs, ignominiosiùs contra Pompilium adferre potuit, quàm quod dignus cruce haberetur. Plutarchus lib. de fortitudine Romanorum attestatur suo ævo moris fuisse, ut singulis annis canis per urbem Romanam cruci affixus portaretur, tubicine præcinente: *Sic punietur quicumque communi Reipublicæ bono non bene advigilaverit.* Scaliger narrat, Romanos gloriæ quàm maximè cupidos & avidos, aliqua injuria affectos, quam ipsi congruè vindicare non poterant, seipsos occidendo summoperè gloriosos æstimasse. Qui insolens error, ut è tam bene regulata Republica extirparetur, Romani judices in tanti criminis pœnam constituerunt, ut eorum cadavera publicè cruci affixa exponerentur. Quâ infamiâ adeò deterriti fuerunt, ut nemo sibi inposterùm tam leviter necem intulerit. At quid ambages sero, & tempus gentilitatis opinione declarandâ inaniter tero? Ab ipso Spiritu S. qui ipsa est veritas, quæ falli, nec fallere potest, apertè Christe condemnaris, Deuteronomii cap. 21. dicente: *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno.* E contra Ecclesia eum rectè in cruce gloriari attestatur, dum eam summo cultu, latriæ nimirùm adorat & veneratur, clamitatque adstante passione: *O Crux ave spes unica, hoc passionis tempore.*

Ovidius in Iben.

Lib. 2. c. 21
Plut. in Alexand.
Sen. 201.

Tacitus lib 4. Instit.
Lactan. lib 4. c. 27.

Deut. cap. 21. v. 23.

Nec immeritò unica spes nuncupatur: quandoquidem in ea salus nostra, & contra inimicum infernalem bellandi virtus, & peccata supprimendi vis consistat, ut testatur S Bernardus. *Ecce in cruce salus nostra, tantùm ei viriliter inhæreamus. Verbum crucis, ait Apostolus, pereuntibus quidem stultitia, his autem qui salvi fiunt, virtus Dei est. Ipsa est scutum quo circumdamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergò inferius cornu contra timorem nocturnum, id est, adversus pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit: Vt id, quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus, ac subjicere servituti.* Et ad alia transiens vitia, crucis extollens virtutem ait: *Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominùs cornu crucis excipiendo. Quod si adulatur, & quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur; si denique iniquum aliquid tanquàm justum persuadere tentat, à dextris est mihi iste, sed Iudas est, osculo me prodit: & dextro cornu crucis negotium perambulans in tenebris necesse est propulsari.* Et tandem crucem contrà peccatorum caput, superbiam & ambitionem (de qua fusè egi in præcedenti discursu) potentissima statuit arma. *Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirùm in splendore majori virtutum acriùs insurgere solet. Hæc autem quàm perniciosa sit, sæpiùs vobis intimare curamus. Initium quippe peccati, & causa totius perditionis superbia est. Propereà quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversùs hanc super caput tuum cornu crucis habere memento.* Et post concludit: *Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur & triumphat. Tantum ut perseveret in ea, & nullis valebit tentationibus dejici.*

Bern. ser. 2 de S. Andrea.

Itaq; optimè Christus totam suam gloriam in cruce collocat; ipsa namq; est humani generis redemptio, antiquum peccati delens chyrographum, in qua (ut alibi ostendi) tota gloria Christi consistit. Ipsa est omnium honorū compendium, ut ex honorifico, quod ipsi rursus adscribit D Bernardus elici potest elogio; *Semper lignū crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium Charismatū. Non est silvestris arbor, lignū vitæ apprehendentibus eam, arbor fructifera, arbor salutifera est: alioquin quomodò dominicam occuparet terram? Illam dico pretiosissimam*

*mam glebam, cujus clavi infixi fuêre radicibus Si non
esset hæc pretiosior cunctis, fructuosior universus, nun-
quam illo plantaretur in horto, nec illam permittere-
tur vineã occupare.* Tandem ipsa est insigne ipsius
victoriæ trophæum, triumphi antesignanum, nec
sine ea triumphare poterat Christus. Author Ro-
manarum antiquitatũ lib. 10. c. 29. asserit nemini
licitum fuisse apud Romanos triumphalem currũ
conscendere, nisi in una acie quinque millia ho-
stium prostravisset. Hinc teste Plutarcho, nunquã
triumphare voluit Julius Cæsar, priusquam quin-
que stupendas de inimicis reportâsset victorias: ni-
mirùm primam Gallicam, secundam Alexandrinã,
tertiam Ponticam, quartam Africanam, quintam
Hispalensem. Haud aliter magnus ille Julius Cæ-
sar Christus Dominus per crucem triumphavit:
quia non tantùm quinque millia hostium prostra-
vit, dejiciens Principatus & Potestates, sed tot
Christianorum myriades cælesti imperio subjuga-
vit, & quinq; memorandas victorias obtinuit. sci-
licet contra mundum, peccatum, diabolum, mortẽ
& infernũ, (ut forsitan datâ occasione infrà osten-
demus) & cruce suâ omnia hostilia tela, ut vana &
levia confregit, & in dœmonem retorsit, ut clarè
attestatur S. Bernardus dicens: *Sine causa malignè
parasti sagittas tuas in pharetra, & discipulorum su-
spiria cumulas opprobriis Iudæorum. Illi quippe despe-
rant, isti improperant. Sed Christo neutra tela noce-
bunt. Aliud tempus elegit confortandis discipulis, &
aliud adversariis confutandis. Interim patientiã ma-
gis exhibet, humanitatem commendat, obedientiam
implet, perficit charitatem. His namque virtutũ gem-
mis quatuor cornua crucis ornantur. Et est supere-
minentior charitas, à dextris obedientia, patientia à
sinistris, radix virtutum humilitas in profundo. His
ditavit trophæum crucis consummatio Dominicæ pas-
sionis: cum ad Iudæorum blasphemias humilis, ad
vulnera patiens: intùs lignis, exteriùs clavis pungere-
tur. His spoliare dotibus, hâc privare gloriâ Christi*
Matth. c. 27. v. 40. *satagebant Ecclesiam, qui dicebant: Si Rex Israel es,
descende de cruce.* Quidni ergò in ea meritò glorie-
tur Christus, nobisq; illam toties proponat, quan-
doquidem mirificum sit vexillum, quod nos ma-
turâ mente intuentes, ad strenuè sub eo militandũ
trahit, juxtà proprium ipsius dictum: *Si exaltatus*
Ioan. c. 12. v. 32. *fuero, omnia traham ad meipsum.*

Sed quomodò? ait in persona Christi Propheta
Cap. 11. v. 4. Oseas: *In funiculis Adam traham eos.* Legit hic
Vatablus, *in vinculo charitatis traham eos.* Ast qui-
nam sunt funiculi Adam? quænam vincula chari-
tatis? Mehercle, non nisi pretiosa crux in qua pe-
pendit Christus. Verè illa est funiculus Adæ: qui[a]
propter primum ipsius peccatum, non tantùm fu-
nibus ligatus, sed ligno inclavatus est. Ipsa est vin-
culum charitatis, quia eam amoris nexu cum ho-
mine conjunctus, pro eo moriturus sponte ascen-
dit. Unde si petatur, quis tantam majestatem adeò
exinanierit, responderi debet: *Amor hoc fecit.* Quod
divinis prolixe attestatur verbis Thomas à Villa Conc. I. de judicio.
nova: *Siquidem pro opere suo ex compassione & pie-
tate innocenter pati & mori, solius Dei amor, solius
Dei clementia est.* Et paulò infrâ ait: *Stupet cœlum
& terra super immensum pondus tam eximiæ chari-
tatis. Expavescit orbis super tam nimiam & inæsti-
mabilem dignationẽ. Sic Propheta Abacuc dicit c. 3.
Consideravi opera tua & expavi. In medio duorũ a-
nimalium notum facies. O inenarrabilem, ô ineffabi-
lem charitatis ardorem! Deus immensus, omnipotens,
infinitus, æternus, ille, qui sapientiâ summè beatus &
felix est, in sinu Patris inenarrabilibus deliciis fruens:
suæ creaturæ amore succensus, ad ima pauper, inops
descendens, in stabulo inter animalia nasci, in patibu-
lo inter sceleratos mori dignatus est.* Et quare? Respõ-
det: *Ne paradisi deliciis homo, quem creaverat, pri-
varetur.* Maluit itaq; ille vinciri, columnæ alligari,
cruci affigi solo amoris nexu alligatus, ne ipse ho-
mo à jurato atq; infesto hoste diabolo vinctus de-
tineretur, & ut eo vincto, hocq; soluto & liberato,
tanquàm splendido trophæo victoriã suam ador-
naret. De qua rursùs præfatus author ait: *O glorio-
sum trophæum! O spolia amplissima! victoriam in-
effabilem! ubi vincitur invincibilis: omnipotens su-
peratur: altissimus dejicitur: vita occiditur & judex
omnium condemnatur. Solo amoris fervore supera-
tus.* Nimirùm, ut dixi, quatenus miser homo à la-
queis dœmoniacis liberaretur.

Ast quare incomprehensibilis & infinita Sapien-
tia vincula diaboli, funiculos peccatorũ vinculis a-
moris disrumpere conatur? S. Bernard. citatus à D.
Thoma à Villa nova loco præsignato hoc quæsitũ
nobis enodabit. Asserit ipse benignum Deum, si-
mul & justum diversos attentâsse modos, *ut homi-
nem à se peccatis longissimè separatũ, ad se reduceret.*

Primò gravem mandata divina transgredienti-
bus incutiens timorẽ, qui ne inanis & frivolus ha-
beretur, terribiles & horribiles ab initio mundi in
flagitia & crimina exercuit vindictas. Universum
mundum aquarũ invertit inundatione. Gen. c. 7.
Civitates profanas & pessimo scelere commacula-
tas seriò purgari & emendari per angelos jussit in-
cendio, Gen. c. 19. Superbos indurati Pharaonis Æ-
gyptii regis currus in profundo submersit pelago.

Dathan & Abiron horrendo deglutiit hiatu, & quamplurimas alias atroces pœnas in flagitiosos exercuit: *Pœnarum timore homines deterebat à peccatis: sed ut scriptum est, populus non est reversus ad percutientem se.*

Secundùm misericordis & pii Domini stratagema fuit obcæcatū & spurcitiis induratum hominē ad certā rationalis creaturæ vitā beneficiis amplis, raris favoribus & extraordinariis promissis allicere. Proinde sibi electū assumpsit populum, gentemq; elegit Judaicam, quam ut stabiliret, & ab universo mundo formidari faceret, nunquam audita, nunquàm peracta perpetravit miracula. Cuncta totius Ægypti usq; ad ipsius Pharaonis filium primogenita divinâ suâ virtute enecavit: aquas maris rubri divisit, & ad instar murorū à dextra & sinistra persistere jussit, ut sicco pede Israelitæ illud pertransirent, & evaderent Ægyptiorum persequentium furorē. Ipsi verò & sibi vitam stratā arbitrantes, misere perierunt. Deduxit gentem selectam de nocte in columna ignis per desertum, de die per nubem. Pavit famelicos mannâ de cœlo dilapso, omnem suavitatem & dulcedinem habente. Sitibundis è rupe extraxit aquas. Exsiccavit Jordanem, introduxitq; eos in terram optimam fluentem lacte & melle. Ulteriùs pertexit ait Domini benignitas ac pietas: *Fovit eos sicut gallina pullos suos, si fortè videns mundus tot tantosque favores, diceret: revertamur & serviamus illi Deo pio & optimo, qui sic benignè & magnificè tractat cultores suos.* Verùm adhuc in vanum laborabat divina misericordia, subjungit: *Sed nec sic mundus, idololatriâ relictâ resipuit.*

O cœca gens! ô insipiens popule! an forsitan aureus vitulus tibi potum & cibū in penuria subministravit? An ille jam præfata operatus est judicia? Certum est, quod non. Cur itaq; proterva plebs à Deo vivo & tanto benefactore recedis, & inanimatum lignum colis? O nefandum scelus! At nil istâ ingratitudine pejus est, quia illâ vivificus divinæ misericordiæ obturatur fons, inquit S Bernard. de alia methodo penes se quasi rogitans in miserentis Dei persona. *Quid ergò faciam? Ecce nec minis, nec promissis proficio: mundus sua duritia & pertinacia perstat: flagella contemnit: beneficia despicit. Sed vivo ego dicit Dominus, quia mihi curvabitur omnis caro, & flectetur omne genu* Et ne forsitan denuò contumax mundus, pertinax homo, intento meo reluctetur: *Ecce ego facio verbum*, Vatablus legit, *opus, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Verum pie Domine, quidnam illud tam classicum opus? En ego cœlestē respondet, æterni

1. Reg. c. 3. vers. 11.

Patris mei derelinquam sinum, omnes choros deseram angelicorum spirituum, in terram descendā, ut pro homine ego homo Deus moriar. Ego innocens, ut reus, pro ejus delicto satisfaciam: tam arcto amoris funiculo eum ad me traham. Erigam vexillum Christianæ militiæ, exponam in monte Calvariæ gloriosum crucis trophæum. Expandam manus clavis inclavatas, paratus quemlibet peccatorē amplecti & misericorditer recipere. Hoc vinculo amoris memetipsum ligabo, ut mihi vicissim hominem amoris ligamine & nexu devinciam.

Hoc ardentis amoris telo illum confossum fuisse, & tam gravi oneris ponderi succubuisse asserit S. Bernardus, cujus verba adfert S. Thomas: *Venit in mundum, incarnatus est, humiliatus est, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, flagellatus, sputis illusus, occisus est. Nunciatum est mundo tantum & tam inæstimabile Sacramentum, audivit, tradidit, intellexit, cognovit: tantamque Dei erga se charitatem, benignitatem, clementiam, pietatem expertus, & tam immenso beneficii pondere superatus, ad pedes procidit & adoravit, & quem non vicerat timor, neque favor, vicit amor. Non enim valuit tantæ dignationis & bonitatis onus sufferre.*

Liceat tamen mihi Bernardum semel interrogare. Estne mundus factus obediens divinis præceptis? obduratus peccator redditus flexibilis? Suntne Christiani moti ad pietatē ejus incarnatione, humiliatione, in terris conversatione, flagellatione, illusione, morte & crucifixione, omniumq; istorum mysteriorum promulgatione? An ad pedes Christi sese prosternunt, eum ut supremum universi moderatorem colentes? Possemne veraciter dicere: nunc mundus relictâ idololatriâ, resipuit? Ah si de ævo tuo loquaris Bernarde, nescio quid dicam? forsitan illud perfectius exstitit nostro, de quo ego neutiquam id asseverare queo. Etenim nonne superbia omnis mali fons & origo est Dea Idololatrica? an forsitan ipsa ab ambitiosis non plus colitur, quàm crucifixus Christus! Qui aulam obambulat, curiarum praxim novit, majorē benevolentiam terrenis magnatibus exiberi inveniet, quàm ipsi quandoque (quod fateri pudet) venerabili Sacramēto; & attētiùs ambitiosi in eorum præsentia auribus suis divina quasi percipiunt oracula, quàm ad cœlestia & salutaria Missæ attendant sacrificia. Nec est quispiā ut puto, qui hujus sæculi moderni mihi deneget hanc pravitatem; quilibet namq; si ad oculum videt mundum, status, honores, super cæteros præminentiā arctè amplecti, onera verò pro Christo Domino supportanda omni curâ

declinare. Loquamur de ira: Christus vindictam reverà inimicis inhibet, mansuetudinem clamat, *Pater ignosce illis, &c.* ut sequamini vestigia ejus. Insurgunt sanguisugæ inhiantes proximi ruinæ, Christique mandato refractarii, Deamque venerantes Iram, crucifixi præceptum notâ infamiæ, impossibilitatis, & naturæ ipsi repugnantiæ commaculant. Quid de avaris, de luxuriosis dicam? An avarus non plus diligit aurum, quàm Christũ, an concubinarius non vehementiùs amat concubitum, quàm Christi pudicitiã, quia neuter suum affectum abominari vult propter crucifixum. Discurrendum relinquo Lectori per singula capitalia vitia. Et spero eum mihi manus daturum, & mecum asserturum, verùm non fore in hoc depravato sæculo: *Nunc mundus idololatriâ relictâ resipuit.*

Unde quoddam celebre ingenium subtile satis delineari curavit emblema, cui supra titulus inscriptus erat: *Quis mundi Dominus?* Ab una parte diabolus sub specie pulcherrimi juvenis depictus erat, vexillum in manu portans, emblematibus ornatũ deliciosis. Hic videbatur Juno cum Jove incestuosè congrediens; illic Mercurius furto implicatus, & Jupiter in Argi mortem conspirans. In summa omnia Deorum vitia, tamquam heroica facta ipsi erant impressa. Infrà turba magna nimis subsequẽs diabolicæ militiæ signum, apposita erat curiosa hæc epigraphe: *Non crucifigor & adoror.* Ab altera parte emblematis visebatur Christus in crucem sublatus, infrà quem artificiosè depictus erat pellicanus; qui rostro pectus suum dilacerans, pullos suos proprio sanguine enutriebat, cum dicto: *Suos in sanguine pascit.* Sequebatur levis quædam & exigua turba cruce onusta, Christum subsequens. Verùm quidam levissimum crucis onus portare renuentes Christi partes deserebant, & abjectâ cruce, diabolicæ turbæ sese adjungebant, additâ epigraphe: *Dura displicent, blanda placent.* Pro quæstionis resolutione appositum erat infrà emblematicũ hoc dictum: Prôh nefas! *Christus reficiens deficit, diabolus de ipiens proficit.* Hinc ait idem author, infernalem hostem Christo jure merito improperare posse, en quanta latus meum stipat turba, quàm celeri gradu totus ad me currit mundus. Ego pro hominibus nullum subii dolorem, spinas caput meum non sensit, nec manus clavos expertæ sunt, ego nec flagellatus sum, nec crucifixus, nec sanguinem fudi, & tamen cuncti mihi adhærent, & sub vexillo meo indefessi militant. Quid tibi profuêre flagra, corona spinea, sputa, illusiones, opprobria, crux, &c. mundus dura aversatur, atque suavia & deliciosa amplectitur. Iis triumpho, iis hominem attraho, iis mundum subjugo.

O cœi homines! ô insensati Christiani! Audite quæso, & sedulò examinate salutarem Divi Thomæ admonitionem. *Quid respondebimus in Iudicio tantam erga nos Dei charitatem & miseri-* Ier. c. 3. *cordiam contemnentes? Quam meritò Dominus su-* v. 20. *per hac perversitate & ingratitudine nostra conqueritur per Ieremiam dicens: Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel,* id est, nullus sic amavit, nullus sic zelavit, nullus sic quæsivit, nullus sic contemptus est, O im- D. Thom. mensam Dei bonitatem! Tanta majestas à crea- Conc. de S. tura sua, & opere suo contempta & abjecta, non Ægid. dedignatur, non irritatur, non recedit, scilicet ut exspectet revertentem.

Et si velitis Auditores rem ita sese habere, ad oculum cernere, & sordidam Christianorũ in Christo sequendo, bonisque operibus exercendis tepiditatem, & è contra miram eorum in sectandis vitiis celeritatem intimiùs penetrate: Venite mecum ad Bacchanalia tempora, & ruminemus parumper ea, quæ tum geruntur acta, petamusque audacter: O Ganda nobilissima civitas! Nonne tu eadem plane es, quam paucis antè diebus sumus contemplati. Nonne vos incolæ ii estis, qui cum tanto jubilo, tantâ alacritate & lætitiâ solemne sub diaboli vexillo militâstis. Ut video iidem estis, ni turpiter fallar. Quoniam quamplurimùm in externa apparentia immutati estis. Tum namque in vobis hilarem intuitus sum vultum, animum comperi habenâ relaxatum: non reperi, nisi evidentia & ingentia jucunditatis signa. Magnifica instructa erant convivia, publicæ ducebantur choreæ, vestes muliebres in viriles (ut majori lepore, aut ut melius dicam opportunitate, sub hac larva Venus coleretur) commutabantur. In summa, quilibet suo genio & gratis indulgebat voluptatibus. Qui de tristibus loquebatur, exosus habebatur, & tam hilari tempore indignus: at modò totus ordo inversus est. Ubi Ecclesia Quadragesimæ tempus, jejunia, abstinentiam, pœnitentiamque proponens, vos ad militandum sub Christi vestri vexillo convocat, faies, gestus, & cuncta quæ video, tristia apparent: Ideoque admonet per Evan- gelistam Matthæum: *Cum jejunatis, nolite fieri si-* Matth. c. *cut hypocritæ tristes.* Ah miseri erratis: Nullus 6. v. 16. aptus est militiæ, qui ducem suum tepidè sequitur. Cur itaque tanto fervore diabolo inservitis, & tanto cum pudore Christum, cujus albo nomen vestrũ (ut indicat *Christianus* adscripsistis)

dere-

dereliquitis? An forsitan arbitramini mœstè præliando de jurato hoste tuo infernali posse triumphare? Ah fallimini! Victoriæ namque illi soli capaces sunt, qui arduam expeditionem hilari animo arripiunt. Hinc teste Homero, Minerva prudentiæ Dea, potentissimum ad strictam obsidionem, & ultimam Trojæ ruinam præparans exercitum, mandatum dedit Telemaio, ut de annona, cæterisque ad bellum necessariis abundantissimè provideret, eaque navibus imponi curaret. Sibi interim curam reservans, celeres, voluntarios, & alacres milites congregandi. *Tu para nunc viatica necessaria : Ego interim in populo voluntarios colligam.* Idem de Scipione Africano commemorat Titius Levius, qui ad Romano Imperio adjungendam famosissimam illam Rempublicam Carthaginensem, tantum familiarium, & ultrò sese ad bellum offerentium, operam auspicatus est, plùs confidens libertati, quàm coactioni: *Noverat voluntarios tantùm milites, quos ordinavit, centuriavitque.* Ita pariter de Lacedemone testatur Cælius Rodiginus, qui pro more habebat milites assumptos, & tyrones exercere in chorea dicta *Pirrica*, in quam, qui ingrediebantur, in ea lætitiæ & alacritatis demonstrabant indicia, in signum quod ad quodcumque difficile bellum progredi paratissimi forent.

Verùm è quo fonte tanta hominum scaturit dementia? Vel Christiani estis, vel non estis. Si Christiani estis, hoc unicum allego, quod multa in se comprehendit, beneficium, nimirùm creationis, atque redemptionis. An forsitan diabolus te creavit, & redêmit? Non, non, ipse Christus est, qui te, ô homo! ut purus Deus creavit, & ut Deus homo misericorditer redêmit. Dic mihi munde, quodnam tibi insignis ille tàm numerosæ militiæ Dux pollicetur stipendium? Terrena bona inquies. Erras, si credis, nec ipse enim illorum est elargitor, qui nè quidem in unam paleam, absque Dei permissione habet potestatem. Si dicas honores, mundanas delicias, vitam voluptuosam, & cuncta in futurum prospera. Rursùs falleris, illuderis. Quoniam nec ille potens honores, & status trabali clavo configere, nec delicias mundi vegetas conservare, nec vitam voluptuosam in longum protrahere, nihilque potest de futuro tempore disponere. Benè fateor ignominiam perpetuam, infernalia tormenta, vitam amaram, & cuncta in æternum infelicia præstare valet.

Ut promisso sub duce diabolo belligerantibus præmio antithesin opponam mercedi destinatæ à Christo optimo duce sub ejus strennuè militantibus signo, scilicet cruce: oportet sedulò intuêri, quid promittat. Id Joannes indicat cap. 8. *Qui sequitur me, habebit lumen vitæ, dicit Dominus.* Quod lumen vitæ in quo consistat, quamque illud sit æstimabile in alio discursu (favente Deo) demonstrabo. Rursùs ait: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Ubi est ô Christiane Christus? Hoc non ignoras. Concludo ergò, si ipsi inserviam fideliter, ut par est, & ibidem morabor. Iterùm per eundem Evangelistam non fluxa, & peritura, sed cœlestia, & in æternum permansura sequacibus suis, & juramento quidem pollicetur bona: *Amen, amen dico Vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & judicium non venit, sed transiit à morte in vitam.* Quæ, quæso modò inter Christum & diabolum comparatio? Ille lucem promittit, hic densissimas tenebras: ille cœlestem paradisum, hic æternum barathrum. Quare igitur insana hominum mens tàm proclivis est ad diaboli, & ad Christi tàm negligens obsequium? Sanè iste intollerabilis non provenit error, nisi vel ab obcæcatione, vel oculorum fascinatione, dùm homo bona sibi collata, & quæ indies conferuntur à Christo beneficia, non ruminat, & laxatis habenis cunctis suis voluptatibus indulget. Quod enorme crimen egregiè detestatur S. Bernardus in suis declamationibus, dicens: *Ubi ille mulctatur morte, cruce turpatur: Quis suorum delicias, & gloriam sustinere queat, nedum audeat quærere? Flagellatus Christus, & sputis illitus, bajulat sibi crucem, & ludibrio factus irrisoriâ veste, arundineo sceptro, coronâ spineâ. Foditur clavis, annumeratur sceleratis, in ligno extenditur, & jam mortuus vulneratur. Et hæc induens, qui dicitur Christianus, nihilominùs voluptatibus indulgêre, & florere velle in hoc sæculo nullatenùs erubescit?*

Ioan. c. 8. v. 12.

Ioan. c. 5. vers. 24.

O miser homo! Utinam tandem resipisceres, & auream & divinam Divi Thomæ à Villa Nova præcordiis animæ tuæ infigeres sententiam, sustinentis Christianum pollicitationibus non debere allicêri, sed tanti benefactoris beneficiis ultrò, & suaviter trahi. *Delectabilis ipsa Dei nostri gloria, & majestas, cui servire, regnare est: Beneficiorumque ejus inexplicabile pondus, & charitatis ejus in nos ardor immensus, cui æquivalens reddere non sufficimus. Satis, & plusquam satis obligati sumus tibi Domine; & adhuc promissionibus agis? Ad quid Domine ista promissio?* Et totaliter pudebundus in hæc erumpit verba; *Proh pudor! Ut tantæ majestati ser-*

Thomas à Villa Nova Conc. de Ægidio Abbate.

viam, pollicitationibus indigeo? Vt Deum meum, Creatorem meum, Redemptorem meum, Glorificatorem meum, Dilectorem meum diligam, ut ei obediam, ut ei adhæream, præmio attrahendus ſum? Confundis faciem meam Domine promittendo, non poſſum audire, non valeo ſuſtinere promiſſiones tuas, quin imò ſi mihi omnia tormentorum genera, omnia mundi infortunia, omnes anguſtias, omnes infirmitates, mortem etiam, & infernum minareris, nè amarem te, nè tibi ſervirem, à tuo ſervitio deſiſtere non deberem. Et quaſi inebriatus divinæ munificentiæ potu, ulteriùs progreditur, & dicit: *Et quod majus præmium, aut quæ gloria, quæ dignitas ſublimior, quàm tibi placere, tibi adhærere, tibi ſervire, tanta celſitudo, tanta ſublimitas, nullo labore, nullo infortunio compenſari poteſt: & inſuper præmium quærentibus adjicit.* Et tandem concludit: *Quanta miſericordia, quanta magnificentia, quanta clementia! Vndique Domine nos cogis, undique ſtringis, & compellis ad te, væ nobis, ſi receſſimus à te.*

Eia itaque Chriſtiane, excute mundanum ſoporem, cœleſtes amplectere vigilias, & excubias, mentem à terrenis avertè voluptatibus, & ſtudiosè contemplare mirificum tibi erectum amoris vexillum, charitatis compendium, crucis myſterium, ut tanti ardoris flammis incenſus, nullum illecebrarum, & pravarum cupiditatum ſentias frigus, ut amore amorem rependas. Hoc paſſionis ſuæ reminiſcentiâ ſolummodò pius exigit Dominus. ut ſatis apertè inſinuat S. Bernardus: *In Chriſti dilectione modus amoris nullus eſſe debet. Sine modo te dilexit, ſine modo tu diligere debes. Modum dilectionis expreſſit te diligendo, pro te moriendo. Tu quantùm eum diligere debes, non potes. Dilige ergò eum ex tota mente, & ex omni anima, & ex omnibus viribus tuis, hoc tantum quærit, ultrà non quærit* Imitare vel ipſos Ethnicos Athenienſes, qui in quantum potuêre, ſuam ergà beneficum Codrum oſtenderunt gratitudinem.

Bern. l. de diligendo.

Quam, ut melius cognoſcas, operæ pretiũ eſt, hiſtoriam paucis (quia alibi ſatis fusè) enarrare. Ipſe à potentiſſimo capitalis ſui hoſtis exercitu arctiſſimè circumcinctus, & jam jam, deficiente annonâ, & quamplurimis è ſuis continuis in præliis deſideratis, ad deditionem coactus, niſi aliunde ſuppetiæ adferrentur, quarum apparentiam, cùm non videret, tandem Oraculum Delphicum conſulere ſtatuit. A quo, cùm intellexiſſet, nulla evadendæ ruinæ ſuperſtitem fore ſpem, niſi proprio ſanguine iratorum Deorum ſitim reſtringeret, immotus, & imperterritus communem Reipublicæ ſalutem propriæ proponens vitæ, veritus, ne fortaſſis inimicus ei parceret, abjectum gregarii militis induit habitum, & ſic in mediam animosè prorupit aciem, in qua generoſus occubuit, ſuis inſignem relinquens victoriam. Quem ſtupendum amoris actum conſiderantes Athenienſes, profuſis lachrymis, luctuoſo vultu, cruentato, viſo tàm benigno regis cadavere (ut Plutarchus ait) altè clamaverunt: O *Codre! tu vitam dediſti ut nos viveremus. Heu! utinam morte noſtrâ tibi vitam comparare poſſemus.*

Haud diſſimiliter ardenti amore inflammatus primus & ultimus totius univerſi monarcha agit Chriſtus, dum militarem contrà dæmonem inſtruit aciem. Incognitus in arenam deſcendit, contemptibilem infinitæ creaturæ rationalis aſſumens habitum, naturam ſcilicet humanam, ut ille, qui purus ab æterno exſtiterat Deus, habitu inveniretur, ut homo Sed quorsùm? ut occultus diabolo, ſciens aliam humanæ redemptionis, ac reparationis non affulgêre ſpem, mortem ſubiret. Voluit itaque Chriſtus illum illudere, & decipere ad-inſtar Enthydeos crocodilum. De hoc omnes fermè commemorant Naturaliſtæ, eum hujus eſſe naturæ, ut innato odio Enhidios inſectetur. Ille verò inimicum ſuum ex inſtinctu quoque naturali fugit, & vindicativus omnem auſam quærit crocodilo nocendi. Quapropter paſcua accedentem advertit, ſeſeque ſub viridi herba occultat, quam cùm ipſe depaſcit, ventrem ejus vivus ingreditur, & ibidem inteſtina hoſtis ſui corrodit, eumque enecat. Ipſe verò ſalvus & incolumis evadit. Qui intueretur Enthidios abſorptionem, nonne eum devictum, & victorem judicaret crocodilum? Indubiè. Ita & mors devoravit Chriſtum, & proprio dente, tanquàm laqueo irretita eſt, & deglutita. Quod ingeniosè exponit Euſebius dicens: *Mortis iniquitas, quæ Chriſtum tanquàm purum hominem vincere gaudebat, expavit ſubitò prædam ſuam, & in ſuo regno à ſuo, ut putabat, debitore devicta, à ſuo condemnata reo, à ſuo ſubjugata eſt captivo: ideò ſuis laqueis illigata, & irretita perditur; dum deciperet, ſublata eſt; dum devoraret, abſumpta eſt.* O Chriſtiani! ubique reſonant Cantica, & laudes Domini Creatoris & Redemptoris. Ubi gratitudinis Athenienſium inſpicitur umbra? O utinam omnes clamarent, dum ad peccata inſtigantur: *O Chriſte tu vitam dediſti, ut nos viveremus.* Ah utinam cunctis, ſanguine, carne, & vitâ noſtrâ, tantum nobis præſtitum beneficium dignè recognoſcere valeremus.

Hom. 6. Paſch.

Sanctus

Sanctus Augustinus ut à nobis cæcutientibus densam detestandæ ingratitudinis amoveat nebulam, quamplurima stupenda sub illius exinanitione adducit, & ad summum (quamvis non sufficienter) describit amorem. Et in primis petit, quâ viâ, quâ methodo subjugatum à diabolo genus humanum, ejus ereptum sit servituti. *Quæ est justitia, inquit quâ victus est diabolus, nisi justitia Iesu Christi. Et quomodo victus est? Quia cùm in eo nihil dignum morte inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem sine ullo debito occidit.* Et in amorosi Christi stratagematis prorumpens exaggerationẽ, pergit c. 15. *Pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto, diabolus non est ditatus sed ligatus, ut nos ab ejus noxibus solveremur, nec quemquam secum eorum quos Christus ab omni debito liber, indebitè sanguine suo redemisset, peccatorum retibus involutum traheret ad secunda, & sempiternæ mortis exitium.* Et paucis egregiè ait hac de materia serm. 114. de tempore. *Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & unâ morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit* Sed quid pro tot ab homine prætendit beneficiis? Quid pro abundanti pretiosi sanguinis effusione? quid pro opprobriis? Quid pro ignominiosâ crucis trabe? quid pro tam excessivo amore? Ah nisi ut redametur. Amor namque non nisi amore recompensari potest. Nil nisi, ut clamemus ex intimis cordium nostrorum penetralibus cum Idiota: *Diligi debes Domine ratione creationis & redemptionis: quia enim hominem fecisti, debet seipsum amori tuo, & quia eum redemisti debet se amori tuo.*

Aug. l. 13. de Trin. c. 13. & 14.

Veteres quidam Scriptores, seduli Atheniensium Annalium perscrutatores illud memoriæ tradidêre, quòd prædicta Respublica illam sanxiêrit legem, ut quotannis, ad renovandam civium reminiscentiam, præco coram plebe (ostensâ quidem Codri sanguinolentâ tunicâ pugionibus perforatâ) hæc verba intonaret: *En tunica Codri Regis vestri, memor esto Popule Atheniensis ipsius victoriæ pro salute vestra contrà hostes proprii sanguinis dispendio partæ.* Quâ ostensione innuebatur, ex ipsorum animo tantum amorem nunquàm debere eradicari. O Christiane confiteri cogeris longo intervallo terrenum illum Codri amorem, Regis regum, & Domini dominantium Christi cœlestem antecellere charitatem: Imò in illius comparatione eum nil esse, nisi fumum & umbram. Ecce tibi toties ab Ecclesia proponitur cruenta Christi passio, toties ad montem Calvariæ invitaris, ut ibidem contempleris pro te crucifixum Deum hominem, ut in eo attentè intuearis gloriosum inauditæ benignitatis trophæum erectum, & vexillum crucis: ut tu tam horrendo commotus aspectu, cum eo in corde tuo crucifigaris, ut tanto amori correspondeas, hoc tantùm quærit, ultrà non quærit, inquit Bernardus: Curre ergo ad illum collem, in quo tam luctuosa exhibita est tragœdia, curre, quid stas, quid hæres? clama, quid obmutescis: Christe tu vitam dedisti, ut nos viveremus. O utinam morte nostrâ tuam mortem recompensare possemus! Hoc unum rursùs repeto, Christus à te exigit Christiane. Et hæc sit prima ratio, quare crucem prudens mater nostra Ecclesia toties inculcet, & magna cum cura tantum amoris spectaculum oculis nostris exhibeat.

Secunda est & maximè prægnans, quia crux & mors Christi maturâ mente considerata, hominem fortissimè à peccato retrahit, & deterret. Dum enim ipse tam rigidam intuetur unigeniti Patris mortem, quâ lapsus humani generis, Adæque peccatum debuit reparari: Agnoscit magnam illius gravitatem, sicque horrore conquassatus ab eo perpetrando cohibetur. Hanc crucis Christi efficaciam confitetur Divus Thomas à Villla-Nova, dicens: *Quid magis homini peccati horrorem incutere potest, quàm videre filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem & terribilem Patri pro reatu satisfactionem reddentem.* Et magnam malitiæ peccati gravitatem exaggerans, exclamat: *O grande malum peccatum, pro quo talis ultio fit! Non mihi inundantem mundum, flagrantes civitates, absorptos homines, non infernum, & omnes ejus pœnas objicias: nam si mille proponas gehennas, non sic expavesco & contremisco, sicut videre Deum pro peccato morientem, ita peccati reatum solventem. Qualis est macula, quæ Dei sanguine diluitur? Qualis est culpa, quæ Dei morte vindicatur? Vnde Bern. ait, ex qualitate remedii, morbi æstimo quantitatem. Filius Dei jubetur occidi, ut pretioso sanguinis sui balsamo mederetur. O atrocissima vulnera, quæ hujusmodi medicamento curantur. De cætero quis audeat peccare? Quis vel levissimam culpam non expavescat?* Et Orig. dicit: *Filius Dei pro peccatis mortuus est, & te pecare delectat?*

Conc. 1. de extremo Iudicio.

Imò ulteriùs progreditur S. Thomas, additque non tantùm eam terrorem peccandi incutere, verùm etiam hominem jam lapsum erigere, & inflicta peccati vulnerari sanare. Unde Christi crucifixi, erectus à Moyse tempore Israelitarum in deserto commorantium serpens, verum extitit symbolũ.

Ipsi namque præteritorum Dei beneficiorum immemores, fastidio habentes solitudinem, contrà Deum, ejusq; destinatum ducem enormiter murmurârunt. In cujus gravissimi delicti pœnam Numer. c. 21. v. 6. & 7. *misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum.* Pro ira istius avertenda accesserunt Moysem, tamquam unicum salutis asylum, ut attestatur Scriptura: *Venerunt ad Moysen atque dixerunt; Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te: ora, ut tollat à nobis serpentes.* Quod, cùm Moyses populi misertus, fecisset, fusis ad Deum precibus & lachrymis pro sua reverentia & sanctitate exauditus, à benigno Deo tanti mali impetravit medelam, meruit-Vers. 8. que audire cœlestem Medicum dicentem: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem, cùm percussi aspicerent, sanabantur.*

Haud dissimiliter pius & benignus æterni Patris unigenitus. Verbum æternum pro periculosis animarum nostrarum curandis vulneribus, non ad instar venenosi aspidis, sed ad instar mansueti agni crucis trabi voluit affigi, ut apertè per dilectum E-Joan. c. 3. v. 14. & 15. vangelistam Joannem testatur, *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Si itaque peccator venenoso lethalis peccati morsu corrosus sis, accede ad montem Calvariæ, in quo conspiciendus exaltatus est Christus; respice in faciem Christi tui. Accurre ambitiose, & superbiæ tumore inflate, atque mentis oculis intuere, dum inani & vano honorum, atque dignitatum clangore concitaris, caput benedicti Christi acutis terebratum spinis, & credo, & spero, omnem mundanum fastum sub tam humili capite militans facilè depones. Contemplare impie avare, & usurarie manus Domini tui inclavatas, ac apertas, ut tibi immensum cœlestis præmii donet thesaurum: credo, & spero, quòd non tàm leviter tuas aperies, ad proximum tuum notabiliter defraudandum, sed è contrà eas aperies, ad ei in necessitate eleemosynis succurrendum. Propera vindicative ad amorosum hoc spectaculum, & maturè quoque respice cruci affixos pii Christi pedes: & credo, & spero, non tàm inconsideratè ad fratris tui effundendum sanguinem, & ignominiosam quærendam vindictam curres: præcipuè, ubi hic illum audies clamantem: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Nec etiam tu sistas impii fili, sed audacter ad hanc Christianam propera scholam, & audi quàm sedulam matris suæ filius demonstraverit curam, commendans illam Divo Joanni: *Ecce mater tua.* Et tu non adeò audacter patrem & matrem contemnes contrà expressum Dei mandatum: *Honora patrem & matrem.* Ast de eo plura dixi suprà.

Sed quid plura verba perdo? Ut paucis absolvam, advola ad hoc amoris spectaculum, quantumvis plurimis onustus sis peccatis, ô homo, Crux Christi tibi fiduciam præbet, omnemque tollit desperationem, ut rectè dicit Thomas à Villa Nova loco citato: *Quid times, quid trepidas, quid diffidis, convertere ad Dominum, quia pius est, & benignus, & præstabilis. Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & viv t. Non credis? Hujus rei testimonia credibilia facta sunt nimis. Ecce propter hoc crucifixus est, propter hoc inter sceleratos moritur. Quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur, nè damneris? Quomodo te abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere te. Unde Apostolus: Quis accusabit contra electos Dei: Deus qui justificat, quis est, qui condemnet.* Et replicam imbecillium, & fragilium peccatorum, atque etiam obstinatorum proponens crucis Christi potentiam, paulò infrà altiùs extollit, dicens: *Forsan dices: Agnosco Domini viscera, inæstimabilem dignationem intelligo, sed magna sunt peccata mea nimis & horrenda, & inveterata flagitia mea, pœnitentia verò modica, aut nulla. Quomodo possum salvus fieri? O stulte, non attendis qualem satisfactionem filius Dei in cruce Patri reddiderit? Exaggera crimina, peccata aggrava, quantum potes; major est illa pœnitentia, potior est illa hostia.* Mirumnè itaque est crucem Domini toties Christianorum oculis repræsentari?

Doctissimus Scriptor hujus ævi Lipsius mirabilem Africæ illatam à furentibus leonibus commemorat devastationem, atque ruinam. Ipsi namque in magnam excrescentes abundantiam, jumentis, aliisque bestiis satiati minimè potuêre. Idcircò humanæ quam maximè insidiantes carni, vias & itinera obsidebant, & transeuntes crudeliter dilacerabant. Unde factum est, ut Africa magna ex parte populo destituta sit. Quod malum, ut averterent superstites, consulêre Delphicum oraculum, humiliter rogitantes, ut possent methodum quamdam cognoscere ferocia hæc animalia fugandi. Responsum habuêre eos omnem conatum, & laborem oportere adhibere, ad vivum leonem apprehendendum, quem vivũ cruci affigere debebãt,

sicque stragem leoninam cessaturam, quod iis ad votum successit. Rugitu namque hujus jam in cruce pendentis ita deterriti sunt cæteri, adeoque ab ejus aspectu exhorruerunt, ut patriam hanc totaliter deseruerint. Sic referunt antiquæ historiæ, è quibus hæc extraxit præfatus author verba: *Cujus aspectu alii leones ita perterriti sunt, ut illàc transire pertimescerent*

Furibundi leones currentes & recurrentes, ut quærant à Deo escam sibi, sunt infernales spiritus. Hi undequaque in universo dominabantur mundo, prædam comprehendebant numerosam, venenosis atque pestiferis morsibus promiscuè imbecilles animas sauciabant & inficiebant. Et ut unico absolvam verbo, idololatriæ vexillum, ablatâ veri & tam magnifici Dei memoriâ erigebant. Verùm invictissimus ille Leo juxtà Apocal. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda*, Christus Jesus dum cruci affixus est, horrendo suo rugitu tantum infestis illis leonibus incussit pavorem, ut vaticinatus fuerat Propheta Amos: *Leo rugiet & quis non timebit?* Et formidabili suo aspectu tam terribiliter deterruit, ut quoque attestatur Jeremias: *Ecce quasi Leo descendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo:* Sicque profugi atque devicti turpem arripuerunt fugam. Unde de tanta victoria quamplurimùm gloriatur noster Leo per Evangelistam Joannem: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sed de quo *nunc* loquitur? Sane tunc, quando in cruce exaltabitur: subjungit namque Scriptura: *Si exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.*

Apoc. cap. 5. v. 5.

Amos c. 3. v. 8.

Ier. c. 49. vers. 19.

Ioan. c. 12. v. 31.

Contemplemur nos itaque Christiani crucifixum hunc leonem Christum, *per quem liberati & salvati sumus*, ut ab exitialibus peccatorum nostrorum morsibus, & ab æterna damnatione liberemur. Consideremus sedulò, propter quid in infamem crucis trabem piissimus actus sit Dominus.

Ad hoc nos invitat Ecclesia clamans: *Respice in faciem Christi tui*, id est, peccator qualis sis, ascende contemplativis mentis tuæ oculis mysteriosum hunc montem, & dum te carnalis ad peccatum instigat concupiscentia, dum inordinati insurgunt appetitus, crucifixum meditare, & exclama cum castissimo Joseph: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum.* Sed de hoc vide supra Conc. 26.

Eloquentissimus Orator Cicero animadvertit, Romanos diversi ac varii coloris in militia exaltâsse vexilla, quibus diversos commilitones in unū convocabant. *Vexillo*, inquit, *opus est, & convolabunt.* Annotat quoque Tacitus, & ei assentitur S. Isidorus inter cæteros exposuisse coccineum rubri coloris, in quo depictus erat phœnix. Unde à Græcis illud vocabatur *Phœniceum*, in signum quod ad bellum properandum esset; in quo opus erat, aut gloriosè hostem vincere, aut gloriosè occumbere. Unde sub hoc militantes nuncupabantur *phœnicei*, & accentu tympanatum, & tubarum militari clangore ad militiam convocabantur, idq; ideò ut non segniter, sed velociter ad arma properarent, quando urgebat occasio. Nos ô Christiani militamus sub *phœniceo* illius *Phœnicis* vexillo Christi, qui igne amoris consumptus est, & revixit: illud exponit Ecclesia, tympana per Concionatores sonant, ad militiam Christianam veloces concurramus, & nos stabimus desides & pigri? O pudor!

Cicero ad Atticum epist. 18.

Quamplurimæ exiguntur à duce exercitus qualitates, ut palam constat ex omnibus Reipublicarū, tùm Romanæ, tùm Athenienſis, tùm Spartanæ, tùm Carthaginensis, tum Thebanæ & cæterarū annalibus. Unam prætactarum dumtaxat (ne in cæterarum enarrando dementiâ, longum nimis teram tempus) attingam, videlicet Romanam, quæ quasi cæterarum præexstitit directrix. Ipsa namq; animositatis & constantiæ ducem illū æstimabat, qui vilipenso propriæ vitæ dispendio primus periculosam intrabat aciem, atq; hostiles aggrediebatur phalanges. Quoniam superioris præclarum exemplum, militum ad sequendum insigne est incitamentum. Id evidenter ostendit invictissimus Julius Cæsar, qui cum desideraret, atq; omni vi conaretur hostilem Phalesiæ hostem dissipare, & rebelles ad ultimâ delere internecionem, his verbis milites suos, ut ducem imitarentur, excitavit & animavit, ut narrat Historiographus Lucanus lib. 9. *Ad magnum virtutis opus summosq; labores, primus arenas ingrediar, primosq; gradus in pulvere ponam. Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno occurrat serpens, fatoque periculo vestro præsentate meo.* Quæ verba è generoso animo deprompta ad fidelem ducis sequelam alacres quasi reddidêre milites, atque ad strenuè militandum excitavêre. Unde prosequitur idem Scriptor. *Cogit tantos tolerare labores summa ducis virtus qui nudâ fusus arenâ, excubat, atque omni fortunam provocat horâ. Primus inire manus, postremus ponere Martem.*

Adhuc & illa exigitur, ut militum dux suorum sedu-

sedulam gerat curam, ne temerariè exponantur discrimini. Addo & hanc, quòd officii ipsius sit milites dispersos summa cum diligentia congregare, infirmis & vulneratis invigilare. Non puto, quod sit quispiam, qui ambigat præcipuum titulum, munusque excellentius unquam Christo incarnato à Patre æterno fuisse attributum quàm Ducis. Destinabatur enim divinâ providentiâ, & totius Trinitatis decreto, ut contra infernales aciem instrueret, atque strenuos assumendo milites, militantem erigeret Ecclesiam. Hoc apertè satis attestatur sacra Scriptura, nominatim per

Isaiæ cap. 55. v. 3. Prophetam Isaiam & Evangelistam Matthæum, hic ait cap. 2. loquens de Christi in Bethleem nativitate: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum*

Matth. c. 2. v. 6. *Israel.* Ille verò cap. 55. *Ecce dedi eum gentibus ducem & præceptorem.* Christus Dominus omnes has jam commemoratas fidelissimi Ducis, & generosi herois pro militante Ecclesia ad amussim servavit conditiones. Et in primis, si quis ipsum in monte Calvariæ pro suis strenuè præliaturum, discipulos summa cum alacritate præcessisse dene-

Marci c. 10. v. 32. get, illi eam opponam Scripturam Marci cap. 10. *Erant in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus* Et illam Actorum: *Cœpit Iesus facere & docere.* Sed quorsum, proposito sibi gaudio,

Act. c. 1. v. 1. ipse tam spinosum acerbæ passionis intravit campum, & quidem præeundo? Textus utcumque clarè id indicat per tò *docere*: docebat commilitones Christianos eandem arripere viam, videlicet assumendo, erigendo, & tolerando crucem, ut & nos lubenti animo, & magno cum desiderio eum sequeremur. Dux namque sequaces summoperè adamat milites. Ideoque crucem portat ad funestum Calvariæ montem, in eo illam erigit, & cunctæ Christianæ militiæ exponit.

Unde videtur mihi, quòd pius Christus egerit ad instar Abimelech, qui tentans populi affluentiam (quamvis inique) ad sese attrahere: hoc assumpsit stratagema, ut attestatur Scriptura cap 9.

Iudic. c. 9. v. 49. Judicum: *Ascendit in montem Selmon cum omni populo: & accepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero dixit ad suos: quod me videtis facere, citò facite.* Haud dissimiliter, inquam Christus ad suam provocans Christianam militiam, non in monte Selmon, sed Calvariæ ascendit, non, ut ad eum asseclas æterno Patri rebelles convocaret, ast, ut omnium hominum noxam dilueret, & eos ipsi reconciliaret, gravi ponderosæ crucis ligno onustus, & ei affigendus, & ad sequelam quemlibet allecturus, juxta id, quod dixerat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ad hoc certamen, ad hanc luctam te vocat Christus, Christiane, qui pro insuperabilibus armis, quibus infernalem hostem prosternere potes, & sine ullo discrimine insignem reportare victoriam, secundam conditionem strenui ducis observans, crucem & tribulationem subministrat. Unde sicut antiquitus Attici novis militibus (ut eos ad viriliter militandum adhortarentur) scuta distribuentes, clamabant: *In hoc signo vinces*: ita majori cum fundamento clamat ad te Christus, *in hoc signo*, nempe in cruce, *vinces*.

Ast quid in hac re dicam? An forsitan perfidus & crudelis Abimelech plures habuit sequaces, quàm fidelis & mansuetus Christus? Ah prôh dolor! prôh nefas! calamus hæret, mens conturbatur, ingenium hebes redditur, dũ responsum dandum considero. Dic tu nobis Christe veritatem; nonne tu infinita, & essentialis æterni Patris Sapientia, infallibile hoc de impia asseclarum illius sequela reddidisti testimonium? *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.* An & illud ipsum pie Domine de Christianis, pro quibus crucem portasti, in eaque mori dignatus es, potes asseverare, & dicere eas certatim cruce gravatos accurrere, ut ducem suum assequantur? Video Domine nimis imbecilles sunt, & debiles mortalium humeri, bases pedum infirmæ, membraque ad tantum onus portandum incapacia. Unde, si cuipiam adversitatis imponatur crux, eam mox abjicit, & mavult sequi diabolum in deliciis & voluptate ad æternum barathrum deducentem, quã Christum ad æternum prẽmium exaltantem. Imò (quamvis & tanta ingratitudo aliquo modo intolerabilis foret, quod tamen non est) eo temeritatis insulsus progreditur peccator, ut suâ cruce neglectâ, duriorem tibi, quàm illa fuit, cui affixus fuisti, inordinatâ suâ vitâ, immorigeris moribus, & contra ipsas cruces, & tribulationes improperiis, obmurmuratione, & impatientiâ denuò imponat, eumq; crudelius Judæis indies crucifigat teste Apostolo: *Rursum crucifigentes filium Dei.* Quam *Ad Hebræos c. 6. v. 6.*
inauditam Christianorum sævitiam maturè considerans S. August. in persona mitis Christi prorumpit lamentationem: *Cur me graviori criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependi, affecisti? Gravior est apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, quam* *August. serm. 67. de diversis*

tui

tui misertus mortem occisurus ascendi. Ah Christiane, resipisce tandem, & dum erectum crucis intuerêris vexillum, attentè cogita, quam gravis sit animæ casus, qui non nisi ipsius auctoris passione, & cruce potuit reparari. Quod si feceris, polliceor, te non tam facilè tuis cupiditatibus, & illicitis desideriis assensum præbiturum.

Manilius nobilis Patritius Romanus innocens ex inveterato jurati sui hostis Æmilii odio ad mortem condemnatus, dum ad destinatum supplicii locum duceretur, transiens quandam plateam, è qua Romanum aspiciebat Capitolium, à quo militari suâ virtute hostiles Gallorum phalanges animosè depulerat: immotus substitit, & exclamavit illud indigitans: *Ausinè, ô Indices Romani estis Manilium condemnare, qui pro salute patriæ paratus fuit mori?* Quo subitaneo casu ipsi consternati, & reviviscente Manilii collatorum Reipublicæ beneficiorum memoriâ, à gratitudine deterriti, latam sententiam revocârunt. Christianè attende, ad te vociferatur pius Dominus, dum omnes inordinato tuo appetitui relaxare cogitas habenas, eumque rursùs tuâ impietate properas crucifigere: *Audesnè Christum, homo, condemnare, qui pro salute generis humani non tantum paratus fuit mori, sed etiam actu, & de facto mortuus est?* Inspice oculis mentis montem Calvariæ, in quo juratos tuos hostes dæmonem, mortem, infernum oppugnavi, devici, delevi, vitam, & sanguinem meum profundendum obtuli. Nunquid abundè tuæ satisfactum fuit malitiæ, dum pro illa ego creator, mortem semel subivi? Oportuitnè me duriori affigi cruci, quàm illa exstitit, ad quam proposito mihi gaudio alacriter convolavi? O ingrate! estne hoc tanti amoris mei retributio? Hæc perpende, & à prava tua indubiè desistes vita.

Commemorant veteres Romanorum Annales, Catulum Imperii Romani militiæ directorem (cum in pertinaci quodam prælio contra Cymbros dimicaret) animadvertentem quàm plurimos milites nimiâ strage deterritos à pugna deflectere, atque infamem fugam arripere, aquilam militare Romæ insigne exaltâsse, & exclamâsse: *Ecce sub quo militatis.* Quâ ostentatione dispersos animavit, & ad aciem reduxit. Christus Dominus cernens mundum à militia Christiana declinare, & hosti infernali victoriæ palmam concedere, ut fugitivos congreget, continuò quasi per Ecclesiam suam crucis erigit trophæum: *Ascendimus Ierosolymam, & filius hominis crucifigetur.* Ioan. c. 12. v. 15.
Quod apertissimè attestatur Evangelista Joannes: *Prophetavit, quod Iesus moriturus erat, ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum.* Undè & tacitè ad instar Catuli ad homines clamat: *Ecce sub quo militatis.* Satagit itaque Christus sub vexillo crucis militantium salutis, maximamque curam gerit, ut eos post mundanam hanc militiam ad æternam perducat gloriam. Quod quoque egregio duci est necessarium. Undè rursus ait Joannes, eum æternum Patrem interpellâsse his verbis: *Pater sancte, serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi.* Et ubi Matthæus dicit: *Percutiam pastores, & dispergentur oves*: de ipso ait Propheta Ezechiel: *Visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis, & caliginis.* Idem vaticinatus fuit Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse.* Id est, de immaculata Virgine Maria Christus Jesus. Et subdit: *Et levabit signum,* nimirum crucem, *in nationibus, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda à quatuor plagis terræ.*

Ioan. c. 17. v. 11. Matth. c. 26. v. 31. Ezech. c. 24. v. 12. Isa. c. 11. v. 11.

Hujus signi gloriam, & efficaciam veritus diabolus, illud occultare, illiusque memoriam omni conatu delere studuit. Undè ipsius instinctu crux in terra defossa est, imò in eodem, in quo erecta fuerat loco, fanum Veneri consecratum exstructum est. Sed hunc astum diabolicum rursùs elusit Christus, qui Helenam Constantini matrem pro inquirendæ crucis ardore inflammavit, ut indies, teste Ambrosio, penes sese diceret: *Ego in regno, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis latet Christi triumphus?* Quare Jerosolymam profecta est, ubi *marmoream* (ut habetur in Officio inventionis sanctissimæ Crucis) *Veneris statuam in Crucis loco, à gentibus collocatam, ad tollendam Christi Domini memoriam, post centum circiter octoginta annos evertendam curavit. Et, eâ inventâ, ibidem magnificam Ecclesiam ædificari jussit.* Ad quod ait Ambrosius in Oratione pro obitu Theodosii versutiam inferoalem explodens in persona Helenæ: *Quid fecisti diabole, ut absconderes nobis lignum, nisi ut iterum vincereris. Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem & quæ sine imminutione edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur. ego ad remedium peccatorum divinum crucis elevabo vexillum.*

Sed heu! vaferrimus noster hostis adhuc obstinatus manet, & omnem adhibet laborem, ut crucis reminiscentiam à mundo tollat, seseque nobiscum gerit, quemadmodum Æmilius cum Manilio. Is, viso Romanos Judices ex indignatione Capitolii ipsi vitam donasse, denuò criminosam litem, ut furori satisfaceret, contra eum in Senatu instituit, & tandem secundam mortis impetravit sententiam. Verùm, ne forsitan rursus Manilio aliqua superesset evasionis spes, omnem misericordiæ ansam præscidit, eum per vias, è quibus Capitolium minimè videre poterat, deduci jubens, sicque capite plexus est. Sic, inquam, agit perfidus dæmon, qui cernens hominem promiscuè memoriâ mortis Christi, illiusque crucis contemplatione ad Christum redire, & à peccatis suis desistere, eum per amœnas deliciarum vias, per planam & latam voluptatum semitam, per amplas illecebrarum plateas deducit, & crucis memoriam è mente eradicat, sicque miser homo illusus, & deceptus, in æternam præcipitatur ruinam; quod satis clarè attestatur Psalmista, qui tantæ ingratitudinis, & tot scelerum scaturiginem propalans ait: *Non posuerunt Deum ante conspectum suum.* Psal. 53. 5.

Eja itaque Christiane, invigila animæ tuæ saluti, & diaboli fraudibus Ecclesiæ militantis hastam oppone, quæ te sæpè sæpiùs ad contemplandam crucem adhortatur, clamitans: *Ecce, ascendimus Ierosolymam, &c.* & cantans solemni ritu Dominicâ Quadragesimæ: *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Audivistis satis fusè hujus potentiam, evita igitur deliciosas vias, & appropera, & accurre ad montem Calvariæ, intuêre ibi crucifixum totius universi Conditorem. Veni, veni, quiscumque sis peccator, ad hoc amoris spectaculum, & attentè tam gloriosum divinæ charitatis perscrutare trophæum, & ex hoc incipe tuum ex toto corde redamare Christum, & enormitatè detestare criminum: imprime cordis tui medullis summi illius Doctoris sententiam, te ad hoc exhortantis hisce verbis: *O immensa pietas! ô inæstimabilis charitas! ut liberares servum, filium tradidisti. Deus factus est homo, ut perditus homo de potestate dæmonis erueretur. Quàm benignus amator hominum filius tuus Deus noster, cujus piis visceribus non satis visum est, ut se inclinaret factus homo de Virgine Maria, nisi etiam subiret crucis patibulum, effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem.* Aug. lib. 1. Medit. cap. 15. Et sermone 138. de tempore, vix tantum valens divini amoris sustinere pondus, exclamat: *O charitas! ô pietas! quis unquam audivit talia? Quis supra misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? nisi in ligno crucis affigeretur, ligni illius prævaricatio non tolleretur. Sed ideò ille percuti voluit, ne nos diutiùs peccata percuterent, innocentem tradidit, ut reum absolveret. Quis tantam dignè eloqui posset pietatem? Innocens affligitur, ut noxius liberetur. Vt redimatur servus, occiditur filius.* Ex qua mysteriosa redemptione salutarem eruit, & omni Christiano inculcat ad peccatum effugiendum considerationem, serm. 12. de temp. *Agnoscat homo, quantùm valeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desistat, & potiùs vicem amoris Salvatori ex ipso bono suo, id est, de conservata salute restituat. Custodiamus ergo sollicitè, quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus itaque non pretii parvi, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine & passione redemptam.* Hanc, dico, pervolve, & revolve sententiam, dum ad peccatum perpetrandum tentaris, & tanto Christi amori tantam non demonstrabis ingratitudinem: sed facilè ab omni crimine desistes, bonaque opera produces, in quorum præmium æternum tandem beatitudinis promereberis gaudium, quod mihi & vobis omnibus concedat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.



FERIA

FERIA SECUNDA HEBDOMADÆ SANCTÆ.

Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.
Lucæ cap. 23.

EXperientiâ compertum est, nec id quispiam, ut arbitror, denegabit, radicata in hominum cordibus, contra inimicos odia adeo esse vehementia, ut vix illorum sanguine, & vitâ possint satiari. De crudeli & furioso Rege Cambyse Veteres commemorant Historiæ, eum ita vindictæ extitisse tenacem, ut ne quidem totius Ægypti ruinâ & subversione effrænatus illius animus emollitus sit, sed ad extrema in Regem ipsum progressus sit opprobria, ipsumque durissimâ servitute affecerit.

Accensæ Tomiræ Scytiæ Reginæ cordis flammæ nequierunt unquam ad modicum restringi ac cohiberi abundanti tot millium hominum sanguine, nec morte Cyri jurati hostis sui, verùm in tantum contra eum ità exarsit, & excanduit, ut caput ipsius à corpore jusserit rescindi, & in vas, cruore filii sui plenum, jusserit conjici, asperâ voce in crudelia hæc prorumpens verba: *Satia te sanguine, quem sitisti.*

Induratum odio & rancore pectus Saporis Regis Persarum nequaquam potuit constringi luctuosâ inimici sui captivitate, ast omni exutâ humanitate, sepositâ illustri prosapiâ, atque regiâ dignitate, eum mandavit in stricta & ignominiosa custodia detineri, ut ei in scabellum, dum equum conscenderet, deserviret.

Illum indomitum furorem supremus ille Rex Christus, noster invictus christianæ militiæ dux, in juratum hostem exercuit diabolum & infernum. Ipse namque humani generis insidiatorem insatiabili prosequens odio, non contentus, quòd eum summâ suâ potestate è cælesti regno deturbârit, & in profundum dejecerit barathrum, (juxta illud Joannis: *Et projectus est draco ille magnus & antiquus, qui vocatur diabolus.*) Illi acre & continuum intentavit bellum, atque insignem completæ victoriæ palmam reportavit. Nonne ea apertissimè patet in stupenda boni latronis conversione? Ecce cernens infernum, & dæmonem præclarum jam jam præparare triumphum, è sancto Apostolorum consortio erepto, & laqueo necato, infami traditore Judâ, commotâ, & seductâ totâ Judæorum plebe, & Messiæ imminente morte, ascendit montem Calvariæ, arma assumit insuperabilia, nimirum crucem: *Bajulans sibi crucem*, summa cum alacritate ad campum procedit, obstinatumque ibidem instituit prælium, & hostem undequaque aggreditur, & insequitur, non ignarus strenui ducis esse, victoriam numquam intermittere, ut testatur quoque Isidorus lib. 5. c. 23. *Alacriter incumbendum est inchoatis, cùm vicinitas adfuerit jam perfectæ victoriæ. Magnum enim genus incitamenti est credere desiderata complere.*

Apoc. 12. v. 9.

Ioan. 19. v. 17.

Bellum inchoatur, cruci Christus inclavatur, in altum erigitur, & tamquam devictus & debellatus ab orco creditur, & præda diaboli reputatur. Omnium in limbo detentorum continuatur captivitas, cælumque remanet obseratum. Suspenditur mitis agnellus, & innocens inter duos latrones, quos crucifixos conviciis, opprobriis, contumeliis, atque blasphemiis continuò lacescere, vafer hostis instigat, certam in iis collocans fiduciam. Sed ecce divina Sapientia subtilem deludit astum, & ille, de quo dicitur: *Exivit vincens, ut vinceret*: totam diaboli machinam disrumpit, ac divinâ suâ gratiâ sic disponente, eo instrumento, quo ipse in improperium Christi usus fuerat, utitur in majorem suum triumphum. Et illam linguam, quam ipse commoverat in Christi derisum, & subsannationem, & ad occultandam, & obscurandam Divinitatem, Christus direxit in suam laudem, & ad divinam propalandam Majestatem, atque innocentiam. Alter increpabat eum, dicens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem*

Apoc. 6. 2.

 dem

Lucæ cap. 23. v. 40. & 41.

dem damnatione es. Et nos quidem justè, quia digna factis recipimus, hic autem nil mali gessit. Quâ peractâ fraternâ correctione, regiam statim ipsius patefecit potestatem, inquit Bernardus: *Regnavit latro de cruce, licet in cruce, qui & innocentiæ puritatem confessus est. Hic autem inquiens: Quid mali fecit? Et gloriam Regiæ Majestatis simul est protestatus: Memento mei, dicens, dum veneris in regnum tuum.* Et sic tandem omnis diaboli triumphus, & fastus in luctum, & humiliationem

Bern. ser. 28. in Cant.

commutatus. Quod considerans Ambrosius, divinè ait: *Tripudiabat draco, quod Apostolum subtraxerat Christo, plus amisisti, quàm sustulisti, qui latronem vides in cœlum esse translatum, nemo est, qui potest excludi, quando receptus est latro. Minister tuus eo pervenit, undè ipse ejectus es.* O insignis crucifixi victoria! ô præclara clavis David crux sacrosanctis Christi humeris imposita, quâ paradisus reseratur: *Hodiè mecum eris in paradiso,*

Vers. 43.

infernique portæ in frusta confractæ, ac diminutæ sunt, prædaque tartarea dæmoni potenter erepta est: *Quoniam ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Quod prædixerat

Isaiæ c. 18. v. 1.

Propheta Isaias: *Voca nomen ejus, accelera velociter, spolia detrahe, citò prædare.* Ergo nactus hodierno die opportunitatem de admirabili, & subitanea tam impii latronis ad Christum conversione, & tam eximio Domini nostri contra diabolum triumpho discurrendi, paucis demonstrabo, quanta in eo ipsius Dei illuxerit potentia, misericordia, amor. Quod antequam aggrediar, obsecro, ut vos Auditores pro divino obtinendo juvamine mecum accurratis ad Matrem potentiæ, misericordiæ, & amoris Mariam, salutantes illam Angelico eloquio, Ave gratiâ plena.

Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.

VT prætentum discursus mei assequar scopum, & luculenter ostendam eximium Christi triumphi in latronis ad veram fidem attractionis relucentem splendorem, qui miris divinæ potentiæ, & misericordiæ fœcundatur radiis, ut animosi Christi militantis Ecclesiæ ducis, propugnatoris, atque maximè radicatum illius contra vafrum, atque infestum generis humani hostem quantisper declarem odium; videtur mihi locus Prophetæ Davidis registratus Psalmo 17. ad id valdè congruus. In quo vaticinatus fuit mirificam futuram Christianorum antesignani Christi constantiam & generositatem, loquitur in ejus persona his verbis: *Persequar inimicos meos, & non convertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare* : Ecce victoria, ecce triumphus: *Cadent subtùs pedes meos. Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtùs me.*

Psal. 17. v. 38.

Sed parumper inquiramus, quâ virtute, quibus armis contrà tam formidabilem inimicum præcinctus, atque præmunitus fuerit, eumque debellârit. Prudens Propheta David post tot insignes contra Israëliticæ gentis hostes reportatas victorias, pro iis primo & primariè primitiis gratiarum divinæ oblatis pietati atque dilectioni, etiam exercitus sui strenuos commilitones (qui arduas, & difficiles adversùs infideles avidè acceptârant expeditiones) victoriarum, omnisque triumphi authorum adscribere voluit numero. Quapropter de iis specialem contexuit historiam, lib. 2. Reg. cap. 23. & in perpetuam progeniei, & descendentium memoriam, non tantum eorum recenset nomina, verum etiam heroica facta, ut patebit legenti. Inter cæteros autem Israëlitarum bellicosos viros summoperè extulit Banaiam filium Jojadæ. Ast ob quod motivum? An forsitan, quia ipse manibus suis duos feroces leones

Vers. 20.

in frusta decerpserat: *Ipse percussit duos leones Moab?* An forsitan, quia ad instar alterius quasi Davidis, immanem staturæ gigantem Ægyptium in terram prostraverat, ut attestatur Scriptura cap. citato ver. 21. *Ipse quoque interfecit Ægyptium virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam.* Et hoc fateor, ista insignia facinora non exiguum gloriæ Banaiæ contulêre splendorem. Attamen quod maximè ipsius victoriam, & animi virtutem illustravit, est, quod tam præsumptuoso huic hosti propriam eripuerit hastam, eâque monstruosam illam corporis molem vicerit, tantummodò debili armatus virgâ. *Itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit de manu Ægyptii hastam, & interfecit eum hastâ sua.* Et mox summa cum energia subjungit: *Hæc fecit Banaias filius Iojadæ.*

Vers. 22.

Insigne hoc facinus (ut opinatur S. Hieronymus) Spiritus S. adeò accuratè narrat, ut prognosticet longè præclariorem futuram supremi ducis Christi, quàm ipse de horribili gigante diabolo mediante perversissimi latronis fideli conversione reportaturus erat, victoriam. Ecce enim duo

duo antigonistæ Christus, & Dæmon in arenam descendunt. Tempus est constitutum prælii, determinatus locus. Hic gloriosus de instanti victoria neutiquàm dubius venenosis latronum linguis (quæ secundùm præfatum Doctorem rectè lanceæ nuncupari possunt juxtà illud Job, tùm linguâ uxoris, tùm amicorum excruciati.
Iob cap. 16 v. 14.
Circumdederunt me lanceis) sese fortiter armat, eas ad derisiones, contumelias, convitia, & improperia præparat, ille ad certamen properat, montemque Calvariæ ascendit, strenuè dimicaturus, solâ crucis virgâ præmunitus. Itur ad certamen, & in primo aggressu (ut autumant Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, Origenes, &c.) victoriæ bilanx à parte infernalis hostis videtur inclinare; quoniam ambo calumniis, quibus Christus à rabida Judæorum turba impetiebatur, subscribebant, ut ait Matth. cap. 27. v. 44 & consentit Luc. cap. 15. v. 32. *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, & convitiebantur ei.* Sed qui exierat vincens, ut vinceret, potenti suâ gratiâ & benignitate inimici hastam extorsit, aspiciensque divino suo intuitu induratum boni latronis animum emollit, & linguam divinæ Majestatis, regiæque gloriæ propugnatricem effecit, dum socium increpans, coram Judæorum cætu exclamavit: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es, & nos quidem justè, quia digna factis recipimus. Hic autem quid mali fecit?* Et subnectens: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.*
August. serm. 130. de temp.
Ad quod ait August. *Prædicat sæculi Iudicem, Regemque sæculorum factus ex latrone Confessor.* Ad tam inopinatum, ac feralem ictum immobilis, attonitus, & propriis dejectus armis stetit dæmon, frendensque hæsit, cernens lanceam, quam in Christum vibrârat, in seipsum fore retortam, & considerans eum quem falsum, & mendacem ipsius operum futurum sperârat criminatorem, strenuum & fidelem ejusdem innocentiæ reperiri testem.
Athanas. de Pass. & Cruce Christi.
Sic S. Athanasius attestatur dicens: *Ad ista verè obstupuit diabolus, & magna anxietate hæsit, & stupore tenebatur: quem enim concitârat blasphemias dicere, illum ipsum videns jam Dominum, adorare, alterumque increpare.* Vi ergò & potentiâ extorsit hastam.

O Mirifica victoria! ô eximius triumphus! Cede, cedè palmam, & coronam belligeram Banaia filio Jojadæ strenuo nostro duci Christo æterni Patri unigenito. Tu armis visibilem, & corporalem hostem spoliasti, verum hic armiger spiritualem & invisibilem proprio astu illusit. Tu giganteam molem debellasti: hic omnes totius inferni phalanges dejêcit, & in uno latrone tartareï regni januas confrêgit. De tam splendida, & rara tantæ victoriæ eminentiâ, tantoque Christi Domini Jesu in virga crucis obstupefactus triumpho Chrysostomus, in hæc aurea prorumpit verba:
Chrysost. serm. de latrone & homil. 4. de cruce & latrone.
In cruce suspensus Christus, clavis affixus, omnibus subjugatus injuriis, totus dedecori succumbens & infamiæ, insultantium derisione derisus, latronis aversam mentem valuit commutare, ut ex omni parte sentiatur ejus divinitas. Etenim universam terruit terram, & petras saxaque disrupit, & omnium lapidum insensibilitate animam duriorem ad se traxit, & ad meliora convertit, & honore summo decoravit. Quod opus quam præclarum, quam difficile, quantamque declaret virtutem & potentiam, non humanam nimirum, sed divinam, juxta dictum Bernardi de obdurato animo convertendo differentis (talem convertere non est humanæ infirmitatis, sed divinæ potestatis) fusè ostendi Concione undecima, quæ est feria Dominicæ secundæ Quadragesimæ. Quapropter hac de re modò taceo. Vide locum citatum.

Hac in doctrina Chrysostomi proximè accedit magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus. Is enim autumat illud Prophetæ Job. cap. 28.
Iob. c. 28. vers. 8.
Ad silicem extendit manum suam, subvertit à radicibus montes, in stupenda hujus latronis adimpletum conversione. Cuilibet notum altissimos montes, durissimis saxis, tanquàm solidæ basi atque fundamento inniti, illa quandoque disrumpit, constringit potentissima Dei manus, sicque sublimes montes penitùs evertit, & in terram dejicit. Ah! quot quantasque hostiles extruxerat machinas vaferrimus ille hominum deceptor diabolus suprà firmam, & immobilem (ut miser falsò arbitrabatur) petram latronem, in quo ipsi maxima in Christo elucebat spes. Sed ecce Christus divinam suam durissimo huic silici admovit manum, percussit potentis gratiæ suæ malleo internum latronis animum, eoque eum comminuit, inflexit, & ad sua præconia suaviter attraxit: sicque funditùs cuncta astuta inimicorum suorum destruxit munimina. Audiamus Augustinum:
August. serm. 156. de temp.
In cruce hoc miraculum operatus est: Vndè maximè omnipotentiam suam declarat Omnipotens, non mortuum suscitans, non

mari

mari & undis imperans, non dæmones ejiciens, sed crucifixus & conspùtus in facie, clavisq; crucifixus, cum injurias & maledicta susciperet, derisus & contemptus, malignam illam atque longo usu obduratam latronis mentem immutare valuit. Et eam densæ involutam caligini, radiis divinæ suæ gratiæ potenter & mirabiliter illustravit Quapropter ipse sibi concinnè appropriare posset illud Apostoli: *Deus qui tenebris dedit lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.* Et bene in facie Christi ait Apostolus: quia tantæ ejus efficaciæ & potentiæ est intuitus, ut etiam ex lapidibus suscitare possit filios Abrahæ, (sed de hoc latiùs suprà) hinc ait S. Hieronymus: *Fecit homicidio martyrii pœnam.*

2. ad Cor. c. 4. v. 6.

Eja itaque versipelles inferni spiritus, exerite omnes in Christum vires, affigite ab utroque latere nefandum latronem, studete tantâ ignominiâ coruscantis Messiæ obfuscare gloriam, omne stratagema quærite, ut hi crucifixi in innocentem omnes linguæ in improperia & blasphemias relaxent habenas; ah frustrà, frustrà laboratis. *Etenim ipsi præparantur cogitationes,* vos nihil exspectatis, quàm ut ambo Christum ob delicta sua pati publicè declarent: verùm decipiemini, & inviti audietis unam à pœna discernentem causam: *Hic autem nihil mali fecit.* Ad quod Sanctus Augustinus in persona boni malum latronem alloquens, ait: *Ne æstimes, quod propter damnationis consortium, criminis quoque consortem feceris Dominum* Subtexuit emendationem dicens: *Et nos quidem justè. Hic autem nihil mali fecit.*

August serm. 130. de temp.

Hanc eminentem contra diabolum victoriam in latrone, Verbum Incarnatum per Prophetam Isaiam à Patre cœlesti expostularat. *Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta.* Ubi maturè advertendum, eum non dicere, *decerne pœnam, sed causam meam.* Ipse namque non propter propria, ast nostra moriebatur delicta. Hinc per eundem mentionem faciens acerbæ crucis, suam innocentiam propalat dicens: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Quod quantumvis vix simul in veritate constare videatur cum illo infallibili Evangelistæ Lucæ testimonio: *Ducebantur cum eo alii duo, & crucifixi sunt cum eo, unus ad dextram & unus ad sinistram* Nihilominus veraciter dicit tò *solus, & non est vir mecũ.* quoniã etsi latrones in eadem forent condemnatione, & torculari crucis suæ acriter torquerentur, quia tamen illi propter sua, ipse verò propter aliena luebat crimina, solus torcular crucis calcare censetur.

Isa. c. 22. vers. 1.

Isa. c. 63. vers. 3.

Luc. 23. v. 31.

Ut paulisper intimiùs admirabilem, cunctisque Christianis amabilem Christi penetremus triumphum: operæ pretium est (sepositâ mira in hoc opere Dei potentiâ, quoniam, ut mox insinuavi, prolixè satis de ea egi) infinitum illius, qui in prætacta conversione emicuit, amorem maturè enucleare, ac ad amussim anatomizare, rati aliunde vix solidam solidi amoris stabiliendam fore basim. Quocirca curiosum, maximeque subtile adinvenerunt hieroglyphicum emblema, in quo artificiosè depictus erat formosissimus juvenis, è cujus ore effluebat hæc epigraphe: *Nunquam senescit amor.* Quoniam amor non exiguam ab amantium constantia & animi stabilitate sortitur eminentiam. Denudato stabat capite, quo innuebatur, amicos debere esse sinceros & candidos, atque nudum sibi reciprocè demonstrare amorem. Politicam namque dissimulationem, fictamque mentem vera abominatur amicitia. Miserâ, abjectâ, & lacerâ cooperiebatur veste: quo intendebant ipsi significare unum amantem, alterum ad humilem statum, paupertatem, & penuriam redactum minimè posse contemnere; verùm è contra eum teneri vi amoris ipsi etiam cum proprio detrimento, & nuditate omni modo opitulari, & seipsum ob respectum objecti amati suis bonis spoliare. In fimbria hæc verba scripta legebantur *Vita & Mors,* quibus indicabatur, amantium esse pro invicem mori, & vivere, & propriam vilipendere vitam, ut amatus vitâ perfruatur. In fronte erat exaratum hoc dictum: *Æstas & Hyems,* quod nec sua caret emphasi. Hoc enim decernebant prudenter Ægyptii, amicum tam in adversitate, quàm in prosperitate, & tam in asperis, quàm dulcibus amorem illæsum debere conservare, eosque neutiquam posse imitari hirundines, quæ æstivo tempore remanent, hyemali verò appropinquante, avolant, placidâ fortunâ, & tranquillâ, arridente amico amicè applaudentes, tempestuosâ autem & adversâ ingruente, eum turpiter deserentes. Cor habebat apertum, per hoc asseverabant, amori illam maximè competere proprietatem, quòd amans nullum secretum celare valeat amatum. Nudum cor digito indigitabat, ac si vellet dicere: O amate, in-

tuère

tuêre lacerum pectus, & conspice sinceri amoris amantis candorem. Volve, & revolve illud, & nil falsitatis, nil dissimulationis comperies. Cordi impressum erat dictum: *Propè & procul.* Quoniam amor etiam inter absentes non potest flaccescere, sed debet in pristino vigore persistere. Denique manus habebat apertas, plenas donis & muneribus, cum epigraphe: *Omnia mea tua sunt*, quo exprimere volebant, nobilissimam amoris qualitatem, & amantium munus fore, sibi invicem bona sua communicare. Ex quo sacra Scriptura magnitudinem atque eminentiam elicit amoris, 1. Reg. cap. 18. vers. 4. *Diligebat eum quasi animam suam, nam expoliavit se Ionathas tunicâ suâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua, usque ad balteum, gladium & arcum.*

Ah, modò parumper examinemus benevoli Auditores, quàm appositè hoc amoris emblema quadret amanti nostro Christo. Verè amor ejus non senescit. Ecce, vix instituerat sub speciebus sacramentalibus sacram Synaxim, & Apostolis suis Corpus & Sanguinem in arrham & pignus amoris donârat: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*, id est, æternaliter juxta proprium ejus testimonium: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Modò ascendens crucem cernit glaciatum latronis animum, accenditur amoris Christi ardor, benignum in eum jacit divina pietas intuitum, & ferventibus gratiæ suæ radiis induratum illud pectus emollit, calefacit, & impium homicidam, quem dæmon blasphematurum Dominum exspectârat, in testem suæ innocentiæ, & regiæ Majestatis citat: *Nos quidem justè &c. Hic autem quid mali fecit. Et memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* O mutatio dexteræ Dei excelsi! quis audivit unquam tale? Perfidus latro, pius & fidelis Christi fit confessor.

O mira amoris benignitas! Ipse subsannatur, illuditur, opprobriis lacessitur, injuriis & contumeliis afficitur, intolerabilibus tormentis concutitur: nec tamen flaccescit, & senescit amor. Verùm amantis volens ad amussim satisfacere obligationi, animæ jam quasi deperditæ & desperatæ latronis satagit, & amanter atque suaviter eam ad se trahit. Nonne solida cum ratione possem dicere, ô Christe! dilexisti illum in finem? Indubiè. Quomodocumque enim tò *in finem* explicetur, id cum veritate asseritur. Si *in fine*, ecce etiam in ultimo vitæ termino oculos benignitatis & amoris ostendit. Si *in finem* dicatur ob amoris excessum, id est, quòd tanto amore dilexerit, ut ad finem & terminum illius pervenerit, & ulteriùs intensionis gradus apprehendi non possit: etiam ipsi quadrat. Quis namque hujus amantis prodigalitatem non stupet? Quis humani ingenii viribus tantum amoris penetrabit mysterium, quòd tam scelerato adeo facile tam immensa merces concedatur, quæ tam sublimia in se continet, ut de ea dicatur: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se!* Imò, imò in finem dilexit eum, in excessu. Latro dumtaxat postulat, ut pius Dominus dignetur memor esse ipsius, non audet tot sceleribus & peccatis onustus regnum petere, sed ait: *Memento mei.* Et ecce excedit amor: *Mecum eris in paradiso.* Latro, ut S. Augustinus conformiter ad textum Græcum exponit, qui legit, *in regno tuo*, tantùm de extremo judicii die (qui in sacra Scriptura nuncupatur promiscuè dies regni ejus, dum nimirum venturus est cum majestate & potestate magna judicare vivos & mortuos) loquebatur & ultrò superabundanter amans, præter desideratum donat, *hodie mecum eris in paradiso.*

Nec aliæ divino amanti nostro desunt conditiones. Ipse sine filio crucifigitur, & caput ejus spineâ coronâ insignitur, veste comparet lacerâ, videlicet sanctissimâ humanitate, adeò flagris discerptâ, fustibus dilaceratâ, funibus constrictâ, ut de eo attestetur Isaias: *A planta pedis usque ad* *Isa. 1. v. 6.* *verticem, non est in eo sanitas.* Idque, ut nudus tanquam verus amans universo mundo insatiabilem exhiberet amorem. Ipse namque hominem nobili divinæ gratiæ veste spoliatum contemplans, suam immutavit, juxta illud: *Rex Israël* *3. Reg. 22. v. 30.* *mutavit habitum*: scilicet humanam assumendo naturam, quâ veluti vili sacco Divinitatem suam obvelavit, ejusque gloriam ac magnificentiam obfuscavit, ut homo veste nuptiali sanctificantis gratiæ reindueretur; sicque noster amans cum proprio suo dispendio nostræ subvenit nuditati. Sed quorsum voluit piissimus Jesus, ut tantis cum tormentis sibi tunica inconsutilis eriperetur? Ah, hîc excessus amoris erga latronem mirabilis militat. Nimiùm induruerat obstinatum in malis hujus impii cor, ideoque opus erat, vehementi calore illud inflectere, & calefacere; Christus itaque nudus pendêre desiderat, ut efficaciores, & magis ignitos divinæ suæ

gratiæ flammas è vulneribus ſuis (quæ non vindictam, ut Abelis ſanguis, ſed miſericordiam clamabant) ad gelidum ipſius animum emitteret. O amor! O ignis! O felix latro, qui è tam ardentis fornace tantas percepiſti gratiæ flammas! *Felix crux fuit ill*, clamat Ambroſius, *quam pertulit non tam ſupplicii damnatio, quàm occaſio.* Unde moderni cujuſdam Authoris adhæreo ſententiæ, qui ait: *Adeò magni non æſtimat Deus, ut cùm pro nobis feciſſet omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quieſceret, ſed ad aliam naturam ſe daret, ut quæ profundere non poterat, eò quòd Deus eſſet, ea homo factus poſſet.*

Ambr. ſer. 44. de latrone.

Quanto autem jure ipſi competat tò *vita & mors*, luce clariùs apparet; etenim ipſe ſinum paternum deſeruit, & durum crucis lectum elegit, ut nos in gremio Abrahæ tutè quieſceremus, & æternæ gloriæ pignus acciperemus. Ipſe vitam humanam aſſumpſit, ut nos vitâ angelicâ gauderemus. Ipſe paſſibilem homini induit carnem, ut nos impaſſibili Sanguinis & Corporis ſui ſubſtantiâ ſaginaremur, continente in ſe vitam, & mortem ſpiritualem. Vita enim eſt bonis, juxta illud Joan. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Mors autem impiis, juxta illud Apoſtoli: *Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.* Ipſe factus obediens Patri, ſævisſimam ſubiit necem, ut nobis ſempiternam acquireret requiem. Ipſe delictum humani generis perſolvendum aſſumpſit, ut antiquum Adæ deleret peccatum. Ipſe exitiale criminis uſque ad mortem ſuxit venenum, ut nobis ſalutare ſalutis coqueret antidotum. *Verè*, ait Propheta Iſaias, *languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.*

Joan c. 6. v. 54. & 55.

Cor. c. 11. v. 29.

Iſa. 53. v. 4. & 5.

Unde affirmare ingenuè cogor, Chriſtum Dominum nos tractâſſe, quemadmodum (ut veteres Anglicani regni commemorant hiſtoriæ) propria uxor dilectum ſuum maritum Sebaſtianum Angliæ Regem tractavit. Ipſa, cùm nullatenus permittere ille vellet, ut venenum è vulnere, quod à venenoſa ſagitta receperat, ſugeretur, nocte, etiam ei invito, & renitente, ore ſuo exſuxit, & ſic illud ad ſeſe attrahendo, mortem ſibi adſcivit, ipſi verò vitam conſervavit. Magnus ſanè amoris conjugalis ardor. Verùm, quid hunc amori Chriſti aſſimilo? Ah, cedat umbra luci, cedat figura veritati, cedat vanus amor amantis noſtri amori. Taceatur Piladis & Oreſtis, Nyſi & Arioli, Damonis & Phyteæ erga ſe invicem charitas: & reſonet in omnium ore immenſa Dei noſtri erga hominem benignitas. Ii namque pro amicis charitatis leges in exceſſu obſervârunt: hic autem pro inimicis quoque mortuus eſt, teſte Apoſtolo: *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Quòd ſi ergò Eccleſia in Officio de Apoſtolis cantet: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Nonne ego poſſum jure meritò inferre: itaque maximam charitatem habet, qui animam ſuam ponit etiam pro inimicis ſuis. Hanc ſanè quàm mirificè non oſtendit pius Jeſus latroni cruci affixo? Noverat ipſa per eſſentiam verum fore, quod ait Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis: amor operatur multa, ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Ideo confeſtim operatur. Cernit impium homicidam, infamem blaſphematorem, perfidum latronem, legi divinæ contumacem & refractarium. Ad opus, ad opus, inquit perfectiſſimæ charitatis, pro hoc inimiciſſimo ponenda eſt anima. Mentem ad cæleſtem Patrem elevat, ipſique pro latronis ſalute vitam & ſanguinem offert, & exauditus pro ſua reverentia, ex impio, divinæ gratiæ potentiâ, pium efficit, & blaſphemum in Divinitatis ſuæ præconem commutat, auditque eum clamantem: *Domine, memento mei, &c.* O ſtupendum eximiæ charitatis opus! An legitimè ſibi felix hic latro appropriare non poſſet illud Apoſtoli: *Qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me?* Indubiè.

Rom. 5. 10.

2. Cor. c. 2. v. 20.

Doctiſſimus Petrus Cluniacenſis ruminans illa Chriſti Domini verba loquentis de ſacroſancto Corpore & Sanguine ſuo: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & biberitis calicem, mortem Domini annuntiabitis.* Cur Chriſtus indagat ipſe, ſolius mortis ſuæ inculcat ſuis reminiſcentiam & memoriam: non autem nativitatis, circumciſionis, incarnationis, reſurrectionis, &c. ſed dumtaxat mortis? Audite quodnam ad pro-

1. Cor. 11. v. 26.

prium

prium quæsitum donet responsum, dicens: *Quare mortem Domini: Quare similiter non dixisti Apostolis incarnationem Domini? nativitatem, aut quod majus videretur, resurrectionem Domini, ascensionem Domini, quando dixisti mortem Domini? Quare illa, quæ gloriosa videntur, dimisisti: Et quod erat ignominius, elegisti?* Et respondet in persona Christi: *Ut ostenderem, inquit, illud opus ejus, præponderare omnibus operibus ejus.* Quia in hoc summa illius gloria existit, quod pro homine, & quidem inimicis vitam prodigè dederit, mortemque subierit. Hinc annotat S. Augustinus, conversi latronis consortium Christi Domini gloriam, & triumphum non maculasse, sed summoperè glorificasse. *Ingrediens* (loquitur de glorioso illius ad Patrem ascensu) *patriam, secum latronem introduxit, non conculcans paradisum isto pietatis opere, sed honorans: neque confundens latronis introitu, sed illustrans: honor nam que paradisi est, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere posset paradisi deliciarum.* Concludamus itaque asseveranter, amanti quàm optimè quadrare emblematicam epigraphen: *Vita & Mors.* Quod quoque confitetur S. Mater nostra Ecclesia, quæ de eo hoc magnificum intonat canticum: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Cæteræ cunctæ amantium nec Christo denegari queunt qualitates. Et in primis *Æstas & Hyems.* Quoniam omni tempore paratus adstat, ut homini opituletur, & maximè hyemali, id est, dum ipse sævis tribulationum & adversitatum ventis in lubrico hujus mundi oceano conquatitur, tum namque, dum secundùm imbecille hominis judicium, eam procul à tribulato recessisse æstimatur, propiùs adest, & adjutricem manum porrigit, ut satis attestatur Sapiens, loquens de inperscrutabili Dei sapientiâ, quâ afflictum Joseph ab ira fratrum liberavit: *Venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum eo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum,* & sic ei convenit, *propè & procul. Procul* secundùm falsam nostram imaginationem. *Propè* secundùm veritatem, & infinitam suam providentiam. Idipsum apprimè confirmat Propheta David, dicens: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quod quàm veraciter dicatur, nonne ad oculum patet in stupenda latronis conversione? *Cum ipso sum in tribulatione*, ipse cruci affigitur, eam ego

Lib. 6. de vita Christi.

Rom. 5. 10.

Sap. 10. 13.

Ps. 90. 15.

quoque sustineo. Ipse tribulatur, & anima mea usque ad mortem angustiatur. *Eripiam eum:* Ipse namque adinstar vilis mancipii sub dura diaboli premitur servitute, ego potenti mea manu ex illa ipsum eripiam: Ipse ad æternam à vaferrimo hoste destinatur ignominiam, vasque in contumeliam reputatur, *ego glorificabo eum:* id est, coronabo eum coronâ felicitatis æternæ, eritque mihi vas electum in honorem. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Et quod Christus propè existens operatus est in latrone, etiam in aliis absens effecit, ut patuit in beati Apostoli Pauli conversione.

Luc. 23. v. 42.

Cor insuper apertum habet, vult enim amans Christus, ut Longinus latus aperiat, sicque ostentet, quanto zelo, sinceritate, & candore hominem diligat, cernatque latro, quàm ardenti animo pollicitus sit cæleste regnum: *Hodie mecum eris in paradiso.* Denique ei apprimè competit eminentissima amoris conditio, ac memorata epigraphe: *Omnia mea vestra sunt.* Ipse enim (ad instar benigni patris ad obmurmurantem fratrem seniorem, eò quòd tanta benevolentia prodigum filium recepisset, dicentis: *Fili, omnia mea tua sunt*) ad hominem clamitat: *Omnia mea tua sunt*, ut affirmat Apostolus ad Corinthios: *Omnia mea vestra sunt, sive mundus, sive vita sive mors, sive præsentia, sive futura.* Et ecquis obsecro, illam amanti Christo denegabit munificentiam? Nonne eam abundantissimè non minus, quàm Jonathas erga David, erga hominem ostendit? Proprium corpus, & sanguinem suis reliquit Apostolis, cæterisque sequacibus: tunicam inconsutilem concessit militibus: Mariam in matrem dedit Joanni, & Joannem in filium Mariæ: crucifixoribus veniam, & peccatorum indulgentiam: Centurioni, & quampluribus adstantibus pectora sua percutientibus pœnitentiam donavit: Patri æterno animam suam obtulit: atque latroni non tantùm cæleste regnum, verùm cuncta pretiosa divini thesauri monilia, & omnia prodigaliter elargitus est dona. Cùmque nil amplius, quod daret, superesset, exclamavit: *Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum.*

Luc. 15. 31.

Cap. 3. 22.

Verùm, quandoquidem primarium præsentis discursus objectum sit, stupenda latronis conversio; indagemus parumper, quàm prodigus in monte Calvariæ erga eum extiterit Christus, & videamus, an justa cum ratione ipsi non possit appropriari illud Sapientiæ: *Consummatus in*

Sap. 4. 13.

brevi explevit tempora multa: placita enim erat anima illius? Prodeat in medium pretiosum monile, initium & basis religionis fides, quam adeo vivacem atque tenacem divinâ suâ gratiâ ipse ei infudit, ut illam singulariter tamquam raram extollat S. Ambrosius his verbis: *Magna & perfecta fides in latrone fuit, magna planè & admirabilis.* Et profectò admirabilis. Quis namque hominem cruci clavo affixum, spineâ coronâ insignitum, à planta pedis ad verticem usque vulneribus plenum, morientem, &c. à cunctis derelictum credet Dominum gratiæ esse, Creatorem cæli & terræ, & supremum universi Regem? Hoc sanè à sua mente prorsus videtur alienum. Unde Propheta Isaias à Deo vocatus, ut verbum hoc absconditum populo denuntiet, hæret obstupefactus, & impossibile esse reputans, quempiam ad similia credenda adducere, replicat: *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Non est ei species, neque decor, vidimus eum, & non erat aspectus.*

Serm. 45. de latrone.

Isaia 53. 1.

Paulus quoque ad Christum crucifixum annuntiandum eligitur; verùm ingruunt non leves difficultates, dum Judæi crucem unius Dei scandalum æstimant, Gentiles verò stultitiam arbitrabantur. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Hic tamen latro nullum cernens à Christo in cruce patrari miraculum, omnia obscura, abjecta, opprobriosa, & ignominiosa, quocumque oculos vertit, videns, gloriæ Dominum, æternæ Majestatis Deum confitetur: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Magna planè & admirabilis fides, quâ Christum crucifixum glorificari magis credidit, quàm puniri. Hæc perfecta fides est, Christum in cruce non reum, sed Deum credere.* Qui mirificus actus in tantum Augustinum rapit stuporem, ut exclamet: *Fervebat impietas blasphemantium: contritio, livores, solùm Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio, & pedum confixio per omnia infirmitatem hominis afferebant. Vulnera quantùm ostendebant hominem, tantùm abscondebant Deum. Apostolis post divina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalo crucis & mortis, solus hic testis est majestatis, qui ocius probatur doloris.*

1. Cor. 1. v. 22.

Luc. 23. v. 42.

August. serm. 120. de temp.

Hanc stupendam latronis fidem sagacibus mentis suæ oculis perlustrans Chrysostomus, eam in tantum elevat, ut illam in excellentia Abrahæ fidei (qui tamen fidei pater nuncupatur) quasi præeminere asserat, nec tantùm illius, verùm & aliorum Patriarcharum & Prophetarum fidei. Rationem deducit è majori Dei, ejusque mirabilium cognitione: *Credidit Abraham Deo, sed ejus de cælo admonitus voce, & coruscantis tantæ majestatis apparentis splendore allectus, atque excitatus. Credidit Abraham Deo, sed credidit ille de cælo loquenti: & per sanctos Angelos proferenti, & de propria authoritate legem danti.* Jacob firmam fidem Dei præbuit promissis; at mysticè enixus scalæ, cui tot centena Angelorum millia assistebant, de quo Genes. cap. 32. vers. 12. Moyses credidit Deo, sed in medio rubi undique flammis & igne circumcincti apparenti. Additis quoque diversis prodigiis, & horrendo tubarum sonitu, insolitaque tonitru terram deterrenti. Accedit Isaias, credidítque Domino: verùm in tanta super excelsum, & pretiosum thronum sedenti, gloriâ, & majestate, ut ejus splendor, & lumen coruscans, totum universum illustrare videretur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus.* Ac proinde concludit Chrysostomus, hujusmodi fidem non tantùm inducere stuporem. *Crediderunt*, inquit, *reliqui Prophetæ, sed Dominum intuentes sicut videre Deum possibile erat humanæ naturæ, quæ etiam infidelem poterant provocare.*

Chrysost. de cruce & latrone.

Isaia 6. 1.

Sed obsecro, quæ signa Divinitatis, quæ ostenta Majestatis intuitus est latro? *Quid vides*, inquit Rupertus, *regnum petens, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum?* In inconfesso est maledictum, utpote, qui pendet in ligno clavis confixum, inermem, nudum, pauperem, à cunctis desertum intuêris, quid itaque Dominum confiteris? Ubi quæso sceptrum regium, an forsitan crux? Ubi regale diadema? An forsitan spinea corona? Ah, latro, omnes amici, propinqui, noti, imò & discipuli, qui tam stupenda ab eo perpetrari viderunt miracula, ob hujus luminis obfuscationem, tantique Solis eclypsim fugerunt, & quasi abominati sunt eum; quod vaticinatus fuerat calamitosus Job: *Noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei.* Quod nec diffitetur propria cum sua ignominia Evangelista Matthæus: *Discipuli omnes eo derelicto fugerunt.* Et tu tamen gloriam, majestatem & supremum in cuncta creata protestaris dominium.

Iob. c. 19. v. 14. & 15.

Matt. 26. v. 56.

Audite

Audite Chryſoſtomum; *Iſte verò vidit Salvatorem non in throno regali, non adorari in templo, non de cœlis loquentem, non Angelos diſponentem, ſed in cruce ſociatum latroni, videt in tormentis, & tanquam in gloria orat, videt in cruce, & rogat quaſi in cœlis ſedentem, videt condemnatum, & regem invocat, dicens memento mei?* Ah nonnè tempus eſt dum hæc perpendimus, ut cum S. Paulo exclamemus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibila ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.*

Ad Rom. c.11. v.33

Mirum namque in hac myſterioſâ contigit converſione ait Ambroſius: *Chriſtum in cruce poſitum credidit, & paſſio quæ aliis ſcandalum fecit, illi ad fidem profecit.* Undè de eodem facto obſtupefactus Doctor Doctorum S. Aug. ait: *Ecce inter ſigna & virtutes, atteſtantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in diſcipulis meis robuſta titubavit columna & nunc Chriſti ſupplicium quodammodò contradicentibus, in latrone fides non nulla convaluit.*

Aug. ſer. 110. de temp.

Et ideò aſſerit hunc latronem lynceos habuiſſe oculos Bernardus ſerm. 2. de Epiphania: *Videte quam oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat. Videt Regem ſummum paupere contectum habitu, per anguſtam viam crucis facientem iter ad regnum ſuum: Agnovit ſub pauperis habitu regias latêre opes.* Auguſtinus ei adhuc perſpicaciorem attribuit intuitum, videlicet Angelicum, dicens: *Solus eſt hic teſtis majeſtatis, qui ſocius probatur doloris, inviſibilem Deum Angelicis oculis videt.*

Auguſtin. ſerm. 120. de temp.

Concludamus itaque in munere fidei Chriſtum ergà latronem in exceſſu fuiſſe quaſi prodigum, eique optimè poſſe accommodari: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.* Quoniam tantillo tempore tàm firmam, tàm eximiam habuit fidem, ut omnium etiam Sanctorum fidem ea ſuperaſſe videatur, teſte divo Auguſtino, qui mihi unicus pro mille ſufficiat. *Tanta fuit ejus virtus* (de fide loquitur) *ut ſimilem non invenerit Dominus in Iſrael, imò nec fortè in univerſo orbe.*

Aug. lib. de Anima & ejus origine c.9. Tom.2.

Nec minùs evidenter eximia ſpei in latrone illuxit eminentia. Ecce enim cunctis omnem ſpem per ignominiam & crucem deperdentibus, ipſè ſeſe ad perfectam fiduciam erexit. Judæi quamplurimi crediderant, & ſperârant per eum à dura Romanorum ſervitute liberari, verùm in infamem illum actum videntes crucis trabem, ſpe fruſtrati ſummoperè ſcandalizati ſunt, & ad improperia progreſſi: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de Cruce.* Imò & diſcipuli ipſius opprobrio, & ignominioſâ morte deterriti, à firma ſpe turpiter defecerunt, ut patet in euntibus in Emmaus Luc. cap. 24. qui Chriſto in figura peregrini apparenti dixerunt: *Erat vir potens in opere & ſermone, coram populo.*

Luc. c. 24 v. 91.

Attamen, quia crucifixum, & ſcandaloſè mortuum cognoverant, eorum ſpes, & fiducia (non obſtantibus tot ſtupendis atque prodigioſis, quæ propriis oculis conſpexerant miraculis) omninò evanuit, & cum eo quoque quaſi crucifixa occubuit. *Nos ſperabamus, quia ipſe erat redempturus Iſrael.*

Luc. c. 24. v. 21.

Quaſi dicerent, omnis ſpei apparentiâ modò in fumum abiit, & per crucem extincta eſt. Gentiles quoque ſtultum judicabant ab eò gloriam, divitias vitamque ſperare, qui ignominia affectus, totus pauper, & nudus talem necem ſubierat. Unde ait Paulus: *Verbum crucis Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia.*

1. Cor. c. 1. v. 23.

Latro verò è contra cruce confortatus, ſpem ſuam elevat, & ab illo vitam ſperat æternam, quia eum videt morientem, gloriam fiducialiter exſpectat, quia ſummis calumniis & convitiis intuetur laceſſitum, ac tacentem. Hoc obſtupeſcens Auguſtinus ait: *Apoſtolis poſt divina miracula deſperantibus, ſolus hic non acquieſcit ſcandalo crucis & mortis.*

Auguſt. ſerm. 120. de Temper. Tom. 10.

Quid dicam de illius ferventi in Chriſtum charitate? Profectò hæc tanta fuit, tamque intenſa, ut illam nec tormenta, nec dolores, nec crucis pœnæ reſtringere valuerint. Imò ipsâ cruce, quam pro delictis ſuis patienter pertulit, amor ejus vehementiùs exarſit, atque efferbuit. Ac proinde ſibi ipſi latro jure merito poſſet arrogare illud Canticorum: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Cant. c. 8. v. 7.

Neque id adeò mirum eſt: quoniam quot in Chriſti corpore apparebant vulnera, tot ignitæ faces ad cor latronis tranſmittebantur: & illuminabatur mens, ut ea non Chriſti, ſed propria animæ ſuæ agnoſceret fore vulnera. *Intellexit*, inquit Ambroſius, *quod pro peccatis alienis has plagas ſuſciperet, & pro alienis peccatis vulnera ſuſtineret, quapropter dixit: Nos digna factis recipimus, hic nihil mali geſſit. Et ſcivit, quod illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed latronis. Atque ideo plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognovit.* Conſummatus itaque in brevi, explevit tempora multa.

Intellexiſtis, ſpero Auditores, ſtupendam latronis tot ferreis peccatorum catenis conſtricti

conversionem, atque in ea mirificam Christi Domini relucentem annotastis misericordiam, gloriam, summam virtutem, atque potentiam; misericordiam quidem, (in qua ejus gloria consistit) quoniam tantum beneficium non solum non negat quasi desperato peccatori, sed nec ad momentum differt. Imò & ultra rogantis votum, suam munificentiam demonstrat.

Ambr. in illud Psal. Domine ne in furore tuo, &c.

Vberior gratia, inquit S. Ambrosius, *quàm precatio. Ille adhuc rogabat, ut meminisceretur sui, dum venisset in regnum, & Dominus cùm nondum venisset, ei jam regnum cæleste tribuebat. Quàm velox misericordia? tardius votum precantis, quàm remunerantis præmium.* Quod egregiè confirmat Augustinus loco suprà citato: *Dominus, qui mutus erat, & surdus ad omnia convitia, non fuit mutus, aut surdus cum fiducia postulanti, sed vicissim tali dignatus est promissione, quali necdum quemquam honorârat. Non simpliciter illi promittens, sed insolita asseveratione: Amen dico tibi, hodie &c.* De potentia verò & virtute ait idem Doctor lib. quæstionum ad Simplicianum, quæst. 2. *Hoc est verbum consummans & abbrevians, quod fecit Dominus super terram. Qua consummatione, & brevitate latro justificatus est, qui defixus in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, os & cor, corde credidit ad justitiam, & ore confessus est ad salutem. Statimque audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso.* O mirifica Dei clementia, ô eximia potentia! Ah, quàm benè latroni ipsiusmet Dei verba, & doctissimi Oleastri Glossa possunt appropriari Deut. cap. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus.* Ad quod ipse ait: *Sunt alii, qui Reges, & Domini, qui sunt sui. Alii, qui sunt consanguineorum: Deus verò tuus, non suus esse voluit. Quid quæso habet Deus tuus, quod non sit tuum? si cælum habet, tuum est, cujus in fluentiis vivis, si terram, & hanc dedit filiis hominum. Quidquid denique est, & habet, tuum est.* Applicare hæc dicta præsenti converso opus non est, quia nimirum facilis & evidens hæc applicatio. Quapropter eam prudenti Lectori relinquo, & ad conclusionem hujus discursus festinanter propero.

Et vos interrogo Auditores, quam instructionem salutarem ex hac conversione haurietis? Optimam sanè, nimirum, ne quis, quantumvis magnus peccator, de Dei misericordia desperet, nec de ea præsumat. Ipse namque, ait Augustinus, ferventem in Deum excitare debet fiduciam, dicens:

Aug. lib. Meditat. cap. 1.

Ecce plasmator mei, multa rogavi, qui nec pauca promerui, fateor, heu fateor! non solùm quæ postulo non debentur dona, sed multa & exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, meretrices, ac latrones, quia faucibus hostis momentaneè eruti, sinu excipiuntur pastoris. Nihilominus seriò admonet Bernardus, ne quispiam ex hoc exemplo in præsumptionem incidat, & sibi nimiùm fidens, suam pœnitentiam ad ultimam vitæ horam protrahat, ut tantò liberiùs frænis concupiscentiæ, ac illicitorum appetituum relaxatis, peccet, Deumque offendat:

Bern. ser. 38. in parvis.

Vnicus tantùm, inquit, *sic conversus legitur: si benè memini, in toto canone Scripturarum. Vnum latronem invenies sic salvatum. Noli ergò huic tam periculosæ exspectationi credere teipsum.*

Unde S. Augustinus in tempestuoso hujus mundi mari, in medio nimirum inter desperationem & præsumptionem (quam perversam spem nuncupat) hominem fluctuare debere, constanter asserit. Audite illius verba:

Aug. in psal. 144.

Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata: & quomodo utrique voci occurrit providentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: jam, inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis: misericors est, quando me convertero, dimittet mihi omnia. Quare non facio, quidquid volo. Desperat ut peccet, sperat, ut peccet. Vtrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à perversa spe. Attendite obsecro Auditores ad subsequentia: *Vtrique huic periculo, & utrique huic malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi Scripturam: Nolo mortem impii, sed tantùm ut vivat. Hac voce Dei reducitur in spem, sed timendus est alius laqueus, ne ipsâ spe ampliùs peccet.* Et hæc, quæ annectuntur, erectis auribus, & attentâ mente (ut merentur) percipite: *Quid ergo & tu dicebas, qui spe magis peccabas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quidquid volo. Audi & tu Scripturam: Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Noli ergo dicere: Cras me convertam, cras Deo placebo: & omnia hodierna & hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversionis tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ*

diem

diem crastinum non promisit. Ex utroque igitur homines periclitantur: & sperando, & desperando. Contrariis rebus, contrariis affectibus. Sperando quis decipitur, qui dicit bonus est Deus, misericors est Deus: faciam, quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est Deus. Spe isti periclitantur, Desperatione autem, qui cùm inciderint in gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem, dicunt apud semet ipsos jàm damnandi sumus. Istos desperatio necat, spes illos. Et idipsum acriter suis inculcat in Psal. 50. *Nemo: si jam aliquid mali fecit, dicat jàm damnandus sum. Deus malis talibus non ignoscet. Cur non addo peccata peccatis? Fruar in hoc sæculo voluptate, lasciviâ, cupiditate nefariâ, jàm perditâ spe reparationis, vel hoc habeam, quod video, si non possum habere, quod credo. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam, audi David gementem, ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama; audi gementem, & congemisce; audi flentem, & lachrymas junge; audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercluditur. Audi ergò, & dic cum illo: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur.* Et de præsumptione sive perversa spe loquens, ait: *Ne nodicat: si quâcumqua die conversus fuero à via mea pessima, Deus misericors iniquitates meas obliviscitur. Quare hodie convertor, & non cras? Eat hodiernus dies, sicut hesternus, sit in nequissima voluptate, sit in flagitiorum gurgite: volutetur in mortifera delectatione. Cras convertar, & finis est.* Nunc audi socors pœnitens, quid subjungat Augustinus: *Respondetur tibi cujus rei finis? Dicis iniquitatum mearum. Benè, gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid si antè crastinum tuus erit finis? Ergò bene quidem gaudes, quia super iniquitates tuas converso tibi Deus indulgentiam promisit, sed crastinum diem tibi nemo promisit.* Et tandem concludit à sera peccatorum deterrens pœnitentia: *Ergò noli differre, noli quod patet, contrà te claudere. Ecce indulgentia datur, aperit ostium: quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret, aliquando non pulsasti, & aperit, & foris remanes? Ne ergo differas.* Quoniam perpaucos in fine vitæ est salvaturus, quod Deus ipse secundum Bernardum loco citato suprà Psalm. 115. differentem, luculenter satis insinuat: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Quasi dicat: Non dico, quin & talium salvem aliquos: Potens sum enim in momento omnia revocare, sed non congregabo conventicula eorum, qui de sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis suis, antequam deserant ea. Hominum talium conventicula non congregabo.* Quare summa dementia est, maximum delirium, quod peccator vitæ suæ fragilitati fidens, de peccatis ad peccata progrediatur, nec finem iniquitatibus imponat, certò sibi persuadens, Deum in agone auxilium gratiæ suæ præstiturum. Audite rursùs Bernardum, ô obstinati peccatores: *Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de conversione præsumunt? Quomodo in unius horæ articulo revocari posse existimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ, & desideria per totum mundum dispersa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur.* Et ut diabolicam, & valde communem è saxeo peccatoris corde eradicet politiam, pergit & urget: *Noli huic tàm periculosæ exspectationi credere teipsum: quandoquidem Spiritus, non modò tibi vult, sed quando vult spiret, nec ei difficile est, de subitò dare perfectam cordis contritionem, quam vix alii multo tempore consequuntur. Sed undè scis, quod tunc tibi subvenire velit, quem tu iterùm sic repellis?* Disce ergò peccator ex hoc latrone sperare, & non præsumere. Disce vocanti, & pulsanti Deo promptè obedire, & aperire. Disce gratiæ ejus illicò annuere, ut sic cum latrone æternum merearis ingredi paradisum, & cœlestem adipisci beatitudinem, quàm mihi, & vobis omnibus tribuat Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

Aug. l. Meditat. cap. 1.

Bern. ser. 38. in parvis.

Aug. in psal. 144.

Aug. ser. 59. de verbis Domini cap. 9.



FERIA

FERIA TERTIA

Hebdomadæ Sanctæ.

Ego ero merces tua magna nimis. Gen. cap. 15.

DUm penes me maturè ruminabam, de qua materia magis utili, & salutari hoc sancto tempore discursum formarem: in mentem mihi incidit fortuitò hesternus (in quo admirabilem divinitatis gloriam, & magnificentiam in perversissimi latronis conversione emicuisse, illudque opus extitisse dexteræ Dei excelsi ostendi) & tùm insuper recordatus sum promptæ, & quidem jurejurando confirmatæ ab ipsomet Christo promissionis: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quod magnificum præmium, quæ rara & abundans merces, quod stupendum stipendium me suaviter allicit, ut hodierno die de paradisi gloria, de æternæ beatitudinis eminentia, de sublimi parvorum operum nostrorum remuneratione verba faciam. Et ne admiteris obsecro Lector hoc meum intentum; quoniam à summa affluentia & superabundanti copia illam encomiat Evangelista Matthæus, di-
Matth. c. 5. v. 12. cens cunctis Christi sequacibus: *Merces vestra copiosa est in cœlo.* Apostolus verò Gentium eam ab illius incomprehensibilitate, quæ non sensus dumtaxat externos, verùm etiam intellectum, internasque animæ potentias refugit, summoperè
1. Cor. c. 2. v. 9. commendat. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Sed quid plura de tantæ beatificæ felicitatis celsitudine vellem è sacra Scriptura eruere, & conglomerare testimonia. Sufficiat mihi unicum ipsiusmet veritatis Dei, qui in assumpto meo themate eam à nimia magnitudine collaudat, idque dum suos (ut patuit in Abrahamo) ad ardua opera insequenda incitat. *Ego ero merces tua magna nimis.* ac si diceret, ô fidelissime famule Abraham, nè dubites meis, quantumvis (ut apparet) duris obtemperare mandatis: Egredere de patria tua desere cognationem tuam, propera, ut mihi unigenitum tuum, quem diligis Isaac, in uno montium, quem tibi monstravero, sacrifices: *Ego ero merces tua magna nimis.* Cuncta namque ad illam mercedem comparata vana sunt, & quàm maximè frivola.

Verùm quorsum benignus Deus toties & tàm crebrò nobis beatitudinis inculcat excellentiam? Ah sanè, non nisi ut nos, qui terreni sumus, luto, & stercori hujus mundi inhæremus, temporalia diligimus, æterna contemnimus, ad hujus amorem attrahat, & ut in nobis tanti præmii secura felicitas omnium fragilium rerum evanescere faciat vanitatem, hic idem præsentis discursus scopus meus erit, conaborque breviter umbraticâ solummodò magnitudinis beatitudinis æternæ delineatione cunctos allicere, ut strenuè, & indefessè ad eam tendamus. Sed quandoquidem ipsius celsitudinem homini persuadere sit difficillimum, utpote, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quàm instantissimè possum rogo vos Auditores, quatenùs adjutus vestris precibus, & iis mediantibus impetratâ Spiritus sancti per Mariæ Virginis intercessionem assistentiâ, aliquid de æterna gloria depromere queam, pro quo rogemus eam dicentes: Ave gratiâ plena.

Ego ero merces tua magna nimis.

DE Constantino Magno celeberrimi referunt Historiographi, quod ipse singulari militari prudentiâ, ac animi sagacitate ardua post bella difficilesque ac periculosas expeditiones, atque memorabiles victorias quàmplurimis debellatis hostibus gentilibus, sub quorum dura servitute tot annis Catholicæ antè ingemuerant gentes; cernens ultimum fugacis hujus vitæ sibi imminere terminum, suos tres filios Constantinum, Constantium, & Constantem ad se accersiri mandârit, eosque sedulò adhortatus sit, ne quisque à patris virtute, animositate, audaciâ, & ardenti in persequendis Ecclesiæ Christi inimicis zelo degeneraret. Verùm è contra, ut omnes paternis insistentes vestigiis, omni conatu satagerent, non tantùm jam adeptum regnum contrà quoscumque hostiles

les insultus atque irruptiones viriliter defendere, sed insuper omnem imaginabilem adhiberent industriam ad illius limites propagandos, crucisque Christi inimicos debellandos ac subjugandos.

Ut verò juveniles animos ad hoc pretiosum opus ardentiori fervore accenderet, apportari jussit quandam tabulam, in qua stupendâ arte, indicibili industriâ, penicillo inæstimabili à peritissimo istius sæculi pictore vivis coloribus florentissimæ, fortissimæque totius mundi ditiones, quæ adhuc Ethnicorum & hæreticorum subjiciebantur imperio, erant delineatæ; infrà habebatur hæc epigraphe: *Pulchriora latent.* Iisque inculcavit dictum exploratorem à tribu Dan ad terram Lais missorum, quo usi sunt, ut Israelitas ad arma capessenda vehementiùs incitarent: *Surgite, eamus ad eos: videamus etiam terram valde opulentam & uberem: nolite negligere, nolite negligere, nolite cessare, eamus & possideamus eam.* Ad instar illorum, inquam, ad eos clamabat Constantinus. Animosè filii, generosum induite pectus, arripite arma, ne metuatis hostium copias, ne parcatis laboribus, surgite, surgite, ite, ite, nolite negligere, possidete, securè terras has desiderabiles, opulentas & uberes. Fateor ô filii dumtaxat umbraticè ex præsenti picturâ eas cognoscitis, sed jurejurando attestor: *Pulchriora latent,* Nolite itaque inani harum patriarum Figura, animum contentum reddere, sed ulteriùs properate, eumque regali ac reali imperio satiate.

Iudic. c. 18. v. 7.

Idipsum ut testis Titus Livius, arripuit stratagema strenuissimus militiæ Carthaginensis Dux Annibal. Ipse namque ex Africa potentissimum electorum militum in Italiam trajiciens exercitum, arduamque contra invictissimum Romanorum Imperium assumens expeditionem, cernens millenos & millenos è fortissimis præ annonæ penuria, longi itineris defatigatione ac tædio deficere, animoq; despondere: eloquenti oratione, disertâ linguâ, mirâque facundiâ iis regni Romani inauditam opulentiam, fœcunditatem, amœnitatem, divitias, potentiam, atque opima spolia enarrare incepit, sicque horum animos, tot bonorum spe suaviter allexit, & mirabiliter corroboravit.

Eodem & ego in præsenti hoc discursu utor ô Auditores. Cernens enim quamplurimos in militia Christi tepidos & negligentes milites, qui in ærumnoso hujus mundi ad cœlestem patriam, æternamque beatitudinem itinere deficiunt, nullum efficaciùs medium adinvêni, ad imbecilles confortandos, amoremque tam flaccidum restaurandum, quam ipsius eminentiam, celsitudinem, magnificentiam, longitudinem, latitudinē & profunditatem tantæ gloriæ ad instar Constantini & Annibalis umbraticè saltem iis delineare. Quia ut rectè ait Augustinus: *Omne onus leve fieri solet, cùm ejus pretium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris* Verùm quis vel leviter nostræ peregrinationis mercedis magnitudinem attingat? Confiteor S. Mater nostra Ecclesia eam copiosam futuram per Matthæum asserit; at copiam ejus non declarat. Spiritus S. per Apostolum dicit: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ast de illius quantitate subticet. SS. PP. Theodoretus ait: *Superant certamina coronæ, non comparantur cum laboribus præmia & remunerationes. Labor enim parvus est, sed magnum lucrum speratur.* Mellifluus verò Doctor sic de illa disserit: *Merces Sanctorum tam magna est, quod non possit mensurari, tam copiosa, ut non possit finiri, tam pretiosa, ut non possit æstimari.* His concordat Augustinus dicens: *Quod præparavit Deus diligentibus se, fide non capitur spe non attingitur, charitate non apprehenditur. Acquiri potest, æstimari non potest.* Unde itaque æternæ beatitudinis eminentiæ mensuram desumemus? Ego de ea aliquid dicam confisus Augustini verbis, de eadem materia loquentis: *Quidquid autem non possum, supplebit in vobis ipse, quo adjuvante, facio quod possum.* Exodi cap. 16. Spiritus S. admirabilem spiritualis escæ, quam benignus Dominus Israelitis famelicis, & divinæ obmurmurantis providentiæ in deserto de cœlo pluit, commemorat virtutem. Cibus namque hic talis erat naturæ, ut omnem omninò ciborum in se comprehenderet gustum ac saporem, juxtà Sapientis dictū: *Panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Ideoque de tanto obstupefacti Hebræi prodigio, clamabant: *Manhu, quid est hoc? Nesciebant enim quid esset.* Nullum illi dantes nomen, censentes hunc cibum omnis suavitatis fore compendium. Quod ipsi de manna olim arbitrati sunt, ego hodie assero de cœlesti beatitudine; quia omnium bonorum, deliciarum & voluptatum complementum in se continet. Quandoquidem enim illa in clara divinæ essentiæ consistat contemplatione, necesse est, ut secum (cum extrà illam nihil desiderabile existat) omne delectamentum conferat. Quod quàm verum sit, ex aurea hac Divi Thomæ à Villa

August. in Manuali cap. 15.

Ad Rom. c. 8. v. 18.

Bern. l. 2. de consid.

Aug. loc. cit.

August. in Ioan. tract. 19.

Sap c. 8. vers. 20.

Nova percipite ſententia, inquietum alloquentis

S.Thom. à Villa nova de transfig.

hominem: *Dic mihi quid deſiderare potes, quod non plenè reperiatur in Deo? Si te delectat ſapientia, ſapientiſſimus eſt: ſi pulchritudo, ſpecioſiſſimus eſt: ſi gloria, ſi divitiæ, gloria & divitiæ in domo ejus: ſi voluptas & delectatio, delectationes in dextera ejus uſque ad finem. Si ſaturitas & abundantia, inebriabuntur ab ubertate ejus, qui poſſident eum.* Et longè clariùs meum de Manhu confirmare videtur conceptum (de quo ipſe tractat in Concione quarta de Venerabili) loquens de utroque Manna, nempe uno noſtræ peregrinationis in hoc mundo, altero æternæ promiſſionis patriæ in cœlis. Tantùm ipſius ſententiam proferam de excellentia Mannæ beatitudinis. Verba ejus ſunt: *In cujus primo guſtu, quâ voce, quâ exultatione, putas anima noſtra clamabit manhu, manhu? Longè enim eſt ab omni ſenſu, ab omni cogitatu. Beatitudo illa, gloria illa, ſuavitas illa excedit, quidquid poſſit excogitare animus, inæſtimabilis dulcedo, quam Deus paravit diligentibus ſe.*

S. Auguſtinus ſubtili ſuo ingenio immenſitatem divinæ gloriæ deſiderans exaggerare, eam à contrario metitur, propriamque animam his verbis alloquitur: *O anima mea! Si quotidiè nos oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in ſua gloria videre poſſemus, numquid dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?* Mirabilis ex pœnis gehennæ, in ordine ad ea, quæ homo in hoc mundo patitur, tum ex his, tum ex aliis Auguſtini verbis deduci poteſt conſequentia. Argumentando à majori ad minus. Cuilibet gehennam binam ſecum trahere pœnam, conſtat & infimo quidem Theologo, nimirùm pœnam damni, & pœnam ſenſus. De ea ſic loquitur Auguſtinus in Enchiridion: *Abſentia Chriſti intolerabilior eſt omnibus pœnis.* Ecce in tò *omnibus*, quoque infernales pœnas ſenſus comprehendit. In quo Auguſtino accinit Chryſoſtomus de reparatione lapſorum. *Pone hic unam ſolam pœnam damni, & pone hac ex parte centum ignes inferni: major hæc ſola pœna damni, quam ibi centum ignium inferni.* De pœna ſenſus audi rurſus

Aug. ſerm. 41. de SS.

Auguſtinum: *Ille ignis durior eſt, quam quidquid homo pati poſſit in hac vita.* Unde ait: *Pœna Chriſti & aliorum Martyrum, cæterarumque perſonarum & creaturarum, nihil ſunt reſpectu iſtius pœnæ.* Sic ergò modò breviter ratiocinor. Si gehennæ ſupplicium nihil reſpectu æternæ beatitudinis præmii, cum illud (ut jam dictum eſt) tam durum ſit: quid nî dicam duriſſimum, ergò illa merces, & gehennæ pœna (cùm nihil & aliquid infinitè ſecundum multos Philoſophos diſtare cenſeantur) inter ſeſe quoque infinitè diſtant. Ac per conſequens optimè ait Auguſtinus: *Si quotidiè &c. nonne dignum eſſet pati omne, quod triſte eſt, ut &c.*

Applaudis, ut ſpero & credo, ſolidæ S. Auguſtini, a[illegible]umque SS. PP. doctrinæ. Sed Chriſtiane, ſi ſanus, vegetus, cunctis juvenilibus pollens viribus, abundans divitiis, & ut uno finiam ve[illegible]ulo, in omnibus mundi vivens deliciis, interrogareris, an cuncta hæc peritura, non habentia permanentem civitatem, pro cœleſtibus bonis, & pro manente civitate Jeruſalem velles deſerere? Indubitanter reſponderes hoc dignum & juſtum eſſe. Dignum, quoniam ſimilis voluntatis reſignatio mercede digna eſt æternâ. Juſtum, quia omnia à Deo illa profluunt bona: ideoque qui dedit, ejuſdem eſt & auferre. Ac proinde clamarem cum patientiſſimo Job, tanto præmio inescato: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Et cum Auguſtino: *Nonne dignum eſt, &c.*

Ah compateas, & quidem ad humanum judicium fallax homo. Si unigenitum tuum perdas: dicisne *nonne dignum eſt?* Si tibi aliqua ſubrepant infortunia: clamaſne *nonne &c.* Aufertur tibi chariſſima uxor, & charior quandoque ipſa etiam filia: clamaſne *nonne &c.* Perdis tu dives bona tua, nonne magis deploras iſtorum fluxorum bonorum jacturam, quàm ſpiritualium bonorum amiſſionem? Hoc profectò præ oculis cunctis patet. Et ſane, ſi quilibet Chriſtianus attentè conſideret tantum beatitudinis præmium, non ambigo, quin adepturus ſit ejus deſideratum bravium, dummodò ex integro corde (ſufferens etiam quaſcumque adverſitates) dicat: *Nonne dignum & juſtum eſt pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ particeps habear.* Ah! quàm nervosè jam tactum punctum attigit Sanctus Thomas à Villa Nova de transfiguratione loquens, & ad ſedulam tantæ felicitatis adhortans reminiſcentiam; *Hæc nos,* inquit, *gloria expectat fratres; talia nos præmia manent.* Et explodens quaſi hominum inſaniam progreditur: *Toto ergò conatu, toto deſiderio properemus ad illa.* Quoniam (ut ex ſequentibus conſtat) eam mirabiliter (utinam efficaciter) extollit, & mundanorum indefeſſam pro mundanis bonis adipiſcendis curam & vigilantiam, execrandam au-

rem eorum in spiritualibus comparandis redarguit socordiam. Accipite illius verba: *Pudeat vinci à carnalibus, pigeat à sæcularibus superari* (ibi per transennam tangit clerum) *quid pro brevissima voluptate non sustinet lubricus? Quid pro modico lucro non portat avarus?* Et argumentum efficacissimum à minori ad majus formans, ad nos sic ratiocinatur: *Nobis autem pro æterno & inenarrabili gaudio quidpiam grave aut difficile reputabitur?* Et alludens denuò ad dictum Patris sui Augustini: *Nonne dignum & justum est?* prosequitur: *Atteratur ad modicum inediâ caro, vigiliis & laboribus ad momentum frangatur, ut perpetuo hoc decore venustetur, & tali gloriâ & splendore vestiatur.* Quam inæstimabilem mercedem pro minima re, puta pro gutta aquæ frigidæ, pro frusto panis, pro aliquo, tum erga Deum, tùm proximum amoris & charitatis actu promereri valemus. Unde nostram maximam in illa acquirenda acriter incusat segnitiē & negligentiam. *O si eam semper præ oculis haberemus? Vnde enim ista maledicta tepiditas? Vnde tanta cordibus nostris inest segnities, nisi ex oblivione mortifera?* Et tum urgendo seipsum hic magnus Sanctus ait: *O anima mea! quid aliud cogitas, quid aliud cupis, quid aliud agis, quid aliud prætendis, & quid terrenis lucris & negotiis implicaris?* Et tantam aspernantium felicitatem deplorat statum, dicens & concludens: *Væ mihi hominum stolidissime, qui à tanta fœlicitate mentis oculos ad terrena deflecto.*

Tantâ mercede delectatus Propheta David in omni sua tribulatione, nimirùm dum hostilem nimiùm Saulis Regis pateretur persecutionem, audiret infame unius Semei opprobrium, propriisque contra patrem rebellis filii Absolonis perfidam experiretur seditionem: spe firmâ nutritus supernæ beatitudinis, in hæc prorumpit verba: *Recordatus sum, & effudi in me animam meam,* id est, omnia voluntati divinæ subjeci infortunia. Ast quare David? Audite quid respondeat: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Ps. 41. v. 5

Felix David, qui sibi cuncta adversa à divina esse providentia, tamquam scalam ad cœleste regnum stratam arbitrabatur. Ubi estis ô infelices mundani? qui, dum quidpiam adversitatis toleratis, dum a jurato inimico ad necem, dum à proprio filio pater contemneris, non clamatis cum Psalmista: *Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam,* id est, cuncta patienter sustineo. *Quoniam transibo &c.* Et sane hæc consideratio tanta, tamque efficax est, ut tepiditatem multorum Christianorum confundat, & quamplurimum ad ferventiorem zelum accendat: Mihi testis sit & in hoc S. Thomas à Villa Nova: *Quoties superna,* inquit *illius civitatis gloriam & felicitatem, & magna, & ineffabilia dona, quæ Dominus præparavit diligentibus se, considero, & tepiditatem & frigiditatem nostram; quam leviter ad eam felicitatem afficimur, quàm parvi facimus, quàm denique neglectui habemus, & quasi posthabentes, contemnimus: hæreo, obstupesco, ac voce verbisque ad dicendum destituor.* Verùm cur tantus te Thoma invadit stupor? Miraris inquit? Quoniam terrena cœlestibus, perpetua temporalibus, beatitudinem æternam momentaneæ cerno præferri voluptati. *Si in rebus terrenis modica spes lucri temporalis arriserit, fervet animus, gliscit, ebullit, desideriis & cupiditatibus fervidis, ad æterna illa & ineffabilia lucra, nullus est animi motus, nulla cupiditas, nullum desiderium. Alget & frigescit cor nostrum: neque etsi mille considerationibus & adhortationibus satagas in illo excitare desiderium: statim algescit, & gelatur, & in suam pristinam redit frigiditatem.*

Dom. 50.

Quam hominum tepiditatem & negligentiam, ut eradicet David clamat: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atrio Domini, cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* O Propheta David, dixisti: *quàm dilecta,* dic mihi obsecro, in quo tabernaculorum beatitudinis æternæ consistat delectatio. Hoc est, quod quæro, hoc est, quod indago. Mihi videtur, quod Psalmista optimè ad meum quæsitum respondere possit, ad instar celeberrimi illius Philosophi Simonidis. Is ab Hirone crudelissimo Syracusano tyranno interrogatus, *Quidnam esset Deus?* Tempus resolvendi petiit. Dumque in respondendo nimis longam protraheret moram admonitus, ut interrogationi satisfaceret, rursùs tempus ad tantam difficultatem dissolvendam expostulavit. Cumque tandem urgeretur suam hac de re ferre sententiam, & dare Dei definitionem, dixit: *Quantò diutiùs considero, tantò mihi res videtur obscurior.* Quantò diligentiùs magnitudinem æternæ gloriæ cunctis ingenii mei viribus conor exprimere, tantò magis tam splendidis ipsius illud obfuscatur radiis. Ideoq; me exclamare non pudet, *deficit anima mea in atrio Domini,* id est, in contemplanda beatitudinis celsitudine. Et Davidis ignorantiæ apertè satis suffragatur S. Chrysostomus dicens: *Effugit omnem sermo-*

Ps. 83. v. 2.

Chrysost. lib. de rolapsis.

sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis illa excedit gloria.

Ast nonne possibile foret, vel saltem eminentiæ cœlestis gloriæ umbram attingere, & scintillam tanti luminis humanis oculis exponere? Ah Propheta Isaia indica obsecro nobis, *quàm dilecta sunt tabernacula Domini virtutum.* Tu enim vivus (quemadmodum quamplurimi autumant) in altum promeritus es in spiritu elevari, & ex singulari privilegio supremi Domini gloriæ ad minimum aliquam suavitatis guttulam tibi concessum est delibare: tu saltem rudem ipsius umbram indubiè es contemplatus. Fateor enim illam, ut in se est, intueri minimè potuisti, quia
Exod. c.33 v.20. scriptum est: *Non videbit me homo & vivet.* Dic ergò nobis aliquid de tanti gaudii magnitudine. Audite quid ipse de ea sentiat cap. 6. vers. 7. *Vidi Dominum.* Verum in quo situ, in qua majestate, in qua gloria, in quorum consortio, Isaia? *Sedentem,* inquit, *super solium excelsum & elevatum.* Aulici ejus adstabant tres Angelorum hierarchiæ: *Seraphim stabant super illud.* Sed quomodo cœlestes hi spiritus vestiti comparebant? *Sex alæ uni, & sex alæ alteri.* Quodnam ipsorum erat ministerium? *Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.* Ast quid deinde? *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, & tetigit os meum.* Hic obstupesco ignarus, quid sibi velit mysteriosus hujus Seraphim actus. Cur namque ipse in admirabili hac visione Prophetæ os tetigerit? Hoc sane non absque fundamento fore factum arbitror. Scio varias à variis sacræ scripturæ interpretibus illo super loco adduci interpretationes, quas in diversis materiis exposui, & aliis propositis applicui. At pro moderno objecto operæ pretium est, genuinam rationem ex parva quadam historiola expiscari,

Narratur à doctissimo Historiographo Plutarcho de Alexandro Magno, quod ipse cernens maximum suum amicum Ephestionem retrò tergum suum quædam secreta ad Monarchiæ suæ statum pertinentia, è literis, quas scribebat, legisse, iis clausis regioque annulo obsignatis, assurrexerit, & eodem labia Ephestionis sigillaverit. Volens per hoc indicare, ne illa, quæ noverat, in detrimentum regni revelare præsumeret. Haud dissimiliter Deus, sciens in admirabili hac apparitione quamplurima arcana & occulta de æterna & cœlesti beatitudine Isaiam cognovisse, per spiritum seraphicum ejus labia sigillari mandat, ejusque os obturari, ne ea homini cuicumque propalet. Hine calculi tactu monitus silentii, clamat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Isaia.cap. 24.v.16. Ubi Chaldaica versio legit: *Secretum præmium justorum monstratum est mih,.* Audite quàm divinè ad hunc conceptum id explicet S. Hieronymus hisce verbis: *Ubi Isaias assidentis Dei majestatem est intuitus statim Seraphim signaculo Dei illius os tetigit, ne jam unquam quæ viderat, revelare auderet.*

Nec id ipsi soli, verùm etiam aliis inhibitum fuisse sacri referunt Annales. Paulò post raptum usque ad tertium cœlum, & gloriæ divinæ (ut plurimi Theologi opinantur) in confuso saltem visionem, vetitum expresè fuit de illius magnitudine ac eminentia quidquam disserere, utpote constat ex ejusdem Apostoli verbis de se loquentis: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum,* 2. Cor.c. 12.v.4. *& audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* Matthæi cap. 17. dicitur, quod Christus Dominus post suam in monte Thabor transfigurationem, & mirificæ gloriæ suæ ostentationem in præsentia trium Apostolorum ipsis mandatum absolutum de silentio imposuerit: *Descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth.17 v.9. Sed cur? Sanè non nisi, quia omne humanum ingenium neutiquàm valet comprehendere, nulla lingua quidquam dignè de illa eloqui, nullâ eloquentiâ ipsius magnitudinem, excellentiam ac celsitudinem enarrare, imò nec ejus umbram attingere. Quare silendum potiùs censetur, quàm indignè de illa disserendum. Ideo addit Christus, *donec filius hominis à mortuis resurgat,* id est, donec post meam resurrectionem illuminati sitis admirabili paracliti, quem ego mittam vobis, lumine, & roborati divinâ facundiâ dicendi & stabiliti, atque cœlesti infusâ scientiâ illustrati. Sic Hilarius: *Silentium rerum gestarum, quas viderant, imperat.*

Pulchram & evidentem hujus habemus denuò probam Actorum cap. 1. Ubi narratur, quod Christus per integrum quadraginta dierum spatium de cœlesti beatitudine cum Apostolis suis habuerit sermocinationem. *Per dies quadraginta apparens eris, & loquens de regno Dei.* Vers.3. Quod mihi parum videtur absonum; etenim si Concionator quidam aut Orator, semper de eadem materia dissereret, nonne Auditores ad nauseam provocaret, & omnes ipsum stupidum & ignarum reputarent, aut saltem judicarent, hoc objectum ad discur-

discurrendum maximè esse fœcundum, fertilemque suppeditare materiam? Ecce Christus coràm discipulis suis per quadraginta dies vix de alia materia, quam de gloria, & beatitudine ratiocinatur: *Quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei.* In confesso est eum non extitisse ignatum, utpotè in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Ergò dicendum est, illam materiam fore fœcundissimam. Ita sanè est. Tanta namque illius est magnitudo, tanta celsitudo, ut omnem humani ingenii captum ipsa eludat. Ostendit itaque Christus hoc facto beatitudinem cordibus hominum exactè non posse imprimi, ideoque sermocinationem de ea toties reiterat, ut Apostolis tenaciùs inhæreat: sicque illius delectabilitate, & suavitatis incomprehensibili eminentia ipsi alliceantur, & cunctas tribulationes, persecutionesque, quas in primitiva Ecclesia ipsi passuri erant, viriliter tolerarent.

Hoc idem apertissimè ipse rursùs nos docet, ut narrat Evangelista Joannes cap. 1. qui ait, ipsum à discipulis S. Joannis Baptistæ fuisse interrogatum: *Rabbi ubi habitas?* Obscura sanè & mysteriosa hæc Vers. 38. planè censeri debet interrogatio; quoniam de illius non inquirebatur ab eo in hoc mundo habitaculo, qui continuò clamabat: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sed de speciali, altiori, & quæ humanos latebat oculos, mansione. Doctissimus Alcuinus per locum habitationis Christi Domini interpretatur immensam gloriam, ac si rogitantes *Rabbi ubi habitas?* vellent dicere: Domine obsecramus te, obnixè petimus, quatenùs semel nobis scintillam saltem magnificentiæ tuæ digneris manifestare. Sed quale accepêre responsum? Textus illud subjungit: *Venite & videte:* & Christo illico fuerunt totaliter obedientes: *Venerunt & viderunt, ubi maneret.*

Hic hæreo ô bone Jesu! *ais*: *Venite & videte.* Ah quæso, dic mihi ad quem ipsos deduces locum? An ad ampla Palatia? Ad superbas & magnificas domus? Non, non Domine, sed arbitror ad vile tugurium, & maximè abjectum receptaculum. Sed quid, denuò peto Christe, Joannis discipuli in eo intuebuntur magnificentiæ? Quinam iis elucebunt eminentis gloriæ tuæ radii? Apud te non invenitur nisi humilitas, & voluntaria abjectio. Alcuinus dicit ad hoc perquàm ingenuosè, Christum quàm optimè eos invitâsse, ut venirent, & viderent, non gloriosum habitaculum, non ad visum & intuitum delectabile hospitium, verùm vilem mansionem ipsis demonstrantem, æternæ quidem gloriæ viam, non autem illius magnitudinem, quoniam ea nulli homini, ne umbraticè quidem explicari potest. *Venite & videte,* inquit Alcuinus, *quasi diceret, habitaculum meum non potest explicari sermone, opere demonstratur.* Idcircò clamabat Propheta David penes sese maturè considerans æterni præmii celsitudinem: *Quid mihi est in cœlo.* Psal. 72. vers. 25. Ac si peteret, Ah bone Deus! quæ mihi obsecro, in æterno tuo præmia præparantur habitaculo, quænam promittitur gloria, quænam virtutum merces? S. Augustinus verum Ecclesiæ lumen, Doctor fundamentalis, ut ignarus respondet ad hoc Davidis quæsitum. *Quanta sint superna civitatis gaudia, ea enarrare non sufficiens clamabat: Quid mihi est in cœlo? Quasi diceret, excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ Deus, illa gloria, illa celsitudo.* Aug. serm. 94. de Sanctis.

Ex hisce Psalmistæ verbis excitatus idem Doctor, desiderans undequaque aliquid de æternæ beatitudinis eminentia, & magnitudine expiscari, prorsus suo diffidens intellectui, pro eruditione & delucidatione hâc super materia, ad S. Hieronymum conscripsit litteras. Verùm cùm intereà temporis communi fato cessisset S. Hieronymus, sicque ad propositam difficultatem omninò impeditum fuisset responsum, Deo permittente, S. Augustino mortuus apparuit, eumque his affatus est verbis: *Ego sum Hieronymus frater tuus, qui jam in Bethlehem è vita migravi ad æternam gloriam, me misit ad te Deus, ut respondeam quæsito tuo circà gloriam beatorum. Scias, quod faciliùs poteris dinumerare stellas cœli, omnesque maris guttulas infundere minimo vasi, quàm minimam partem gloriæ istius intellectu tuo capere. Adeò namque excelsa est, & magna, ut nec lingua Angelica, nec humana explicare queat.* Aug. epist. 205. ad Cirill. de laud: Hieron. Hinc si ab Augustino quispiam petat, dic quæso sancte Pater, quæ est beatitudo, quæ ejus eminentia? Explica, in quo tàm copiosa Domini nostri merces, ad quam cuncti unanimiter anhelamus, consistat. Edoctus à S. Hieronymo ingenuè respondet: *Desideria & vota transcendit, acquiri potest, æstimari non potest.* Aug. lib. 21. de Civit. Dei. Si instet & ulteriùs urgeat, saltem obcæcato nostro in tanto salutis negotio intellectui scintillam ipsius claritatis ac splendoris demonstra, nil responsi impetrabit, quàm hoc: *Qualis sit hæc gloria futura, & quibus divitiis floreat, quantoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus.* Aug. ser. 1. de verb. Dom. Ideoque lib. Soliloquiorum cap. 10. quasi in extasim raptus ob tantam æterni præmii immensitatem, in hæc verba rapitur:

ba rapitur! *O regnum beatitudinis sempiternæ! Vbi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor numqu am tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi vita terminum nescit.*

Unde mihi apparet SS. PP. (ut antè jam dixi) in eadem navi fore, quemadmodum olim Hebræi fuêre, qui ignorabant nobilitatem, virtutem atque excellentiam mannæ cœlestis. Ipsi namque beatitudinis nostræ justam conantes adinvenire dimensionem, cæcutiunt nec eam apprehendere valent.

Bernard. in Ps. 90. Hinc rectè ait Bernardinus: *Hæc est illa mensura sine mensura. Quod spectamus à Deo, non est nisi Deus.* Nempè recta Dei fruitio. Ex quibus Bernardini verbis justissima beatitudinis aptè capi potest mensura. Ex Dei namque immensitate, atque incomprehensibilitate, qui ipsa nostra merces est, ut ait. *Quod spectamus à Deo, non est nisi Deus.* Quod ipsemet confitetur: *Ego ero merces tua magna nimis:* illius immensitatem, & incomprehensibilitatem colligimus insuper ex modo & mediis, mediantibus quibus, tam copiosa vili datur merces creaturæ, utcumque expiscari ipsius possumus dignitatem. Et inprimis, nonnè cuilibet Christiano apertè constat, ut eam nobis benignus elargiretur Deus, Verbum incarnatum est, hominisque in divina subsistentia assumpsit substantiam? Absque qua tanta Dei exinanitatione homo excellens hoc numquam potuisset adipisci præmium, sicut evidentissimè attestatur Damianus:

Damian. serm. 1. de S. Severo. *Nisi Deus humanam suscepisset formam, numquàm homo ad cœlestem pertingeret gloriam, nisi Deus humiliaretur infrà se, nequaquam homo exaltaretur suprà se. Et quid ampliùs dicam? Nisi paulò minùs ab Angelis minoratus esset Deus homo, numquàm æqualis Angelis fieret purus homo.*

S. Augustinus ex valore pretii sustinet valorem rei emptæ rectè posse desumi. Quandoquidem igitur ratiocinetur Augustinus, quod pretium (quo Christus nimirùm pretioso suo sanguine, morte ac cruce nobis æternam comparavit gloriam) infiniti sit valoris, per bonam consequentiam sequitur: ergò gloria æterna infiniti est valoris,

Aug. in Ps. 143. *Christus*, inquit, *pependit in ligno vitæ, vide quanti emit. Et sic videbis, quid emit. Empturus es aliquid, ipsum aliquid nondum scis: vide quanti, & videlicet quid.* Et tandem ipse considerans sæva passionis Domini tormenta, & immanes pœnas, quibus cœleste regnum nobis est promeritus, mentem in illud præmium elevans, concludit. *Quæ bona in illa vita faciet nos assumere, pro quibus in hac miseria unigenitum suum usque ad mortem, mala tanta permisit perferre: imò & turpissimam ignominiosæ crucis mortem obire.* Ex quo etiam argumentatur Psalmo centesimo: *Quam vitam tibi servat justificato, qui suam mortem donavit & impio?*

Prætereà, si tantos pius Dominus, qui peccatum non fecerat, nec inventus erat in ore ejus dolus, dolores & cruciatus, in sacrosancta sua humanitate sit perpessus, ut æternâ gloriâ mediantibus istis mereretur perfrui, ut ipsemet Apostolis suis attestatur: *Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* *Luc. cap. 17. v. 26.* Quanta non debet esse illa merces, quâ tot tormenta, & afflictiones de condigno recompensantur. Imò illius celsitudo mille parasangis, quæcumque etiam imaginabilia supplicia superant. Cujus rationem donat Liranus. *Quia sunt brevis durationis, & parvi ponderis respectu præmii æterni.* Hujus delectabilitate allectus Augustinus cunctos vilipendebat labores, clamabatque ad Dominum: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Hâc inescatus protomartyr Stephanus, duros lapides, ut molles & dulces æstimabat: unde de eo cantat Ecclesia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Hâc invitatus invictissimus Laurentius in ardenti craticula prunis superpositus, crudelem tyrannum sic affatus est: *Assatum est, jam versa & manduca.* Et in cœlum conspiciens ad Deum ait: *Gratias tibi ago, quia januas tuas ingredi merui.* Hinc generosa

2. Mach. c. 6. v. 28. & 19. Machabæorum mater, dum filium suum minorem jam ad supplicium rapi cerneret, ut eum ad invictam constantiam pro legibus paternis occumbendi, inflammaret, cœlestem ob oculos posuit coronam, altâ voce clamitans: *Peto nate, quæso aspicias cœlum, ita fiet, ut non timeas carnificem istum.*

Hoc ipsum clamat ad te, ô Christiane, Christus, dum exsurgunt Boreales variarum tribulationum undique venti, dum sese adversæ fortunæ ingruunt tempestates, dum infirmâ valetudine opprimeris, bonis spoliaris, prole, patre, matre, uxore, aut marito privaris: *Aspice cœlum.* Et ita fiet, ut cuncta hæc minimè tuum conturbatura sint animum, eaque leviter superabis. Cogita, & perpende, *quia merces tua copiosa est in cœlis.* Ego dux strenuus usque ad montem Calvariæ gravi crucis onustus trabe te prævivi, tu miles impavide sequere. Nihil tormenti est, quod sustines, & sustinere potes, intuitu tantæ gloriæ, quæ in te revelabitur. *Omne onus leve fieri solet, cum præmium cogitatur.*

cogitatur, inquit Augustinus. Imò inter illud, &
omnes hujus mundi cruciatus infinitum quasi in-
tercedit discrimen ait idem: *Pretium damus quo-*
dammodò unam siliquam ad recipiendos thesauros
Psal. 105. v. 14. Bernard. serm. 1. *sempiternos.* Unde S. Bernardus maturè æternæ
Sanctorum felicitatis considerans eminentiam,
ponderansq; pios & meritorios hominum actus,
cunctasque virtutes, in hanc prorumpit sententiam
suprà illum locum Davidis Psalmo 145, *Pro nihilo*
habuerunt terram desiderabilem, loquentis de filiis
Israel possidentibus terram promissionis: retor-
quens hoc ad supernam patriam: *Pro nihilo glo-*
riam æternam adepti sunt.

Poetæ olim asseveranter sustinebant beatitudi-
nem labore, & sudore fore comparandam, & id-
eò illam hieroglyphicè volentes exprimere: cu-
riosè depingi fecerunt altissimum montem, sum]
ma difficultate accessibilem, in cujus cacumine
palma stabat, cui insidebat pulcherrima & for-
mosissima virgo. Per palmam, quæ æternitatis
verum æstimabatur symbolum, quoniam ipsa
semper viret, significabant constantiam fore in
ascensu omninò necessariam. Per virginem num-
quàm innuebant finiendam beatitudinem. Bina,
una à dextris, altera à sinistris exarata erat epi-
graphe: *Sine labore nihil, sic itur ad astra*: scili-
cet per ardua opera, & summas difficultates, sic
nec cœlestis beatitudo obtineri potest, nisi labore
& meritis.

Lacedemonii conantes suam juventutem ad
virtutem & gloriam suaviter allicere, in domo ci-
vica effigies omnium celeberrimorum Reipubli-
cæ virorum depingi curârunt, & tabulæ litteris au-
reis inscripta erant eorum nomina? exarata he-
roica gesta: gloria & magnificentia illorum suc-
cinctè descripta legebatur, atque honores ac re-
munerationes, quibus decorati fuerant à Repu-
blica, recensebantur. Infrà legebatur exhortati-
vum ad eos imitandum dictum: *Si fueritis sicut isti,*
eritis sicut isti. Pariformiter vobis Christianis San-
ctorum proponimus beatitudinem atque glo-
riam, & clamamus *si eritis sicut isti*, constantes vi-
delicet in fide, firmi in spe, charitate ardentes, ca-
sti, patientes, misericordes, temperantes, & ut uni-
co finiam verbo, legem Christi exactè observan-
tes, & in militia Christi strenuè dimicantes, *eritis*
sicut isti: id est, æterna fruemini gloriâ ac beati-
tudine. Hinc Cicero, dum intellexisset fratrem
suum Marcum Romanum Consulatum ambire,
ad eum litteras conscripsit hujus tenoris: *At-*
tende tibi frater, peregrinus es, Roma est, Consula-
tum petis, ac si vellet dicere, rem expostulas diffici-
lem. Romanus namque consulatus externis non
datur, nisi ob extraordinaria in Rempublicam me-
rita, quare primò ea tibi compara; & tunc illum
exige. Hæc eadem tibi O Christiane intona ver-
ba: *Attende tibi, peregrinus es, cœlum est, beatitudi-*
nem petis. Vide itaque benè, quibus mediis, quo iti-
nere ad hanc patriam queas pervenire. Ne cogites
tantum præmium per mundi delicias, carnis ille-
cebras, & cuncta corporis oblectamenta te ade-
pturum, sed per carnis mortificationem, austeri-
tatem, & mundanarum voluptatum abdicatio-
nem, atque crebras persecutiones, juxtà Poetarum
epigraphen: *Sic itur ad astra.*

Priamus potentissimus civitatis Trojæ Rex in
horrenda constitutus strage, flammis undequaque
circumcinctus, ex palatii sui turri extremam mœ-
stis oculis contemplans florentissimæ urbis deva-
stationem, communemque populi ruinam, &
continuo magis ac magis grassantem cernens
Græcorum militum furorem, amaras profudit la-
chrymas. Verùm dum eum consolatura pulcher-
rima (ob quam tam funestum bellum Trojanis
intentatum erat) ascendisset Regina Helena, tantâ
faciei ejus venustate conspecta, illius animus im-
mutatus, & quasi reviviscens, omnem luctum de-
posuit, clamans: *justum bellum, talis forma pluribus*
impensis dignissima est. Ac si diceret, abscedant ge-
mitus, evanescant suspiria, accedant strages, succe-
dant ignes, multiplicentur incendia, in cineres glo-
riosa convertatur Troja, quidquid adversitatis e-
venire potest, meretur Helena, & illa tantis im-
pensis dignissima est. Hoc cum Priamo clama
Christiane, dum variis miseriis concuteris, ac cru-
ciaris. Mentem ad cœlestem, & supernam attollas
beatitudinem, ipsius maturè contemplans pul-
chritudinem, celsitudinem, & excellentiam, & in-
dubiè in hæc verba prorumpes: Talis pulchritudo,
talis venustas, tale gaudium, tale refrigerium, tam
pretiosum præmium, tàm immensa merces tot
tormentis, tribulationibus atque cruciatibus di-
gnissima est. *Non sunt enim*, ut ait Apostolus, *con-* Ad Rom. c. 8. v. 18.
dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam,
quæ revelabitur in nobis

Conceptui huic concinnè accinit S. Thomas S. Thom. à Villa-Nova Dom. Quadrag.
à Villa-Nova divinis hisce verbis: *Quid non susti-*
nebit libenter homo, quid non patietur, bestias, ignes,
tormenta, cruces, ut unus sit in perpetuum de ta-
li societate? nimirùm cœlestium spirituum.

Quid

Quid tam crudele, quid tàm acerbum in mundo, ut per illud homo non jucundè transeat ad tantam societatem? Ingrediatur putredo in ossibus meis, ait Propheta Abacuc cap. 3 & subtus me scateat. Fiam ut Iob putridus, & ulcerosus, plenus vermibus in sterquilinio, dummodo quiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum, populum illum fulgidum, & gloriosum. Et ut suos urgentiùs ad illius amorem, & affectum stimulet, eam quoque cunctis malis infinitè præponderare constanter asserit. *Hæc est fratris mei civitas, ad quam ascendimus: ad hanc lætitiam, ad hanc festivitatem properemus.* Sed quo gressu, quo passu Thoma? celeri inquit. *Nemo torpeat, nemo lassetur, nemo caussetur ascensus difficultatem, sed terminum viæ consideret, & quietem. Si ad hanc gloriam obtinendam mors, & sanguis, & tormenta peterentur, ut in martyribus, libenter omnia pati deberemus.* Sed euge ô homo! nec adeò ut putas, difficilis est ad supernam patriam ascensus inquit S. Thomas: *Sanguinem in charitatem, crucem in amorem commutavit. Non exigitur hodie à te Christiane mors, non sanguis, non supplicia, ama & regna. Quid faciliùs, quàm amare? O quàm constrata est via, & quàm plana, ut diligendo pervenias, quò pervênit Laurentius patiendo. Et quis non potest diligere?* Et quantumvis adversitates ingruant, omnes illas sola leves reddit tenax cœlestis patriæ reminiscentia. Quare illam omnibus Christianis intimè commendat jam citatus Doctor: *Non recedat à memoria, semper attendite & præ oculis habete, quod dicitur, Ecce ascendimus Ierosolymam. Sivè comeditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, hoc cogitate, hoc pensate, in illa defigite corda vestra, & non erit vobis grave, quidquid acciderit. Memoria enim Ierusalem leve vobis faciet omne quod agitis.* Amor namque omnia amara in dulcia convertit; quia ut ait Augustinus, *quod grave est timori, leve est amori.*

Et quis quæso non traheretur ad illius amorem, qui clamat: *Ego merces tua magna nimis?* Audite quid rursùs dicat S. Thomas: *Si non diligis, quia Deum, neque diligis, quia Dominum, dilige saltem, quia Dominum, dilige saltem, quia tuum. Quis enim propria sua non diligat? O home diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua: Dilige quoque Deum tuum, vel dilige, quia tuum, nihil enim ita tuum, sicut Deus tuus, qui tibi magis est tuus, quàm tui.* Et paulò post, supponendo ut certum, beatitudinem nostram ipsummet esse Deum, nec quempiam posse esse beatum, nisi mediante beatificâ divinæ essentiæ visione, concludit contrà mundanarum rerum amatores efficaci hoc argumento: *Si ergò, inquit, tuus est Deus quia tua omnia diligis, cur Deum quoque tuum ab hoc amore secernis? Cur Deum maximè, & suprà omnia tuum à communi tuorum exceptas dilectione? Solusnè inter tua indignus à te judicatur amore? Vt cùm omnia tua diligas, ipsum maximè tuum minimè diligas.* Et ut hominem à tanta avertat dementia, ulteriùs pergit, malitiamque illam urgentiùs accusat: *Nonnè indignabitur Deus super tàm execrando contemptu? Quid dicam tibi O homo? Quid tibi miserrime dicam? Nonne super tanta iniquitate tua confunderis? Nonnè de tanta ingratitudine, & malitia erubescis? Pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, & Deum tuum non diligis? Et perpetuam illam, & præclarissimam hæreditatem in æternum duraturam non concupiscis? Perdidisti pallium & doles: perdidisti drachmam, & tristaris: perdidisti gloriam, & non sentis? Si amares quidem, & doleres, si diligeres, utique sentires: & ideò non sentis, quia non diligis.* Nec satis comprehendens tàm cæcam hominis insaniam à magis urgendo sese non potest continere, sed ulterius progreditur. *Numquid non annunciatum est tibi ab initio, neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ repromisit Deus diligentibus se? Et alges & dissimulas, & vilipendis? Si ad amorem te non commoveant exhibita beneficia, moveat te saltem vel ipsum exhibendum præmium. Si non vis amare Deum propter Deum: ama ipsum, vel propter teipsum, quid enim amore Dei utilius, quo & hic, & in futurum feliciter vivit omnis amans,*

Prudens ille Philosophus Anaxagoras, de quo commemorat Laërtius in ejus vita, quod ipse quodam tempore irritus, & explosus a propriis suis amicis, eò quod ipse derelictis omnibus bonis paternis, quibus in summa copia abundatur, & cunctis mundi deliciis, mendicam & miseram vitam degeret, elevatis in cœlum oculis, optimè responderit: *Illa patria mea est, illa hæreditas mea est, illam ego curo, non ea, quæ sunt suprà terram sicut vos, qui deorsùm estis.* O sententia unius ethnici præclara! Hæc, hæc mehercle Christianæ fidei splendore illuminatos turpiter confundit. Creditis æternam gloriam, cunctis benè operantibus, pieque viventibus esse promissam: & próh dolor! prôh nefas! vanam amplectimini gloriam, terrena insectamini bona, & pro

vili pulmento, id est vili & abjectâ mundi voluptate, ad instar Esau cœlestia divenditis primogenita. O stulti & insensati homines! Audite, obsecro, ad quod vos adhortetur Origenes *Contemnamus istam vitam vanam, & festinemus ad vitam sanctam & beatam. In illam mente, & animo tendamus omni vanitate discussâ.* Avertamus à terra, à mundanis blanditiis & oblectamentis carnis oculos nostros, eosque ad cœlum dirigamus, clamemusque ad instar Philosophi Anaxagoræ: *Illa patria nostra est, illa hæreditas nostra est, illam nos curamus, & non primò ea quæ sunt suprà terram,* sicut dementes agunt Christiani, qui deorsū sunt. Et indubiè tam suavi tantæ beatitudinis contemplatione allecti, omni conatu, omni industria, & diligentiâ adlaborabimus, ut illam adipiscamur, & facillimè omnia terrena procul à nobis abjiciemus.

De Alexandro Magno celeberrimus refert historiographus Plutarchus, quòd ad eum quâdam vice pro gravibus Reipublicæ Atheniensis negotiis extraordinarius missus fuerit Legatus; cum quo Alexander certo tempore familiariter, & amicabiliter loquens, ab eo petiit, an civitas Atheniensis foret amœna, pulchra, fortis & ampla. Sed ipse ad ad Imperatoris quæsitum nihil respondit; verùm arrepto carbone, (erat namque pictoriæ artis perquam peritus) illam curiosè & distinctè cum omnibus suis circumstantiis, pulcherrimis palatiis, superbis ædificiis, amœnis hortis, latis fossis, & circumjacentibus fertilibus agris, & viridibus pratis delineavit. Cujus pulchritudine, quasi in extasim raptus Alexander, dixit: *Hæc Civitas amicitiâ, auro, & argento, sanguine, aut bello mea erit.*

Ah! si in tantùm gloriosum hujus Principis animum commovere, & tam acriter excitare depicta civitas, ad illam possidendam potuerit desiderium, quanto impulsu, quanto zelo vos Auditores, non commovebit superna illa civitas, Jerusalem æterna & semper stabilis: cujus jam utcumque intellexistis pulchritudinis immensitatē, non tamen ad plenitudinem: quoniam illa gloria excedit planè omnem sermonem, nec à quopiam explicari potest. Unde in hoc discursu mihi evēnit, id quod cuidam evenisse scribitur pictori Qui pro tabulæ alicujus depingendæ objectum assumpserat artificioso suo penicillo cœlum delineandum. In quo ipse primò collocavit summum & splendidum illud Sydus Solem, deinde Lunam coruscantem, adjunxit splendentes stellas, & planetas, omniaque exactè expressit firmamenti ornamenta. Verùm attentius contemplans divinam hanc fabricam, suæ diffidens arti, penicillum abjēcit, clamans: *Pulchriora latent.*

Ego ingenuè fateor Auditores, rudem dumtaxat vobis proposui cœlestis pulchritudinis picturam, nec ullatenus potui illius adinvenire colores; quare imperitum linguæ tardioris penicillum compesco, & prolixius de illius magnitudine discurrere desino. Quidquid enim de ea dixero, clamare cogor cum illo pictore: *Pulchriora latent.* Solùmque vos omnes adhortor, ut animus vester erga hanc ingenti accendatur desiderio, & ut intoneris cum Alexandro Magno, omni medio, omni astutia, vitâ, sanguine, imò & morte civitas hæc nostra erit. Hanc viriliter expugnabimus, ac potentibus armis debellabimus. Verùm quibus, ô strenui commilitones? Profectò armis virtutum, perfectæ charitatis telo, patientiæ in tribulationis & miseriis ariete, constantis fidei scuto, mundi cordis sagittâ, cæterarumque virtutum validâ hastâ eam devincemus, sicque in æternum illam cum Sanctis & Angelis possidebimus, quam mihi & vobis omnibus impertiatur benignus Pater, clemens Filius, & pius Spiritus sanctus, Amen.

FERIA QUARTA

Hebdomadæ Sanctæ.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. 2. Corinth. cap. 11.

INter cuncta superstitiosa, & abominanda obcæcatæ gentilitatis facta, valde stupendum mihi videtur illud, de quo disertè, ac distinctè scribit celeberrimus Historiographus Rodiginus Cælius. Is attestatur olim antiquam apud Æthiopes invaluisse consuetudinem, ut sæpè sæpiùs splendidissimum in aperto campo exstrueretur convivium, nominatum *Convivium Solis.* In hoc convivarum oculos omnium ciborum in se rapiebat varietas, contentabantur sensus in tàm opipera lautæ mensæ præparatione, in diversas partes diversorum conjiciebantur intuitus, admirantium indicibilem, altilium, perdicum, cervorum, & comestibilium animantium escam.

Incolæ Æthiopiæ falsè sibi persuadebant tàm abundantem in benè viventium juxta leges suas, & mores, amorem præparari mensam, autumabantque (quoniam cuncti cibi de nocte cæcutienti populo apponebantur) tantum apparatum in tenebris à cœlo demandari, ut pòst, omni completâ convivii pompâ, splendente cœlesti lumine, manifestissima cuilibet apparebant amoris indicia. Et idcircò honorifico hoc mensa illa decorabatur elogio: *Convivium amoris.*

Hæc refectio tum pauperibus, tùm divitibus, tùm nobilibus, tùm ignobilibus, tùm civibus, tùm mechanicis erat destinata. Eâ nihilominùs lege, nè quispiam, nec pauper, nec nobilis, &c. ad propositam mensam accedere præsumeret, nisi splendidissimus sol suis lucidis radiis à terra densas depulisset tenebras. Sic apertè fatetur præfatus author dicens: *Cùm sol illuxit, cuilibet epulatum licet ascendere: Eapropter etiam nuncupatur Convivium Solis.*

Nullum nobis Catholicis est dubium, quin hæ falsæ sint Ethnicorum imaginationes, & prava ipsis à diabolico spiritu afficta figmenta. Quare rogo benevoli Auditores, ut mihi illa ad solidam Ecclesiæ doctrinam permittatis reducere. Si quid enim fabulam redolere præsumitur, quandoque, si rectè explicetur, suam continet instructionem. Nonnè verum est Christiani; in fertilissimo, fœcundissimo Ecclesiæ agro superabundans stupendum, inauditum, mysteriosum, à sæculo absconditum, à Christo Domino exstructum est in ultima Cœna convivium? Nullus est, qui hac de re ambigat. Denuò peto, nonnè jure meritò possum illud appellare *Convivium amoris*: Ubi audiris Evangelistam Joannem clamantem: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Quis vel hoc mihi ausus erit denegare? Quod si sic, rogo, ut discursum meum suprà jam citatum Joannis locum ipse patienter exspectet.

Hæc convivii nostri mensa non oneratur diversis escis, nõ opiparis obsoniis, non gustui & palato oris nostri saporiferis cibis; ast (in cujus respectu & pretio, suavitate & sapore omnis fastidire debet homini cibus) ipsemet Christi Domini corpore & pretioso sanguine honoratur: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* In fictitia Solis gentilium Æthiopum mensa, varii variis cibis, varioque potu pascebantur, & refocillabantur. Verum in Eucharistico, in altaris mensa exhibito convivio nobis offertur esca, quæ omnem in se continet spiritualem suavitatem & saporem. Unde majori jure huic, ut reali, & veræ, quàm de istius umbra illud possum appendere encomium Israelitarum: *Manhu quid est hoc?* nescientium præ ejus excellentia, & magnitudine quid esset. Et illud sapientis: *Panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Exod. cap. 16. v. 15. Sap. cap. 16. v. 20.

Æthiopes firmiter credebant hanc mensam Solis, cuilibet advenanti absque ulla prorsùs personarum exceptione fore expositam: Mensam eucharisticam affirmant omnes Catholici à Sole justitiæ Christo Domino fuisse institutam: *Accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit.* Et omnibus Christi fidelibus oblatam: *Accipite & comedite ex hoc omnes.* Matt. cap. 26. v. 26.

Nulla-

Nullatenus erat permissum apud Æthiopes ad convivium hoc accedere, nisi sol luce suâ fugâsset tenebras, ac densas obscuræ noctis dissipâsset nubes Nemini quoque Christianorum licet eucharistico cibo & potu refici, nisi priùs lucidus ille sol justificans Dei gratia, præcedente verâ pœnitentiâ, sincerâ confessione, & perfecto ob Deum summum bonum offensum dolore, peccatorum nubes, & tenebras ab anima depulerit, ut apertè satis insinuat Apostolus: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans* 1. Cor. cap. 11. v. 20. *corpus Domini.* Ideoque & de hoc instantissimè idem præmonet: *Probet autem seipsum homo*, id est, intimè & diligenter cordis sui perscrutetur penetralia, sedulò internam intueatur conscientiam & animam, si quid in ea sordidi comperiat, nitidè diluat aquâ pœnitentiæ, & lachrymarum, *& sic*, emundatâ jllâ, *de pane illo edat, & de calice bibat.*

Ratione itaque Festorum Paschalium, quæ ad eucharisticam sumptionem ex præcepto nos astringunt, ostendam, quâ animi munditiâ, quoconscientiæ nitore ad spirituale nostrum convivium, quod *Solis* est, & *lucis*, non vero tenebrarum, & caliginis, approperare debeamus, reservaturus in diem crastinum convivium *amoris*, instigatus quàm maximè S Thomæ à Villa Nova profundâ consideratione, dicens: *Inter multa, & præclara, & egregia, quæ de hoc altissimo Sacramento dici possunt, unum hodiè elegi pertractandum, quod nobis præcipuè utile est, & necessarium. De dispositione, quâ homo se debet disponere ad ejus susceptionem.* Et priusquam in difficilem hunc scopum exordiar collimare, ut eum rectè attingere queam, deprecemur unanimiter Spiritum sanctum pro necessaria assistentia per Mariæ Virginis intercessionem, dicentes: Ave gratiâ plena.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

PRopositum intentum aggredior comprobare tùm profanis, tùm sacris historiis, tùm SS. PP. testimoniis. Et ut ab infallibili (intermiscendo tamen sacris etiam profana) S. Scripturæ veritate incipiam, non absonum arbitratus sum locum registratum 1. Reg. cap. 5. adducere. Ubi narratur, ob quod delictum Philisthæi summam Dei Israel incurrerint indignationem. Permiserat Dominus ad populi sui iniqui eruditionem, quod inæstimabilis illius thesaurus, Arca nempè Domini, Arca fœderis, Arca, quæ antesignana erat, in hostiles manus inciderit, summa cum Philisthæorum exultatione, & maxima cum Judæorum tristitia, ut moribunda abundè satis, tam insperato, & infelici intellecto nuntio, uxor Phinees indicavit, dicens: *Translata est gloria Domini de Israel, quia capta est Arca Dei.* 1. Reg. c. 4. v. 21. Verum Arca, quam Philisthæi pro magna arripuerant præda, iis ingens fuit ruina; & præcipuè Azotiis, qui tantâ calamitate oppressi sunt, ut dicat Scriptura vers. 6. *Aggravata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* 1. Reg. cap. 5. v. 6. Qui, ut à tanta strage liberarentur, maturo inito consilio absolutè conclusêre, omnes Philistinorum satrapas convocare, iisque mandare, ut Arca ipsis perniciosa ad populum Israeliticum remitteretur. *Dimittite Arcam Dei Israel, ut revertatur in locum suum, & non interficiat nos, cum populo nostro.* 1. Reg. cap. 5. vers. 11. *Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valdè manus Domini.* Hæc itaque tandem reducta ad civitatem Carinthiarim, ejus habitatoribus amplam attulit benedictionem, testante Scripturâ: *Et factum est, ex quo die mansit Arca Domini in Carinthiarim, multiplicati sunt dies.* 1. Reg. c. 7. vers. 2. Imò & summam universo populo Israelitico attulit pacem, & requiem: *& requievit omnis domus Israel post Dominum.* Et paulò pòst memorabilem contra Philisthæos reportârunt victoriam, & cunctas ab iis ereptas civitates recuperârunt. *Et egressi filii Israel de Mesphath persecuti sunt Philisthæos & percusserunt eos usque ad locum, quæ erat subter Bethchar. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philistæi ab Israel, Israeli ab Accaron usque Geth, & terminos suos; liberavitque Israel de manu Philistinorum.* Vers. 11. & 12. Vers. 14.

Ad hoc stupendum factum curiosè potest inquiri, quomodo una & eadem Arca tantâ Philisthæos affecerit strage, & tantum populo Israelitico contulerit emolumentum? Illud clarissimè nobis facet textus dissolvit: Azotii namque Arcam Domini in templo Dagon collocârunt, ut patet ex cap. 5. *Philistini autem tulerunt Arcam Dei, & asportaverunt eam à lapide adjutorii in Azotum. Tuleruntque Philistiim Arcam Dei & intulerunt eam in templo Dagon, & statuerunt eam juxtà Dagon.* Vers. 2. Propter quod nefas Deus in illos acriter stomachatus, iis tantam perniciem intulit, & ipsum falsum idolum potenter in terram dejecit. *Cumque surrexissent diluculo Azotii alterâ die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Vers. 3. Neutiquàm namque divina Majestas cum diabolicis simulacris, atque idolis simul consistere patiebatur. Israelitæ autē sedulâ Samuelis exhortatione

admoniti, ad verum Deum conversi, ac à nefanda idololatria aversi, cuncta idola detestati sunt, ut refert hic Scriptura cap. 7. vers. 3. *Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro convertimini ad Dominum: auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth & praeparate corda vestra Domino, & servite ei soli. Abstulerunt ergò Baalim, & Astaroth, & servierunt Domino soli*, vers. 4. Ideoque gratiam, benignitatem, ac benedictionem de condigno promeruerunt, & inter eos rursùs suum habitaculum resumpsit Dominus. Quoniam non nisi sublatis falsis idolis, verus ibidem consistere poterat Deus. Spiritus namque iniquitatis, malitiae, & impudicitiae, spiritum expellit aequitatis, bonitatis, atque puritatis.

1. Reg. cap. 7. vers. 3.

Quod si non tantam reverentiam exigebat ab Israelitis materialis, & ab homine fabricata Arca, in qua virga Moysis, & Manna conservabantur, qualem non expostulat à Christianis eucharistica illa Arca, quae sanguinem & corpus Christi, imò & ipsam divinitatem in se comprehendit? Cave, cave itaque homo, ne summam Dei incurras indignationem, hanc Arcam in corde tuo collocare, quod varia possidet idola. Sed forsitan nescis quaenam sint cordis tui idola? Ego ea tibi pandam. O avare, pecuniae tuae, nummi, & divitiae idolum tuum sunt, juxta illud Oseae: *Dives effectus sum, invêni idolum mihi*. O vindicative, idolum tuum est, prava tua in inimicum vindicandi cupiditas. Idolum tuum est, ô luxuriose, concubina tua, & perversa carnis concupiscentia. Idolum tuum est, ô gulose, crapula, vinum, delicatus cibus, mundanae voluptates, & deliciae. Idolum tuum est, ô Marite, uxor, ô Pater, Filius, ob quorum amorem ipsummet Deum, & summam bonitatem paratus es offendere. In summa, ô homo, idolum tuum est quodcumque peccatum mortale, & ad id alliciens mundus. Quod idolum, nisi è corde repellas, certus esto, quòd in eo Deus suum non sit recepturus habitaculum, ut aureis verbis (quae supra tractans de zelotypia Christi erga cor humanum protuli) nos edocet S. Thomas à Villa nova. *Triplicem in Scriptura invenio spiritum, scilicet spiritum Dei, spiritum mundi, & spiritum carnis. Hos duos objice, ut possideas primum. Valdè enim contrarii sunt, neque eos unum capit habitaculum. Si quis negotiis saecularibus implicatur, si quis illecebrosis turpitudinibus sordidatur, in hunc Spiritus Dei non intrat, hunc Spiritus sanctus non inhabitat; quoniam quietis, & puritatis amator*

Oseae c. 12. v. 8.

Serm. 1. de Pent.

est. Quietam, & mundam mansionem offerat, qui eum in cordis sui domicilio hospitari desiderat.

Aliqua curiosa ingenia ad hoc propositum aptè proponunt hanc quaestionē. Quare prudentissima Christi Domini Sponsa S. Mater nostra Ecclesia, celebrare mandat solemnem venerabilis Sacramenti festivitatē pòst festum Pentecostes; quandoquidē à Christo Domino (ut è Scriptura constat) ante Pascha in ultima cum discipulis coena sit institutum. Ratio in promptu est; quia Spiritus sanctus in figura linguarum ignitarum in Apostolorum corda descendens, eaque divini amoris igne inflammans, spiritualiter nobis indicavit verbum sacramentatum in cor hominis non fore descensurum, nisi sanctificantis Spiritus sancti gratiae igne accendatur.

Sanctus Thomas à Villa Nova maturè considerans in respectū Veteris Testamenti arcae à Deo permissa prodigia, mirabiliter non sine stupore ad arcam nostram Eucharisticam à minori ad majus argumentatur. Et in primis horribilem Bethsamitarum vix capere potest plagam, eo quod laetabundi arcam regredientem nudam fuissent intuiti. *Res mira*, inquit, *& stupenda, misit Dominus in illo populo gravissimam pestem, & occidit septuaginta viros nobiles, Iudices, & magistratus, & de populo quinquaginta millia.* Et tantae afflictionis à Domino inquirens motivum, exclamitat. *Propter quid obsecro Domine, propter quid in cultores tuos, & adoratores sic saevis, sic indignaris? Quaenam iniquitas? Quodnam flagitium? Quid peccatum? Vtique non aliud, nisi quia viderunt oculis suis arcam nudam.* Et adhuc in majorem raptus stuporem pergit: *O inaestimabilem severitatem! itane tàm grave piaculum erat in auratum lignum aspicere, & fabrile propitiatorium cernere, quod colebant.* Et ibidem quoque demirans subitaneam Ozae percussionem, atque Michol Davidis uxoris perpetuam ob commissam contra arcam irreverentiam, sterilitatem: Obededom verò benedictionem, subnectit: *Obededom autem, quia laetus eam suscepit in domum suam, benedictus à Domino, in omni substantia domus suae multiplicatus est. Quanta gravitas, quanta severitas, quanta majestas, quantus honor in arca lignea! Tantanè tibi Domine cura de ligno?* Verum audite, quid nos erudiens respondeat hic S. Doctor: *Non utique, sed propter nos haec omnia facta sunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur. Illos exanimas, ut nos erudias. Vt in illis discamus, quanti piaculi, simul periculi sit indignè tractare, aut sumere sacrosanctam*

Thomas à Villa-nova Conc. 3. in festo Corporis Christi.

Christi

Christi carnem in Hostia salutari: cujus typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. Et specialiter pungens hujus Sacramenti ministros, subjungit: *væ sacrilegis manibus, væ immundis peccatoribus impiorum quorundam sacerdotum, à quibus tam insolenter quotidie tangitur & reconditur.* Et argumentum a minori ad majus arctius stringere incipit. *Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate ipsa? Si ignoranter & imprudenter videntes, aut tangentes typicam illam similitudinem tàm acerbâ morte damnati sunt, quæ animadversio fiet contemptoribus Majestatis? Horresco referens, & toto corpore contremisco. Tantum mysterium non in seipso, sed in suæ potius umbra debuit commendari, ut sciamus, quod omne supplicium & tormentum minus est flagitio, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio, si solius umbræ ejus contemptus tam dira morte punitur.* Probet ergò seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hoc namque suprema, ad quam accedimus, suadet Dei Majestas. *Non enim,* inquit Thomas, *accedimus ad arcam ligneam, & altare aureum, & manu facta Sacramenta, & lapideum tabernaculum: sed ad ipsam Dei sublimem celsitudinem beatis spiritibus præsidentem. Ad verum Dei Corpus & sanguinem pretiosum, quo redemptus est mundus.*

Naturalistæ commemorant, stupendum serpentem, nominatum Amphisbenam reperiri, qui biceps habet caput, anterius & posterius, & talis est naturæ, ut ex uno ore exitiale evomat virus, & ex altero salutiferum antidotum. Ita Nirenbergius lib. 12. naturalium historiarum cap. 10. Unde cantat Lucanus lib. 10. *Et gravi in geminum surgens caput Amphisibena.* Et doctissimus Chesneau in Orpheo suo Eucharistico in Emblemate 72.

Amphisbena biceps uno vomit ore venenum.
Excellentem alio suggerit antidotum.
Una potest plagas infigere, iisque mederi,
Indubitata salus profluit, unde lues.

Ah nonne Christum sacramentatum rectè possum assimilare huic serpenti? Ita sane. Corpus namque illius in Eucharistia vivificat, & occidit, venenum præstat & antidotum juxta Divi Thomæ dictum: *Mors est malis, vita bonis.* Et hoc evidenter attestatur ipse Christus per Evangelistam Joannem: *Qui manducat meam carnem* (sed dignè & mundâ conscientiâ) *& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ecce vivificat, & Apostolus dicit: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Dum itaque ad eucharisticam mensam homo accedis, vide ne sordidâ alicujus peccati mortalis fæce anima tua sit coinquinata: alioquin venenum bibens, mortem hauries æternam. Proba autem teipsum lapide lydio pœnitentiæ, & sic de pane illo edas, & de calice bibe.

1. Cor. 11. v. 29.

Unicuique notum est, quod si Regis cujusdam Legatus ad alium Regem mittatur, ipsi dies alloquii, ut magistri sui negotia exponat, determinatur: quod ipse diligentissime tempus constitutum observat, seseque ut ad Regem disertè & efficaciter perorare queat, præparat. Insuper se nitidè ornat, superba vestimenta assumit, nobiles admonet, ut cuncti morigeri, politè vestiti in conspectu ipsius Regis compareant. In summa omnia quàm optime disponi mandat, ne quidpiam oculis ejus detur offendiculi. Ah si tantus apparatus, tanta sollicitudo habeatur, ut homo hominem, mortalis mortalem accedat: qualem ô Christiane curam & diligentiam adhibêre non debes, dum homo Deum, mortalis immortalem, vile mancipium, Regem Regum & Dominum dominantium convenire desideras? Audi sacrilege Dominicæ carnis devorator, quid de hoc sentiat Thomas à Villa nova: *Oportet enim accedentem mundum gestare cor ab omni malitia, & mundum corpus ab omni luxuria, ut sit sanctus corpore & spiritu. Procul absit omnis livor, omne odium, omnis ambitio, omnis illecebra: sanctum sit pectus in quo sanctum Domini recondendum est. Sicut scriptum legimus: Sancti eritis, quia sanctus sum Dominus Deus vester.* Et infrà adhuc urget: *Audes tu ô sacrilege in pectoris tui sacrario, quod Deus inhabitat, turpia idola & nefandas imagines carnalium cogitationum & spurcissimorum desideriorum involvere? Putasne Deus dignabitur tali consortio? Minimè* sane. Toto stultè aberras cœlo.

Stupendum quid commemorat historiographus Suet. in vita Caligulæ; nimirùm olim Romæ perversam viguisse consuetudinē, quod mortua corpora busto imponerent, ut voraci ignis flamma ea totaliter in cineres redigerentur, in qua solemnitate variæ usurpabantur superstitiosæ cæremoniæ. Contigit autem Germanici Caligulæ patris veneno (ut creditur) enecati corpus comburendum in funerali ignito busto juxtà morem fuisse collocatum. Sed ecce (quod est admirabile dictu) Germanici corpus illicò flammâ absumptum est, & in pulverem commutatum, excepto

 solo

solo corde. Quod in medio igne ad instar Salamandræ, omninò illæsum permansit. Qui eventus non tantùm cunctos adstantes in maximum rapuit stuporem, verùm etiam vehementem incussit timorem. Quapropter ab auguribus, ariolis, ac peritis medicis inquisitum est, quid hoc prodigium protenderet. Qui tandem judicàrunt, Germanici corpus veneno fore repletum, & quidem adeò efficaci, ut ignis potentiæ resistere posset. Et ut suam opinionem probarent, spectante populo illud theriacâ unxerunt, sicque unctum in bustum denuò injecerunt, quod subitò flammarum vi cessit, & ab iis superatum est.

Fateor hoc satis fabulosum sonat, qualecumque tamen sit, illud rectè & catholicè, præsenti nostro instituto posse appropriari, firmiter arbitror. Asseroque audacter, flammam divini amoris & gratiæ, & omnium cœlestium bonorum, humanum non posse pervadere cor, & pectus pestifero peccatorum, ac criminum veneno oppletum, illud namque flammæ Dei nostri bonitatis tam potenter obsistit, ut hæc cedat & quasi subterfugiat: quia, ut suprà diximus, Spiritus Dei, & Spiritus peccati, non unum capiunt habitaculum. Ut ergò intoxicatum illud cor ad divini ignis in venerabilis Eucharistiæ busto invisibiliter latitantis, receptionem apprimè disponetur: opus est antidoto, opus est theriacâ pœnitentiæ, theriacâ contritionis, lachrymarũ, confessionis &c. Si homo desideret uberrimos hujus Sacramenti amoris percipere fructus. Quod iis jam commemoratis luculenter ostendit verbis Thomas, qui etiam addit: *Movet quoque non modicum* (nimirùm ad debitam ad hoc Sacramentum præparationem) *fructus uberrimus qui piis accedentibus præstatur. Illuminatur enim intellectus, inflammatur animus, impinguatur affectus, excitatur gustus, vivificatur sensus, purificatur spiritus, virtutes augentur, dona cumulantur, gratiæ multiplicantur, & omnium denique bonorum spiritualium plenitudo in ejus participatione possidetur.* Et etiam pergit ad necessitatem theriacæ: *Probet autem seipsum homo, antequam de pane illo edat, & de calice bibat: Examinet suam conscientiam peccata lachrymis diluat, confessione detergat, gemitibus dissolvat, reatum puniat, remorsum tollat, disponat, & præparet se, & sic accedat.*

Quod si obdurati & saxei peccatores cor vestrũ tot uberes & eminentes, qui ex Eucharistia eam piè sumentibus affluunt, non emolliant fructus, deterreat saltem vos tanti sceleris, tanti sacrilegii immensitas vel ipsa indignè accedentibus à divina justitia comminata commoveant supplicia. Audite rursùs contumaces Thomam à Villa Nova: *Quantum verò flagitium sit in spurcissimi pectoris sui cloacam sacratum Christi sanguinem fundere, Apostolica illa tuba personuit dicens: Quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & sanguinis Domini. Id est, ac si occidisset & effudisset, non æqualiter quidem, sed proportionaliter. Quascumque enim blasphemias, quascumque irrisiones, quæcumque opprobria impiissimi Judæi in Christum corporaliter exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, filium Dei rursùs in se ipso crucifigens & ostentui habens.* Non sic, non sic, Utimini cœlesti illâ, quam jam necessariam, ostendi Theriacâ, probate vosmetipsos, & sic ad magnificum Solis Convivium accedite.

Indubitatum est sacrosanctum hoc venerandæ Synaxis Sacramentum, pignus amoris esse institutum in ultima Domini cum discipulis Cœna, ad quam immediatè ante suam cruentam passionem, quàm ipse jam à Judæis divinâ suâ sciẽtiâ cognoscebat esse conclusam, perrexit, ut agnum paschalẽ juxta legem Mosaicam comederet. Quo peracto, in amoris tesseram, ut ait Joannes: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, discipulis pretiosum hunc thesaurum elargitus est, ut evidenter attestatur Evangelista Matthæus: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum &c.* Hoc itaque pro infallibili veritate supposito, curiosè quispiam indagare posset, quorsum S. Mater nostra Ecclesia solemnitatem hujus Sacramenti non constituerit eo tempore, vel saltem circa illud, sed tam diu distulerit, imò & usque post festum Pentecostes? Præterea, cur ornamenta alba ab Ecclesia præscribantur, ad tantum peragendum officium, & non rubra; quandoquidem Eucharistia vera sit cruenta Christi passionis & effusi sanguinis memoria? Secundùm ipsiusmet testimonium: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc enim sine fundamentali ratione & aliquo mysterio facta esse, mihi neutiquam persuadeo.

Matth. c. 26. v. 26.

Pro hoc cognoscendo videamus semel, an aliquod lumen ex aliis sacræ Scripturæ locis possimus mutuare? Matthæus inter cætera stupenda, quæ in Christi Domini passione, & præcipuè, cum Creator mundi ex hoc mundo migravit, & vita ipsa mortua est, prodigia, commemorat quamplurimos mortuos ad vitam fuisse revocatos, *Et monumenta*

Matth. c. 27. v. 52.

menta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum,
quæ dormierant, resurrexerunt. Aliorum mirabi-
lium, quemadmodum Solis obscurationis, petra-
rum scissionis, terræ motus &c. explicationem
in diversis discursibus dedi, hujus autem ut dem,
vix invenio. Duo namque suprà hunc locum a-
cutè possunt inquiri. Primum, cur Christus Do-
minus voluerit permittere, ut corpora Sanctorum
resurgerent. Secundum, cur ipsi resuscitati diver-
sis apparuerunt? Ad hæc quæsita varii respondent
Authores, id Providentiam divinam sic voluisse,
ut innotesceret toti mundo pretiosi sanguinis sui
stupenda efficacia; Ecce enim, vix ultimam gut-
tam benigus effuderat Deus, & mors potenter de-
vincitur, & vita redit: *Et multa corpora Sancto-*
rum, quæ dormierant, resurrexerunt, &c. Et appa-
ruerunt multis, ut ipsi plenum lætitiâ nuntium de-
nuntient, nimirùm mirâ Christi Domini virtute
partam de morte & inferno victoriam, juxtà illud
vaticinium Oseæ. *Ero mors tua ô Mors, ero morsus*
tuus ô Inferne. Ex quo quoque pro animarum de- Oseæ cap. 13. v. 14.
functarum solatio, salutarem eruere quisque po-
test admonitionem. Quanto videlicet cum zelo
sanguinem Domini in sacrosancto Missæ sacrifi-
cio pro iis per sacerdotē applicare debeant quan-
doquidem ille tantâ polleat efficaciâ, ut defuncti
illicò resurgant.

Major hic fieri potest difficultas, cur Christus
Dominus, (quandoquidem juxtà quamplurimos,
hæc Sanctorum corporum resurrectio magnam
erga Christum testata sit reverentiam, dum ipsi
mortuo ex singulari animi affectu sepulturam ob-
tulerunt) locum sepulchralem pro corpore suo in-
humando non acceptârit: sed sepulturam sibi à
Joseph Atimathæa præsentatam cunctis prætule-
rit? An forsitan hujus mysterii rationem in ex-
cellentiorem illius præ cæteris sanctitate refun-
denda est eminentiam? Hanc sane non arbitror
solido fundamento fulciri. Pro quæsito itaque
hoc dissolvendo, nobis recurrendum est ad quam-
dam insignem profanam historiolam, è qua se-
cundùm hominum captum (qui non nisi è vili
materia capaces sunt documenta haurire spiritua-
lia) valdè dilucidè manifestabitur divinum myste-
rium.

Illam non profanus Scriptor, verùm S. Damas-
cenus historiâ in Balaam, Josaphat cap. 3. lib. 5.
commemorat. Abener Rex Indiarum, nato jam,
sibi legitimo filio, (nescio quâ perversâ curiosita-
te) ab ariolis ac astrologis sciscitatus est, qualiter
ipse suum regimen foret instituturus. Qui una-
nimiter cuncta prospera prognosticârunt. Addi-
ditque quidam ex ipsorum cœtu parumper auda-
cior, eum in gloria, magnificentia, gubernaminis
felici successu, atque victoriis longo intervallo
patrem superaturum; verum eum strenuum, ani-
mosum & mordacem Christianorum (quos Abe-
ner fatali insectabatur odio) futurum fautorem.
Hoc intellecto, Abener eum adhuc tenellum pa-
latiò suo strictè includi mandavit, & omnibus de-
liciis atque voluptatibus educari, & aulicis ad eum
inhibuit accessum. Ille, cum jam juveniles annos
attigisset, curiosus & avidus scire & intueri, quid
extra aulam in mundo ageretur, à patre instantis-
simè expostulavit, quatenus sibi liceret semel au-
lâ egredi. Cujus petitioni pater illicò annuit, ne
illum in minimo affligeret. Verùm, antequam il-
lud executioni mandaretur, publico edicto decre-
vit Rex, ut omnes plateæ à sordibus emundaren-
tur, & tantò, quantò possibile erat, ornamento de-
corarentur. Prætereà è viis publicis, per quas
Princeps deducendus erat, arceri jussit omnes mor-
bidos, claudos, cœcos, & aliquo corporis defectu
laborantes. Idque in eum finem, ne quidquam tur-
pe aut fœtidū juvenis Principis oculos offenderet.

Anhelabat unigenitus Dei filius cœlesti pala-
tio quasi inclusus, ut in mundum hunc posset de-
scendere, ideoq; clamabat ad Patrem suum: *Ecce*
ego mitto me: expostulabatque cum hominibus
commorari & conversari: *Deliciæ meæ esse cum* Isaiæ c. 6. v. 8.
filiis hominum. Annuit ipse. At ne sordes in eis,
id est, in hominum cordibus fœtida adinveniat Prov. c. 8. v. 31.
peccata, sordidasque offendat iniquitates, publi-
co mandato per cælestem suum præconem Joan-
nem Baptistam, clamantem: *Parate viam Domini.*
Viam cordis & ab omni squallore, sordibus, fæce
& luto peccatorum nitidè emundari, & splendidâ Luc. 3. v. 4.
puritatis, sanctitatis, & virtutis veste adornari
mandat, ne in quopiam sordido tanta majestas
offendatur, & pedem ab ingressu cordis ipsamet
puritas retrahat. Idipsum, quod de Christo incar-
nato debitè recipiendo ad mundum clamabat Do-
mini præcursor, de hoc Sacramento in cordibus
nostris inserendo inculcat Apostolus: *Probet autē*
seipsum homo &c. Et indies eundem clamorem rei-
terant SS. PP. verbique divini præcones. *Parare*
jubemur viam Domini, ut superveniens Dominus
non offendat in vobis.

Imò & idem Ethnici, etiam inscii, nos præmo-
nere videntur. Refert enim Ammianus magnū Phi-
losophum Periclem interrogatum, quare sese ad
splendidum & magnificum iturum convivium
tam

tam pretiosis vestibus adornaret, & tam circumspectè crines & barbam componeret, respondisse : *Vt pulcher ad pulchrum vadam.* O Christiane audi & attende auribus nôn surdis. Tu accedis ad magnificum Solis convivium, in quo, non ut in ficto illo ethnicorum delicati, pretiosi & exquisiti apponuntur cibi, verum realis Christi sanguis in potum ad animæ suæ datur refrigerium, & verum ejus Corpus in ejusdem divinum sumendum præbetur nutrimentum. Tu accedis ad ipsammet pulchritudinem, & omnis pulchritudinis authorem, orna te itaque ad instar Periclis veste politâ, nitidâ & candidâ gratiæ, mediante sacramentali pœnitentiâ, ne merearis duram subire sententiam, quæ, cum obmutesces coràm interrogan-
Matt c.22 te : *Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem*
v.12.&13 *nuptialem* : à legitimo Judice ea proferetur : *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Cujus sententiæ horrore conquassatus Augustinus in hæc prorumpit verba : *Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad convivium nuptiale, id est, ad altare Domini, aut ebriosus, aut odium retinens præsumit accedere.* Quia hoc est verum & non fictum Solis convivium, ad quod nemini licitum est epulatum venire, nisi densæ animæ teneblæ, justitiæ Solis luce & gratiâ sint dissipatæ. Tu tendis ad Eucharistiam, quæ significat *bona gratia* : Ideoque gratus accedas oportet. Orna te ergò inquam cum Philosopho veste nuptiali, id est, gratiâ & virtutis ornamento. Dic, ô anima mea : hæc omnia mihi necessaria sunt, *ut pulchra ad pulchrum, & grata ad gratiam vadas.*

Modò manifesta incipit apparere ratio, cur Christus Dominus sepulturam istorum respuerit mortuorum, & non voluerit in eorum sepulchris sanctissimum suum corpus inhumari; quandoquidem enim illius nitor ac puritas, omnes sordes, omnemque hostiliter abominetur fœtorem, ab ipsorum monumentis, quæ indubiè ex restantibus cadaverum ossibus & cineribus simili immunditiæ erant obnoxia, abhorruit, & totaliter mundum sibi adscivit sepulchrum, ut indicat sacer tex-
Matt. 27. tus : *Et accepto Corpore Ioseph involvit illud in sin-*
v 59. & *done munda, & posuit illud in monumento suo novo,*
60. *quod exciderat de petra.* Et ne quispiam fortassis replicaret, ex hoc Scripturæ loco non apertè constare, in eo nullum alium fuisse sepultum; ac per consequens illud potuisse aliquali saltem fœtori
Luc. 23. esse subjectum, assignanter ait Evangelista Lucas :
v.54. *Et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Hoc facto ergò insinuavit fidelibus suis Christus, quantâ puritate & nitore debeat fulgere monumentum cordis, in quo sacrosanctum suum corpus, sub speciebus panis & vini in Eucharistia latitans, reconditur. Et indicat sese abominari illam animam, quæ peccatorum sordibus est immersa. Audite Gregorium Nyssenum ; *Monemur, ut sanctum Domini Corpus in conscientia ponamus munda, & in pectore cordeque mundo. Probet itaque seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ad quod ait Theophylactus : *Non alium tibi Iudicem tribuo, sed teipsum tibi commendo. Iudica igitur & proba conscientiam tuam, & sic accede.* Alioquin non erit hæc salutaris esca in animæ tuæ sustentaculum, sed in æternũ detrimentum, *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Ah quàm liquidò id constitit in perfido proditore Juda, juxta S. Paschasii opinionem Tractatu de Corpore & Sanguine Christi cap. 15. qui asseveranter ait, eò amoris & benignitatis summam processisse Majestatem, ut ei pretiosum suum corpus & sanguinem in ultima cœna obtulerit. Cujus pretium quantumvis ex se cuilibet sit æternæ vitæ commercium, ipsi tamen indignè sumenti in sempiternum inserviit supplicium. Bene enim ait
Augustinus : *Malè accipienti quod bonum est, in ma-* August. in
lum convertitur. Ecce enim infame os divinam Psal. 142.
vix hanc escam sacrilegè attigerat, vix abominanda lingua mirificam talis potus senserat saporis dulcedinem, qui in nefando suo proposito exequendo quasi jam nutabat, illicò ad illud implendum sese accinxit, ut apertè dicit Evangelista Joannes : *Et cum accepisset buccellam,* nimirùm carnis & sanguinis Christi, *exivit continuò.* Audite
Paschasii verba ; *Iudas donec buccellam acceperat,* Ioan. c. 13.
quantumvis mente saucius, interdum tamen à Do- v.30.
mini bonitate leniter, nunc cum aliis, nunc solus monetur. Sed postquam indignus mystica præsumpsit attingere, invasit eum diabolus, & qui priùs nutabat, cum accepit, continuò foras exivit.

Huic sententiæ manifestissimè in millenis locis magnum illud Ecclesiæ lumen suffragatur Augustinus, & præcipuè in illa verba Joannis cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Quomodo,* inquit, *intellecturi sumus? Numquid in illo hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi manducent & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Numquid & Iu-*

das magistri venditor & traditor impius(& attende quantum signum amoris demonstrârit perfido discipulo) *quamvis primùm ipsum manibus confectum Sacramentum carnis & sanguinis ejus cum cæteris discipulis* (ut apertè Lucas declarat) *manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?* Et de Judâ ad alios impios sanctissimum hunc cibum sordidâ fauce, id est, impurâ conscientiâ diglutire præsumentes, non multò Judâ in malitia minores pergit. *Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducaverint, & biberint apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis?* Et respondet suo quæsito, dicens: *Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem. Quomodo, qui manducaverit, & biberit in Christo manet, & Christus in eo? Non ergò quocumque modo quisque manducaverit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus. Sed certo quodam modo.* At edissere nobis Augustine certum hunc, mediante illo stupendo Sacramento, in Christo manendi modum. Audi Christiane, quid dicat Tractatu 26. in Joannem: *Qui Corpus Christi sumere volunt, fiant Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. Unus, inquit Apostolus, panis, & unum corpus multi sumus. O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet undè vivat, accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non sit membrum putridum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur, sed pulchrum, sit sanum, sit aptum, hæreat corpori, vivat Deo de Deo.*

August. ser. 11. de verb. Dom.

Itaque æterna nostra ruina, ô miseri mortales! ex cœlesti hoc alimento, & spirituali cibo non promanat: verum ex pravo nostro arbitrio, quod in sola carne inanimata fidem, & fiduciam collocat & spiritum contemnit, qui solus in carne animam vivificat. Ut disertè rursùs confitetur Augustinus Tractatu 27. in Joannem suprà hæc verba Apostoli: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. O magister bone! Quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam, quam tua carne promittis? Sed quomodo isti intellexerunt?* Ah turpiter errârunt, inexpertè hallucinati sunt. *Carnem quippè sic intellexerunt, quomodo in cadavere delineatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Caro non prodest quidquam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, & prodest plurimum.* Et Tractu 26. in Joan. eandem Doctrinam cunctis Christianis instanter inculcat, atque quàm optimè posse iis appropriari illud: *Perditio tua ex te Israel.* Clarè demonstrat his divinis verbis: *Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Undè dicit Apostolus, quod qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit; non enim bucella Dominica venenum insudit Iudæ, & tamen accêpit, & cum accêpit, in eum inimicus intravit.* Et attendite quæso, quare: *Non quia malum accêpit, sed quia bonum malus accêpit.* Et tandem concludit: *Videte ergò fratres panem cœlestem spiritualiter manducare, innocentiam ad altare portare.*

Osea cap. 13. v. 9.

Sed heu! quot impii, quot inconsiderati, pudet fateri! reperiuntur Christiani, qui carnem dominicam, ut materialem escam diglutiunt! quot sunt, qui spiritu mundanis deliciis intricato, voluptatibus immerso, quibuscumque illitis, & inordinatis appetitibus consecrato, nudam carnem, id est, omnem carnis inclinationem sectantes, ad sacrosanctam hanc mensam accedere non verentur, & tam pretiosâ corporis Christi escâ saginari, & sanguinis potu refrigerari spiritualiter præsumunt. Ah quàm benè de hujuscemodi perditis hominibus lamentatur Dominus per Jeremiam: *Comedit me, devoravit me Rex Babylonis, replevit ventrem suum teneritudine meâ.* Et per Psalmistam: *Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam, sicut catulus leonis habitans in abditis.* Quæ verba, quantumvis litteraliter intelligantur de Christi crucifixoribus, attamen rectè quoque mysticè capi possunt de impiè Eucharistiam sumentibus. Etenim illi his sunt pejores. Si mihi non credatis, fidem præbete Chrysostomo auream proferenti (quam vellem, ut intimis mentis vestræ imprimeretis penetralibus) sententiam: *Cogita quantâ indignatione adversùs eos, qui crucifixerunt ipsum movearis, & cave nè tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè trucidârunt, tu post tot, tantaque beneficia sordidè suscipis omnia. Non enim sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cædi: sed hominem secum in unam, ut ita dicam, massam reducit. Neque id solùm fide, sed re ipsa nos suum corpus efficit.* Et post vehe-

Ier. c. 51. v. 34. Psal. 16. v. 12.

Chrys. homil. 13. in cap. 26. Matth.

vehementer urget: *Quâ igitur re mundiorem esse oportet eum, qui de hoc sacrificio participaturus est? Quos radios non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat? Os, quod igne impletur spirituali: Lingua, quæ cruentatur admirabili sanguine? Veniat in mentem; quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris.*

Ex his dictis facilis est ad secundum principale quæsitum responsio. Nimirùm, cur solemnitas Corporis Christi post festum Pentecostes differatur. Vult namque per hoc insinuare sancta mater nostra Ecclesia, quandoquidem Eucharistia tantam puritatem, nitorem, & candorem propter infinitam, & incomprehensibilem eminentiam exigat: hominum animos à Spiritu Sancto primò debere purificari, calefieri, & ardore ipsius ignis accendi, ut Deus per hoc Sacramentum, non tantùm intimè in corda illabatur, sed uniatur, imò si fas est dicere, identificetur.

Cur verò albis, & non rubris ipsa uti demandet ornamentis, ex antiquorum Romanorum consuetudine breviter capiemus. Apud eos hæc in summo vigore erat consuetudo, ut convivæ ad solemne convivium invitati, albis vestibus comparêrent. Unde Cicero carpens quemdam, eò quòd legem hanc tam firmiter sancitam fuisset transgressus, in hæc erumpit improperii verba: *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Cai Arcii familiaris mei cum toga pulla accumberes? Quis enim unquam cœnavit atratus?* Quâ correctione videtur eum accusare Cicero, quòd in Arcium stomachatus, vindictam vestimento suo præmonstrârit.

Moris etiam erat apud eosdem, ut annotat antiquissimus Doctor Tertullianus lib. de Pallio, ut ministri, & sacerdotes deservientes Bellonæ, & Marti, ornamentis vestirentur puniceis, qui color tamquam verum iræ, & furoris symbolum, iis apprimè conveniebat, quia Diis belligeris ministrabant. Qui verò cultui Cereris destinabantur, albis uti debebant, quia candorem hæc, utpote panis & frumenti Dea expostulabat. Dum itaque in summa illa solemnitate, & convivio Solis Ecclesia de congruis ornamentis cogitat, album prudenter decernit, innuens non ad instar Romanorum ad humana properantium convivia, ad Eucharisticam mensam epulatum accedentes, debere albo vestimento indui, id est, candidâ Dei gratiæ sanctificantis veste circumdari: & non nigrâ, id est, peccaminosâ conscientiâ. Et oportere omnem rancorem, & vindictam abjicere: quoniam non ad servitium Martis, aut Bellonæ, sed Dei pacis, amoris, & benevolentiæ, Dei panis & frumenti deputamur. Quod & admonet Sapiens: *Omni tempore sint vestimenta tua candida,* id est, munda, & pura anima. Et præcipuè dum ad tam majestuosam mensam vocati advenitis. Audite quàm divinis verbis id nobis omnibus inculcet aureum os Chrysostomus. *Nulla sit in mente duplicitas, nec livoris libidine interior homo obfuscetur. Agnum comesturus, agni innocentiam præferat, nec immaculatæ ovis membra lupina malignitate transfundat in viscera. Quoniam, qui sacratæ hujus cœnæ indigno participatur ambitu, non cum Petro perveniet ad salutis portum, sed sustinebit cum Iuda sine reparatione naufragium. Habebit debitam cum proditore pœnam, qui ad bonum malam attulit conscientiam.* Ah Christiane recole bene hæc ultima verba, quæ etiam saxeum cor emollire sufficiunt, & proba te ipsum, & sic de pane illo manduca. Eccl. c. 9. v. 8. Chrysost. serm. 1. de feria 5. Passionis.

Verùm progrediamur prolixiùs discursum inceptum (quoniam id summoperè exigit materiæ gravitas, & excellentia) & probemus ex variis antiqui Testamenti locis, & cæremoniis stupendam reverentiam, quæ in hac lege umbræ, & figuræ sacrosancti hujus Sacramenti deferebatur, ut ab umbra & figura ad corpus & realitatem, tamquam à minori ad majus conficiamus argumentum, ex cujus legitima consequentia plenam asseri nostri eruemus probam, & salutarem pro anima nostra doctrinam. Patriarcha Jacob quodam tempore à Domino citatur, eique mandatur, ut in magnificorum beneficiorum, quæ ab eo, dum fugiebat à facie Esau, reminiscentiam, & recognitionem Deo sacrificium offerret. *Locutus est Deus ad Iacob: Surge & ascende Bethel, ac habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas fratrem tuum Esau.* Quod mandatum divinum Jacob volens promptissimè mandare executioni, universam suam familiam convocat, eique tria præcepta, quæ sacrificium in erecto altari offerendum præcedere debent, præscribit: *Iacob autem convocata omni domo sua, ait: Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt.* Ecce primum. *Et mundamini,* ecce secundum. *Ac mutate vestimenta,* ecce tertium. Sed quid his prætendit Jacob? Sanè dicendum non est, ei frustraneum aliquid impe- Genes. c. 35. v. 1. & 2.

imperâsse. Etenim antè sacrificia sua mandabat Deus idola cuncta dejici, & falsa simulachra aboleri. Patet ex lib. 4. Reg. cap. 18. ubi narratur pium filium perfidi patris regis Judæ Achaz) qui impiè ablato veri Dei cultu, idolis Assyriorum sacrificavit, ut dicitur c. 17.) indignum sentientem Diis alienis incensum adolêre, ad antiqua Patrum suorum & Regum sacrificia se convertisse. Ad quod, vix adepto paterno throno abjêcit lu-

4. Reg. c. 18 v. 3. & 4.

cos & idola. *Fecitque, quod erat bonum coràm Domino, juxtà omnia, quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit Lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus Filii Israel adolebant ei incensum.* Idem fecit Rex Josias, ut attestatur Scriptura eodem

4. Reg. c. 23. v. 4.

lib. cap. 23. *Præcepit rex Helciæ Pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis, & janitoribus, ut ejicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in Luco, & universa militia cœli: & combussit ea foris Ierusalem in valle Cedron.*

Nec tò *mundamini* ullam ad intentum prosequendum parit difficultatem. Quoniam ait sa-

Levit. c. 20. v. 21.

cer textus Levit. cap. 20. *Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Et rationem hujus præcepti indicat apertissimè Spiritus S. vers. 23. *Nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet tabernaculum meum.* Et hoc non tantùm leges divinæ in antiquo inhibuêre Testamento: verùm & ipsamet gentilitas talem reverentiam inanibus suis sacrificiis adscribebant. Quoniam de præclara matrona Isigenia commemoratur, quòd ipsa desiderantibus quibusdam, quos hospitio susceperat, Diis suis immolare, responderit: *Sanctis lavacris ipsos lavari volo.* Et iis interrogantibus: *Fontibus aquarum, aut marino rore?* dixit: *Mare abluit hominum peccata.*

Et quandoquidem Lectorem præmonuerim, me profanis sacra immixturum, non vereor denuò idem è Scriptura comprobare. Exodi cap. 30.

Exodi. c. 30. v. 18. 19. 20. 21.

à Deo mandatur Moysi: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonii, & altare.* Sed quorsùm obsecro Domine hoc tàm præcisè decernis? Responsio facilis est, & in promptu ex subsequentibus verbis: *Et missa aqua lavabunt Aaron, & filii manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii: & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiamata Domino, ne fortè moriantur.*

De mutandis in veteri lege vestimentis mandato, clarissimè liquet ex cap. 6. Leviticorum. *Hæc*

Levit. c. 6. v. 11.

est lex holocausti: vestietur tunica Sacerdos, & feminalibus lineis: tollatque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens juxtà altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferat eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. Undè modò concludo, Patriarcham Jacob non absque solida, multumque fundata ratione filiis & filiabus suis supra commemorata præcepta tradidisse.

Hoc supposito, modò plusquam æquum, & consentaneum est, ne à præfixo scopo videamur deflectere, ut mandatorum Jacob intelligentiam perscrutemur, & eam ad jam citatam Scripturam ad amussim deducamus. Et ut à primo exordiamur: oportet sedulò inquirere, quid intendat Patriarcha intimare per tò *abjicite Deos alienos.* Sanè juxtà omnium Doctorum, & SS. PP. doctrinam, per tò *Deos alienos* intelliguntur peccata, quæ indubiè abjicienda sunt, si quis desideret recipere in corde suo verum Deum. Ipse enim, & illa non idem patiuntur habitaculum. Igitur idolum tuum est ô avare, inordinatus ergà fluxas hujus mundi divitias appetitus, ut attestatur Osæas Propheta nomine sui: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Idolum tuum

Osea cap. 12. v. 8.

est ô vindicative, qui Martem & Bellonam plus, quàm mansuetum sequeris Christum, mordaciter, & expressè recalcitrans divino mandato: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Lu-

Matth. c. 5. v. 44.

xuriose idolum tuum est concubina, cum qua illicitè carnaliter commiscêris, & meretrix, cum qua promiscuè conversaris. Ambitiose idolum tuum est prava & perversa intentio, quæ te suprà capacitatem tuam etiam cum summo Reipublicæ detrimento ad summos honores, ac sublimem statum elevare conaris. Idolum tuum est gulose delicatus cibus, opipera mensa, lautum epulum, dicens juxta Epicureorum morem: *Edamus & bibamus, eras enim moriemur, & post mortem nulla voluptas.* Et ut paucis totam rei seriem conficiam, ô Christiane, idolum tuum est peccatum mortale. Ergò qui vult ad sacrosanctum hoc properare sacrificium, qui immaculatam Dominici Corporis escam, & satiantem sanguinis Christi potum sumere, infamia è conscientia sua mediante verâ contritione (quæ qualis

esse debeat dixi suprà in Dominicam tertiam Quadragesimæ) idola exulare faciat, & è domo interna eliminet, dicatque Domino Deo cum [*Psal.138. v.24.*] Psalmista: *Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Symmachus hîc loco: *Si via iniquitatis in me est*, legit, *si via idoli in me est.*

Ah quàm divinè id urget S. Thomas à Villa- [*Thomas à Villa-Nova Conc. 3. de Corp. Christi.*] Nova cunctos admonens Christianos: *An nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus S. habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Quis enim consensus templo Dei cum idolis? Audes tu ô sacrilege, in pectoris tui sacrario, quod Deus inhabitat, turpia idola, & nefandas imagines carnalium cogitationum, & spurcissimorum desideriorum involvere? Putasnè Deus tali dignabitur consortio?* Hinc Centurio cùm præter expectationem libello suo supplici pro servo infirmo audiret applaudentem Dominum, & dicentem: *Ego veniam & curabo eum*, confestim tantam in domo sua recipere recusavit majestatem, eò quod in ea idolorum simulachra [*Matth. c. 8. v. 8.*] essent: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Ad quod doctissimus Cardinalis Hugo ait: *Hoc dixit, quia erant idola in domo ejus, & timebat eum offendere, quia credebat esse Deum, & omnia scire.* Et audite, quid de hujuscemodi idololatris dicat Cassiodorus: *Qui terrenis voluptatibus pascuntur, indigni sunt, ut pane Eucharistiæ o ? e cantur.*

Quantum spectat ad tò *mundamini*, ubi alii legunt juxtà versionem septuag. Interpretum *lavamini*, neutiquam in vetere lege infallibilia nobis deficiunt fundamenta. Exodi namque cap. 30. expressum Aaroni ejusque filiis intimatur manda- [*Vers. 20.*] tum: *Lavabunt Aaron, & filii ejus pedes, ac manus, quando accessuri sunt ad altare.* Maculæ enim aquâ diluuntur, cum quibus nullatenùs permissum erat ad tam solemne, ac sanctum ministerium accedere.

Mirum est, quod nobis rursus ad præsens institutum enarratur Exodi cap. 16. coturnicum, & mannæ è cœlo Israelitici populi sustentaculum dimanantium, maxima diversitas. Hæ enim suprà castra cadebant, eaque cooperiebant: hoc tan- [*Exod. c. 16. v. 13. 14. & 15.*] tummodò circumcircà illa pluebat. *Factum est ergò vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra. Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Cumque cooperuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cùm vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem manhu? quod significat, quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Ad hoc curiosè inquiri potest, quare coturnices antè rorem supra terram descenderint: Manna verò, non nisi prævio rore pluerit. Et cur illæ suprà castra ceciderint, & manna circumcirca illa? Ratio in promptu, & ad manum est. Coturnices enim tantummodò carnalem denotabant & præfigurabant cibum, ac proinde eum, qui à sordibus, & immunditia non abhorrebat, quibus castra, & tabernacula militaria certò quam maximè sunt obnoxia, non fuisse commaculatum; Manna verò spiritualis escæ symbolum, & eucharistici panis prognosticum, qui omnes omninò aversatur, & abominatur iniquitates, in sordida Israelitarum tabernacula cadere non est permissum, ne aliquâ fœditate coinquinaretur. Ita potiori jure sacrosanctum Corpus Domini infectum hominis cor abominando peccati mortalis veneno respuit, & refugit. Audite quàm egregiè ad meum intentum id explicet doctissimus Abulensis in hunc locum. *Certum est in manna, quod Christus est, antequam descendat in pectus hominis, si aliqua sordes criminum hæreant, fletus emittatur, ut per contritionem, & lachrymas expurgentur.* Cui appositè accinit Rupertus in eumdem locum: *De castris illis exeundum tibi est, quicumque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendit.*

Avidus eram, ne nimia vos prolixitate fastidium adferrem (ad tò *mutare vestimenta* transire: verum aliquæ pulchræ considerationes, quas mihi sacra suppeditat Scriptura, me à proposito meo diverterunt, & ad majorem tò *mundamini* confirmationem reduxerunt. Et ad hoc ecce è limine mihi occurrit mysteriosa Christi Domini in ultima cœna discipulorum suorum pedum lotio, cujus tempus apprimè considerandum est. Constat namque satis apertè è sacro textu, Christum immediatè ante cruentam suam passionem binam instituisse cœnam. In prima juxta legem Mosaicam agnum paschalem cum suis manducavit. In secunda verò eas proprio sanguine & carne pavit. Quòd si itaque modò petatur ante quam lotio illa præcesserit? Respondebo ego cum venerabili Beda, ante secundam. Ait namque textus: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset lyntenm, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum.* [*Ioan. c. 13. v. 4. & 5.*]

pulorum. Sed cur signatè in secunda? Responsum percipite ex jam citatis Doctoris verbis: *Hoc fecit Iesus, ut summam innocentiam ad sacram Eucharistiam sumendam requisitam esse demonstraret.* Docet ergò hîc nos Christus, ut, antequam ad tantum accedamus Sacramentum, mittamus aquam doloris in pelvim, id est, conscientiam nostram, quâ illa ab omnibus peccati coinquinamentis emundatur, ne judicium nobis manducemus, & bibamus.

V. 18. Numerorum cap. 11. mirabilis, & constans à Deo decernitur, atque statuitur lex, nimirum, ut quiscumque vellet de cælo lapsâ carne, & volatilibus vesci, præmoneretur nitidum præparare pro divino cibo habitaculum. *Sanctificamini: cras comedetis carnes.* Ideoque & cap. 1. Levitici Levit. 1. 9. de victima ovium & arietum offerenda, statutum sancitur: *Intestinis verò, & pedibus lotis aquâ; adolebitque ea Sacerdos super Altare in holocaustum, & suavem odorem Domino.* Indubitatum rursus est, hæc sacrificia umbraticè tantùm divinæ novæ legis præfigurâsse Sacramenta, carnemque ovium & arietum immaculati illius agni vivificæ carni in eminentia, ac nobilitate à nemine Catholico ullatenus posse assimilari. E quo ad rectum filum arripiendum, iterum à minori ad majus contra Christianum argumentemur. Si itaque vili isti escæ, abjecti dumtaxat corporis sustentaculo tantam Deus exhiberi expressè demandavit reverentiam: Ah, quantam sane Jesu Christi inæstimabili carnis & sanguinis animarum nostrarum cibo prudens Christianus non demonstrabit?

Mirum satis est, & stupendum miraculum, quod perpetravit pius Dominus in illuminando cæcum à nativitate, registratum Joannis cap. 9. Quis namque inquam comprehendere potest, cur lutum Christus obcæcati oculis apposuerit, quandoquidem illud directè iis sit nocivum, ut cuilibet experientia liquidò constat, & postea ad illud limpidâ aquâ detergendum, nondum illuminatum miserit? *Exspuit in terram, & fecit lu-* Ioan. 9. v. 5. & 6. *tum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë.* Sane nec hoc Christi factum, qui divina æterni Patris est sapientia, & in suis operibus falli nequit, suo caret mysterio. Vult itaque in primis per lutum causam peccatorum exprimere, quo cuncti obfuscantur, & obcæcantur mundani, nimirum vile terrenarum rerum, fluxorum bonorum, divitiarum, omniumque periturarum ad instar fumi illecebrarum lutum, & erga ea ardentem nimium affectum; per lotionem verò hujuscemodi cæcos admonet, ut aquâ salutaris pœnitentiæ, contritionis, doloris, & lachrymarum, (quæ natatoria Siloê destinata est) lutum illud abluant, atque omnem pravum affectum erga mundana deponant; ut ipsi cum prudentissima alia Navarræ Regina Margaretha sibi possint appropriare subtilem quamdam emblematis epigraphen: *Non inferiora secuta*, sed superna, idque præcipue, cùm ad tam Rom. 11. 9. divinum acceditis epulum, ne vobis abominanda exoptetur sententia: *Fiat mensa eorum ipsis in laqueum.*

Deficit calamus, hebescit ingenium, vires succumbunt, dum prætactum jam argumentum ulterius meditor exaggerare. Quapropter quamplurimis aliis rationibus supersedendo, ad tò *mutate vestimenta* transeo. Mutate vestimenta sordida, & vetera, quæ expressam commaculatæ multis iniquitatibus conscientiæ, quæ animæ est vestis, figuram in se continent. Undeabundè patet ex cap. 3. Zachariæ, ubi dicitur de Jesu Sacerdote: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis,* Zachar. 3. v. 3. & 4. quas illicò Angelis Deus immutare mandavit: *Auferte vestimenta sordida ab eo:* Et pòst ad eum conversus, palam quid illa prætenderent, indicat. *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Hoc ipsum confirmat Apostolus, nos docens: *Deponere secundùm pristinam con-* Eph. 4. v. 22, 23, & 24. *versationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestra: & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctificatione veritatis.* Ad hoc sacrificium, & sacrosanctum Sacramentum nemini licitum est accedere, nisi mutatâ sordidâ peccatorum, & veteris hominis veste, & induto nuptiali, atque splendido gratiæ sanctificantis vestimento: alioquin talis *Iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Probet igitur seipsum homo: scopet diligenter cellulam animæ suæ, sordes, si quas invenerit, ejiciat, & si tantæ Majestatis selectam mensam degustet, & mundo præparato habitaculo, Deum hospitio suscipiat.

Admirabilis satis, & mysteriosus sedulò inspicienti apparet benigni patris in prodigo filio amorosè recipiendo modus. Ecce hic jam fame & penuriâ fermè enecatus, prodigæ & luxuriosæ vitæ suæ memor, ad patrem pœnitens tendit,

ſcelerum ſuorum veniam deprecaturus, clamatque altâ voce: *Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Quâ profundâ ſubmiſſione ipſe commotus, ad ſuos confeſtim domeſticos ait: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus.* Sed quid agis pater? Cur de veſte in tantum ſollicitus es? En totus famelicus eſt filius, clamatque: *Ego hîc fame pereo:* cibi parandi ſunt, opipera menſa inſtruenda, ut miſer ſatietur, inquit Tertullianus. Nonne tibi cum perdito, & m dò invento filio eſt epulandum, & bibendum? Indubiè. Ideo namque etiam vitulum ſaginatum accommodari curat: *Adducite vitulum ſaginatum, & manducemus, & epulemur.* Tertullianus hoc epulum dicit eſſe ſymbolum & figuram iſtius, quod Chriſtus inſtituit in ultima cœna, in qua verum ſuum corpus, & ſanguinem in cibum & potum diſcipulis ſuis ſubminiſtravit. Ad quod, cùm nullus, niſi ſtolâ gratiæ habitualis indutus, ac ſcurrilibus impietatum indumentis rejectis, noviſque multarum virtutum aſſumptis admittatur: Pater prodigum filium nudum primò veſtivit, deinde famelicum pavit. Audite Tertulliani verba: *Veſtem priſtinam recipit, annulum quoque accipit, atque ita exinde opimitate Dominici Corporis veſcitur.* Concludamus itaque, veſtimenta vilia à corpore procul eſſe abjicienda, nimirum peccata noſtra, & nova, ac candida gratiæ, & virtutum induenda, ſi ſpirituali hâc eſcâ ad animæ ſalutem ſaginari exoptemus.

Luc. 15. v. 20, & 21. — *V. 23.* — *Tertull. l. de præſcient. c. 9.*

Fusè ſatis (ut opinor) demonſtravi, quanta præparatio, & animæ puritas ad hoc Sacramentum ſit neceſſaria. Verùm, cùm dicere non potuerim, quanta, & quàm magna (quoniam humanum captum præterfugit) diſcurſum finire jam jam aggrediebar; ſed mihi ad plenam omnium confirmationem, quæ mox protuli, in mentem incidit myſterioſum Chriſti Domini conſilium, quod ad rectam vitæ normam inſtituendam, charis ſuis dedit diſcipulis. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* Quod neutiquam omnino tacitè judico eſſe prætereundum, ſed ſuccinctè, & breviter pervolvendum. Quid verò ſibi velit hoc conſilium, quidvè prætendat, varii variè explicant ex variis ſerpentis proprietatibus. Et quia de illis latè egi Concione Dominicæ primæ Quadrageſimæ, benevolum Lectorem ad illam remitto: & modò hanc tantùm arripio, quam doctiſſimus Abulenſis ex Naturaliſtis eruit: *Prudentia ſerpentis, inquit, in hoc potiſſimùm elucet, quòd de fonte non bibat, priuſquam totum, quo turget, venenum effundat, ne frigidum potum frigido veneno infundens, ipſe ſtatim moriatur.* Hoc nos moraliter docere ſtudet Chriſtus, dum clamat, ô Chriſtiani, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, priuſquam ad vivificum æternæ vitæ fontem Euchariſtiæ accurratis, antequam de divino illo potu ſumatis, evomite omne, quodcumque animas veſtras gravat venenum, id eſt, peccatum, ne vos totaliter frigidi, & omni charitatis calore privati, hujus fontis frigiditate (qui hujuſcemodi hominibus frigidus eſt) quamplurimùm ſpiritualis nocumenti percipiatis, & ſempiternam mortem incurratis. Sic concinnè ad prætactam ſerpentis proprietatem divinis verbis explicat S. Ambroſius? *Serpens cùm venit ad bibendam aquam, priuſquam bibat, evomit venenum ſuum, & poſtea bibit, ita & nos quando ad Altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum paſſionum, hoc eſt, iracundiam & falſitatem,* (addo ego prorſus, omne peccatum mortale) *ut ſic ad Altare Domini corpore & ſanguine ejus ſatiemur.*

Matth. 10 v. 16.

Audiviſtis, & quidem prolixè Auditores, de debita ad hoc magnificum Sacramentum præparatione diſcurſum. Quare finem impono, & quidem cum ſcrupulo, quem mihi ingerit S. Thomas à Villa Nova, dicens: *Sed quænam diſpoſitio, quæ præparatio, quæ puritas ſufficiet? Quid poteſt facere miſer homo, putridus & impurus? Quomodo poteſt ſe diſponere ad tantæ majeſtatis edulium?* Quid igitur? An ab eo abſtinendum? Neutiquam ſanè. Minatur enim non manducantibus æternam damnationum: *Niſi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid igitur agendum? Ah Chriſtiane peccator, accede cum fiducia, ad Deum accurre, & clama pro dignè guſtando tanto Sacramento, pro obtinenda illius gratia divinis Divi Thomæ à Villa Nova verbis: *Domine da, quod jubes, & jube, quod vis, præſta, quod poſcis. Non invenit in ſacco Benjamin frater Ioſeph aurum, niſi quod ipſe poſuerat: neque invenies bone Ieſu in pectore noſtro bonum, niſi quod ipſe præſtiteris. Vtinam Domine, utinam in corporis noſtri ſacco gratiæ tuæ ſcyphum ſacro huic frumento clementer inſeras, & piè abſcondas: hâc lege & conditione, ut in quo beatum furtum inventum fuerit, tibi perpetuò mancipetur, & tibi ſerviat in æter-*

Conc. 3. de Corp. Chriſti. — *Ioan. 6. 54*

æternum: nam tibi servire, regnare est. Et ulte-
riùs pergit: Et *quid tibi dicam Domine Deus? Hoc*
unum video, hoc unum scio: quia quas diligis a
nimas, ipse purificas, ipse mundas, ipse ornas, ipse
ditas, ipse pulchrificas, ut placeant coram oculis
tuis, quæ priùs displicuerunt. Diligis, quia dile-
xisti: faves, quia favisti: magnificas, quia prævo-
nisti: glorificas, quia magnificasti: misereris, cui
misertus es: & misericordiam præstas, cui misere
ris: gratiam pro gratia, donum pro dono, & cui
gratis dedisti munditiam, gratis quoque adauges
gratiam. Dona tu remuneras, & munera gratias.
Et tandem concludens, ait: *Tu ergo diligis, tu præ-*
venis, tu disponis, tu exaltas, tu magnificas, tu glo-
tificas, tu omnia facis, & ut ego cooperer, facis.
Quid à me requiris? O terque quaterque beati,
qui in oculis tuis gratiam invenerunt! Tuum est
ergo, hanc dispositionem præparare, nostrûm est pe-
tere, tuum est efficere: nostrûm est desiderare, tuum
est dare: nostrûm est quærere & flagitare. Et hoc
non nisi à te, & per te, à quo est & velle, & perfice-
re pro bona voluntate. Hoc dona, hoc præsta,
hoc elargire, te obnixè precamur, Domine, ut
dignè tantùm sumere queamus cuncti Sacra-
mentum, ejusque æternâ promissâ mercede po-
tiri, quæ cælestis beatitudo est, quam mihi, & vo-
bis omnibus impertiatur Deus Pater, Filius, &
Spiritus S. Amen.

PRO COENA
CHRISTI DOMINI.

Cùm dilexisset eos, in finem dilexit eos. Joan. cap. 13.

NUllus in dubium vertit, quin in stupen-
da sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti
institutione, nobilissima divinæ essen-
tiæ allaborârint attributa: nimirum in-
finita sapientia, incomprehensibilis omnipoten-
tia, & immensus amor. Quod satis luculenter
prognosticavit Propheta David, dicens: *Memo-*
Ps. 110. 5. *riam fecit:* ecce sapientiam, *mirabilium suorum:*
ecce omnipotentiam, *misericors & miserator Do-*
minus escam dedit timentibus se: ecce amorem.
Unde mihi videtur divina attributa ad instar fi-
ctarum Dearum, Palladis, Junonis, & Veneris,
(quas pro palma pulchritudinis inter sese alter-
catas fuisse, veteres fabulantur Poëtæ) de princi-
patu quoque, & præcipua hujus effectus causa
decertasse. At quandoquidem rectè dicat Sene-
ca: *Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,*
æquum licèt statuerit, haud æquus fuit. Operæ
pretium est, litigantes ad examen convocare, &
omnium rationes, & fundamenta justa bilance
trutinare.

Fateor, sufficeret, ut nos tanto mysterio obstu-
pefacti, solummodò illud Pauli Apostoli intona-
2. Cor. 9. remus: *Gratias ago super inenarrabili dono:* ut ab
v. 15. ulteriori istius perscrutatione abstineremus. Ve-
rùm, liceat mihi curiosè & piè spiritualem hanc
litem dirimere, quæ in hoc cardine versatur: u-
trùm omnipotentia, an sapientia, an amor, in ad-
mirabili hoc opere plus resplenduerit, quæque
earum proprietatum illius potissimùm sit causa.
In confesso est apud omnes Philosophos, cun-
ctos effectus suam ab ea causa desumere denomi-
nationem, quæ ad eam viciniùs, & efficaciùs con-
currit. Quare audiamus, quodnam pro suo ad
hoc Sacramentum quodlibet divinum attribu-
tum speciali (quoad attributionem, non quoad
realitatem loquor) omnia enim utpote plane i-
dentificata, æqualiter influunt, concursu adducat
fundamentum.

Ecce, audacter in arenam descendit Sapientia,
palmam & victoriam sperans sese obtenturam,
cap. 6. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit* Prov. 9. 1.
columnas septem, miscuit vinum, & posuit men-
sam. Vult dicere, Sapientia divina *ædificavit sibi*
domum, id est, Ecclesiam suam, *excidit columnas*
septem, id est, eam stabilivit septem basibus sàn-
ctorum Sacramentorum (inter quod nobilissi-
mum, & eminentissimum est sacra Synaxis) i-
deoque à Dionysio nuncupatum est: *Sacra-*
mentum Sacramentorum. Posuit mensam, vide-
licet

licet eucharisticam, in qua corpus non materiali cibo & potu, sed spirituali veri, & realis corporis Christi cibo, & pretiosi sanguinis ejus potu spiritualiter anima saginatur, & reficitur; itaque venerabilis Eucharistia effectus est sapientiæ. Nec hic sistit, sed pergit, subtileque pro se proponit argumentum. Sub accidentibus in Hostia consecrata vere, & realiter existit corpus dominicum, subsistens subsistentiâ Verbi, cui specialiter attribuitur Sapientia Patris, non autem Patri, aut Spiritui S. quoniam Patri adscribitur omnipotentia, & Spiritui S. amor. Sicque nec amor, id est, Spiritus S. nec omnipotentia Pater incarnatus est, (sine cujus mysterio, nec hoc institui potuisset absconditum Sacramentum) sed Verbum Patris Sapientia est incarnatum, deinde ipsamet Sapientia divina illud instituit, imò & distribuit: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum.* Igitur illud Sacramentum effectus est Sapientiæ.

Matt. 26. v. 26.

Tandem, ut mysterii hujus effectus, & quasi partus nuncupetur sapientiæ necesse est. Quoniam illud quàm plurima mundo ignota, & abscondita in lucem deduxit, sicque utcumque naturalium scientiarum apparet magistra. Etenim, quis Philosophorum cognovisset accidentis in subjecto inhærentiam, ejusque ab eodem possibilem separabilitatem, atque substantiæ perseitatem, nisi ex hoc mysterio? Quis Metaphysicorum ingenii sui alis eò sese in altum elevasset, ut rationem subsistentiæ attigisset, & credidisset in composito physico ultra materiam, formam, & actualem unionem aliquid aliud ab iis distinctum (in quocumque illud consistat, quod disputare, non est hujus fori) reperiri, per quod illud compositum constituitur in ratione vel suppositi, vel personæ, nisi id eum Eucharistiæ Sacramentum docuisset? Quis qualitatis officium, ejusque effectum formalem primum & secundum apprehendisset, simulque unum & idem corpus in pluribus locis adæquatis posse existere, & quidem eorum in toto, & totum in qualibet parte absque ulla figura, aut dimensione, nisi id convinceret altissimum hoc mysterium? Unde, si doctissimus Tertullianus vocârit Philosophiam humanam *Patriarcham hæresis*, dum innixa mero naturali lumini vult mensurare quoscumque effectus supernaturales; potiori jure possumus nos hoc Sacramentum appellare *Patriarcham veræ sapientiæ.* Concludendum itaque, illud sapientiæ præcipuè esse adscribendum.

Tertull. l. præscript.

Audiamus modò, quasnam rationes pro se alleget omnipotentia pro præeminentia impetranda. Summæ potentiæ evidentissimum est signum, multum in parvo, imò in minimo concludere. Indicium potentiæ est, infinitè distans alteri comparti adjungere: Potentiæ est, immensum determinatâ mensurâ comprehendere. Hoc primum fecit omnipotentia in summo illo Incarnationis mysterio, in quo multum, nimirum Verbum, quod cælum & terra capere non poterant, virginali claustro conclusit; secundum effecit tum omnipotentia, quando infinitæ dignitatis naturam vili, abjectæ, & infinitè ab ea distanti reali hypostatico nexu copulavit: *Et Verbum caro factum est.* Verùm longè magnificentius opus operata est omnipotentia, dum Divinitas illa sic humanitati connexa, sese sub sacramentalibus speciebus, transsubstantiato pane in corpus Christi, cunctis fidelibus in escam & cibum præstita fuit. Unde ei potest appropriari illud: *Verbum abbreviatum fecit Dominus.*

Deinde immensæ potentiæ fuit testimonium, cælum & terram ex nihilo unico *Fiat* creare, cui correspondet mox effectus: *Ipse dixit, & facta sunt:* ideoque omnis homo precatur, & orat, & credit, *Credo in Deum omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* In hoc Sacramento sanè longe nobiliùs elucet opus potentiæ, dum verbis essentialibus consecrationis prolatis à legitimo ministro, panis in verum Christi corpus, & vinum in pretiosum ejus sanguinem transsubstantiatur. Et sic quod de Creatore, de hoc quoque veraciter dici potest: *Ipse dixit, & factum est.* Potentiæ est talem escam conficere, quæ potens sit sumenti vitam conservare æternam. Nonne de venerabili hoc cibo dicitur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Divinæ potentiæ est dominari principibus tenebrarum, dæmonesque debellare, & illud efficit hoc Sacramentum; unde ait S. Leo: *Igitur tamquam leones ignem spirantes facti, tanquam diabolo terribiles ab hac mensa non recedamus.* Insuper ad potentiæ commendationem, quæ in sacrosancta Synaxi, ejusque oblatione continetur, maximè annotandum est, eam tantæ esse virtutis, efficaciæ, ac eminentiæ, ut tum vivis, tum defunctis opituletur, & suffragetur, quod ipsi quidpiam speciale videtur.

Ioan. 6. 52

Leo serm. de Pass.

Ante

Antè tactum est, Incarnationem Christi eximium potentiæ extitisse opus; quod obscuris, sed nervosis verbis satis intelligenti innuit mellifluus Doctor, dicens:

Bern. ser. de Ascens.

Ascendit caro ad Dei proprietates, nimirum per idiomatum communicationem: ita, ut homo dici possit Deus, immensus, omnipotens, &c. loquendo de homine Christo. Attamen hoc non fuit tale opus, ut ipsi justè appropriari queat, *Non plùs ultra*. Ut talis namque, & ut homo, erat mutabilis, passibilis, mortalis, &c. Et idcircò potiori jure dici potest: *Ascendit Divinitas ad carnis proprietates*. Non erat inquam, *plùs ultrà*, quia Verbum incarnatum erat in loco circumscriptivè, ponatur itaque *plùs ultrà*, ulteriùs potentia limites suos extendat, & collocetur in loco circumscriptivè in venerabili Sacramento. Statuatur ibidem immutabilis, impassibilis, immortalis, &c.

Tacente potentiâ, ecce accedit amor, rationes suas pro bravio adipiscendo propositura. Quis enim Deum commovit, ut vilem assumeret creaturam? Quis Verbum è sinu cælestis Patris sui extraxit, nisi amor? Quod considerans Bernardus, in stuporem raptus, exclamat: *O amoris vis! itane summus omnium, imus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor affectu carens, quid violentius? Triumphat de Deo amor*.

Philip. 2. v. 7.

Quod & ingenuè confitetur Augustinus, dicens: *Amor Majestati oculos clausit, ut formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus sit ut homo*. Hoc & ipsemet Spiritus S. testatur: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Hoc autem Sacramentum *non potuit*, inquit Divus Thomas, *institui ante incarnationem*. Cùm itaque causa causæ sit causa causati, & amor sit causa movens ad incarnationem, sequitur & etiam ad effectum subsecutum. Imò ipsemet per Prophetam Osæam dicit, mysterium incarnationis peractum esse,

Ioan. 6. 52

ut sese nobis in cibum & potum sub sacramentalibus speciebus panis & vini præberet: *Declinavi ad eum, ut vesceretur*. Ad quod egregiè Augustinus:

Osea 11. 4. *Leo serm. de Pass.*

Semetipsum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo. Quia ergò homo ad illum panem non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem. Prætereà quid movit divinam Sapientiam, ut adinveniret hoc stratagema, Deum homini copulandum? Ah, amor affectu potens.

Prov. 8. 31.

Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quid ursit omnipotentiam illud exequi? Sanè amor. Ille itaque & primum movens, & primus inventor, & sic ipsi attribuenda videtur palma; quandoquidem gratiæ (juxta commune axioma) sint reddendæ primis inventoribus.

Intellexistis Auditores, trium divinæ essentiæ attributorum inter sese de prærogativa Eucharistiæ Sacramenti concertantium litem. Fatemini mecum arbitror, quodlibet subtiles, & ingeniosas adduxisse ratiocinationes, solidaque pro sua parte fundamenta, sed quis illam modò dirimet? Quis judex statuetur? Vestrâ veniâ discernat hanc controversiam celeberrimum illud œcumenicum Concilium Tridentinum, quod paucis difficultatem absolvit, palmam donans amori hisce verbis:

Concil. Trident. sess. 13. c. 2. *Chrysost. c. 13. in Ioan.*

In hoc Sacramento omnes divitias divini sui ergà homines amoris effudit. Quam solutionem diu ante illud dederat S. Chrysostomus, dicens: *In hujus Sacramenti institutione nihil omisit, quod vehementer amantem deceret*. Quod & confirmare videtur S. Bernardus serm. 2. in cœna Domini: *In hoc Sacramento pietas magis emicuit, gratia plus refulsit, charitas ampliùs radiavit*. Hoc itaque supposito, mens est in hodierno discursu paucis demonstrare, quanta dignitas, quanta eminentia & nobilitas ex hoc Christi amore homini, tum quoad corpus, tum quoad animam proveniat, & quàm strictè divinus amans cunctas amoris observârit conditiones. Verùm, antequam me tam difficili operi accingam, linguæque meæ sagittam, ut rectè in scopum collimem, præparem, obtestor vos omnes, ut unanimiter mecum necessarium Spiritus S. expostuletis adjutorium per Mariæ Virginis securum patrocinium, eamque ad illum finem salutetis Angelicis verbis: Ave gratiâ plena.

Non est ullum dubium, quin Christus Dominus arctissimo, ac vehementissimo amore corpus suum, quod ex puro immaculatæ Deiparæ Mariæ sanguine in virginali claustro assumpsit, adamârit. Maximum namque, (ut infrà videbimus,) amoris indicium est, amantis ab amato inseparabilitas. Cùm ergò quidquid Verbum assumpsit, nunquam dimiserit, (ut dicunt Scholastici,) sequitur, Corpus Christi inseparabiliter Divinitati esse unitum, ac proinde illud singularissimè diligit. Sed unum hic difficultatem mihi ingerit. Si id verum est, cur itaque Christus permisit benedictum suum corpus tot ignominiis affici, barbaricè funibus ligari, crudeliter alapis cædi, armatâ manu immaniter percuti, sputis fœ-

dè commaculari, flagris ſævè flagellari, de Caipha ad Pilatum, de Pilato ad Herodem violenter trahi, ungulis ferreis hoſtiliter dilacerari, acutis ſpinis acerbe pungi, diris clavibus inhumaniter perforari, & tandem ultimum pati opprobrium, atque ſcandaloſâ crucis morte plecti? Ah, quis unquam carnem ſuam odio habuit? Non, non Chriſtiani, aberratis, ſi id cogitetis. Amor corpus tot ignominiis affecit, amor corpus tot flagellis diſcerpſit, per plateas traxit, & tandem cruci affixit, ut pòſt, mediantibus illis afflictionibus, illud in altum elevaret, & ſupra omnem creaturam ſublimaret.

Ioan. 3. 1. Sed quo ſtratagemate, quâ viâ? *Ecce ſciens Ieſus, quia venit hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem*, non ignorans, jam jam cruentam ſibi imminere paſſionem, apprimè cognoſcens cuncta mala, & tormenta, quibus ſacroſanctum ſuum afficeretur corpus, de illius exaltatione, & omnis vituperii recompenſatione conſuluit, & denique omni modo maturè perpenſo, altiſſimum corporis ſui ex ardenti amore inſtituit Sacramentum. Verè omnis dedecoris, ignominiæ, & afflictionis reparativum. Etenim illud idem corpus, quod ignominiosè de loco ad locum, de platea ad plateam violenter raptum eſt, per totum terrarum orbem, per plateas, vicos & civitates coram omni populo honorifice in Hoſtia conſecrata à Sacerdote defertur. Illud corpus, ante quod impii Judæi improperando genua flexerunt, clamantes: *Ave Rex Iudæorum*. Modò

Matt. 27. v. 29. à tota Eccleſia omni cum reverentia aſpicitur, & à Catholicis in hoc Sacramento profundè honoratur clamantibus: *Domine non ſum dignus, ut*

Matt. 8. 8. *intres ſub tectum meum*. Illud corpus, quod iniqua armati militis manus auſa fuit attingere, ipſe conſecratus Sacerdos mundis manibus, ſummoque honore non veretur contrectare: Illud corpus, quod fuit ſputis inhonoratum, in infami crucis trabe publico opprobrio expoſitum, illud ipſum in ſacra Synaxi cunctis proponitur, non tantùm hominibus, ſed & cæleſtibus ſpiritibus, multifario, & Deifico cultu adorandum. Ecce, quanta eminentia, quanta nobilitas, quanta celſitudo ex Chriſti amore in corpus non redundet? Unde aſſerere audeo, Chriſtum inſtituendo arcano hoc Sacramento, illud Iſaiæ de carne

Iſa. 60. 15. aſſumpta loquentis, adimpleviſſe: *Pro eo, quòd fuiſti derelicta, & odio habita, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generatione & generationem*.

In confeſſo eſt apud omnes, per myſterioſam Incarnationem, & ſtupendam illam inter naturam divinam & humanam unionem, eam tam admirabiliter eſſe elevatam, ſublimatam, nobilitatam, ut etiam ipſum corpus ſupra cunctos Angelorum choros collocetur. Et illud, quod corpus, & materiale eſt, à ſpiritu, & immateriali creatura cultu eodem, quo ipſamet Divinitas adoretur. Quæ celſitudo quæſo major aut dari, aut excogitari poteſt, quàm ut creatura Creatori, homo Deo quaſi coadæquetur? Hoc totum effecit ſacroſanctum illud vinculum, inquit Damianus diſertis his verbis: *Niſi Deus humanam ſuſcepiſſet formam, numquam homo ad cæleſtem pertingeret gloriam*, (multò minus ad deificum cultum) *niſi Deus humiliaretur infra ſe, numquam homo exaltaretur ſupra ſe. Niſi paulò minùs ab Angelis minoratus eſſet Deus homo, numquam æqualis Angelis fieret purus homo*. Quid excellentius dico mente concipi poteſt, quàm, ut homo adhuc vivens, ſpecialiſſimi doni, & gratiæ abſconditâ virtute, (ait namque Deus: *Non videbit me homo, & vivet*) clarificâ perfruatur divinæ eſſentiæ viſione. Hanc prærogativam homo eo inſtanti ſortitus eſt, quo Divinitati copulatus. Unde in Chriſto bina ab inſtanti ſuæ in puriſſimo beatæ Virginis Mariæ utero conceptionis reperienda fuit beatitudo, una ex parte naturæ divinæ increata, altera ex parte humanæ creata, idque vi ſtupendæ hypoſtaticæ unionis. Ita expreſſè docet Angelicus Doctor: *Dicendum eſt, quòd ex ipſa unione homo ille eſt beatus beatitudine increatâ, ſicut ex unione Deus, ſed præter beatitudinem increatam, oportuit in natura humana Chriſti eſſe quandam beatitudinem creatam*. Cui apprime adſtipulatur Richardus, dicens: *Quod nos exſpectamus in conſummatione, illi datum eſt in ſua conceptione*.

Damian. ſerm. 1. de Spir. S.

Fateor ingenuè, mirificum donum eſt, ſtupenda & incomprehenſibilis divinæ naturæ ad humanam communicatio, inconceptibiles ſunt, atque non tantùm humanum, verùm etiam Angelicum tranſcendunt intellectum, dignitates, quas illa ſecum homini apportat. Non vereor tamen aſſerere, longe præclariora dona, longe eminentiores prærogativas, longe majorem nobilitatem humanæ naturæ ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum contuliſſe. In quocumque enim ſtatu humanam naturam vi incarnationis ſublimatam conſtituas, illam ipſi Divinitati repe-

ries simplicem famulam, & eâ infinitis parasangis inferiorem. Verùm, quantumvis in veritate Catholica sustinendum hoc sit, dicendumque, naturam divinam absolutè, & præcisè secundùm se sumptam, semper ab humana imperfectione, & nobilitate infinitè distare, (inter creatum enim, & increatum, ait Theologus, infinita est distantia) nihilominus piè, decenter & rationabiliter (modò debitè explicetur,) in excelso, & incomprehensibili sacrosanctæ Synaxis Sacramento asseverari potest, amantem Deum vehementi amoris igne erga hominem attractum, eò devenisse, ut humanam naturam, abjectam, & vilem carnem, luteum corpus suæ Divinitati ex proprio beneplacito statuerit dominam, dicendo: *Hoc est corpus meum.*

Quod assertum, ut luculentiùs comprobetur, operæ pretium est maturè annotare, sedulòque examinare Concilium Tridentinum, & omnium Scholasticorum irrefragabilem doctrinam. Docent illi unanimiter, secundùm veritatem Catholicam, quædam in Sacramento Eucharistiæ poni vi verborum & consecrationis, quædam verò per concomitantiam; ita ut primariè, & præcipuè sub speciebus panis, loco illius materiæ substituatur verum, & reale Corpus Domini: concomitanter verò, (quoniam illud sanguini, animæ rationali, ipsique Divinitati physico nexu substantialiter est annexum) hæc adventitiè adveniunt, & verè existunt sub sacramentalibus speciebus panis, corpus, vi scilicet verborum, sanguis, anima, Divinitas per concomitantiam. Et pariformi planè modo philosophandum est de sanguine Christi sub speciebus vini contento, qui quoque vi consecrationis ponitur, cætera verò per concomitantiam. Concludo ergò, ipsamet Divinitas, quæ indubiè absoluta est rectrix, & domina, eò usque se exinanivit, ut in hoc Sacramento corpori, quod Judæis, & mundo fuerat opprobrio, in ancillam & pedissequam quasi deservire decreverit, semper illud concomitans inseparabiliter ei conjunctum. Unde ex hoc rectè ei

Phil. 2. 7. potest appropiari: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Quod S. Augustinus diligenter perponderans, excessumque divini amoris masticare non valens supra illa verba Davidica:

Ps. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se,* sic ait: *Reliqua Sacramenta, quæ in Ecclesia tenentur, stupenda sunt, & veneranda, sed istum tuum Domine* (en tuum dicit, quia amoris est) *Sacramentum præcellit universa.* Quibus verbis etiam Augustinus comprehendit Sacramentum Incarnationis, ut ex aliis locis sufficienter constat:

Verùm, si quispiam differentiam, & excessum amoris à Deo nobis demonstrati, inter duo hæc mysteria, luculentiùs investigare desideret, unum alteri in effectu comparet, & manifestissimam comperiet disparitatem. Certo certiùs est, & ab omni Theologo receptum, amorem, quo ille sui magis est diffusivus & communicativus, eo fore majorem, & ferventiorem. Hoc posito, pro majori subsumo: atqui amor divinus in Sacramento Eucharistiæ magis sui est diffusivus, & communicativus, quàm in mysterio Incarnationis: ergò est major, & ferventior. Minor facilè probatur: quia magis esse diffusivum & communicativum, est pluribus communicari: atqui pluribus communicatur, ergo &c. Minor rursus cuilibet patet. In hac namque uni dumtaxat humanitati, nimirum Christi, in Eucharistia verò cunctis Christi-fidelibus communicatur. Unde S. Chrysostomus hoc Sacramentum justè nuncupat *extensionem incarnationis:* quia Divinitas, quæ ad unum tantùm terminabatur, hoc mediante Sacramento ad omnes sumentes diffunditur. Deinde quid excellentiùs, quid nobilius, quid perfectiùs, duo infinitè distantia inter sese tantummodò uniri, an verò incorporari, & unum quasi fieri cum altero? Indubiè ultimum. Primum fit in mysterio Incarnationis, quod etiam magnum signum amoris fore asserit Augustinus: *Quid est enim dilectio, vel charitas, quam tantopere Scriptura divina laudat, & prædicat, nisi amor boni? Amor autem alicujus amantis est, & amore aliquid amatur. Ecce tria sunt, amans, & quod amatur, & amor. Quid est ergo amor, nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur,* quod Augustinus maximum amoris non diffitetur indicium. Aug. lib. de Trin. cap. 10.

Secundum verò in sacratissimo Eucharistiæ comperitur Sacramento, ut indubitanter sustinet Chrysostomus, dicens: *Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris, quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, hoc nos pascimur, huic unimur, & facti sumus unum Corpus Christi, & una caro.* Quæ prærogativa cuncta aliàs antecellit, ut asseveranter docet pluribus in locis August. Unde Christus in hoc mysterio nobilissimæ conditioni amoris abundantissimè Hom. 60. ad pop. Ant.

satisfecit, quæ est, quòd amans identificari quasi adoptet cum amato, in eoque vivere.

Et hanc doctrinam quoque fiducialiter sequitur Gregorius Nicænus in cap. 13. Eccl. considerans illud Christi dictum: (*Ioan. 6. 51.*) *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Esculentum*, inquit, *se nobis posuit is, qui semper est, ut accipientes illum in nobis, illud efficiamur, quod ipse est.* Et adhuc idem testatur Dionysius: *Ducitur*, inquit, (*De hierar.*) scilicet per Eucharistiam, *homo in divini status puritatem.* Et omnium acutissimè S. Augustinus supra ipsiusmet Christi testimonium: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, in extasim pro tanto Dei nostri erga nos amore quasi raptus, exclamans idem asserit: *O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet unde vivat, vivat in Deo, de Deo, incorporetur, vivificetur.* Unde instituto hoc Sacramento, verificatur illud Joannis: (*Ioan. 17. v. 22.*) *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.*

Nunquam annotâstis, quàm fraudulenter diabolus protoplastem Adam, ut eum ad casum, & ruinam, mediante vetiti ligni esu, falsis promissis, vanâque spe deluserit, dicens: (*Gen. 3. 5.*) *Eritis sicut Dii?* Non dubito. Sed non advertistis, eum proprio laqueo contra mentem suam fuisse constrictum? Forsitan non. Attamen ita est. Secundùm communem, magisque probabilem Theologorum sententiam, Verbum divinum non fuisset incarnatum, & per consequens, nec sacramentatum, nisi Adam Dei præceptum impiè fuisset transgressus. Dæmon itaque eum ad peccatum pelliciens, cui occasio esse volebat æternæ ruinæ, occasio fuit æternæ vitæ: (*Ioan. 6. 57*) *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et quem similem bestiis, & jumentis efficere conabatur, ille in posteris suis, mediante hoc Sacramento, Deus redditus est, sicque & ejus dictum præter expectationem verificatum est: *Eritis sicut Dii*: Videlicet, quando in mensa Eucharistica sacrosanctum Christi corpus & sanguinem digne homines sumunt; *quia tum efficimur illud, quod ipse est* ait Gregorius. Et ita hoc explicat Rupertus (*Ioan. c. 55. v. 18.*) Abbas lib. 6. in Joan. suprà hæc verba: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic perspicuè Divinitatem pollicetur carnem suam manducantibus, & illusionem nequissimi nebulonis, qui dixit: Comedite, & edite, & eritis sicut Dii. Non sine magno cruciatu ejus seriò loquens, in verum effectum convertit.*

Ex jam dictis insignem deduco moralitatem allectivam ad tam magnificum amoris convivium. Si namque illud tantum in se comprehendat boni, ut vitam largiatur æternam, ut hominem Deum efficiat, atque in eo caro Christi cum carne hominis quasi identificetur: Quis fidelium retardabit ad hanc escam accedere? Quis, inquam, hujus amore passionate non rapitur? Augustinus docet, pro indubitato amorem fore magnetem, (*August. tract. 26. in Ioan.*) & bonitatem objecti amati lucrum, & escam fore attractivam ad amorem etiam in irrationabilibus creaturis, à quibus ad rationales prosequitur. *Ramum viridem*, (inquit,) *ostendis avi, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quò currit, trahitur. Amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergò ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt: quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas: Quomodo non trahit revelatus à Christo Pater?* quandoquidem ipse summum sit bonum! Et Psal. 139 ad amorem Dei invitans, pulchre ait: *Ecce, etiam diabolus proposuit, & invitavit ad fraudem. Lucrum habere non poteris, nisi fraudē feceris. Sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam, ut videas & laqueum. Quia lucrum non potest adipisci, nisi fraudem feceris. Fraudem autem si feceris, capieris. Non ideo capieris, quia invenieris. Aliquando enim non invenieris, sed ab hominibus, à Deo autem capieris, & traheris, & occideris. Omnis enim, qui talia facit, perimit seipsum. Ibi est ergo esca, ibi est laqueus. Refræna desiderium, & non cades in laqueum. Si autem vicerit te desiderium escæ, mittis tibi collum in laqueū, & capit te auceps animarum.* Non sic animas nostras venatur Deus noster, non sic ad escam præpositam pellicit, ipse namque non laqueum abscondit irretientem, sed cibum offert vitam sempiternam in se continentem: escam spiritualem donat, à qua accipiens anima omnem sortitur dulcedinem, fortitudinem, & destructas recuperat virtutum vires; escam præsentat, per quam homo in Deum ipsum quasi commutatur, teste Augustino dicente: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me, sicut esca carnis meæ.* Quid igitur statis otiosi Christiani! Quid tam lautam & opiparam mensam negligitis? Ah, quomodo possibile est, ut tantum bonum protervam vestram voluntatem, ad illo gaudendum, efficaci-

ficaci-

ficaciter non alliceat? Quid quæso adducere in extremo judicii die poteritis excusationis, quòd tam contumaciter amanti Deo vestro, & vocanti restiteritis?

S. Thomas à Villa Nova vehementer urget non sumentes, & tepidorum Christianorum in hoc summi momenti negotio refutat rationes, antithesim faciens inter corporis, & animæ curam. Audite ejus verba: *Hinc jam fratres desidiam vestram perpendite: agnoscite negligentiam, quippe qui corpus in via toties in die reficitis, & animam miseram longâ peregrinatione laborantem, vel semel in mense reficere negligatis, & ad splendidam hanc* (quæ quocumque tempore, quâcumq; horâ homini parata est) *mensam accedere contemnatis.* Et rationem tantæ socordiæ allegat: *Satis sibi quisq; putat si Ecclesiæ præcepto coactus, ad annum communicat.* Sed quàm stultè se gerit homo, qui viam itineris assumpti non considerat, & sine alimento necessario illud arripere cogitat. Stultum est enim sibi finem præfigere, & non ad eundem efficax medium eligere. Quia, qui debilis est corpore, & per pharmaca desiderat vires recuperare, si à medico destinatam potionem non sumat, humore maligno superabundante, paulatim debilior fit, & sic tabescens moritur. Audite præfati S. verba: *Quid mirum, ô viator! si deficis, si lassaris, qui viaticum tuum recipere ad annum protrahis? Quid de infirmitate, & torpore cordis quotidie cõquereris, qui illud cibo suo semel in anno pascis. Nũquid non legisti: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meũ? Numquid non vidisti, quid lasso cibus conferat? Crede mihi, hoc confert animo viaticũ salutare. Quod si dixeris: non ita experior: hoc est, quod ego vehementer doleo: quia rarò, qui hoc experiatur, inventus est dignus. Refici namque hoc edulio, pluribus commune est, sed hanc ipsam refectionem experiri, paucorum est, quos pius Dominus adamavit.*

August. tract. 26. in Ioan.

Et quantumvis D. Thomas ait, homo præstantissimum hunc cibum dignè accipiat, & nec sensu interno, nec externo ejus efficaciam, atque suavitatem sentiat: attamen benignus Dominus in animam per gratiam influere non desinit. *Quis hodie cælestis edulii dulcedinem sentit? Quis in hoc cibo præstantiam majestatis agnoscit? An putas, quia gustatus Dominus nullam adferat sumentibus suavitatem? Occultatur quandoque fateor propter fidem, ut non huic experientiæ nostra credulitas innitatur; sed frequentiùs hoc nostra evenit tepiditate.* Accedamus itaque, ô Christiani, frequenter ad hunc fontem vivum, ad sanctum hoc amoris convivium, ut tam salutari potu anima reficiatur, & concupiscentiæ calores extinguantur, & ipsa tam substantiali escâ saginetur, & corroboretur ad deambulandũ per vastum hujus mundi desertum in perfecta Dei mandatorum via. Invitamini cuncti ad divinam hanc cœnam opiparè præparatam. Nolite respondere invitanti cum fatuis invitatis, de quibus commemorat Lucas cap. 14. negotiis sæcularibus & mundanis implicatis: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre eam: rogo te, habe me excusatum. Alter dixit: juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: uxorem duxi, & ideò non possum venire.* Nolite, inquam, hos imitari, ne severam tandem irati Domini ob tantam negligentiam percipere cogamini sententiam: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum istorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam:* nimirùm in æterno cælestis Patris mei regno.

V. 18, 19. & 20.

Vers. 24.

Verùm, ut efficaciùs, ac suaviùs quilibet ad sacrosanctum hoc amoris edulium alliceatur, alias ejus conditiones, quæ ad amussim in illius institutione observantur, parumper ulteriùs indagemus. Aristoteles hanc adhuc amori attribuit proprietatem, quòd velit ipse amato bona, & operetur bona ad ipsum. Pro quo ostendendo operæ pretium est subtilem doctissimi Theodoreti speculationem annotare, qui asserit, illum locum Davidis, *Multiplicasti misericordiam tuam Deus*, ubi Hebraicus textus legit: *Extendisti misericordiam tuam Deus*, de Venerabili Eucharistiæ Sacramento rectè intelligi, per quod mirabiliter benigni Dei nostri extensa est misericordia, sicut ipsemet attestatur, dicens: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant; ut vitam habeant*, inquit, *in Incarnatione, abundantiùs habeant in Eucharistia.* Et meritò sanè dici potest Incarnationis donum & beneficium, per hoc Sacramentum multifariè fuisse extensum. Primò, quantum ad subjectum. In Incarnatione quippe unicâ dumtaxat, scilicet Christi Verbi personalitate terminata est natura: in sacra verò Synaxi cuncti eam sanctè & dignè sumentes, Deo ipsi per sacramentalem gratiam uniuntur, imò & incorporantur, ut jam paulò ante suprà dixi, & ingenuè confitetur S. Cyprianus: *Sacramento invisibili divina se infundit essentia, ut ad veritatem sincerior pateret accessus, & usque ad societatem germanissimam ejus hæc unitus perveniret.*

Psal. 35. 8.

Cyprian. tract. de hoc Sacr.

Secundò extensum est in agente. Quoniam Incarnationem sola sanctissima Trinitas, immaculatâ Mariâ Virgine purissimum suum sanguinem suppeditante, peregit: venerabile verò corporis, & sanguinis Christi mysterium cuncti legitimi sacerdotes (quantumvis scelerati, & impii) validè, suppositâ debitâ consecrandi intensione, & viribus essentialibus ritè prolatis, conficiunt. Tertiò extensum est quoad maximam facilitatem: nulla enim angelica è cælo exigitur legatio, nullus necessarius est consensus, nullæ quoque prorsus expostulantur dispositiones, sed re ipsâ, positis cunctis essentialibus, sub specie panis, & vini ponitur reale Christi Domini corpus, & sanguis. Quartò extensum est, quoad locum: quia illud corpus, quod unico secundùm quantitatis suæ mensuram terminabatur loco, per hoc Sacramentum in millenis, & millenis locis incircumscriptivè asservatur, ac collocatur: Tandem extensum est quoad tempus, quia Incarnatio semel tantùm peracta fuit, & nunquam renovata: in Eucharistia autem omni momento idem corpus reproducitur. Videte, & perscrutamini igitur, an justè & rationabiliter nuncupari non possit hoc Sacramentum, *Sacramentum amoris*; quandoquidem tanti boni sit diffusivum, & communicativum.

Hinc Propheta Zacharias omnia Dei beneficia, dona & bona, quæ hominibus in hoc mundo elargitur, attentè considerans, in hoc unico bono Eucharistiæ Sacramento consistere sentit, dicens: *Quod est bonum ejus, & quod pulchrum ejus, nisi frumentum electorum.* Ac si diceret, habetne Deus in toto divinitatis suæ thesauro aliquod bonum creaturæ communicabile, quod hoc bonum longo intervallo non superat, imò & in se comprehendit? Respondeat ad Prophetæ quæsitum perspicax illa Ecclesiæ aquila Augustinus: *Non est bonum homini, nisi quod manducabit, & bibet, quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensa hujus pertinet.* Seneca Philosophus ait, magni artificis esse clausisse totum in exiguo: hoc superabundanter præstitit Christus, juxtà Cyprianum ponderantem illa verba Lucæ: *Praparata sunt omnia. Quomodo,* inquit, *omnia? Si tantùm unum ferculum exhibetur?* Et respondet: *Quia Deus hic nobis datur, & Deus omnia est.*

Cap. 9. v. 17.

Aug. lib. 17. de Civ. Dei ca. 28.

Ah quanto cum fundamento tanto gaudentes bono exclamare possumus cum juniore Saulis filio Miphiboseth dicenti regi David: *Posuisti servum tuum inter convivas mensa tua, quid ergo habeo justa querela, aut quid possum ultrà vociferari ad regem?* O suprema bonitas! ecce abjectos servos tuos, & humiles clientes regiæ, & divinæ mensæ assidere permisisti, in qua ultimo & summo animus noster impletur, atque satiatur bono. Quid ergò ultrà Domine à tua majestate expostulare possumus? Nil sanè quia in Eucharistiæ edulio cuncta omninò spiritualia bona continentur: *Silete,* itaque clamat Propheta Sophnias, *à facie Domini Dei,* id est, ne de terra pro alio dono, & bono divinam molestetis majestatem. Sed cur ô Sophonia? *Quia,* inquit, *praparavit Deus hostiam.* Nec mirum, dicit enim Apostolus: *Quomodo cum eo non etiam omnia nobis donavit?* Et ad Ephesios cap. 3. *Qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus.* Et idem quoque cantat Ecclesia: *Qui merita supplicum excedis & vota.* Quæ Apostoli loca divinè anatomatizans Chrysostomus ait: *Benedictionis nonne communicatio sanguinis Christi est?* Et adjungit: *Cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico, & dicendo Eucharistiam, omnem bonitatis Dei thesaurum aperio.* Concludamus igitur hoc Sacramentum amori terminum statuisse, *Non plus ultrà.* Unde Evangelista Joannes de Christo hoc instituente dicit: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ubi annotandum id *in finem*, quod magnum excessum significat, ut attestatur David, dicens: *Deus destruet illos in finem.* Et psalmo 37. *Curvatus sum in finem.* Et Psalmo 73. *Levo manus meas in finem.* Sic *in finem* dilexit eos, id est, ad extremum, & ultrà quàm dici possit, ita exponit doctissimus Rupertus: *Dilexit in finem, id est, dilectionem ergà nos, eò usque perfecit, ultrà quod non potest augeri.*

2. Reg. cap. 19. v. 18.

Cap. 1 v 7.

Ad Rom. ca. 8. v. 32

ad Eph. ca. 3. vers. 20

Chrys in epist. ad Cor. c. 10.

Psal. 51. v. 7.

Psal 37. v. 7.

Psal. 73. v. 3.

Rupert. in ca. 13. Ioã.

Fratres Patriarchæ Joseph de mandato ejus frumento ad necessarium sustentaculum recepto, ut commemoratur Genesi cap. 42. domum redeuntes, inventâ pecuniâ, quam pro illius pretio donarant, in saccis, steterunt summoperè attoniti, & stupefacti, & unus alteri dixit: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Ah nonnè meritò nos Christiani, qui veri sumus Christi fratres, cùm ipse sit *primogenitus in multis fratribus.* Reperientes in medio tritici, id est, in hoc abscondito Sacramento, non exiguam sane pecuniæ summam, sed infinitum divinitatis thesaurum, ut docet S. Hieronymus: *Habemus thesauros frumenti,* lætabundi clamabimus: *Quidnam*

Gen. cap. 42. v. 28.

Ad Rom. c. 8. v. 29.

est hoc,

est hoc, quod fecit nobis Deus? Dum nobis optimum, quod potuit, condidit sanguinis pretiosi, & sacrosancti Corporis sui testamentum in Eucharistiæ institutione, dicens: *Hoc est Corpus meum.* Et vers. 20. *Hic calix novum Testamentum in meo sanguine.* Et iterum: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti.* De qua Domini dignatione obstupefactus Bernardus, ait: *Multum quidem meruit de nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis. Quid enim melius seipso poterat dare vel ipse.*

Luc. ca. 22. v. 19. Ibi v. 20. Matt. cap. 26. v. 28. Bern. lib. de diligen. Deo.

Hinc & Oseas demirans prophetico spiritu mysteriosam hanc convivii amoris mensam, quam suis in Novo Testamento præparaturus erat Christus, in hæc prorumpit verba: *Pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.* Ac si diceret, cuncti stupore hærebunt mortales de tàm stupendo miraculo, quòd unus Deus vilibus homuncionibus propriam carnem & sanguinem deglutiendum præbeat. *Stupebunt*, inquit Augustinus, *super donum, quo reficientur fideles in novissimo dierum.*

Ose. cap. 1. v. 5. Aug. lib. 18. de Trinit.

Asserti nostri jàm parumper ventilati pulchram, & solidam comperimus confirmationem in sacra Scriptura Genes. cap. 28. Ubi commemoratur Patriarcham Jacob, jàm fraudulenter fratri Esau ereptâ benedictione, de consilio Rebeccæ, ut iram furentis Esau effugeret, in Mesopotamiam ad avunculum Laban confugisse. Cui in itinere defatigato, & ob tam longum à patria quasi exilium totaliter mœsto, in somno benignus apparuit Dominus, dolorem animi ejus amplis terrenarum rerum, atque temporalium bonorum promissis deliniturus. Dixitque ad eum: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum, quasi pulvis terræ.* Imò nec hic gradum sistit divina benevolentia: verùm plus ultrà progressus, ampliora pollicetur: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septemtrionem, & Meridiem. Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Jacob ab alto somno evigilans, obstupefactus ob tantam Domini benignitatem & liberalitatem, promissum exenterare, & maturè perponderare incipit. Quo peracto, exclamat: *Verè Dominus est in loco isto.* Ac si diceret, neutiquam ambigendum est, quin magnifica, & splendida hæc dona, ac beneficia ab eo perficientur, qui Deus est, atque absolutus totius mundi Dominus. Cujus est terrena bona cuilibet pro suo arbitrio elargiri.

Genes. cap. 28. v. 13. & 14.

Verùm quod hic maxime annotandum occurrit, est, quòd Jacob (non obstante Dei, quem falli nec fallere posse optime noverat, tot terrarum possessionum promissione) adhuc anxius remanserit de necessario alimento. Ut luculenter innuunt mox subsequentia verba: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c. Erit mihi Dominus in Deum.* De hoc responso namque attonitus premor ad te clamare ô Patriarcha! Amplæ in manibus tuis ex divinis & infallibilibus promissis sunt mundi terræ, tu Orientis, Occidentis, Septemtrionis, & Meridiei absolutus constitueris dominus, omnibus terrenis veridico Dei oraculo divitiis superabundanter ditaris: Qui ergò fieri potest, ut penuriam unquàm formides, & panem expostules? *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum.* An forsitan sordidâ divitum laborat avaritiâ, qui abundant & esuriunt, & inter affluentiam, atq; terrenorum bonorum abundantiam ad instar Tantali indigent, & sibi numquàm satis esse autumant? Minime sane. Quid igitur prætendit Jacob ô Auditores? *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum?*

Vers. 20. & 21.

Doctissimus Rupertus, ut genuinam Patriarchæ intentionem, & absconditi sub miro hoc responso sublitiscentis mysterii expiscetur rationem, eamque nobis aperiat, retrogreditur, & in memoriam revocat Caput Geneseos 27. ubi sacra Scriptura enucleatè recenset, vehementem planctum, & ejulatum primogeniti Isaac filii Esau. Is quippe paternam dolosè sibi à Jacob subreptam benedictionem intelligens, totus in amaras lachrymas dissolutus, lamentabili voce ad patrem clamat: *Benedic etiam & mihi pater. Qui ait venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Quibus patris verbis consternatus Esau institit: *Numquid & servasti mihi benedictionem? Num unam tantùm benedictionem habes pater? Mihi quoque obsecro, ut benedicas.* Sed quid responsi recipit miser, quid consolationis. Textus subjungit: *Frumento & vino stabilivi eum, & tibi post hæc fili mi, ultrà quid faciam.* Nec ad hoc animo despondens Esau, à quo instantibus precibus, & ejulatu benedictionem extorquere non poterat, eum lachrymis emollire tentat. *Cùmque ejulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Quibus verbis dilucidè constat, Isaac Esau terrenorum bonorum possessionem, & divitiarum copiâ fuisse pollicitum, (ut etiam decursu temporis ad effectum deductum est, sicuti Scripturistæ nôrunt) quo-

Gen. cap. 27. v. 33. & 34. Vers. 27. & 28. Vers. 39.

quomodo itaque veraciter dicere potuit, *& tibi post hac fili mi, ultrà quid faciam?*

Sane ad hunc nodum dissolvendum, dicendum est magnificam Jacob benedictionem, Esau benedictioni infinite præeminuisse, ideòque dixisse senem patrem: *Et tibi, fili mi, ultrà quid faciam?* Quæ verba non litteraliter capienda sunt, quia per *tò frumentum & vinum* non materialis agrorum, & terrarum intelligitur substantia, sed mystice intelligenda: ita ut per tò *frumentum & vinum* reale Christi Domini corpus, & sanguis præfiguretur. Quod nutrimentum ipsum posteris Jacob in Novo Testamento sumendum datum, Prophetico spiritu Isaac præsagiebat. Sic ad mentem meam id optime exponit S. Paschasius. *Hoc est apertè dicere, firmavi eum pane corporis Christi, & vino sanguinis, tibi autem fili ultra quid faciam?* Hîc enim appositæ cernuntur herculeæ columnæ, cum dicto: *Non plùs ultra.* Quoniam in hoc omnes omnium divinarum, cœlestium bonorum, & donorum, quæ desiderari, & expeti queunt, conglomeratim comprehenduntur (ut supra dixi ex Zacharia. *quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum*) optime itaque ait Isaac: *Frumento & vino stabilivi eum, & tibi post hæc fili mi, ultra quid faciam?*

Paschas. tract. de corp. & sanguine Christi.

Hujus mysticæ, & spiritualis benedictionis paternæ adhuc reminiscens Jacob, temporalem benedictionem, quæ dumtaxat vilia, atque transitoria hujus mundi in se continebat bona, generoso animo contempsit, & mentem suam ad illam elevans, quam Propheticè allaturam prognosticabat escam sacrosancti sub speciebus panis, corporis, & pretiosi sub vini speciebus sanguinis potum, illam æstuanti desiderio efflagitavit, & ideò cum emphasi protestatus est: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, tunc erit mihi Dominus in Deum.* Vult dicere: quid mihi cunctæ totius mundi plagæ Orientis, Occidentis, Septemtrionis, & Meridiei adferent emolumentum? Terrenum fateor, fluxum, & instar fumi periturum; dummodò anima mea cœlesti corporis cibo, & sanguinis liquore frustretur. Quid quæso cuncta terrena ad hanc salutarem escam? Ah non nisi vanitas, & falsitas. Satius itaque est vanitatem mundi citò in fumum abituram evitare, quàm cibum in se continentem omnem suavitatem, omnes divini thesauri gratias, & prærogativas deserere. Audite quam egregie Rupertus Patriarchæ Jacob exponat intentionem loco citato. *Panem subinde postulans, haud dubium, quin divino afflatus spiritu, Christum ipsum in Sacramento expetebat, de quo dixit: & panis, quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita.* Huic itaque dono, huic amoris Sacramento rectè convenit *tò non plùs ultra.* Quod etiam constanter asserit S. Hieron. Ipse enim illum locum Isaiæ: *In die illa erit altare Domini in medio Ægypti,* id est, dum venerit verus Messias in perversam hujus mundi Ægyptum, extruet *in medio,* hoc est, ita ut pariformiter ad illud quilibet possit accedere altare, in quo offeretur ipsiusmet caro, & sanguis, & fidelibus communicabitur: sic legit: *Erit altare Domini juxta terminum ejus.* Addit Cyrillus Alexandrinus dicto Hieronymi *non plùs ultra, & titulus Domini juxta terminum ejus. Et in medio altaris erit columna terminans Domini* (nimirùm illius amorem) *quia in tanta dispensatione mysterii terminum naviganti præfixit.* Et omnium clarissimè idipsum affirmat magnus ille Doctor Augustinus: *Dicere audio, quòd Deus, cùm sit omnipotens, plùs dare non potuit, cùm sit sapientissimus, plùs dare nescivit, cùm sit ditissimus, plùs dare non potuit.* O mirificum Sacramentum! ô sacratissimum amoris pignus! ô verum cœlestium bonorum compendium!

Isaia cap. 19. v. 19.

Lib. 2. in Isaiam,

Inter humani amoris exempla, tum profana, tum sacra, tria quàm plurimùm celebrantur. Primum de Michol Saulis filia, & Davidis uxore refertur. Is perfide, & tyrannicè innocentem persequebatur Davidem, & eum ad necem omni modo, & industriâ perducere conabatur, ut apertissimè constat ex 1. Reg. cap. 19. *Misit ergò Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur manè.* Quam inauditam patris sui Michol per fidelem nuntium intelligens impietatem, per fenestram ipsum dimisit, locoque corporis ejus quoddam simulachrum humanæ figuræ persimile supposuit, ut furens miles deceptus in hoc sæviret, David autem ab omni vulnere, & læsione immunis remaneret. *Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: nisi salvaveris nocte hac, cras morieris: deposuit eum per fenestram. Porrò ille abiit, & aufugit, atque salvatus est. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.* Haud dissimile stratagema in hoc amoris Sacramento effici benignus Christus, divinusque ejus amore inprimis stupendo modo operatur,

Vers. 11.

Vers. 12.

ratur, ut in eo nulla prorsùs superstes remaneat panis substantia, sed sola ibidem reperiatur illius quasi imago, & statua, nimirùm nuda accidentia. Deindè etiam facit, ut idem corpus suum reale in circumscriptivâ figurâ absens, in eo substantialiter adeò mirabili modo constituatur præsens, ut nullus mucro, aut pugio ipsum Christum in hoc verè latentem aliquo vulnere offendere queat. Secundum est singularis ille Rebeccæ erga juniorem suum filium Jacob amor. Hæc enim, ut ipse paternam loco fratris Esau recipere posset benedictionem, stratagemate cæcutientem senem Isaac delusit, vestiens Jacob vestimentis Esau, ut narrat sacra Scriptura Genes. cap. 29. *Et vestibus Esau valdè bonis, quas*
Vers. 13. *apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Pariformiter divinus amor erga nos se gerit in hoc augustissimo Sacramento; quoniam quemadmodum Rebecca veram Jacob figuram fictis vestimentis obtexit, & abscondit: ita iste vivam suam carnem, & sanguinem sub realibus speciebus panis, & vini collocat, ut sensus humanos eludat. Præterea, sicut ipsa prudenti hoc stratagemate dilecto filio Jacob maximum contulit emolumentum, videlicet opulentam patris Isaac benedictionem: sic ille suis, quos in finem dilexit, mediante hoc Sacramento, divinam impertitus est benedictionem, omne planè in se continentem bonum. Unde de hoc vaticinatus est Propheta David: *Viduam ejus*
Psal. 131. *benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo pa-*
v. 15. *nibus.*

Tertium amoris exemplum, quòd quàmplurimùm à veteribus historiographis celebratur, est reginæ Artemisiæ Mausoli regis Icaræ Asiæ provinciæ uxor. Quæ jam communi fato extincto marito, desiderans flagrantem suum erga eum posteritati ostendere amorem, celeberrimum extrui curavit epitaphium, quod tanto artificio, tantâ industriâ, ac peritiâ à quatuor famosissimis istius ævi sculptoribus, Scopa, Briasse, Thimoteo, & Alcocore confectum est, ut inter septem mundi miracula sit connumeratum. Verùm nec hæc sumptuosa amoris structura accensum Artemisiæ quietare potuit animum: quoniam judicabat nondum vehementi amori in integro fore satisfactum. Quapropter aliud stratagema adinvenit, ut defuncto, quoad fieri posset, vitam redderet. Ossa Mausoli in pulverem redigi jussit, eumque vino commixtum ebibit, & in propria viscera transfudit; ut sic Mausolum, in se transsubstantiatum quasi resuscitaret. Stupendus, fateor, est nobilis hujus matronæ amor, multumque extollendus. At cedat hic divino amori, nobis in venerabili Synaxi exhibito; ecce ille prævidebat, quod tandem discessurus ex hoc mundo ad Patrem à suo amato, id est, homine, esset avellendus, & separandus, sciebatque hominem vita Christi non posse vivere, ut cum eo usque ad consummationem sæculi remaneret. Ut ergo ipse vita Christi viveret, carnem suam, & sanguinem in eucharistica mensa proponit, ut in eo vivat, & quasi in ipsum transmutetur, *qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et Augustinus ait: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Et hoc modo divinus amans exactè observavit aliam cæteris sanè non inferiorem amoris conditionem, nimirùm, quòd inseparabiliter in amato persistere velit. Unde à S. Chrysostomo huic Sacramento attribuitur virtus unitiva Dei, & virtus incorporativa. O admirabile divini amoris stratagema! ô sagax inventio!

Neque ullatenus admirandum est, venerabilem Eucharistiam tam præclarum habere effectum; quandoquidem enim amoris proprius sit affectus amantis cum amato adunatio, & duorum quasi in unum redactio: necessariò sequitur, cùm illud Sacramentum sit amoris convivium, quod convivæ Christo adunentur, & in eum quasi transformentur. Hunc amoris effectum quàm optimè in seipso expertus est, & nos docuit Augustinus lib. 4. conf. *Mirabar cæ-* Cap. 6.
teros mortales vivere (deplorat Augustinus hic familiaris amici sui obitum) *quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & me magis, quia alter eram, vivere, illo mortuo, mirabar. Benè quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Unde optimè ait S. Chrysostomus de vi
amoris disserens: *Extasim facit amor, amatores* Homil. 45.
suos statu dimovet, sui juris esse non sinit, sed in in Ioan.
ea, quæ amant, penitus transfert Ergò Christus nos tam mirabiliter amando in seipsum quodammodo convertit, & se quasi in nos transfert.

Lib. 4. de myst. Miss.

Unde concludit Cyrillus: *Nos facti sumus per Eucharistiam unum corpus, & sanguis, ut sumpto corpore & sanguine, Christi corporeus illi & consanguineus fias.*

Nunquam curiosè annotastis Auditores, quòd de expresso Ecclesiæ mandato in calice infuso vino, guttula quædam aquæ immisceatur: imò adeò rigorosè illa hanc cæremoniam præcipit, ut, si sacerdos ex oblivione, vel distractione eam applicare omiserit, etiam post consecrationem infundere teneatur. Verùm ad quem finem? Quandoquidem enim juxta communem Theologorum sententiam, illa nec ex vi verborum, nec per concomitantiam in sanguinem Christi transmutetur, superflua videtur hæc infusio. Ægidius Romanus hanc quæstionem enodat, ruminans illum Isaiæ locum: *Aquæ ejus sunt fideles.* Ad quem ipse ait: *Aqua frigida* (quæ vino immiscetur) *populum præfigurat, & ipsa Christi membra, quòd si hoc non fiat, nonne solum vinum erit sacramentatum? Indubiè.* Sed quid inde sequitur petit Paschasius, & respondet: *Quòd si vinum sine aqua offerretur, sanguis Christi incipit esse sine nobis.* Ut igitur toti mundo innotescat, quantum desideret, & anhelet Christus (cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum) uniri cum amato, vult, ut aqua immisceatur, inquit Ægidius. *Hæc aqua vino unitur, ut detur intelligi, quòd propter hoc Sacramentum per charitatem, & dilectionem populus Christo, & membra suo capiti conjungantur.*

Isaia cap. 33. v. 16.

In celebrat. Miss.

Quarta amoris essentialis conditio est, ut amantes *easdem habeant delectationes, & contristationes.* Ipse enim juxta antiquorum opinionem omninò exigit inter eos *idem velle & nolle*, & summam voluntatis unius cum alterius voluntate conformitatem, & in hoc neutiquam defuit Christus Sacramentum hoc instituens amoris. Quia *nil omisit quod vehementer amantem deceret.* Etenim ad hunc finem tam sanctum convivium cunctis fidelibus exhiberi voluit, ut comedentem quasi in se transformet, & sic utriusque amantis, & amati in omnibus sincerè confert consensus. Et hoc intensissimè cœlestem Patrem ipse rogat hisce verbis cap. 17. Joan. registratis: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verba eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Ut credat mundus, quia tu me misisti, & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum.*

Vers. 20. 21. 22. & 23.

Fateor hoc exauditus à Patre pro sua reverentia filius, maximè mediante S. Synaxi obtinuit, quia per eam divinæ unimur, & quasi identificamur naturæ, ut modò supra dixi. Illa attamen unio, illa identificatio absolutè fieri non potest, nisi amborum, nimirùm hominis amati, & Dei amantis voluntates identificentur. Credo Auditores vos id non denegare. Sed vestra tam prompta, & vera tamen responsio me ulteriùs instigat, ut investigem, an vos quoque Christiani illâ gaudeatis virtute. Obsecro, dicite mihi, quæ est divina voluntas? Indubiè non alia, quàm ut leges ejus servetis, & mandata Dei non transgrediamini. Voluntas divina est, ut jurato hosti condonetis. Voluntas divina est, ut vos divites indigentium misericorditer subveniatis necessitati: voluntas divina est, ut Judices justam proferant sententiam, ut filii honorent parentes. Rogo modò, quatenus intima cordis vestri lynceis oculis inspicere non dedignemini penetralia, & intueri, utrum tua divinæ perfectè correspondeat voluntas. Quoniam in jam præallegatis maximè illius voluntas consistit teste S. Cypriano, qui petit Tractatu de oratione Dominica, *quæ est voluntas Dei?* Et respondet: *Voluntas Dei est, quam Christus & fecit, & docuit.* Et quædam enarrans, pergit: *Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere.* Sed quo medio, quâ methodo tot & tanta (quæ quamvis amori sint levia, timori tamen sunt gravia) observabimus mandata? Innocentius III. respondet in Eucharisticæ escæ præconium: *Mysterium crucis erexit nos à potestate peccati: mysterium Eucharistiæ eripit à voluntate peccandi. Hæc est voluntas sanctificatio vestra.* Et idcircò S. Augustinus ait: *Videte fratres, si ampliùs ægrotare debet genus humanum, acceptâ tantâ medicinâ.*

Innoc. l. 4. de sacrific. Missæ.

Augustin. lib. Hom. hom. 24.

Dum dixi Christum per hujus Sacramenti institutionem perfectam prætendisse ab homine unionem, fidelitatem, atque voluntatis conformationem, parvula quædam mihi de nobilissima Romana matrona Catonis matre in mentem incidit historia, è qua apprimè cognovi, eam adinstar illius cum filio nobiscum egisse. De hac famosissimus commemorat historiographus Plutarchus,

chus, illam jam enixam unicum filium Catonem, sibi illicò pauperem filium abjectæ & vilis mulierculæ nomine Androinum selegisse, quem una cum proprio, & naturali filio uberibus suis semper admovit, atque enutriit. Cumque instanter ab amicis, & consanguineis interrogaretur, quare tam ignobilem filium nobilissimo pasceret sanguine, candidè respondit: *Vt Catoni filio meo fidelem servum adipiscar.*

Haud dissimiliter, inquam, nos tractat benignus Deus. Ecce ipse imbecilles animas nostras, & famelicas pascit carne suâ sacratissimâ, & lactat suavissimo pretiosi sanguinis sui in convivio amoris succo. Unde nobis quàm optimè possemus appropriare illud Isaiæ: *Et mamillâ regis lactaberis.* Quòd si ab amante Christo petatur, quare tam vili creaturæ sese ultrò in tantùm effundat? Indubiè respondebit adinstar Catonis matris, ut Patri meo cœlesti Christianos fideles servos adipiscar, eosque quasi eosdem mecum efficiam. Sic egregiè id insinuat S. Chrysostomus: *Propterea nobis seipsum immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid sumus.* Sed videamus semel, an Christus ad prætensionem suam pertingat. Estisne ô Christiani! fideles ipsius, & Patris servi? Ah pudet fateri! pauci, pauci. An forsitan vos adulteri, lascivi, molles, usurarii, detractores, superbi, &c. in numero Christi Domini fore præsumitis? Ah multum aberratis. Servi diaboli estis, sicut enim, qui opera Christi faciunt, mandataque illius observant, fideles sunt Christi servi, ita qui opera diaboli exercent, ejusque perversas prompto animo sequitur suggestiones, atque persuasiones, veri ipsius efficiuntur famuli.

Isaiæ cap. 60. v. 16.
Chrysost. hom. 61. ad pop. Antio.

Unde, dum mature insolens, immorigerum, ac effrænatum præsens contemplor sæculum, video benignum Christum dulcissimi lactis sui, id est, sanguinis fructu adinstar matronæ jam dictæ Catonis matris frustrari. Ipsum Androinum in fidelem filii sui servum, ac defensorem educaverat, eumque ad adultam perduxerat ætatem, ille tamen ingratus, tygrideque sævior & immanior, filium illius Catonem iræ Pompei & Cæsaris perfidè tradidit. Idipsum sæpè, imò promiscuè contingit piissimo Domino. Ipse nos cruoris sui lacte, & corporis carne saginat: ut sibi fideles comparet servos; verùm Androino longè ferociores, crudeliumque bestiarum ingratiores, tanti beneficii immemores, sceleribus nostris, & enormibus peccatis illum tradimus, & rursùs crucifigimus, teste Apostolo: *Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* Ast ô insulsi & impii Christiani! non veremini, quod idem vobis eveniet, quod quondam reginæ Japoniæ Sceltæ evenisse, veteres commemorant historiæ. Illa unicum jam pepererat filium regni hæredem nominatum Edmoginum, cui cùm ubera sugenda præberet, ille furibundus teneris manibus discerpsit dextram mammillam. Quem dolorem inconsideratè pertransiens pia mater, alteram ei porrexit, quâ pariter dilaceratâ, Edmoginus ad tantam inopiam redactus est, ut præ siti jam jam morienti mater propriam improperârit ruinam, & necem: ostensis uberibus, dicens: *Totum dedi, & hoc sufficit.*

Ad Hebr. c.6.v.6.

Sic verendum est Christiani, ne nos tractet Christus, si sanguine & carne illius pasti, fideles ejus non efficiamur servi, sed è contra ipsum iniquitatibus nostris crucifigamus. Is enim, dum impiam, & perversam vitam transigerimus, & in fine discedentes de hoc ad alterum mundum, ad sacram hanc Synaxim necessarium pro periculoso hoc itinere viaticum anhelaverimus, misericordiæ fontem obturans, & indignos divino hoc pabulo judicans, clamabit: *Totum dedi, & hoc sufficit.* Perditio tua ex te homo. Et verè totum dedit. In hoc enim Sacramento verissimo amoris convivio omnis totius cælestis ærarii latet thesaurus. Hoc est perfectum compendium cunctarum gratiarum, & benedictionum, ultra quod nil ab homine desiderari potest. Hinc clamabat Propheta David: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Maximum namque omnium hominum est desiderium, Deum sibi habere præsentem. Inde, etsi ineptè vociferabantur rebelles Hebræi ad Aaron: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Item cæci Gentiles in quacumque ardua expeditione, aut gravi discrimine forent, sese omninò tutos credebant, & securos, dummodò Deorum suorum falsa simulachra vicina continerent. Et hæc continua fuit Davidis querela de se confitentis: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus?* Ac si diceret David, Gentiles mihi objiciunt, & improperant, ecce cùm omnis felicitas in Dei præsentia consistat, nos tibi Deos nostros ad oculum monstramus. Sed tu dic, *ubi est Deus tuus?* Deus tuus conficta quasi Chimæra est, cùm eum neque videas, neque ostentare queas. At

Psal. 48. v.13.
Exodi c. 32. v.4.
Psal. 41. v. 4.

annota ô Christiane! summam Dei nostri pietatem, omnem lachrymam ab oculis nostris abstersurus, desiderium nostrum eum intuendi adimpleturus, & nos in omni periculo securos redditurus, non tantùm visibilem assumit carnem, verùm etiam in venerabili Sacramento usque ad consummationem sæculi nobiscum permanet. Quo adimpletur illud Isaiæ vaticinium: *Auferet Dominus Deus omnem lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi auferet ab universa terra.* Quoniam, si quis modò improperaret Christiano Catholico, *ubi est Deus tuus?* Statim eum sub speciebus sacramentalibus existentem secundùm fidem, poterit ostendere juxta illud ejusdem: *Et dicet in die illa, ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, & salvabit nos.*

Isaiæ cap. 25. v. 8.

Vers. 9.


Arbitror Auditores, me satis fusè de venerabilis Sacramenti dignitate, ac beneficio tractasse. Non omisi admirabiles illius enarrare effectus. Non subterfugi laborem ingentia ac innumera, quæ ab Eucharistia nobis promanant, recensendi bona. Non renui vobis mysteriosum hoc amoris convivium enucleatè exponere, escamque potumque salutarem præbere. Non destiti præcipuas quasdam amoris conditiones in lucem adducere, ut vos iisdem inhærentes amanti in amore vestro correspondeatis. Ipse namque nil pro tanto beneficio, pro tam eminenti gratia, quàm reciprocum expostulat amorem, ut attestatur S. Bernardus: *Deus cum amat, aliud non vult, quàm ut ametur. Sciens ipso amore beatos, qui se amaverint ex integro corde.* Et Augustinus de Catechesi ait: *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.* Feci quod potui, non quod volui. Non declinarem adhuc prolixius, de hoc mysterio (de quo numquam satis) disserere: sed me nimium intricatum ad instar Davidis comperio. Is enim mentionem de sacra Synaxi Prophetico spiritu faciens, ait: *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Ubi legit Hieron. *Erit memorabile triticum.* Alii: *Erit placentula tritici in capitibus sacerdotum.* Id est tandem aureum illud adveniet sæculum, quo cernetur in Ecclesia admirabile triticum, quod sacerdos supra caput suum elevabit in sacro sancto Missæ nimirùm sacrificio. Quibus dictis, mille Domino dat benedictiones, & laudes, *sit nomen ejus benedictum in sæculum: ante solem permanet nomen ejus.* Deinde narrat benedictiones populo, ut ipse ad infinitas de tanto beneficio agendas gratias instigetur. *Omnes gentes magnificabunt eum:* Postea retrogreditur ad laudandum Deum, optimè credens, sese nil effecisse, nihilque dixisse. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit mirabilia solus.* Nec hìc profectò accensus Prophetæ Deum benedicendi stitit zelus, sed replicat: *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra* Et finito psalmo, apponuntur hæc verba: defecerunt laudes David filii Jesse. Id est, quòd David nec eloquentiâ, nec scientiâ suâ potuerit tantum dignè extollere donum, & debitè de tantò disserere mysterio. Quòd si ergò David splendentibus Spiritus S. radiis illuminatus, aptè de hoc sacramento non valuerit ratiocinari: quid ergò ulteriùs de eo quidquam dicere præsumam hebes ingenio? Quare linguam compesco, calamum retraho, & finio, solummodò vos instanter adhortans ad frequentem ad hoc amoris convivium accessum, admonens tamen, ne ad illud immundâ conscientiâ, impuro corde accedatis, ne severam incurratis sententiam: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Sed nitido animo, impolluto corde, & conscientiâ igne amoris accensâ, ut mirificum ex eo capere mereamini fructum, qui est vita æterna: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, vivet in æternum.*

Psal. 71. v. 17.

Vers. 18.

Vers. 19.

Quam mihi, & vobis donet benignus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.



LUCTUO-

LUCTUOSA PASSIONIS JESU DOMINI NOSTRI CATASTROPHE.

In quatuor divisa Judiciaria Tribunalia,

IN QUIBUS INNOCENS HIC AGNUS injustè ad mortem Crucis pro totius mundi salute condemnatus exhibetur.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. cap. I.

LUctuosiorem à suo primordio hâc, quæ hodie à barbaris Judæis in variis theatris, & præcipue in lugubri, & funesto Calvariæ monte exhibita est, numquam mundus intuitus est catastrophen, nec intuebitur unquam, Catastrophe sanè, quam inquit Chrysologus: *Stupent Angeli, miratur cælum, pavet terra, caro non fert, auditus, non capit, non attingit mens, non potest sustinere creatura, æstimare non sufficit, credere pertimescit.* Nec mirum. Ecce enim à gente electa, tot singularibus dotata beneficiis, ipsa vita morti datur, amicitia traditur, totius universi jucunditas desolata restat, libertas vincitur, majestas supprimitur, integritas blasphematur, innocentia condemnatur & justitia castigatur. Quis vidit unquam tale? *Fabricator*, inquit Chrysostomus, *tenetur sæculorum: sistitur terræ fundator, ponitur vitæ dator, & redditor: ut tarda mens hominis, & intelligentia satis pigra, vel morte in se Dei probaret affectum, quæ innumeris Dei beneficiis, Dei erga se non intellexerat, non senserat charitatem.*

Chrysol. ser. 67.

Hoc lugubre spectaculum quis contemplans mœrore non conficitur? Quodnam cor tam saxeum, quod non emollitur, tam obstinatum, quod compassione non flectitur? Quod pectus adeò ferreum, quod in aquas lachrymarum non dissolvitur? *O filia Ierusalem*, ô anima Christiana! *accingere cilicio & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Cave, ne lachrymas subtrahas, alioquin incurres severam Dei sententiam; *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hâc peribit de populis suis.* Doctissimus historiographus Plutarchus commemorat Alexandrum Magnum (intellectâ maximi sui amici Ephestionis morte) publicum plangendi edictum edidisse, quod etiam utcumque equos suos observare voluit. *Illicò luctus causâ omnium equorum, mulorumque jubas totondit, & circumjacentibus urbibus propugnacula ademit. In castris tubarum, musicesque usum inhibuit, dum ab Amnone oraculum allatum est, Ephestioni honores, & sacrificia tanto nempè heroï fieri debere, quod & fecit.* Quod si tantùm dolorem Alexander demonstrârit ob unius Ephestionis mortem; ecquis Christianorum tam saxeus, qui morte creatoris, & Dei, atque Redemptoris concussus, in uberes non erumpet lachrymas? Adamas ex natura sua adeò durus est, ut ictibus malleorum resistat, hirci tamen sanguine conteritur, & cor humanum non emollescet innocentis hujus Agnelli cruore in lytrum protoplastis Adami culpa cupiosè effuso. *Peccata nostra*, ait Augustinus, *sua fecit, ut justitiam suam nostram faceret.*

Jer. cap. 6. v. 26.

Levit. c. 23. v. 29.

Plutarch. in Alex. M.

O anima Christiana! si adeò ferrea es, ut ad effundendas uberrimas lachrymas non compungaris, sæva maturè considerans Christi Domini tormenta: commoveatur saltem induratus animus consideratione multifariarum suarum iniquita-

Isaia cap. 53. v. 5. tum, propter quas teste Isaia, ea passus est. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quod intimè ruminans Bernardus ad te clamat, ô homo! *Si flere non poteris ex amore, & compassione Redemptoris: quomodo saltem propter multitudinem peccatorum tuorum non flebis?* Hæc sunt, ô impie peccator, quæ duce amore, creatori tuo benigno quatuor funesta erexêre tribunalia & theatra, in quibus peracta est lugubris Dominicæ Passionis tragœdia. Primum constructum est in fatali horto Gethsemani, secundum in domo Caiphæ, tertium in perfidi Judicis Pilati palatio, eaque finiit in quarto, nimirum Calvariæ monte. Supra hæc vobis, ô Auditores, ob oculos ponam mœstam Passionis Christi catastrophen, ostendamque præcipua illius mysteria, enarrabo considerabiliora Domini nostri tormenta, ut vos ad gravitatis peccati contemplationem commoveam, & ab eo resipiscentiam. Verùm, ut arduum hoc opus queam perficere: ad quem pro auxilio confugiam? SS. Trinitas quasi attonita persistit luctuosum hoc inspiciens spectaculum, plangunt Angeli, Maria ordinaria Concionatorum opitulatrix insolito luctu obruitur, & ad nullius preces attendit. Ad te itaque venio veneranda Crux, clamoque: *O Crux ave spes unica, hoc Passionis tempore, auge piis justitiam, reisque dona veniam.*

§. I.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.
Matth. cap. 26.

QUandoquidem hæc, quam hodiè describendam assumpsi, historia, nil nisi mœsta, & tristia in se complectatur, unde eam exordirer convenientius, non inveni, quàm à mœsta Domini nostri matre incipere. Cujus dolorem, cùm ab ea avulsus est Christus unigenitus filius, quantumvis æstimem fore incomprehensibilem, multò magis inexplicabilem, parumper tamen exaggerare perplacet. Amor maximam causat complacentiam in actuali objecti amati fruitione, è contra summam parit tristitiam amantium à se invicem separatio. De iis autem dicitur: *Dilectus meus mihi,*
Cant. c. 1. v. 16. *& ego illi.* Unde legitimè infero (meo saltem imbecilli judicio) ergò quo amatum objectum vicissim ardentiùs adametur, eò quoque illius avulsio intolerabilius sustinetur: modò subsumo: atqui infinitus fuit piæ matris in pium filium amor, ergò intolerabilior in ejus avulsione dolor. Subsumptum apprimè probat Bernardus: *Virginis dolor fuit major, plusquam omnes creaturæ portare possent: quantò enim plùs amabat Christum, tantò plùs dolebat: & amor, quem ipsa portabat, Christo fuit infinitus.* *Bern. ser. 15.* Ergò infero ego & dolor. Eâdem mensurâ extremam Mariæ Virginis Richardus metitur mœstitiam, dicens: *Quanto incomparabiliter amavit, tanto vehementius doluit! unde sicut non fuit amor sicut amor ejus, ita non fuit dolor similis dolori ejus.* *Rich. Vict. in Cant. cap. 26.* Quod Prophetico spiritu vaticinatus fuerat Simeon in mysteriosa Christi Domini pro generis humani redemptione, in templo oblatione: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* *Luc. c. 2. v. 35.*

Ad ultimum dilecti filii sui vale, quid aliud benignam Matrem respondisse contemplabimur, quàm, ut ait Bonaventura: *Rogo fili mi, non ita fiat.* O fili in favorem purissimi uteri mei claustri, in quo te per novem menses tanto cum amore portavi, per uberum meorum virtutem, quibus te tribus annis maternè lactavi, per sedulam curam, quâ te de nocte fugiens in Ægyptum, Herodis furori exemi, differ obsecro Passionem tuam, & desolatæ modò assistere matri. Nunc, nunc de me prophetizatum experio: *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione filii mei* *Thren. c. 2. v. 11.*

Ad hoc quid pius in charæ matris solatium filius? ô sanctissima mater! tempus meum propè est: non ignoras, quòd tantummodò humanam assumpserim naturam, ut mortalis factus, morte meâ chyrographum damnationis tollerem, & sic hominem redimerem. Id neutiquam denegare potes; quoniam tu ipsa meæ neci subscripsisti. Nonnè enim in libello supplici à sanctissima Trinitate ad te ab Archangelo Gabriele delato, inter cætera hæc continebantur verba: *Et vocabis nomen ejus Iesum?* An forsitan tantummodò solam Dei desiderasti maternitatem? Ah nunquam hoc dixerim Domina. Ast ad cuncta perfectissimè tua divinæ correspondit voluntas, dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et quid quæso prætendit τὸ *nomen Iesus,* nisi τὸ *Salvator?* Salvatoris titulum justè non adipiscerer, nisi genus humanum gloriosè salvarem. Itaque quid lamentaris, quid conquereris, quid clamitas Mater: *Rogo fili, non ita fiat?*

Prægnante, & emphaticâ hâc Christi responsione utcumque consolata Virgo (non ambigo, quin adinstar Jonathæ in Davidis, in filii exilierit ample-

2. Reg. c. 20. v. 41. vers. 3.

amplexus) de quibus ait Scriptura: dum ab invicem ob insanum Saulis furorem separari cogerentur: *Osculantes se alterutrum fleverunt pariter.* Et rationem sufficienter indicat cap. 18. *Diligebat enim eum, quasi animam suam.* Et ibidem vers. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David.* Et benè dico, me de eo non ambigere, non enim tanta inter Davidem, & Jonatham, quanta inter Mariam, & Christum fuit conglutinatio. Ausim namque dicere, si unquam juxta eruditorum hominum ficta antiquorum Poëtarum adumbrarit quidpiam veri metamorphosis, eam in Maria, & Christo locum habuisse, Mariamque in Christum perfectè spiritualiter quasi fuisse transformatam, imò & quasi carnaliter, alioquin veridicè dicere non posset S. Bonaventura: *Caro Christi, erat caro Mariæ,* & vice versâ.

At quis hic tam disertæ linguæ, tam superaffluentis eloquentiæ, qui inter charos & maternos hos amplexus, mirabiles singultus, cordialia suspiria, & profusas lachrymas exprimet? Si clamabat afflicta Agar, cernens præ nimia siti languentem & deficientem in deserto filium suum Ismaelem: *Non videbo morientem puerum.* Si Josephi Patriarcha Jacob creditam mortem tanto planxerit planctu, ut Scriptura dicat: *Noluit consolationem suscipere, sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum.* Si Propheta David ob perduellis, & parricidæ Absolonis mortem tantam coram omni populo, ac exercitu ita victorioso ostentârit mœstitiam, ut nece propriâ volens ejus vitam recuperare, ingemiscens exclamârit: *Absalon fili mi, fili mi Absalon: quis mihi det, ut ego moriar pro te.* Quas lachrymabile voces ob filium in infami crucis trabe præ siti exclamaturum *Sitio*, præsciens, non edet pia Mater? Quomodo non intonabit, descendam ad filium meum in infernum? Quid non clamabit pro tam pio, & obediente filio cum Davide: *Christi fili mi, fili mi Christe quis mihi det, ut moriar pro te.* Audite piam hanc considerationem, quàm egregie Marianus explicet mammillaris Doctor Bernardus: *Mariam verò quoties capite cooperto ingemuisse putas, lugendo filium, & dicendo: Iesu fili mi fili mi Iesu: quis mihi det, ut tecum, & propter te moriar, fili mi dulcis Iesu!* Imò ulterius pergit S. Bonaventura asserens, eam ex intimis cordis sui penetralibus filio desiderâsse concrucifigi: *Christum singultibus interruptis alloquitur: baculum senectutis meæ! Quare me dereliquisti? Nolo enim absque te vivere. Nonne tu vita mea, lux mea, consolatio mea, refugium meum, portio mea, benignitas mea, gaudium meum, & omnes deliciæ meæ? Vivere enim sine te, mors mihi est.*

Gen. c. 21. v. 16.

Gen. c. 37. v. 31.

2. Reg. c. 19. v. 4.

Bern. de Pass. c. 10.

Bonav. in Specul. de Virg. c. 4.

O bone Jesu in tanta modò constitutus angustia, cernens hinc afflictæ Matris amorem, & tristitiam, illinc verò Patris urgêre præceptum, & obedientiam, quid ages? An eam desolatam derelinques, in cujus utero tot mensibus delituisti? An autem paternæ voluntati, cui usque ad mortem promisisti plenam submissionem, obsequêris? *Crudelis lucta,* inquit Cyprianus, *inter amorem Patris, & amorem Matris.* Ast post longum amoris certamen filius lachrymis madidos ad piam Matrem rursùs conjicit oculos, & ait: *Averte oculos tuos à me:* nec meum contemplare discessum. *Averte à me,* inquit Guillelmus Parisiensis, *ad fratres, & filios meos, nè claudas illos, sed averte à me. Transfer maternam pietatem à me in meos: propter quos à te avolavi.* Deindè ad cœlestem eos convertit Patrem, datque signalata perfectæ obedientiæ testimonia, seseque ad tam diu desideratam perficiendam Passionem accingit: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Itaque veloci gradu iter arripit, sed denuò lachrymevola pium filium vox afflictæ retardat matris. Clamitat namque, ô dilecte fili! quò tendis? Ecce te expectant rabidi canes Judæi, ut te Agnum sinè macula in frusta discerpant, ut te dilanient. Ecce Judas in procinctu est, ut perfidè te magistrum suum militum rabiéi tradat. Fuge, fuge dilecte mi tanta imminentia mala. Tùm mihi persuadeo cum Bonaventura, Christum ulterioris impatientem moræ finaliter respondisse: *Malo vitam perdere, quàm obedientiam.* Quâ firma resolutione intellecta, extremo oppressa dolore exclamat Maria: *Tota concussa sum ad vocem istam, & cor meum dereliquit me.* Divina attamen mox confortata virtute, absolutè sese divinæ resignavit voluntati, nolens humanam retardare salutem, sed solummodò volens sinceri & materni affectus demonstrare teneritudinem. Ac proindè his mihi visa est uti verbis Psalmistæ properantem ad acerbam necem consolans: *Mittat tibi auxilium de sancto, & exaudiat te Deus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. De Sion tueatur te: memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.*

Cant. cap. 6. vers. 4.

Luc. cap. 12. vers. 50.

Psalm. 19. vers. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Animatus itaque tantâ piæ matris Christus resignatione ad instar cygni cantans: *Hymno dicto exiit in montem Oliveti,* vicinus morti ad primum sucur-

Matt. cap. 26. vers. 30.

cucurrit tribunal, & tragædiæ inauditæ theatrum. Ast Christe! si licet petere, quæso cur in horto tuam exordiris passionem? An forsitan allectus
Cant. cap. 5. vers. 1. suavibus sponsæ tuæ verbis: *Descendat dilectus meus in hortum, ut comedat fructus pomorum suorum?* Sponsa Christe hæc humana est natura: sed ad quàm amaros, quàm acerbos te invitat fructus? Adhuc pergis? Nec funestum verêris hortum? Intra, intra Domine, & mox messem lucraberis tribulationum opulentam. Quæsiti rationem dat Cyrillus: *Venit in hortum, ut ubi hominum ruina cœperat, ibi ejusdem reparatio exordium sumeret.*

§. II.

Progressus pusillum cecidit in faciem suam. Matth. cap. 26.

O Piissime Jesu! quàm ardens amoris tuum adurit cor flamma! quàm vehemens te efficaciter instigat sitis, ad ebibendum Passionis tuæ calicem! Estnè possibile, quòd adeò celeriter properes, ut in feras barbarorum Judæorum incidas manus? Debesnè te in tygridum fauces, ut deglutiaris, adeò festinanter conjicere? Fateor, generosi animi est, & fortis athletæ inimico armato, absque armis obviam ire, sed quoque temerarii est ducis, solus contrà integram phalangem hostilem procedere. Sed heu! quàm diu hæc tua persistet constantia? Contemplamini animę devotæ fortissimum hunc ducem in terram prostratum. *Procidit in faciem suam.* O benedicte Christe! Ubi tuæ vires? Ubi tua animi fortitudo? An eæ in tantùm debilitatæ sunt per tantillum iter, ut ampliùs corpus tuum in terra erectum sustinere pedes non valeant? *Ah longior tibi restat via.* Adhuc vegetum illud est. Quid fier, dum sanguine diris barbarorum tortorum flagris erit exhaustum, colaphis, & pugnis contusum, & undequaque dilaceratum? Quomodo ponderosam ad montem Calvariæ feres Crucem, si ex nunc pedibus insistere non possis?

Ah neutiquàm admirandum est, Creatorem cœli & terræ miserè in terram prosterni, Onere enim ejus humeri aggravantur insupportabili, nimirùm generis humani iniquitate. De hoc lamentatur pius Jesus per Prophetam Davidem: *Miser*
Psal. 37. vers. 7. *factus sum, & curvatus sum.* Sed undè? Respondet Isaias: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Ideò ait Psalmista: *Suprà dorsum*
Isaiæ cap. 53. vers. 6. *meum fabricaverunt peccatores prolongaverunt iniquitatem suam,* quæ tantum adfert pondus, ut clamet idem: *Sicut onus grave, gravatæ sunt super* Psal. 128.
me: Accede, propera impiè peccator, & oculis vers. 3.
mentis contemplare mysteriosum Christi in terram lapsum. Ecce ille, qui totum facilè portat orbem, prostratus jacet onere impietatis depressus, & tu tam leve peccatum æstimas? Illudque quasi pro nihilo reputas? Hoc attende detractor, hoc rumina vindicative, hoc perscrutare luxuriose, hoc perpende avare &c. & non adeò inconsideratè in hujuscemodi labêris scelera. Quis namque inter viscera sua tam induratum abscondit cor, quod vera contritione, & sincera pænitentia non scinditur, dum Rectorem Universi perversitatem suam in terram prostravisse intuêtur, illamque splendidissimam faciem, *in quam desiderant Angeli prospicere,* fœtido luto, & tetro cinere conspurcatam contemplatur. Christus, jam voluntariè in humeris suis cunctis omnium hominum diluendis peccatis susceptis, maledictæ terræ pium pacis præbet osculum, innuens brevi ab ea maledictionem auferendam, fœdusque inter illam & cœlum, id est, inter hominem, & Deum firmum pangendum fore, sicque rectè dici potest hîc: *Veritas & misericordia* Psal. 2.
obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Nè vers. 10.
ulterius fulmen divinæ iræ metuas terra, quia primi protoplastis Adæ lapsus extitisti origo, & omnium nostrûm ruina. Video namque te quoque illius reparationis futuram causam. Quoniam è tuis visceribus prodiêre salutaria instrumenta, quæ mihi pro homine redimendo apprimè deservient. Quare gratias tibi ago, ô terra! exosculorque te, quia funes protuleris ad me vinciendum. Gratias ago, quia præparasti flagella, ad me flagellandum. Gratias ago, quia ferrum subministrasti ad manus, & pedes meos transfigendum. Gratias ago, quia spinas germinasti, ad me regem coronandum. Gratias ago, quia instrumenta suppeditasti, quibus commodè etiam usque ad ultimam guttam è corpore meo extrahi potest sanguis, ad diluendum mortis chyrographum. Gratias ago immensas, quia dulce illud lignum produxisti, in quo tamquàm in regali throno sum jam jam victor triumphaturus. Chordis devincam manuum hominis scelera, homicidia, furta, rapinas, &c. spinis capitis iniquitates, superbiam, concupiscentiam, & inordinatos voluntatis appetitus. Lancea cordis impietates, rancores, odia, invidiam, lasciva desideria, &c. Et *Cruce tandem omnia traham ad me ipsum.*

Meditare hîc ô Anima Christiana, quàm horrendum, execrandum, & detestabile sit peccatum; quandoquidem illud in tantùm divinis displiceat oculis,

oculis, ut pro eis plena satisfactione mortem obire necesse fuerit unicum Dei filium. Rumina, ô vindictæ inhians, sitibundam sanguinis proximi tui manum, ejus teneras perforasse manus. Considera superbe, inflatum, & elatum animum, benedictum illius pungentibus spinis terebrasse caput, obstinatum cordis tui odium, & inexstinguibilem rancorem ipsius candidum perfodisse pectus, ut similibus sanctis contemplationibus possis acquirere in vitium odium, & ardentem ergà virtutem per se ipsam amabilem amorem, qui tibi erit dux, & trames ad æternam gloriam, & ultimum acerbissimæ Christi Passionis finem, & præfixum scopum.

§. III.

Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste. Matth cap. 26.

HIc obstupefactus hæreo, nec quomodo Christi inconstantiam, & mutabilitatem excusare queam, vix ipse video: undè me ad te convertere cogor pie Domine, & exclamare; Quis quæso in te tantam à calice à Patre tibi oblato causavit aversionem, ut hunc ad cœlestem Patrem miseris libellum supplicem: *Pater mi, si possibile est, &c.* Non dubito, quin id incomprehensibilia, quæ jam jam imminebant, effecerint tormenta, & inauditi à primordio mundi huc usque cruciatus. Qui fructus erant è fatali illo, quod deglutivit primus noster parens Adam pomo, in torculari crucis exprimendi. Quibus humana perterrita natura recalcitrabat, & nimio quasi horrore percussa, spiritum compellebat, ut alium hominem redimendi modum à divina Justitia exigeret. Qui neutiquàm defuit, ut sentit S. Augustinus dicens: *Alius modus Deo possibilis non defuit, cujus potestati cuncta subjacent æqualiter. Sed sanandæ nostræ miseriæ convenientior alius modus non fuit, nec esse potuit, quàm mors Christi.* Undè Christus jam in tam arduo constitutus certamine ingenuè de se ipso clamat: *Spiritus quidem promptus est, caro autẽ infirma.* Hanc inter carnem, & spiritum considerans luctam Laurentius Justinianus in hæc devota prorumpit verba: *Qualis conflictus! qualis pugna! quale spectaculum! impellebat spiritus, reclamabat natura passibilis, pœnarum immanitate perterrita.* Sanè conflictus, qui intima cordis Christi contorsit penetralia, eumque ad tantam deduxit anxietatẽ, ut fateri coactus sit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Accurre anima devota ad primum funestum horti tribunal & theatrum, quia in eo stupenda exhibêri incipiunt mysteria. Huic stupendæ luctæ totum tuum impende ingenium, accommoda intellectum, ut ex ea, etiam viriliter contrà pravam carnis concupiscentiam decertare addiscas. Quid moram ingeris? Adhucnè ô homo sensus tui vanitatibus mundi sunt immersi, & vanis deliciis, ac voluptatibus implicati? Ah quàm diu cor tuum vilibus mundanarum aquis permanebit obrutum, ac inundatum? Quàm diu anima tua miserè à recta vitæ via devia densis peccatorum tenebris immorabitur? Quàm diu, ô impie peccator! pernicioso imminentis æternæ mortis opprimêris lethargo? *Ah! surge, qui dormis & illuminabit te Christus.* Abstrahe sensus tuos, & avelle à carnali rerum terrenarum affectu, & permitte, ut descendant ad hortum Gethsemani, ad ibidem contemplandam Christi tristitiam, luctam, & victoriam.

Aug. lib. 13 de Trinit. cap. 10.

Matt. cap. 26. v. 41.

Lib. de tribulat. Christi cap. 6.

Matt. cap. 26. v. 38.

Ad Ephes. cap. 5. vers. 14.

At bone Jesu, liceat mihi, obsecro, ad tuam: *Pater si possibile est, &c.* replicare petitionem. Nonnè, ut mox dixi, benevolum terræ donâsti osculum, quia tibi cuncta acerbissimæ Passionis tuæ præpararat instrumenta? Quid nunc, ut socors miles, recalcitras, & fatalem pugnam detrectas? *Pater si possibile est, &c.* Ah! ut video, ardens tuum pro genere humano patiendi omninò evanuit desiderium, quo instigatus clamabas: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Et modò in primo ad prælium ingressu formidas! *Iustus*, ait Sapiens, *quasi leo confidens absque terrore erit.* Phocion Atheniensis Reip. sedulus moderator ad mortem ab invidis condemnatus, quia communis strenuè satagebat salutis, & incrementi: cernens Tortorem intoxicatum scyphum in manibus tenêre, nec tamen illi ebibendum velle præbêre, nisi justam priùs istius recepisset mercedem: Ipse, spectante populo, pecuniam numeravit, ipsique mortis poculum eripuit, & summa cum alacritate deglutivit, dicens: *Dulce est pro patria mori.* O Christe, en Angelus consolans te calicem amarum à Patre propinatum tibi præsentat: & quomodo clamas *transeat*? An forsan præmium calicis exspectas? O benigne Christe! is emptus est à perfido traditore Juda triginta argenteis. Eripe animosè calicem Angeli manibus, cumque ebibe ad hominum salutem. De te enim vaticinatus est David: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et clama ad instar alterius Phocionis, *Dulce est pro homine mori.*

Luc. ca. 12. vers. 50.

Prov. cap. 26. vers. 1.

Plutarch. in Phoc.

Psal. 115. vers. 4.

Contra mysteriosum hoc Christi filii à Patre æterno quæsitum gravem instituit S. Hilarius litem,

petens: *Cur calicem à Patre propinatum bibere recusas?* Hilari subtice, & patienter Christi in illa causa attende Advocatos. Venerabilis Beda quàm egregiè illa verba explicat, retorquetque non in frivolum patiendi timorem, sed in majorem Christi erga hominem amorem. Clamârat quippè: *Tristis est anima mea usquè ad mortem* Ast nec hoc sufficit Pater. Rogo te, *transeat calix iste ab anima ad corpus*: quia hæc tristitia intrinseca est, occulta, & homini ignota: quare transeat ad corpus externum, visibile, & palpabile, ut totus mundus evidenter cognoscat, quanto cum desiderio patiar. Alii, inter quos mellifluus Doctor, autumant benignum internè vehementer fuisse commotum Jesum, dum ab una parte calicem tot amaritudinibus, tormentis, atque pœnis refertum, respexit, & ab altera divinâ suâ præscientiâ prævidit potionem hanc amaram tot millenis, & millenis hominibus in minimo non futuram utilem, imò è contrà obfuturam: videlicet, quia Christi Passionis merita sunt contempturi. *Tristatur Dominus*, inquit, *videns tot privandos gloria paradisi, & ad pœnam inferni damnandos.* Clamat, ô dilecte Pater, permittesnè, quòd pretiosus iste sanguis, quem è castissimis Divæ Virginis visceribus desumpsi, pedibus impiè conculcabitur? Patierisnè, quòd ego ingenuè fateri cogar id, quod de me vaticinatus fuit Propheta David: *Sicut aqua effusus sum*, id est, sinè pretio, sine æstimatione? *Ah transeat à me Calix iste.*

Psal. 21. vers. 15.

Laurentius Justinianus mysteriosum hunc Christi ad æternum Patrem libellum supplicem dilucidat vulgati quadam similitudine. Est quidam, inquit, ægrotus ardenti laborans febre, petit à medico, an quandoque sibi non liceat, ad sitim, qua miserè torquetur, paulumper restringendam, bibere. Respondet ille omnem potum nocivum fore, attamen in æstuantis sitis solatium parvulum ei vitrum præbêre permittit. Illud ipsi à servis affertur, quo viso, exclamat: ecquid mihi præsentatis? Estnè tantillum liquoris sufficiens ad tantum æstum, quo crucior, vel ex parte refocillandum? Ah minimè. Auferte itaque & hoc. Haud dissimiliter Christus egit Summâ ipse opprimebatur siti, qua sitiebat graviora tormenta, majores cruciatus, expectabat à Patre cœlesti superaffluentes tribulationum, & anxietatum fructus, juxtà illud Psalmistæ in persona ipsius dictum: *Improperium exspectavit cor meum, & miseriam.* Et jam desiderans omninò adimpleri illud ejusdem psalmi: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Cernens sibi calicem dumtaxat à Patre propinatum, præ æstu clamat, *Sitio*, & quidem siti ardentissimâ, hic calix talem ardorem refocillare nequit. Quare tolle & hunc, transeat à me calix, quoniam integrum expecto tribulationum vas, & mare. Ideò ait *iste*, ac si diceret, non renuo potum Passionis, sed illum utpote tàm parvum. *Hoc pro hominum salute patior*, inquit Laurentius, *ista pro honore tuo sustineo. Verùm, quia parva videntur, adde flagella, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide, universa hæc, & majora desiderio sitio.*

Psal. 68. vers. 21.

Christe hi celeberrimi Advocati causam tuam efficaciter defenderunt, quorum ego lubens adhæreo opinioni. Undè quantumvis te exclamantem audiam: *Pater mi, transeat à me calix iste*, attamen fateor, te neutiquàm amarum calicem ebibere denegâsse, credoque te imitatum fuisse vestigia Rotilii magni Cælii amici. Hi duo in Sicilia commorabantur, familiariterque convivebant. Contigit, quod Rotilius in notabile lapsus sit crimen, ob quod à competenti Judice est ad mortem condemnatus. Sententiâ perceptâ, Rotilius instanter ab illo petiit, quatenùs sibi liceret pro certo tempore, ut de negotiis posset disponere, in patriam ire, spondens sese decreto die rediturum ad necem statutam obeundam. Annuit supplicanti Judex, modò ipse loco suo obsidem statueret, qui pro eo casu quo promissis non staret, morte plecteretur. Cælius amici sui anxietate commotus, prædictam conditionem acceptavit, seseque in Rotilii obsidem tradidit. Ast, cùm ille determinato tempore redux non esset, ad mortis theatrum ejus loco deductus est Cælius. Cujus dementiam quàm plurimis amicis (eò quòd tam leviter alteri credidisset) incusantibus respondit: *Non me pudet mori, sed vellem mori eo loco, eo tempore, quo amicus videret.*

Sic, sic tu clamas Christe ad cœlestem Patrem. Eheu! mors violenter me conatur opprimere. Ipsa continuos corpori intentat insultus. Deficere totaliter humanæ incipiunt vires, sentio jam animam à corpore separandam: quoniam *tristis est anima mea usque ad mortem.* O Pater permittesne, ut in hoc horto, loco ab hominibus secluso occumbam? Ah! *transeat à me Calix iste.* Ecce solus hìc resto, mors mea nullâ clarificabitur gloria, si nullo spectante, eam cogar subire, O piissime Pater! clementiæ oculos ad afflictum obsecro filium converte, & intuêre ad quam devenerit extremitatem. Potenti divina tua manu animam in corpore retine, ut cum triumpho in mon-

monte Calvariæ, ſpectante Hæbraico populo, & amico, cujus amore patior, glorioſam oppetere queam necem. Concede, ut à terra in altum eleuer, & in duro crucis erigar ſtipite. In hoc traham impiam latronis animam, diſrumpam ſaxea quàm plurimorum Judæorum corda, calefaciam gelidum Centurionis, & Longini animum. Rurſus peto, crucifigar in monte Pater: non recuſo mortis calicem, ſed deſidero, ut totus mundus quàm optimè mea, quæ ex amore recêpi, contempletur vulnera. Sic appoſitè explicat Gregorius: *Tranſeat à me calix iſte, quia cùm venerat, ut pro omnibus moreretur: volebat in eo loco mori, quo ab omnibus videretur, & exauditus eſt pro ſua reverentia.*

Quidam ſentiunt hanc orationem Chriſtum pro charis ſuis Apoſtolis, cunctiſque eorum ſequacibus effudiſſe. Decreverat namque Deus cœlum juſtam fore tribulationum, & crucis mercedem: *Ego diſpoſui vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater.* Et Crux unica ſtatuta erat paradiſi ſuperni porta juxta illud Davidis: *Hac porta Domini, juſti intrabunt in eam.* Clamat itaque *tranſeat à me &c.* Id eſt, Pater, nè totum tormentorum, & afflictionum calicem hauriam. Permitte, ut tranſeat à me ad meos diſcipulos, & omnes Chriſtianos. Ita explicat Hilarius: *Non rogat, ut non patiatur, ſed ut ſicuti à me bibitur, à Chriſtianis bibatur ſinè metu mortis. Et exauditus eſt pro ſua reverentia.* Hic addiſce homo, dum affligeris, & quadam calamitate opprimeris, te aliquas guttulas calicis Domini deguſtare, quas ipſe tibi ex hoc funeſto horto tranſmiſit. Eas patienti animo ebibe, & clama cum illo: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Id enim omninò neceſſe eſſe teſtatur Tertullianus: *Si vis Chriſti diſcipulus eſſe, crucem ejus tolle, & Dominum ſequaris neceſſe eſt.*

Luc. ca. 12 vers. 19.
Pſal. 117. vers. 20.

Tandem alii opinantur hæc verba: *tranſeat à me calix iſte*, ex vehementi ergà populum Hebraicum amore eſſe deprompta. Dicendo itaque *tranſeat*, ait: ô Pater video tot ſcelera, tot enormia crimina, in mea Paſſione ab electa plebe committenda. Et propterea tot eorum ad æternas condemnandos pœnas. Rogo te, ne mihi mors à Judæis inferatur. Sic Baſilius lib. 4. contrà Evodium: *Poſtulat non timore patiendi, ſed miſericordiâ prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum.* Et Ambroſius cap. 10. ſuper Lucam: *Ideò dixit transfer hunc à me, non quia Deus Dei filius mortem timebat, ſed quia nec malos propter ſe perire volebat.* Ac ſi diceret, Pater infinitâ meâ ſcientiâ prævideo mortem meam, quam adeò crudeliter mihi inferent rabidi Judæi, in tantùm divinam tuam accendere & inflammare iracundiam, ut condigna juſtitiâ inauditam eorum punire cogeris barbariem. Ego ad te pro miſericordia clamito. Parce, parce, ſi poſſibile eſt, feris his tortoribus, quoniam & pro iis pretioſum meum ſanguinem offero. Pater, ſi non una ſufficiat mors, paratiſſimus ſum reſuſcitatus ſecundam obire, imò & centenas. *Ego in flagella paratus ſum,* modò à me tantùm ſalvetur gens Hæbraica. Hanc interpretationem maturè perpendens Bernardinus, ait: *Immenſus, ac ferventiſſimus amor in hoc manifeſtatur.* Hæc Chriſte amoris tui eſt ultima menſura, *& non plùs ultrà.* Quis umquàm audivit aliquem pro juratis ſuis hoſtibus deſiderantem mori?

Pſal. 37. verſ. 18.

Devota Anima, viſita quæſo, admirabile horti Gethſemani theatrum. Contemplare ſedulò internam illius mœſtitiam, & athleticam inter carnem, & ſpiritum pugnam. Et in primo inſultu diſce in tribulationibus conſtantiam. In ſecundo rebelli carni, dum illa te contrà divina ſtimulat mandata, diſce ſtrictum injicere frænum. Diſce inſuper juxtà ultimam *tò tranſeat &c.* interpretationem vindicative, non tantùm tuo condonare inimico, verùm & pro eo divinam exorare clementiam. Ea documenta contemplare, ego intereà me ad mœſtam, quæ in horti peracta eſt theatro, enarrandam diſpono cataſtrophen,

§. IV.

Et factus eſt in Agonia ſudore ſanguineo decurrente in terram. Lucæ cap. 22.

O Fatalis hortus! ô lugubre ſpectaculum! accede Galene, accede Hypocrates, accedite peritiſſimi quicumque ſitis Medici, & reſpondete an ſecundùm medicinæ veſtræ documenta, vel experientiam umquàm demonſtrare poſſitis, hominem agnonizantem ex omnibus corporis poris edidiſſe ſanguinem? Nullus credo. Quare me ad te converto Chriſte, rogóque quodnam illud fuerit torcular, quod è ſanctiſſimo corpore tuo tam copioſum expreſſit cruorem? Cuncta benedicti corporis tui linceis oculis intueor membra, nec ullum in eo comperio vulnus. Nihilominùs abundantem cerno undequaque ex illo decurrere ſanguinem. Quis umquàm vidit tale? Ah bone Jeſu! forſitan viva tot tormentorum apprehenſio, quæ inauditâ feritate immanes

Tortores Judæi jam jam contra te præparant, hunc scaturire salutiferum fecit succum ? Minimè sanè. Strenuus namque dux, qui victoriam desiderat, pugnam neutiquam detrectat. *Et vulnera*, inquit Ephraim, *doloris non timet, qui vulnera amoris sentit.* Certum autumo insolitum hunc effectum immanis enorme gentis Judaicæ electæ, & Christianæ ingratitudinis scelus produxisse. Loco enim, quòd homines ad divinum hunc avido ore liquorem lambendum velocissimè accurrere deberent, eum pedibus protervè conculcant, contemnunt, abominantur, & te viam vitæ Christum deserunt, & ad semitam mortis tendunt. Sicque viliter, & instar aquæ pretiosus effunditur sanguis.

O insensate homo ! ô impie peccator ! attende, attende, quam nervosè in tuam S. Augustinus insurgat dementiam & ingratitudinem. Ipse, recensitis quam plurimis beneficiis, tractans super hunc locum Psalmistæ : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* In hæc prorumpit verba : *Non ait, quæ tribuit mihi, sed quæ retribuit mihi. Retribuisti tu mala pro bonis, & retribuit ipse bona pro malis. Quomodo retribuisti tu mala pro bonis ? Prius fuisti blasphemus, & persecutor, & injuriosus retribuisti blasphemias. Pro quibus bonis? Primò, quia es, cùm non esses. Deindè, quia vivis, sed vivit & pecus. Quid retribues Domino pro eo, quod super omnia pecora, & super omnia volatilia fecit te ad imaginem, & similitudinem suam.* Et tandem ad sedulam horum beneficiorum exhortatur contemplationem : *Cogita ergo Anima omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua. Quàm multa enim mala facta tua, tam multæ bonæ retributiones ejus.* Ah quomodo in eos non fuisset stomachatus Augustinus, qui acerbam Christi Domini Passionem inanem, & absque ullo fructu perversâ sua voluntate reddunt, & sanguinem ejus vilipendunt.

Psal. 115. vers. 3.

Christus à dilecta sponsa botrus nuncupatur. *Botrus Cypri dilectus meus.* Mysteriosus botrus, è quo copiosus exprimitur sanguis, & supra terram effunditur. Sed quo torculari ? Ah peccatorum nostrorum pondere : *Ipse peccata multorum tulit.* Quod onus Jesulum adeò torquet, ut sudor sanguineus undequaque vehementer erumpat, & in terram decurrat. O felix terra, quæ digna reperta est pretiosum Creatoris sui absorbêre cruorem ! quondam maledictioni divinæ, ob vetitum, quod produxisti pomum, fuisti subjecta : nunc verò ea salutifero Christi sanguinis antidoto totaliter tollitur. Quantùmvis enim tu crudelis appareas,

Cãt. cap. 1. vers. 14.

Isaiæ cap. 53. v. 12.

Domino offerens funes, quibus ligabitur, virgas, quibus flagellabitur, ferrum, quo inclavabitur, spinas, quibus coronabitur, lignum, in quo suspendetur, ipse tamen in amicitiæ, & reconciliationis testimonium, proprio te madefacit sanguine. Sanguine, non clamante ad instar Abelis exigente misericordiam. Sanguine, non ostendente erga fratrem Abelem odium, & rancorem, sed singularem Christi Domini erga genus humanum amorem. *Quia triumphat de Deo amor.*

At Christe, estne tam arctum amoris tui torcular, ut ex corporis tui selecto botro tantum spiritualis succi exprimatur ? Ah siste cursum profluentis sanguinis bone Jesu ! *adhuc longa tibi restat via.* Parce, parce illi, te exspectant dira Judæorum flagra, te exspectant crux, & corona. Suppeditatur tibi superabundans quidem eum abundanter effundendi occasio. Noli te in hoc tragico horto penitùs exenterare. Si amor te cogat in hoc primo funesto tribunali, & theatro sanguinem spargere, abunde videris ei satisfecisse, si vel unicam donaveris guttam. Herillus cùm ab Alexandro Magno abundantiorem servitii sui recepisset mercedem, dixit : *Sufficit O Cæsar !* ad quod magnanimus Princeps : *Si tibi satis est accipere, mihi non satis est dare.* Ad instar generosi Alexandri egit nobiscum Christus, ô Christiane ! Ipse namque clamat, quamvis unica sanguinis gutta abundè ad totum redimendum mundum sufficiat, illa non satisfacit amori, *illique satis non est dare,* quia ut abundantiùs fundam, *urget amor.* Ad quod ait Bernardus, Christum omnia fecisse in pondere, numero, & mensura, excepto in mysterioso hoc sanguinis sudore.

O ferox torcular amor ! Anaxarches eruditissimus sui ævi Philosophus, nescio qua adversâ fortuna in crudeles cujusdam tyranni infestissimi sui inimici lapsus manus, barbarè in mortarium injectus fuit, & in eo pistillo contusus, & in frusta minutatim concisus. Inaudita sanè sævitia ! Eadem tractatur mundi Creator. In tantùm enim in torculari amoris, & iniquitatum hominum pondere (quas ipse pretioso sanguine suo diluturus venerat) oppressus, tali modo sudat cruorem, ac si à furibundo tyranno in mortario pistillo comprimeretur. Undè nunc illud intueor impletum vaticinium Genes. cap. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium.* Mystica namque hæc uva, mysticus hic botrus, nitidissimè cruore suo (quem vinum nuncupat Propheta Zacharias cap. 9.) integrum lavit corpus à peccatis hominum

Gen. cap. 49. v. 11.

(qui-

(quibus cooperiebatur) fœtens, & sordidum, *Iesus erat indutus vestibus sordidis*, inquit Zacharias cap. 3. Ah properate fideles, venite, & lambite divinum hunc succum. Vos invitat S. Anselmus, dicens: *Accurre, suavissimas illas guttas lambe homo, noli dormire cum Petro.* *Vers. 3.*

Antiquitùs moris erat apud Romanos, quòd militum dux, dum arduam expeditionem jam jam esset aggressurus, aut sanguinolentum certamen cum hoste dimicaturus, ut milites ad strenuè, & generosè cum adversario decertandum excitaret, & ad triumphalem victoriam accenderet. Quapropter illis sanguinolenta tunica è tentorio Cæsareo extensa, imminentem pugnam manifestabat. Quando ego attentè piissimum in horti theatro sanguineo per totum corpus conspersum sudore contemplor Christum: mihi videtur, quod ipse ad instar Romanæ militiæ ducis, ex horto tamquam è tentorio extenderit corporis sui sanguinolentam tunicam, innuens crudelissimum jam jam imminere luctamen, ut discipulos suos ad viriliter belligerandum adhortaretur.

Regina Clotildis, quàmplurimis intolerabilibus, & severis, etiam usque ad sanguinem, à barbaro suo marito Amalerico perpessis injuriis, ad germanum suum Gildebertum per fidelissimum nuntium pretiosum transmisit linteum proprio suo cruore tinctum loco litterarum, volens hoc modo loqui fratri. O dilecte frater! hanc oculis tuis, quam ego sustinui intueris injustitiam? Hoccine pateris, nec vindicantes in ferocem tyrannum exarmas manus? Potesne videre tam enorme scelus, tam execrandum in legitimam uxorem facinus? O Anima Christiana! ex sanguinolento Gethsemani horto mittit ad te ad instar Clotildis Christus sanguineo sudore tinctum linteum, id est, corpus suum cruore madidum, ad illud maturè inspiciendum. Clamat ad te, ô homo! desiderasnè scire juratum illum hostem, qui tam feras in me exercuit manus? Ille, ille peccatum est, impietas tua est, & hanc cernis injuriam, nec vindictam paras? Agedùm exere acutum sinceræ, & puræ contritionis gladium, & eo ferocem hostem sterne. Nullo meliori modo homo afflicto compatitur Christo, quàm si odium erga peccatum excitet, & amorem erga patientem Jesum accendat. Clama igitur ad cœlestem Patrem: O benigne Domine, sit mihi sanguineus filii tui sudor in animæ meæ sacratum balneum, & salutare omnium peccatorum meorum lavacrum! *Gen. cap. 49. v. 11.*

§. V.

Surgite, eamus: Ecce appropinquat, qui me tradet. Matth. cap. 26.

POstquàm benignus Jesus ferventem suam ad Patrem cœlestem finiisset orationem, humumque sanguineo sudore aspersisset, prostratus, & quasi devictus apparet, attamen viribus resumptis, ad-instar leonis sese erigit, & ad iter accelerandum pergit, ut novo zelo, & amoris ardore ignominiosam aggrediatur mortem. Velociter ad dilectos suos accurrit Apostolos, eosque sedulò adhortatur, ut imminentem sævorum Judæorum attentè contemplentur insultum: *Surgite, eamus, ecce appropinquat, qui me tradet.*

O bone Jesu, unicum animæ meæ solatium! quò abiit, quò evanuit incomprehensibilis ille timor? extrema illa tristitia? funesta illa animi tui commotio? Ubi nunc interna adstantis tuæ Passionis apprehensio, quæ ex benedicto tuo ore hæc expressit verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Imò, nec hoc tantùm illa potuit, sed quoque vehementer è cunctis corporis sui poris abundantem extraxit sanguinem. Et modò, dum jam appropinquare cognoscis perfidum illum traditorem Judam, qui vili pretio infiniti valoris tuum vendidit sanguinem, non contremiscis, sed alacris, & immotus persistis? Fateor, me in te confiteri illud ingeniosum cujusdam amantis, in summo vitæ discrimine ratione amatæ constituti dictum: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* O benigne Christe! jam jam in procinctu est nefarius traditor numerosâ rabidorum militum cohorte stipatus, ut te in vincula conjiciat: & tu ei animosè obviam procedis? Ah fuge, fuge Christe, alioquin actum est de te, Sagaces animalium essentiarum, & proprietatum investigatores asserunt, elephantem ex visu sui sanguinis ad pugnam summoperè concitari, tu Christe in affluentia sanguinem fudisti: Istenè adeò generosum tuum animum accendit? Sic est Christe. Nunc completur illud Prophetæ Job vaticinium cap. 39. *Exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio.* *Iob cap. 39 vers. 21.*

O Salvator mundi! dum te imperterritum, & constantem contemplor, experior te eum fore, de quo ait Scriptura: *Ego Deus, & non mutor.* Attamen ab altera parte parvula instabilitatis mihi primâ fronte apparet scintilla, dum attentè perpendo divinam tuam majestatem discipulo *Malach. cap. 3. vers. 6.*

los suos ad vigilantiam admonuisse, & ursisse, ut tantillum temporis in fervida oratione consumerent. *Vigilate, & orate, nè intretis in tentationem.* Et nunc illos aggrederis, & ais: *Dormite jàm, & requiescite?* Sanguis Agni paschalis in Veteri Testamento Judæis procurabat quietem, & eos à communi præservabat strage, quâ cuncti totius Ægypti primogeniti divinâ manu plectebantur. Eratne ergò mirum, quòd divinus Christi veri Agnelli sanguis, discipulis adferret quietem, & pacem, & in fortissimum inserviret scutum, ad furibundo hosti generosè resistendum? Audite S. Ephraim: *Antè luctam sanguinis eos vigilare vult, quibus post luctam quiescere præcipit, quia sanguis illis stratum erat ad quiescendum.* Sanguis Agni paschalis clamabat ad Deum misericordiam, & pietatem pro filiis Israel in Ægypto gravi Pharaonis oppressis servitute; verùm pro Ægypti incolis, & obstinato rege Pharaone vindictam. Forsitan, ô Christe sanguis ille, qui tanta cum vehementia in horto è sacrosancto corpore tuo effluxit, binam habet vocem, unam expostulantem benignitatem, alteram justitiam requirentem? Ad hoc curiosum quæsitum me instigat doctissimus Rupertus, qui hæc profert in hunc locum verba: *Verè igitur tantum miraculum otiosum non fuit, quia contrà impios Judæos in terram decurrit.* Ex quibus dilucida videtur sequi consequentia, illum dumtaxat pro gentibus, & Apostolis misericordiam rogasse, & pro gente Judaica vindictam exegisse.

O benigne Jesu! nunc, nunc novam, & fundatam internæ tuæ tristitiæ intueor rationem, vix terram inebriaras cœlesti sanguinis tui liquore, vix eam irrotaras pretioso hoc rore, & reverberantem percepisti vocem, *parce, & puni.* Cruoris Christi vox erat misericordiam petens: *Sanguis parcit*, ait Rupertus, At terra tantam sceleratorum Hæbræorum contrà Creatorem suum non potens ferre injuriam, justitiam in eos provocabat: *Terra non parcit.* Et ecce contremiscit, conturbatur piissimus Dominus, clamatque: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste.* Ah Pater, obsecro, ut meus sanguis, mea passio etiam inquis Judæis, & Crucifixoribus meis sit utilis. Sed eheu! cernens cælestem Judicem absolutè determinasse utrique divinæ suæ essentiæ attributo plenariè satisfacere, misericordiæ videlicet, & justitiæ, eumque in prædam huic dedisse tabidos lupos Judæos, isti verò in sinum projecisse gentiles, id est, futuros Christi Ecclesiæ filios, ad discipulos suos clamitat: *Quiescite jam*, estote securi, quoniam vobis obtigit felicissima sors, vos sub umbra misericordiæ latitatis. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Lenivi sanguine meo paternum furorem, vosque cælo reconciliavi. *Psal. 84. vers. 11.*

Sed ecce, dum suos tam bonâ spe, & fiduciâ alit Christus, perfidus Judæorum prodit antesignanus Judas, & in Christi fraudulenter ruit amplexum, eique fœdifragum tradit osculum: *Et osculatus est eum* O infelicissime Apostole! ô abominanda Anima! ô Juda! quomodo eo procedis audaicæ, ut Creatorem tuum, Salvatorem, & Magistrum, non verearis tamquam tenerum agnellum in voraces furentium horum leonum projicere fauces, ut iis minutim conteratur? Audesne ô ingrate! cane & tygride sævior! impuris, ac sordidis tuis labiis tam venustam commaculare, & inficere faciem, ut in eam intuitum conjicere ipsimet quasi vereantur Seraphini? S. Magdalena sese supra omnem creaturam æstimavit fore privilegiatam, quoniam digna reperta erat sanctissimos Christi pedes exosculari. S. Joannes Baptista, quo nemo ex muliere natus sanctior, juxta veridicum ipsius veritatis oraculum, sese penitùs confitetur indignum, ut dissolvat calceamenta pedum ejus: & tu temerariè non verecundaris maleolenti halitu tuo, nitidissimum illud inficere lilium, odoriferam illam miro fœtore annihilare rosam, & inæstimabilem illius jam jam in fœtidum injicere os attentas cruorem?

O inaudita feritas! ô incomprehensibilis severitas! Ah Pater cœlestis. Potesne mutus, & surdus, oculatus tamen, tam infamem cernere proditionem, & tua in nefandum justitiæ non detorques fulmina? Intuerisne innocentem huncagnellum unigenitum tuum, in quo tantùm tibi complacuisti, filium ad macellum duci, nec terræ mandas, ut dehiscat, & execrandum discipulum deglutiat? Oza veritus Arcæ fœderis lapsum, eam erectam sustinuit: *Extendit Oza manum suam ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam.* Et ecce statim eum morte suam persolvere voluisti temeritatem: *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei.* Quamplurimi quoque Bethsamitæ, ut refertur 1. Reg. cap. 6. ob solum Arcæ Dei intuitum morte plexi sunt: *Percussit autem de viris Bethsamitidas, eò quòd vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinque millia plebis.* In hac tamen nil con- *2 Reg. c. 6. v. 6. & 7.* *Vers. 19.*

continebatur, nisi virga Moysis, lex lata in monte Sinai, & manna, quod Dominus Israelitis pluerat in deserto. Et hic detestabilis proditor Judas impurissimum suum os supra sacrosanctum Christi immaculatæ faciei ponit altare, & temerariè attingere ausus est vivam illam fœderis Arcam, in qua absconditi continentur omnes divinæ sapientiæ thesauri: & adhuc evaginatum justæ justitiæ cohibes gladium? O occulta Dei judicia! ô incomprehensibilis sententia!

O Juda! quomodo potest impium animum tuum tam abominanda occupare malitia, ut Dominum tuum amicitiæ signo, amoris, & pacis indicio fœdifragè rabidæ Judaicæ plebi tradas? *O signum sacrilegum!* exclamat Augustinus, *ô placidum fugiendum! ubi ab hoste incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum!* O Juda! in pignus amoris, vulnus infligis, & sub pacis larva infamiter Dominum tuum servus, & Magistrum discipulus tradis? O piissime Jesu! cur faciem tuam à fœtido illius ore non declinas? Ipse pestilenti suo halitu tibi intentabit ruinam. Fuge, fuge protervum vultum Christe. Quid ad hoc ipse? *Ah sic urget amor.* Immò ipse sese ad Judam, utpotè staturâ pusillum inclinavit, ut illi osculum daret. *Non osculum traditionis, sed osculum pacis,* inquit Eucherius, *quòd in illa proditione osculum accepit, benè intelligitur, Christum pacem traditori suo adhibuisse.* Et S. Brigitta matris Christi adfert testimonium: *Appropinquante Iudâ proditore, filius meus inclinavit ad eum, dans osculum illi.* (Lib 4. Revelat. cap. 59.)

Et huic piæ sententiæ videtur suffragari Hieronymus dicens: *Os, in quo non erat dolus, ori, in quo abundavit malitia, dulciter apposuisti.* Clamat itaque amore ardens Dominus: ô Juda propera, accede, ecce paratus adesto, ut in amplexum tuum ruam. Divino & suavi meo halitu inspiravi in Adam spiraculum corporalis vitæ. Veni tentabo, an eodem in animam tuam infundere queam spiraculum spiritualis vitæ. Hoc ultimum superest remedium. Labia mea adhuc rubicunda sunt, & sanguineo sudore tincta, hunc tibi in fortissimum animæ tuæ, graviter sauciatæ, lambendum offeram pharmacum, Si hoc non resipiscas, actum est de te Juda. In hoc actu mihi videtur, quòd Christus Senecæ Philosophi inhæserit sententiæ. Hic loquens de magno ingratitudinis vitio, quærit utrùm beneficium ob ingratitudinis timorem sit denegandum? Et respondet: *Conquereris te incidisse in hominem ingratum. Si hoc periculum evitare volueris, non dabis beneficia. Ita, ne apud alium pereant. At apud te peribunt: non redeant potiùs, quam non dentur: & post malam segetem ferendum est.* (Senec. ep. 81. & lib. 1. de benef. cap. 1.) Sic, inquam, sentit Christus. Præscit divinâ suâ præscientiâ obstinatum futurum proditorem, ei tamen beneficium osculi pacis non recusavit, *sed ori, in quo abundavit malitia, os dulciter apposuit.*

Sed ad omnia hæc amoris signa tamquam durissima rupes, immotus persistit Judas. O splendidissime Sol! an unquam tale intuitus es scelus? Commemorant antiquæ historiæ, intestinis tempore Pompei, & Cæsaris furentibus Imperii Romani bellis, contigisse, Cæsarem in publico campo cum aliquot præcipuis sui exercitus commilitionibus colloquentem, coactum ventris sui exonerandi causâ, parumper à consortio secedere Ad quem finem clypeum, & gladium deposuit. Quod subornatus Pompei speculator cernens, opportunam jam nactus occasionem, ensem suum in Cæsarem strinxit, & mox eum inermem oppressurus velocissimè accurrit. Cæsar jam imminens præsentiens vitæ discrimen, ab inchoato opere destitit, & resiliens dextrâ clypeum arripuit, cui inscripta erant hæc verba: *Ego Cæsar, qui pro salute patriæ belligero.* Quod dictum adeò istum militem à tantò perpetrando scelere deterruit, ut propositum deseruerit, judicans indignum fore illum militum ducem fraudulenter enecare, qui pro patriæ suæ conservatione decertabat.

Ah Juda! tu subordinatus, auroque furibundorum Pharisæorum, & Scribarum corruptus, ad illum Cæsarem trucidandum accedis, qui ad te clamat, *Ego Cæsar, qui pro salute mundi,* & tui quidem, non tantùm contra tenebrarum potestates, verùm etiam contra ipsam divinam justitiam *belligero.* Et ad hæc immobilis permanes, & adhuc iniquæ tuæ mordaciter insistis intentioni? O nequam! valuêre in Pompei militem tantum nudè exarata in clypeo verba, & induratum tuum emollire non potuit cor solida toties ad te à magistro audita doctrina, & præsertim illa verba: *Væ homini, per quem filius hominis tradetur?* (Matth. c. 26. v. 24.) Non est quispiam Christianorum Juda, qui tuam perfectè capiat malitiam. Et illa quoque maximè torquet Christum: quoniam de tam perversa proditione ipse apertè satis conqueritur per Prophetam Davidem: *Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* (Psal. 40. v. 10.)

Adeste hic Christiani maturâ mentis vestræ contemplatione, & sedulò cogitate osculum Judæ, &

& osculum Christi. Attendite quantum tormentum Christo, perfidum perfidi discipuli attulerit scelus. Verùm nec obliviscamini in conscientia vestra ruminare, quoties traditorium Christo tradatis osculum, & præcipuè tum, dum fœtenti halitu, immundo volo dicere corde, pravâ intentione, dissimulatâ ostensione ad mensam acceditis eucharisticam, ut cœlesti mannâ, corpore Christi, & pretioso ejus sanguine saginemini. Discite quoque summam Dei vestri ex hoc osculo misericordiam, quod nil indicat, nisi intensissimam sitim animam Judæ lucrandi.

§. VI.

Amice ad quid venisti? Matth. cap. 26.

DUm stupendum magno mysterio plenum maturè benigni Domini ad impium traditorem Judam dicentem: *Ave Rabbi,* contemplor responsum: exclamare, & altâ voce vociferari cogor: estnè possibile inter Christianos adhuc adinveniri posse aliquod cor tam à pietate abalienatum, quod sanguini, & vindictæ inhiet, dum ipsi benevola piissimi Jesu intonantur verba: *Amice*
Cant. c. 1. v. 14. *ad quid venisti*? Ah quàm veridicè de sponso ait sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus.* Plinius sagacissimus rerum naturalium indagator asserit, è botro Cypri, dum comprimitur, effluere pretiosum & odoriferum balsamum. Verè mysticus Cypri botrus Christus, è quo amoris torculari in fatali Gethsemani horto inæstimabile illud sanguinis balsamum, quo risanatum est Adæ vulnus, expressum est. Et modò rursùs hic divinus botrus crudeliter proprii discipuli conscissus proditione, edit redolentia balsamum verba: *Amice ad quid venisti*?

O pie Domine! an forsitan adstans Passio, & gravissima imminentia te adeò conturbant tormenta, ut nominis traditoris non reminiscatis? Id non credidero. Cùm itaque propriis nominibus cæteros discipulos alloquaris, cur huic & suum non attribuis? Nuncupabisnè eum amicum, qui te immortali odio prosequitur? Illinè signa ostentabis amoris, qui te ad sævam quærit mortem? An detestabile ipsius scelus benevolum amici meretur vocabulum? Hoc à recta ratione, & naturali hominum instinctu planè apparet alienum. Attende Christe, magnum hìc subest scandali periculum. Dicent namque Judæi divinam tuam majestatem clarissimè hisce verbis approbare proditiones, odia, & injurias. Debuisses sanè dixisse, ô impie discipule! ô abominande homo! ad quam venisti malitiam, & dementiam? Siccinè inimicus magistri tui existis, ut infamiter eum osculo tradas? Audi scelerate, quid in te stomachatus dicat Venerabilis Beda: *Amore pignoris vulnus infligis, & charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento etiam mortem erogas?* Et tu Christe adhuc illi titulum amici tribuis?

Ah Christiani! hoc odiosum inimici vocabulum nunquam ex mansueto benedicti Christi ore prodiit, inquit S. Hilarius, nisi tum dumtaxat, quando homini de diligendis inimicis suis formalem legem tulit: *Ego autem dico vobis, diligite ini-* Matth. c. 5. v. 44.
micos vestros. Ecce etiam pro barbaris, & feris Judæis, imò & pro suis crucifixoribus veniam & misericordiam à cœlesti Patre tanto hoc scelere ad summum concitato furorem exigit clamans: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Sed quibus? Non eos nominat, ait Anselmus, quoniam debuisset dixisse dimitte inimicis meis, & idcircò sensum imperfectum potiùs relinquit. In triumphali, ac magnifico suo in civitatem Jerusalem ingressu audit omnem populum, imò & infantes loquelæ incapaces, ore adhuc lacte madido clamantes: *Benedictus, qui venit in nomine Domi-* Matth. c. 21. v. 9.
ni, hosanna filio David. Et tunc adimpletum est illud Prophetæ Davidis vaticinium. *Ex ore infan-* Ps. 8. v. 3.
tium, & lactantium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos. Illa tamen verba Judæis loquens subticet *propter inimicos tuos,* & tantummodò dicit: *Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactan-* Matth. c. 21. v. 16.
tium perfecisti laudem? Quia, inquit Hilarius, *non inveniebatur illud vocabulum scilicet inimici in illo sacro sapientiæ thesauro.*

At contra hanc solutionem moveri potest maxima è sacra Scriptura difficultas. Narrat Evangelista Matthæus, Christum Petro quodam tempore nomen tribuisse satanæ. *Vade post me satana.* Et hunc sceleratum & impium traditorem indignum discipuli, & Apostoli charactere, nomine amici alloquitur? *Amice ad quid venisti?* Petrus, qui Ecclesiæ Christi destinatus erat lapis fundamentalis, qui potiùs millies duram paratus erat subire mortem, quàm Dominum deserere: qui coram omnibus discipulis ejus ingenuè confessus fuerat divinitatem: *Tu es Christus filius Dei* Matth. c. 16. v. 17.
vivi. Ad quod respondet ille: *Beatus es Simon Bariona*: nuncupabitur dæmon, & infamis apostata vocabitur amicus? Ah voluit nos Dominus docere gloriosum fore, cum honore prævenire,

qui

qui alium inhonorare tentat. Unde ait Cyprianus serm. de Pass. *De impietate, & malitia suavitas pietasque Christi triumphat.* Et dicendo: *Vade post me satana,* suum, ut hominem redimeret, ostendere voluit desiderium, Ideòque Petrum Passionem dissuadentem, *absit à te Domine, non erit tibi sic,* à se repulit, aliumque amicum, utpote præcipuum Passionis suæ instrumentum, appellavit. Ita quidam modernus exponit hisce verbis: *Petrum amicum diabolum appellavit, quia à morte eum retardare curabat: diabolum Iudam amicum vocavit, quia circa prosperum suum è mundo decessum satagebat.* At vana erat tanta Judæ celeritas, quoniam ad necem maximè noster festinabat Salvator. O Juda clamat, desiderasne me videre infami crucis affixum trabi? Si tu, ut me vendas, adinstar testudinis movearis: ego adinstar generosæ aquilæ volabo. An non intellexisti, me ad tibi occurrendum discipulos fuisse adhortatum, *surgite, eamus, ecce appropinquat qui me tradet? Ad quid itaque venisti?* Non erat opus, ut accederes, jam me ad Passionem properante. Non patior velociorem ad me tradendum proditorem accedere. Quem amorem considerans mellifluus Doctor ait: *Domine Iesu vita mea, decus Angelorum, quantùm nos diligebas, qui pro nobis mori cupiebas.*

Vers. 22.

Matth. c. 26. v. 46.

Ber. serm. 14. in Cœna Domini.

Ex hoc præclaro magistri vestri exemplo insigne Christiani eruite documentum Discite ex eo adamare pulcherrimam mansuetudinis virtutem. Properate, accurrite hûc vindicativi, & sanguinis inimicorum sitibundi, & Salvatoris vestri insistentes vestigiis, furibundam extinguite iræ sitim. Ecce perfidus proditor Judas pium Dominum tradit ad flagella, spinas, clavos, crucem, & infamem mortem, attamen pietatis memor, in tantis injuriis nomine amici appellat: *Amice ad quid venisti?* Et tu, dum audis, ô obstinate Christiane quamdam calumniam, dum minimam à proximo tuo pateris injuriam, adhuc animum tuum ad vindictam concitabis, & clamabis *inimice*? Ah! si te non moveat antesignani Christi exemplum, confundat te Christiani vocabulum. Quod te quàm maximè urget, ut tu, sicut & ipse injuriam ac improperia toleres: *Tu dedignaris,* inquit Augustinus, *serve audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis.* Et tandem contra reluctantes in hæc prorumpit verba: *Christiani nomen frustra ille sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume.*

Amice, ad quid venisti: ô obcæcate Juda! ad quam dementiam, & stultitiam devenisti? Perdidistine omne tuum judicium? Dic mihi obsecro cognoscisne hujus pretiosi unionis justum valorem, quem tu vendis? Amice, dic mihi, quale pretium à perfidis tuis emptoribus habuisti? Quanti magistrum tuum Judæi æstimarunt? Ah nihili! *Constituerunt ei triginta argenteos,* inquit Matthæus. O Juda inspice, quanti valeat, & tam vilem respue mercedem, considera, homo quidem est, sed & Deus: creatura est, sed & creator: mortalis est, sed & immortalis, ac per consequens infiniti est valoris. O impie traditor! potuissesne pro viliori pretio totius universi vendere Dominum? Vilissimi mancipii, lege Ptolomæi statutum erat triginta argenteorum pretium, & tu illum, qui è libertatis sinu descendit, ut hominem diaboli eriperet servituti, tantilli vendis? Ah Juda! mihi apparet animum tuum tantâ avaritiâ fuisse præoccupatum, ut eum quidem pro minori pretio tradidisses. *Quid vultis mihi dare?* Et statim oblatæ pecuniæ acquiescis. O demens! unguentum, quod super Christum effudit Magdalena, recentorum denariorum æstimasti valoris, & Deum tuum pro triginta venumdas? O insulse mercator clamat Paulinus! tu te ipsum dijudicare cogeris. *Quia ipsum vilè æstimans Dominum, unguentum istud caro æstimasti.* Ah quàm benè tibi illud appropriari potest Davidis: *Mendaces filii hominum in stateris,* ad quod sic ait Ambrosius: *O Iuda proditor! trecentis argenteis unguentum æstimasti, & sanguinem Christi triginta denariis vendidisti? Magnus es in æstimatione, vilis in scelere.* Et tandem idem, consideratâ Christi Dei infinitate, ait: *Quomodo poterat verum ejus pretium pecuniarum comprehendi, cujus non potest meritum definiri.*

Matth. c. 26. v. 15.

Psal. 61. v. 10.

Ah Christiana anima, considera obsecro, an quispiam reperiatur, qui iniquitatem, avaritiam, & ingratitudinem Judæ non ad summum accuset, & abominetur? Fateor nullus. Verum vellem, ut quilibet intimè cor suum perscrutaretur, & inspiceret, an illud Judæ sceleris non sit particeps. An tu forsitan insuratie, inique Judex muneribus & donis corrupte, pupillos, & viduas defraudans Christum vendere non autumas? Si sic fore mihi non credas, crede S. Thomæ à Villa Nova dicenti: *Quàm parvi te facimus, qui pro vili nummo te tradimus, Iudam accusamus, & idem quotidie facimus.* An tu luxuriose pro brevi carnali voluptate, & sic discurre de cæteris; Dominum tuum

non tradis? Consentit Thomæ Venerabilis Beda, dicens: *Multi hodie scelus Iudæ, quia Dominum ac Magistrum, Deumque suum pecunia vendidit, velut immane scelus & nefarium horrent, nec tamen à simili cavent. Nam cùm pro muneribus falsum contra aliquem dicunt testimonium: Profectò, quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecuniâ vendunt.*

Ab antiquitate summoperè accusatus fuit Cnæus Pompilius, qui (ut refert Fornerus Conc. 81. de Pass. Domini) eloquentiâ Ciceronis, instanter ad pro eo exorandum ab amico suo Cælio rogati, à morte liberatus, ingratus benefactorem suum interfecit. Verba ejus sunt *Summis eloquentiæ conatibus Cælii amici sui rogatu Marcus Tullius Cicero, Cnæum Pompilium capitis damnandum in Senatu defendit, & facundiâ suâ tantum effecit, ut reus à mortis pœna absolveretur. Quomodo beneficio respondit Pompilius? Cùm triumphi tempore Marcus Tullius cum aliis, quia Pompeis partibus adhæserat, morti adjudicatus esset, à Marco Antonio licentiam petiit è latebris extrahendi, & occidendi Ciceronem, quod & fecit.* Justè confiteor tanta vituperatur Pompilii ingratitudo, sed multò justiùs Christianorum, qui ad æternam mortem condemnati, sub jugo diaboli perpetuo gementes, & infami subjecti erant servituti, per Christum vitæ, & liberati restituti sunt, & tamen eum quotidie vendunt, & peccatis suis adinstar Judæ crudeliter crucifigunt, ut attestatur Apostolus.

Quod quandoquidem verissimum sit, eja Christiani clamemus ad piissimum Jesum: Confitemur ingenuè nos tuam majestatem promiscuè pro vili pretio, pro minima voluptate ad momentum duratura, pro abjecto nummo, & perituris mundi bonis vendere. Sed eheu! Domine obcæcati sumus, ut alter Judas, præponentes terrena æternis. Ah Christe, tu solus es, qui dissolvere potes catenas inordinati amoris nostri erga mundana constringentes. Tu es, qui è cœlo descendisti in mundum, ut illuminares omnem hominem venientem in hunc mundum. Rogamus itaque te quam humillimè, ut per merita acerbissimæ Passionis tuæ, & sanguinis, quem in horto tam effluenter effudisti, densas ab intellectu nostro tantæ ignorantiæ depellere digneris tenebras, ut divina gratiæ tuæ luce adjuti, tui cognoscamus utcumque pretium, ne te tam facile adinstar Judæ vendamus. Vix satellites è perfido Judæ signo Christum agnoverant, ecce] mox in eum insiliêre,

§. VII.

Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Iesum. Matth. cap. 26.

AH quodnam ingenium tam subtile, quod exactè comprehendet, quænam lingua tam diserta, quæ potest exprimere furiosum in pium Christum rabidorum horum luporum insultum! intuére hic ô anima devota, innocentem illum agnellum destinatum in prædam furibundæ, ejusque sanguinis sitibundæ plebi. Maturè contemplare, quâ sævitia, quâ barbarie, atque immanitate Salvator mundi nunc ad dextram, nunc ad sinistram per terram trahatur. Hic violenter barbam illi evellit, ille alapas impingit, & elevatum rursus in terram collidit, quilibet omni conatu allaborat, ut bravium crudelitatis obtineat. Tali modo, ut Evangelista Matthæus inspiciens in hac lugubri tragœdia inauditam furentium horum canum tyrannidem, incapax eam ad amussim exaggerare, hoc unicum dicat: *Fecerunt in eo, quæcumque voluerunt.* *Matth. c. 17. v. 12.* Ac si diceret, perpende Christiane iratum, & mordax Judæorum in illum odium, & ex eo, ut ex ungue leonem cognosce, quanta pius Dominus ab iis passus fuerit tormenta.

O patientissime Jesu! quàm bene de te vaticinatus est Propheta Isaias: *Isaiæ cap. 22. v. 18.* *Quasi pilam mittet te in terram*, nimirùm hæc gens barbara. Pila à lusoribus ab uno ad alium transmittitur, & rursus ad eundem repercutitur. Quandoque in terram cadit, & commode resultans à quodam denuò violento manus ictu in altum elevatur, & ab alio illius lapsum exspectante, iterùm remittitur. Christe, tu verissima in tragico hoc lusu es pila. Ab horto Gethsemani ad Annam, ab Anna ad Caiphæ palatium, secundum tragœdiæ Passionis tuæ Tribunal vehementer traheris & de loco ad locum jactaris. Et sic Christus sicut pila nimia manuum ictuum repercussione sæpe sæpiùs disrumpitur, materiaque corio inclusa effunditur: ita ut de te ipso tam crudeliter percusso, & repercusso attestari cogaris: *Effusa sunt omnia viscera mea.*

De te quoque olim prophetizavit Psalmista, *Psal. 21. v. 15. & 14.* dum dixit: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Et Psalmo 117. *Psal 117. v. 12.* *Circumdederunt me, sicut apes.* Sub hac Davidis metaphora, quâ ipse Judæos his animalibus assimilat,

juxta

Juxta S. Cypriani mentem, quàm plurima sublitescunt mysteria, quæ relicto rudi litteralis sensus cortice, & mystico assumpto, clarissimè discooperiemus. Ipsi Hebræi propriissimè vituli nuncupantur. Vituli namque innata proprietas est inconstantia inquit Incognitus. De prato enim ad pratum currit, & recurrit, sæpius meliora deserens pascua, & pejora eligens. Haud dissimiliter populus Judaicus ultra quàm dici potest, fuit inconstans, atque mutabilis, etiam malum bono proponens è durissima Ægypti in manu forti, & extenta eripuerat servitute, & adorarunt falsum Deum in aureo vituli simulachro: [Exod. cap. 32. v. 8.] *Fecerunt que vitulum conflatilem, & adoraverunt.* Et quo magis inordinatus est amor, quo insulsè in aliquam creaturam ferimus, eò majori ratione isti assimulamur, idcircò Hebræi arctiùs adamantes vitulum Oreb, quàm Deum viventem in sæcula sæculorum, similitudinem vituli hæreditarunt secundùm illud Davidicum: [Psal. 113. v. 8.] *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Et sane stulta hujus gentis volubilitas toti evidenter apparet mundo. Hi enim, qui cum insolito applausu, communi lætitiâ, tantoque triumpho quatuor diebus ante, tamquam verum Regem, & à cælo missum Messiam acceptarant, canentes: [Matth. c. 22. v. 9.] *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.* Ipse eidem modò vociferari non cessant: *Crucifige, crucifige eum: non habemus Regem, nisi Cæsarem.* [Ioan. cap. 19. v. 15.]

Tanti quoque nec eis innatum deest attributum. Quoniam, quemadmodum indomitus taurus cuncta vincula confringit, ac jugum dejicit: ita & plebs Judaica legis divinæ jugum ex humeris suis sæpius excussit, Deoque refractaria, ac rebellis extitit. De quo Deus lamentatur per Prophetam Jeremiam: [Ier. cap. 2. v. 20.] *Rupisti vincula mea; & dixisti non serviam.* Imò adeò obstinatè mandata divina perfidi, & inconstantes Judæi contempserunt, ut etiam Dei Prophetas, qui ad eos admonendos, & ad meliorem vitam reducendos, missi erant, crudeliter sint persecuti. Ut ipsis publicè improperavit protomartyr Stephanus Act. 7. [Act. cap. 7. v. 52.] *Quem Prophetarum non sunt persecuti?* Iis quoque quàm propriissimè quadrat canis titulus: quoniam, sicut rabidus & furibundus canis nemini parcit, utpotè nullum agnoscens, ne quidem proprium dominum: ita rabidi Judæi odio, & invidia obcæcati, Christum Redemptorem suum non agnoverunt, sed venenosis suis faucibus benedictum hunc Agnum devorarunt. Bene itaque dicitur: *Circumdederunt me vituli multi, &c.*

Præterea barbari Hebræi in Christo leoninam apertè ostentareut feritatem. Quia, sicut ipse arreptam prædam non derelinquit, nisi prius eam voracibus dentibus contriverit; ita barbarica hæc gens Christo non pepercit, nisi ultimam illius sanguinis guttam effundi viderit, eumque crucis ligno affigi. Nec malè ipsa pungenti api comparatur. Sicut namque illa aculeum lædendo perdit, ita perfidi Judæi, pungendo Christum, cuncta perdiderunt. Sic appositè exponit Cassiodorus: *Sicut apes pungendo se eviscerant, ita Iudæi sese linguis occidendo, perierunt, clamando crucifige eum.* Clamor namque iste, qui in tantùm apud Pilatum invaluit, æternam apud Deum clamabat vindictam. Nonnè tragicam hanc scenam, quid ni dicam, integrum actum prædixit Jeremias cap. 26. *Ecce in manibus vestris sum, facite mihi, quod bonum & rectum est in oculis vestris, verumtamen scitote, & cognoscite quia si occideritis me, & sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra civitatem istam, & inhabitatores ejus.* [Vers. 14. & 15.] Illi itaque tauri multi, & circumdederunt me, sicut apes.

Verùm ô insana gens! quid quæso contra ipsam sapientiam egisset astutia? Quæ tam copiosa militum valuisset contra omnipotentem turba, ni ipse funiculi Adæ, id est, amoris, ad hanc tragœdiam attractus, voluntariè sese humanis subdidisset viribus? Ut sufficienter insinuavit, dicens: *Tamquam ad latronem existis, cum gladiis & fustibus comprehendere me.* [Matth. c. 26. v. 55.] Ad quem locum ait S. Hieronymus: *Stultum est cum gladiis quærere illum, qui ultrò se tradit, & in nocte pergit proditorem investigare latentem, quem quotidie videbant in templo docentem.* [Luc. c. 22. v. 53.] Idcircò ait: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Idque quia nondum venerat hora mea. *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* [Ioan. cap. 18. v. 5.] Et sanè potentiam suam ad oculos exhibuit, dum petiisset, *quem quæritis?* Et ipsi respondissent *Iesum Nazarenum.* Ad quod ipse, *Ego sum*, ad quam vocem deterriti, illicò prostrati sunt. Ut attestatur Scriptura: *Vt ergo dixit eis, Ego sum, abiérunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* [Vers. 6.] Quem casum maturè præponderans Augustinus, Judæorum redarguit temeritatem, & voluntariam Christi Domini extollit submissionem. *O impii Iudæi! ubi nunc militum cohors, & ministri Principum & Pharisæorum? Vbi terror, & munimen armatorum? Nempè una vox dicentis, Ego sum, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribile sine ullo* [Augustin. tract. 112. in Ioan.]

ullo telo percussit, repulit, stravit. Et genuinam tanti effectus allegans rationem, subjungit, *Deus enim in Christo latebat in carne, & sempiternus Deus ita membris occultabatur humanis, ut laternis; & facibus quæreretur occidendus è tenebris. Ego sum dicit, & impios dejecit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit.* Tum igitur consummata est ista scriptura Psalmistæ de Christo dicentis: *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Ipse tamen è terra erectis ultrò sese tradidit, qui suis dixerat, *surgite, eamus.* Nimirum perfido proditori Judæ obviam procedamus, ut tandem meum patiendi satietur desiderium. Quod considerans Chrysostomus, exclamat: *O mira Christi clementia, & bonitas! cùm Iudæi eum voluerunt Regem facere, fugit, sed cùm voluerunt in cruce suspendere, illis occurrit.*

Psal. 67. v. 34.

Ast cui primò? ô Juda tibi! ut osculo animæ tuæ inspiret spiritum gratiæ, & vitæ, ut te admoneat tot beneficiorum, quæ accepisti: ut te memorem reddat remissionis delictorum in anteacta vita perpetratorum, quæ clarè satis enarrat Augustinus serm. ad fratres in eremo. *O Iuda, quod facis attende, antequam facias. Nam post factum fortè non poteris habere pœnitendi gratiam. O Iuda, attende quid facis! certè cupis tradere illum, qui tibi multa peccata pepercit. Numquid Magister tuus Christus te sæpè à morte liberavit? Nonne tui amore patrem à lepra sanavit? Numquid etiam matrem tuam, cum qua concubueras, à paralysi liberavit? Numquid te discipulum suum constituit? Numquid bursarium te fecit? Numquid post Petrum, te ut plurimùm honoravit? Numquid te semper juxta se habere voluit? Numquid suum corpus sacrum pariter & sanguinem tibi in Cœnæ donavit? Numquid ante te genuflexit, & fœtidos pedes lavit? Numquid te ad osculum recepit? Cur ergo prodere vis Magistrum, à quo tot, & tanta bona recepisti.*

Ad hæc quid respondes Juda? Ah induratus in suo perverso proposito persistit, elamatque ad Judæos: *Hic est, ducite eum cautè.* Ad ista verba contemplor cunctos strenuam, ipsum strictissimè ligandi, adhibuisse operam. Hic collum fune constringit, alter manus ligat & brachia, tertius corpori adjicit ferream catenam, ne effugiat; quilibet enim in Christi necem conspirans, ut dixi, sævitiæ laudem auspicatur. Sed quis unquam vidit, quis unquam in Republica permissum fuisse legit, etiam reum tali modo vincire, & ante condemnationem furiosè per palateas trahere? O barbari tortores! scitisnè, quem in tam arcta vincula conjicitis? Cicero secundùm politicas leges, ait: *Scelus est vincire civem Romanum*, & vosne ausi estis vincire Regem regum, Dominum dominantium, Creatorem cæli & terræ, & vestrum Redemptorem? Sic sic potentiæ ejus non ignarus, vos docuit Judas: *ducite eum cautè*, & primus ipse vincula applicuit.

Mar. c. 14. v. 44.

Suetonius commemorat Julium Cæsarem, dum se in medio perfidorum sicariorum comperiret, inter cæteros cognoscentem ingratum suum amicum Brutum, quem à teneris annis splendidè enutriri curârat, & ad sublimes status, & honores elevarat, exclamasse: *Et tu fili Brute.* Ac si vellet dicere, hæccine est gratia ad amicum tuum? Estne possibile, quòd tu adeò crudeliter in me insurgas? Ego adamavi te, ut pupillum oculi mei. In te omnis mea consistebat confidentia. Si tu ambitione inflatus Imperium ambias, ah Brute, si tuam tantùm revelasses prætensionem, ego ipse tibi illud ultrò obtulissem. *Et tu Brute fili mi!* ô abominanda proditio! me ad necem insectaris? Ego illam nullatenùs formido, sed pudet me à te amico, ô Brute! nefariè trucidari. Pari modo piè credo benignum Christum infamem, & ingratum proditorem Judam fuisse allocutum, dum intueretur illum funes & vincula præparantem, ad Magistrum suum vinciendum. O Juda! cogorne hoc tormentum, quod me usque ad mortem angit, pati? Debeone videre, quòd tu quoque ferè tortoris lugubrem in hac tragœdia peragas partem? Nonne abunde satis est, te diabolicæ tuæ satisfecisse avaritiæ? Tu dumtaxat, te signum fœdifragum osculi daturum promiseras: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Quare igitur ulteriùs te ingeris, & in me crudeliter sævis. Eheu! quàm rectè, & justè possum conqueri cum afflicto Job: *Noti mei, quasi alieni, recesserunt à me, & quem maximè diligebam, aversatus est me.* O Juda respice in faciem Christi tui, cerne in quem insilias.

Matth. c. 26. v. 48.

Iob cap. 19. v. 19.

De Mario refert Plutarchus, quòd, cum Minturnensium Principes, & Senatores unanimiter in illius conspirâssent necem, nullumque tamen potuissent invenire sicarium, qui tantum scelus attentaret: negotium illud in sese sumpserit quidam natione Gallus, aut ut alii volunt, Cimber: verùm (quod hic notatu dignum) facinus exorsurus, stricto gladio Marii cubiculum est ingressus; at dum ictum dare præsumeret, ecce intuens quasdam ignitas flammulas ex ejus oculis emicare, audiensque horrendam vocem: *Tunè homo Marium necare audes?* Perfidam manũ retraxit, clamans:

clamans: *Non possum Marium interficere.* O Juda! nonne tu è facie Christi emitti cernis resplendentes amoris flammas *Amice*? Nonne vultum ejs intueris sole ipso lucidiorem? Nonne terribilem eum intonare percipis vocem, ô Juda, *ad quid venisti*? Tune homo, abjecta creatura, tuum audes necare creatorem? Tune adhuc perfido tuo proposito insistis? Deum tuum ligas, & morti crucis impiè tradis? O cor rupe durius! ô animus ferro ipso inflexibilior! ferrum igne emollitur & flexibile redditur, en obstinatum cor tuum Juda flammâ charitatis accendit Salvator, clamans *Amice*: nihilominùs non emollescit.

O afflicte Jesu! cur permittis te tàm strictè vinciri & ligari! O cœlestis Sampson! cur divinâ tuâ fortitudine, cui nil potest resistere, hæc vincula non disrumpis? Alexander Magnus in cruento quodam certamine, sagittâ ab hoste emissâ, graviter vulneratus, chirurgos ad se accersiri curavit, ut illam corpori inhærentem dextrè extraherent. Sed cum illi ad hoc exequendum eum ligare vellent, sese retraxit atque vincula renuit, dicens: *Non decet vinciri Regem, cùm libera sit Regis & salva semper potestas.* O Salvator mundi unicum animæ nostræ solatium! Tu es Rex regum & Dominus dominantium, supremus totius Universi Monarcha, & chordas & vincula admittis? *Non decet vinciri regem.*

Ah Christiana anima! piissimus Jesus manus ferreis catenis vult habere constrictas, sciens, *quia dedit ei omnia Pater in manu.* Ut ex iis piè furareris omnem cunctorum cœlestium donorum & gratiarum thesaurum. Desiderat ligari, ut tu homo vinculis rectæ rationis tuos inordinatos appetitus, & carnalem sensuum tuorum constringere & refrænare disceres concupiscentiam. Per mysteriosas has funes, quibus, ut latro vincitur, docet nos Christus, ut cuncta corporis nostri membra strictè alligemus spiritui prædominanti carni. Ne ea à via virtutis excurrant, & à certo salutis tramite devient. Oculos, ne nociva animæ nostræ contemplentur objecta. Aures, ne ad inhonesta colloquia, vanas cantilenas, improperia ac detractiones attendant. Linguam, ne contra proximi famâ & honorem, pestiferum maledicentiæ evomat venenum. Manus, ne ad furta & homicidia extendantur. Cor ne venereis cogitationibus, carnalibus desideriis, odio & rancore commaculetur. Pedes, ne in vindictam & sanguinem velociter excurrant. Hoc, hoc per vincula sua à te ô Christiane, exigit Christus.

§. VIII.

Quotidiè apud vos sedebam Docens in templo, & non me tenuistis. Matth. cap. 26.

VIdeor audire adunatam barbaræ Judaicæ gentis fæcem exultabundâ voce vociferantem, victoria, victoria. Agedum Jerusalem, magnificus præparetur triumphus. Ecce capta est præda. Tenemus, tenemus in manibus nostris vaferrimum incantatorem, qui falsis & diabolicis suis incantationibus ignaram à patriis legibus seduxit plebem. Nunc nemo nos impediet, quin sitibundam nostram sanguinis illius sitim abunde satiemus. Ad hos insolitos clamores exultat Jerosolyma, & unusquisque singularia lætitiæ edit signa, ob tam felicem Christi capturam: *sicut exultant victores, quando captâ prædâ dividunt spolia.* Isa. c. 9. vers. 3. Ah obcœcati, & insani Judæi! tantumnè animos vestros occupat gaudium, eò quod in manus vestras traditus sit Christus? ô insulsi! eratne adeò difficile, mansuetum hunc agnellum illaqueare, & deprædari? Audite, quid vobis improperet. *Quotidiè sedebam apud vos, docens in templo.* Quorsum tunc vincula & funes in collum meum non injecistis? Cur tam diu sitibunda ad cruorem meum siti & mordaci odio Sacerdotes, Scribas & Pharisæos torqueri permisistis? Nonne oportuna indies sese, me ipsis tradendi offerebat occasio? forsitan, quia nondum venerat hora ejus, & nunc advenerat potestas tenebrarum?

S. Hieronymus audacter sustinet impios Deicidas Judæos, non obstante pertinaci in Christum odio, ardentique eum arripiendi desiderio, numquam ausos fuisse tam infame scelus in templo Deo consecrato committere, tantam loco sacro meritò deferentes reverentiam. E quorum actu clamat Hieronymus, saltem hanc effrænis moderni ævi juventus salutarem capescere potest eruditionem, ut sese in Ecclesia Dei modestè & omni cum circumspectione gerat. Sed heu clamat præfatus Doctor, gemitibus & lachrymis tantam sæcularium deplorans irreverentiam. *Proh nefas! adinventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat Repertum est facinus quod nullus potest effari, facta est enim domus Domini prostibulum diaboli.* Altrô Hieronyme, quid in tantum sæculi tui templorum detestaris profanationem? Ah si præsens intuereris, clamare cogeris: *O bone Deus, in quæ tempora me reservasti!* Ecce quascumque volvam

& revolvam rationes, vos insolentias in Ecclesia Dei exercentes, dico barbaris Hæbræis fore deteriores. Ipsi namque umbræ tantum & figuræ detulêre respectum, & vos veritati eumdem non præstatis. Hoc argumentum maximè exaggerat S. Thomas à Villa nova, simulq; & in insolentes exsurgit, dicens: *In templis nostris, cùm venerandum illud, & angelicis spiritibus tremendum sacrificium offertur, quantus puerorũ strepitus? Quantum inter divinas laudes ridentium & negotiantium murmur? nulla devotio, nullus divinæ majestatis respectus, sed neglecta omnia, confusa omnia, dejecta omnia.* Hoc perpende Christiane, illudque emenda.

S. Thom. à Villa nova de dedicat. Eccles.

Verùm regrediamur ad vinctum nostrum Jesum, & intimiùs perscrutemur, quanta hac in apprehẽsione passus sit tormenta. O anima Christiana! fige hîc devotæ contemplationis fixam sedem, & ingenii tui viribus intuêre ligatã ipsam potentiam, & furentium militum perspice pedibus sævè conculcatam. Cerne divinam & formosam ejus faciem luto conspurcatam, & genas sanguine tinctas, venustum illum vultum sputis assistentium madidũ. Hic meritò vociferari potest Christus patiens: *Vos omnes, qui transitis, videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Ah si mihi, ô bone Jesu! liceret petere: ubi itaq; sunt tot *administratorii*, de quibus Joannes loquitur. *spiritus*? Ubi remanent ii, de quibus ait Propheta David: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum?* Ubi, ubi sunt illi, qui in loco horroris & vastæ solitudinis de medio petrarum dabant voces? Ubi iste, qui te in agonia in horto Gethsemani confortavit? Ubi *Pater misericordiarum & totius consolationis*? O funestum spectaculum! *Torcular calcavi solus*

Isaiæ cap. 63. v. 3.
Ioan. c. 1. v. 31.
Ps. 9. v. 12.

O Pater cœlestis! ubi miserationes tuæ antiquæ? Ah forsitan tuus in hominum scelera justus furor penitùs tuam exinanivit pietatem? Ah aperi clementiæ oculos, & respice, in quorum manibus traditus sit unigenitus filius tuus. Tu impium fratricidam Cain es consolatus, ipsi imprimens signaculum, ne à quocumque interficeretur. Tu honestam illam matronam Susannam à duobus malevolis senibus adulterii innocenter accusatam, per Prophetam Danielem liberâsti. Tu Loth per Angelos voracibus Sodomæ flammis eripuisti. Tu mandâsti Abrahæ Patriarchæ, ut tibi unigenitum filium Isaac immolaret, & compassione motus, de cœlo Angelum misisti, qui obedientem servi tui cohiberet manum, & clamaret. *Ne extendas manum suprà puerũ, neq; facias ei quidquàm.* Ad quod Augustinus: *Qui jusserat ut feriret, modo vociferatur, ut parcat?* Sufficit tibi promptum vidisse Abrahæ animum: *Nunc cognovi, quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Et ideo clamas, pergit Augustinus: *Parce devote Pater, parce paricida sine crimine, parce affectum tuum inquisivi, non factum exegi.* Et tu æterne Pater audis dilectum filium Isaac Christum intonantẽ, *Fiat voluntas tua,* eumq; ad sese immolandum cernis paratissimum. Cur itaque in ejus adjutorium non mittis de cœlo Angelum, ut eum voracibus famelicorum horum leonum faucibus eripiat? Proh dolor! *Torcular calcavi solus,* à cœlo nullum exspectandum est solatium. O occulta Dei consilia! ô incomprehensibilia ejus judicia!

Gen. c. 22. 12. & 13. v.

S. Bernardus contemplans à cunctis afflictum & derelictum Christum, summoperè demiratur tantam infirmorũ ab ipso sanatorum ingratitudinem, & petit: *O bone Iesu, benigne & misericors! ubi sunt misericordiæ tuæ? Nullus est, qui tui misereatur.* Tu adeò liberaliter gratiæ tuæ effudisti thesaurũ, mortuis restituens vitam, surdis auditum, claudis gressum, cœcis visum, infirmis sanitatem. *Ubi sunt,* urget, *infirmi, quos sanasti? Nullus se associat. Ubi sunt mulieres & homines, quos quinque panibus satiasti?* Ubi sunt chari tui discipuli, quibus tot ac tanta beneficia præstitisti? Ah *omnes* (pudet loqui) *eo relicto fugerunt.* O detestabilis ingratitudo! estne hoc Petre, quod tàm generosè in ultima cœna Magistro tuo es pollicitus, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et paratus sum in carcerem & mortem ire.* Ah quò fugit dilectus Christi discipulus, qui meruit suprà pectus Domini in Cœna recumbere, de quo ait Scriptura. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille, rejectâ sindone, profugit ab eis.*

Matt. c. 26 v. 56.
Matth. c. 26. v. 35.
Marc. c. 14. v. 51. & 52.

Mihi piè cùm quamplurimis contemplativis persuadeo, zelosum hunc Apostolum quam celerrime properasse, ut percharæ Matri futuræ Mariæ tam funestum nuntium, tam insolitum hujus tragœdiæ initium patefaceret. Audivi, inquiebat per totam Jerusalem resonantes triumphum Judæorum voces. Jam tandem fascinator vinculis nostris constringitur. Ah Maria! nonne ex adverso possunt dilecti tui sequaces clamare gementes. *Arca Dei capta est.* O Domina! illa Arca fœderis Domini, unigenitus tuus filius perfidorum Hæbræorum laqueis est irretitus. O pulcherrima Rachael, electus filius tuus Joseph, lumen oculorum

2 Reg. c. 4. v. 18.

tuorum

suorum venditus est Ismaelitis. Quid dico Ismaelitis? Sævissimis, si umquam aliqui in mundo reperti sunt in mancipium, dominis. Indubitatum est sanctissima Virgo, furibundi hi leones mitem tuum Jesum voracibus unguibus dilacerabunt. Tantum & tam sceleratum facinus non à pauco præmeditati sunt tempore, cùm toties eum lapidadesiderârint. Heu Maria statutum est in Pharisaico Consistorio, quod ipse debeat esse Agnus paschalis (etiam ipsis insciis) qui pretioso suo sanguine totum genus humanũ redimeret. O dolor! libertas ipsa vincitur, lætitia affligitur, Sol noster eclipsatur, totum nostrum solatium evanuit: *Arca Dei capta est.* Captus est Jesus, qui delecturus est chyrographum maledictionis, & in Christiana militia vexillum erecturus pietatis.

Eo tempore, quo supremus Judaicæ gentis sacerdos Heli accêpit triste & deplorabile nuntium, Philistæos Arcam fœderis in cruento contra Israelitas prælio (ut narratur 1. Reg. cap. 4.) intercepisse: ad hujus capturam turbatur, prætermissâ necc filiorum suorum Ophni & Phinees in terram corruit. *Cumque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de cella retrorsum, juxtà ostium, & fractis cervicibus, mortuus est.* Quod & ingenue fatetur Cajetanus dicens: *Non auditâ populi ruinâ, nec morte filiorum, sed audita Arca Dei captâ, corruit & exspiravit.* O pia anima? modò tibi contemplandũ relinquo, an ad inopinatum hoc nuntium non in terrã prostrata sit pia ejus Mater. An omnia ejus interiora rupta non sint, juxtà sacræ scripturæ vaticiniũ, viscera? Considera, an ubertimus ex oculis tantæ Matris ex compassione tanti filii lachrymarũ non effluxerit fons? *Cùm audisset, quod filius ejus captus esset à Iudæis, januis clausis, sacrum pectus tundere, & lachrymas effundre non cessavit,* ait Bonaventura.

1. Reg. c. 4. v. 17. & 18.

O Maria! mensura doloris tui satis justè ponderari potest mensurâ amoris tui. Quantò enim plus filium dilexisti: tantò magis in ejus Passione doluisti. Amor namq; amati, amantis præcipua est origo doloris. Et quò ille firmiùs radicatur, eò tenaciùs tenetur, & molestiùs rejicitur. Ah benigna! si mihi liceret metiri amore dolorẽ, infinitum adinvenirem utriusque excessum. Hoc ego nolo asserere, sed id dicat devotissimus Mariæ servus mellifluus Bernardus *Virginis dolor, fuit major plusquàm omnes persona portare possunt. Quanto enim plus amabat Christum, tanto plùs dolebat: & amor, quem ipsa hortabat Christo, erat infinitus.* Ergò concludend um, illius dolorem exstitisse infinitum. Eamdem mensurã arripit Richardus aurea hæc proferens verba: *Quantò incomparabiliter amavit, tantò vehementiùs doluit! unde sicut non fuit amor, sicut amor ejus, ita non fuit dolor similis dolori ejus.* E quo amore eruit hic Doctor, Mariam plus cæteris martyribus in filii sui Passione fuisse perpessam. *In martyribus,* inquit, *magnitudo amoris dolorem delinivit Passionis, sed beata Virgo, quantò plus amavit, tantò plus doluit. Vnde quia plus omnibus dilexit, graviùs passa est mente, quam carne.* Richar. Victor. cap. 26.

S. Augustin. (ut ipsemet testatur in libris Confessionum) adeo ob intrinseci amici cujusdam obitum fuit commotus, ut clamârit præ tristitia: *Ego sensi animã meam, & animam illius unam fuisse in duobus corporibus, & ideò horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere.* O benedicta ac dolorosa Mater, unicum peccatorũ asylũ! amor tuus ergà filium intentior fuit illo Augustini erga suum amicum, magis conglutinata fuit anima tua animæ ipsius, quàm anima Augustini animæ amici: ergò majorem post eum superstes vitæ debuisti concipere dolorem. Audite, quid de Mariæ mœstitia sentiat S. Anselmus, considerans illud Threnorũ: *Magna est velut mare contritio tua. Quis existimare potest, quanta tristitia & mœrore, & dolore vulnerabatur cor Mariæ suprà unici & naturalis filii Passione. Quem tam castè concepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, & solvere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit, vidit sanguinem fluere, & abstergere nequit.*

Resume tamen animum Virgo sacratissima, & imitare stupendã, quam antiquitas semper ad summum extulit Celeuciæ constantiam. De hac commemorat Plutarchus, quod quædã matrona nobilis Spartana ei assistenti unigeniti filii sui funeralibus, in bello pro patriæ defensione cæsi, condolens dixerit: *O infelix fortuna!* cui Celeucia in eam vehementer excandescens acerbè respondit: *Per Castores propitia? cujus enim gratia eum peperi, nisi ut pro Sparta moreretur.* Clama inquam, ad instar Celeuciæ, cùm tam infelix tibi acciderit fortuna, *cujus gratia benedictũ meum filiũ peperi, nisi ut pro homine moreretur,* & sanguine suo pretiosissimo primi parentis dilueret maculã, nostraq; mundaret delicta. De eo namq; ait Propheta Isaias: *Ipse autẽ vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.* Isaiæ c. 53. v. 5. & 6.

O Anima Christiana! audisne & credis, peccata tua durissimam Christo Domino intulisse mortẽ, & ad-

& adhuc te volvis & revolvis, fœtido iniquitatum cœno. Accurre homo, clamitat Bernardus, & mentis tuæ oculis contemplare inaudita Christi in Passione tormenta, & ex iis pondera peccati gravitatem. Filius Dei ad mortem condemnatur, ut pretiosum sanguinis ejus balsamum ad resananda animæ nostræ deserviret vulnera. *Agnosce ergo homo*, ait Bernard. *quàm gravia fuerint illa vul-*
Bern. serm. de Nat. *nera, pro quibus necessum fuit Christum Dominum vulnerari.* Clama ô Christe Jesu! fateor te enormibus peccatis indies offendo, qui propter ea strictissimè ad instar infamis latronis ligaris, rogo te ex intimo corde meo, liga fortibus potentis gratiæ tuæ vinculis immoderatas meas sensualitates: refræna funibus amoris tui carnalem meam concupiscentiam, ne te fontem vitæ, ut tui fecêre discipuli, deserens, viam intrem deviam, & in æternam incidam ruinam.

§ IX.

Et duxerunt Iesum ad Annam. Joan. capite 18.

JOnathas Regis Saulis filius, refulgens gentis Israëliticæ salus, scutum, gladius & cor, Philisthinorum verò flagellum: Postquàm potentibus suis armis hostium prostravisset exercitum, & securam patri comparâsset quietem, audiit in facie sua severam illam sententiam: *Morte morieris Ionatha.*
1. Reg. cap. 14. v. 44. Quid hoc? Pater proprium morti adjudicat filiũ? Rexne privat legitimum regni vitâ hæredem? Executores latæ sententiæ à tanta patris sævitia abhorrescentes exclamaverunt: *Ergone Ionathas* (hostium terror & fulmen) *morietur?* Ad hunc clamorem piè suspicor respondisse Jonatham: Ah pater, ut tuæ obediam voluntati, & ut publicæ forsan prosim utilitati, occumbam. Verùm ubi culpa? ubi noxa? An, quia summo cum propriæ vitæ discrimine Philisthinorum manibus regium eripui exercitum? *Et ecce ego morior.* An forsitan arguor temeritatis, eò quod regiam personam tanto inter tot hostium phalanges exposui periculo? *Et ecce ego morior.* Forsitan, quia inimici turmas suprà populum Israeliticum inundantes ad internecionem delevi? *Et ecce ego morior.* O oculati commilitones, victoriarum mearum testes, nunc estote lugubris exitus mei seduli spectatores, mandat pater, ut moriar.

Haud dissimiles videor hodie ô Auditores, audire querelas, dum attentè considero molestum iter, quod tanta cum violẽtia coactus est à barbaris Judæis aggredi Christus. Clamabant quamplurimi, omnia benefecit, claudos fecit ambulare, cæcos videre, mutos loqui, surdos audire: propter quod vultis eum occidere? Quid adhæc Jesus, alter Jonathas. Fateor, innumera ingratæ plebi huic *sanando omnes*, præstiti beneficia, & funibus attamen ligatus *ecce morior*, ad mortem propero. Nunc Act. c. 10. v. 38.
nunc adimpletum est Isaiæ vaticinium: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* O Isaiæ cap. 1. v. 2.
pie Jonathe! sic mandat cœlestis Pater, *Expedit, ut unus homo moriatur, ne tota gens pereat.* Ducitur Ioan. c. 11. v. 50.
itaque primò ad Annam, quamvis legitimus ejus non foret Judex, ut, sicuti censet S. Chrysostomus *toti civitati velut in triumphum deridendus proponeretur.* Chrysost. hom. 28.

Ecquis invenitur tam obdurati animi, qui funestum Christi Jesu iter inspiciens, uberrimas non effundat lachrymas? En vix eum vinculis constrinxerant, illum mox per torrentem Cedron & Jerusalem plateas trahunt, festinantes optatam prædam Principibus Sacerdotum, illam avidè expectantibus offerre. Quod Propheta Sophonias fuerat vaticinatus: *Principes ejus in medio ejus, quasi leones rugientes: Iudices ejus lupi vesperè, non relinquebat in mane.* O cœlestes spiritus tantas in Soph. cap. 3. v. 3.
Creatorem vestrum intuentes injurias, ad vindictam non concitamini? O cœlum! ô terra! ô element? ô tygrides & leones, qui toties fuistis humanæ nequitiæ justi judices; ubi remanetis? Cur in Creatoris vestri defensionem unanimiter non armamini? Ah ignis de cœlo dimissus iniquitatem regis Achab, infestissimi Eliæ hostis, omnium ab eo missorum ad Prophetam occidendum temeritatẽ vindicavit. Jeroboam in manu graviter punitus fuit, quia ausus fuit in Prophetam eam in 3 Reg. c. 21. v. 39.
jicere. Terra Dathan & Abiron deglutivit, & modò capitur, constringitur, alapis cæditur Propheta Prophetarum, Monarcha Monarcharum, nec fulmen è cœlo dilapsum cerno, nec terram dehiscere intueor, ad perfidos tortores deglutiendos.

O mansuetissime Jesu! ut video rigorosæ justitiæ exuisti habitum, & misericordiæ ac pietatis induisti vestimentum, juxta illud: *Rex Israel mutavit habitum.* Unde rectè possumus cum Ber- Zach. c. 3. v. 3.
nardo exclamare: *Triumphat de Christo amor.* Et ipsi concinit S. Cyprianus in ejus loquens persona: *De me solus amor potuit proferre triumphum.* At quomodo triumphas Christe? Ecce cernò te vinculis constrictum à furibundis milibus, & Judæis captivum deduci ad Annæ palatium. Ubi

trium-

triumphus? Innocentia corã iniquitate ligatur, ipsa justitia ab injustitia vincitur, Christus captivi hominis redemptor captivus tenetur, vita ipsa morti adjudicatur: & hoc pateris cœlum? Interrogatur ab Anna de doctrina & blandis verbis respondet: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi convenerunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Hoc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu.*

Ioan. c. 18. v. 20. 21. & 22.

O terra! quam diu adhuc tam sceleratos & hostiles in Creatorẽ tuum sustinere potes homines? voces justi Abelis sanguinis ad cœlum dimisisti, & non attendis ad divi Chrysostomi clamorem: *Exhorrescat cœlum & contremiscat terra. Alapis Deus percuti potest?* O perfidi Judæi! ad quam devenistis cœcitatem? Nonne auditis clamantem patrem vestrum, in quo tantùm gloriamini, Davidem: *Ostende nobis faciem & salvi erimus.* Nonne illa est facies, in quam desiderant Angeli prospicere? Sic est, sic est, ô barbari tortores! sed vos Angeli, cur omnis lætitiæ, gaudii & beatitudinis objectum tam nequiter permittitis defœdari? Sodomam & Gomorrham ad internecionem delevistis, & modò ab iniquo ministro illius maxillas percuti sinitis, in quibus tantoperè delectamini?

Chrysost. hom. 82. in Ioan. Psal. 79. vers. 8.

Quærunt quidam, cur Christus totus dives, unionibus ditatus pretiosis, margaritis splendentibus emicans, & cœlesti lumine coruscans in mundo non apparuerit? Varii varia ad hoc quæsitum respondent. At pro nunc interpretationem S. Cypriani accepto, qui sustinent omnem, cujuscumque adamantis, aut unionis splendorem inutilem fore, quandoquidem facies illius incomparabiliter lucidius sole emitteret lumen, verba ejus sunt: *Ornamenta, quæ deerant, etiamsi adessent non haberent oculos inspectores, qui præsentia parvuli sic eorum, qui adorant oculos, occupabant, ut in hoc summo bono omnium bonorum unita collectio videretur, nec opus esset evagari & mendicari per partes, quod simul in se uno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* Et tamen ingratus Malchus, Juda traditore non inferior, benedictam illam faciem temerariâ manu ausus est colaphizare. *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu.*

Cyprian. serm. de Nativit.

Ioan. c. 11. v. 22.

O cœlestes spiritus! adeste, accurrite velociter divinæ justitiæ administratores & scelerum hominis vindices. Quid adhuc moramini? Toleratisne faciem illam, quæ gratum est omnis gaudii & oblectamenti vestri objectum, adeò crudeliter tractari? Quomodò Seraphini furorem vestrum cohibere potestis? Cur Dominum vestrum non vindicatis? Ah ut video, vos attonitos reddit tanta Malchi perversitas, & tanta Christi benignitas. Vos consternit tanta servi malitia, & tanta Domini patientia. *Exhorrescat,* clamat Chrysostomus, *cœlum, & contremiscat terra de Christi patientia, & de servi impudentia.* O funesta scena! *En manibus quas ipse formaverat, alapam accepit.*

O Pater cœlestis tantam in filium tuum unigenitum, in quo tibi adeò complacuisti, exerceri intuêris sævitiam, & taces, nec ignivoma iræ tuæ fulmina in scelestum quatis caput? Sic mandat divina justitia, cui satisfacturus in mundum venerat Christus. Asserunt quamplurimi Scholastici, satisfactionem per Salvatoris Passionem extitisse ad æqualitatem, & ex toto rigore justitiæ commutativæ. Protoplastes Adam peccaverat, & in facie Dei mentitus fuerat: quoniam, (non obstante divinâ ligni scientiæ boni & mali sub pœna mortis inhibitione, *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque die comederis ex ea, morte morieris.*) Pomum arripuerat & deglutiverat, Deum falsitatis quasi accusans, & astuto serpenti credens: *Nequaquàm moriemini.* Improperium unius *mentiris,* juxtà hujus mundi politicos alapam meretur. Dum in dignitate pares sunt, offensus & offensor, satisfactio potest esse perfecta. Verùm non, dum offensus in nobilitate & dignitate offensori infinitè præeminet. Adam itaque ex defectu æqualitatis in eminentia personæ, in facie sua recipiendo alapam plenariè Deo offenso satisfacere non poterat. Igitur, inquit Verbum æternum incarnatum, ego pœnam persolvendam in me suscipio. Si Deus ob unum *mentiris* tantoperè sit offensus, ego in adæquatam offensæ recompensationem, à vili homuncione commissæ, qui sum Deus & homo, alapam libenter acceptabo. Et tum ex toto rigore justitiæ ipsi satisfactum erit. Sic S. Cyrillus: *Arbitror prævaricationis nostræ decus alapâ inflictâ deletum fuisse.*

Gen. cap. 2. v. 17.

Gen. cap. 3. v. 4.

Lib. 11. in Ioan.

Alia adhuc à sacræ Scripturæ Interpretibus, propter quam à sacrilega armata Malchi manu sævam voluerit accipere alapam, affertur ratio. Tum temporis mos vigebat, quod Dominus, quando mancipio alicui suam restituebat libertatem, ipsi alapam impingebat. Hujus meminit S. Ephraim dicens: *Servi, cum liberi efficiuntur, alapam accipiunt.* Christus ergò per mysteriosam hanc

hanc alapam universo ostendit mundo, sese ad illam è cœlo descendisse, ut pristinam libertatem homini impertiretur, eumque jugo diabolico emanciparet, ac è mancipio liberum redderet. Itaque si maturè consideremus Christi colaphizationem, ex parte divinitatis rigorosam pro Adami & peccatoris offensione demandantis satisfactionem, illa iniqua, injusta & temeraria est. Verùm si Christum humanitatis & servi habitu defiguratum attendamus: *Qui formam servi accepit*, suo modo saleque condita potest nuncupari justa. Quoniam Christus humeris suis imponendo gravissimum hominis peccati onus, & volens eum è mancipio efficere liberum, non absonum erat, ut libertatis restitutæ experiretur signum. Videtur, quod mellifluus Doctor huic suffragetur rationi, dicens *Non solùm forma servi accepit, ut subesset sed etiam formam mali servi ut vapularet.* Quod vix ipse capiens in hæc prorumpit verba: *Dolor & lachrymæ cor meum occupant, dum considero Dominum, verbera, alapas, sputa, contumeliasque tantâ lenitate tolerantem.*

Bern. serm de Passione

Ah Bernarde de mansueti Christi Domini tantoperè miraris patientiâ? Quæso summe Doctor (veniâ vestrâ dixero) numquàm annotâsti, quomodo famelicus quidam, & quasi inediâ enecatus ad lautum & opiparum convocatus convivium, ad primum oblatum obsonium avidè illicò suum, utcumque satiare conetur appetitum, neutiquàm delicatiorem expectans cibum? Non aliter Bernarde tormentorum & pœnarum famelicus egit Christus. Ipse clamârat: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Anhelabat, ut patiendi desiderio abundè in præparata Passionis suæ mensa posset satisfacere, expectabatque sibi à Patre amarum in horto mortis calicem propinatum. Illum perfidus alapâ aggreditur Malchus, & eam Jesu sitienti præstat. Ipse mox summo cum appetitu illam accipit. Non adeò dissonat dicto meo Rupertus, ajens: *Quam bonus est unigenitus, qui cùm in forma Dei esset propter nos, suscepit formam servi, & saturatus est opprobriis, dans percutienti se maxillam.* Ad quæ ultima verba à Propheta Jeremia prolata, dicit: *Ostenditur aviditas desideriorum, cum dicitur dabit se percutienti maxillam, & saturabitur opprobriis, quoniam omnis saturitas ex aviditate sumendi nascitur.*

Luc. 22. v. 15.

Ierem. c. 3. Thren. v. 30.

Hoc ardens Christi Domini desiderium sustinendi tormenta, jam ex insolita hominis patientia perfidi cognoverant Judæi, qui à Scribis & Pharisæis instigati clamabant: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Et ad hoc, ut potentiam descendendi divinam enervarent, & sic plebi in eum fidem dissuaderent, dixerunt: *Descendat nunc de cruce, & credimus ei.* O versutia! O malignitas! thronum legalem Christi fore optimè noverant crucem, optatumque tam diu quietis thorum, & vociferantur, *descendat.* Audite quàm egregiè horum perfidiam annotet doctissimus Escobar lib. 8. in Evang. sect. 3. *Profectò constabat induratis Iudæis, sese rem difficilem, immò impossibilem quodammodo postulasse: nihil enim difficiliùs, quam Iesum à clavis, à cruce, à vulneribus à doloribus separare.*

Matth. c. 27. v. 40.

Ibid. v. 42

Properate ad hoc spectaculum Christiani, & lynceis mentis vestræ oculis stupendam Christi notate patientiam. Ecce ab ingrato percutitur Malcho, & blandè respondet: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, cur me cædis?* Ad quod S. Ambrosius: *Quasi vir, qui se vindicare non posset puerili loquebatur affectu* Et vos tantam ausi estis temerariè facere impudentiam, ut ad minimum ingratum verbum, ad vilem injuriam illatam subitò excandescentes in proximum vestrum, armatas stringatis manus, & vindictam? Videtisne præclara magistri vestri exempla, & vos Christiani illius renuitis sequi vestigia? Vos condemnat paucis verbis Petrus Blesensis (quem etiam in hac materia forsitan ad nauseam cito) *Nunquid quod decuit Deum, dedecet Dei servum?* Ruminate, quàm gloriosum sit pro eo aliquid leve pati, qui pro nobis innocens tanta tormenta sustinuit. Ah clamemus unanimiter, cum à proximo, verbo, opere, &c. colaphizamur: O benigne Jesu! tu dux militiæ nostræ es, ecce nos impigri te sequimur milites, si in una maxilla percutimur, alteram præbemus, si injuriam patimur, majorem sustinere offerimus. Sed proh dolor! quàm multi reperiuntur Christiani Malcho perfidiores! ut ostendam paragrapho sequenti, quem aggredior.

Ioan. c. 18. v. 23.

§ X

Tunc exspuerunt in faciem ejus, & palmas in faciem ejus dederunt Matth. capite 26.

AUdistis Animæ devotæ intolerabilia opprobria, sæva tormenta, & duram Malchi in Annæ palatio alapam. Transeamus contemplativi ad funestius, in quo pius Jesus crudelius tractatus est

Tribu-

Tribunal, nimirùm Caiphæ summi Sacerdotis prætorium. Iniquus Annas, non obstante fatali, quo in Christo ferebatur odio, & vehementi, quo eum infami morti adjudicare ardebat desiderio, non ignarus hanc sententiam proferre, limites suæ transilire jurisdictionis, illum strictiùs vinctum & ligatum mittit ad Caipham. Hic denuò rabidi exultant leones Judæi cernentes, eum arbitrio suo fore commissum. Quilibet avidè vincula & catenas arripit, & Jesum, ut pilam de loco ad locum percutit. Considerandum contemplativis relinquo, quæ eo in itinere à furibundis istis feris Dominus perpessus sit supplicia. Et ad alia progredior, quæ ipsi in domo Caiphæ inflicta sunt.

Ecce vix ædium perversi Sacerdotis limen attigerant: *Tunc exspuerunt in faciem ejus*. ait Evangelista. O impia plebs! ô effrænate homo! ô demens & stulte! audesne illam faciē sordido sputo commaculare, cujus oris habitu & respiraculo, vita tibi ingrato data est rationalis? Non scis Judæe illum esse, de quo populus veridicum dedit testimonium: *Propheta magnus surrexit in nobis*? An ignoras toties cœlestem illum Medicum cum impatientia à cœlo fuisse expostulatū *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum*. Ah quàm congruè tibi barbaræ genti illud Joannis potest appropriari cap. 1. *In mundo erat, & mundus eum non cognovit, & sui eum non receperunt*.

Matth.c. 26.v.67.

Luc.c.8. v.54.

Isaiæ c.45. vers.8.

Ioan.c.1. v.10.& 11.

Poetæ fingunt, Actæon de mandato Dianæ in cervum fuisse conversum. Quo facto, canes ejus solitam per sylvas venantes prædam, in proprium dominum, ut feram insiliêre, illumque discerpêre, non obstante, quod clamaret, *Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum*. Idem eheu! quod Actæon, pio accidit Christo. Ecce ipsa veritas mutata est in falsitatem Adami: *Eritis sicut Dii*. Ipsa suavitas propter hominem afflicta amaritudine: mysticus noster Actæon non Dianæ instinctu, at propriâ suâ voluntate: *Est habitu peccatoris indutus, formam servi accipiens*, ait Paulus, & sic in rabidas propriorum canum incidit fauces. Atque idipsum larvato ait Chrysostomus, quod Adamus passus est vultu. Dum namque similitudinem Dei Creatoris sui referebat, resplendens in facie ejus coruscabat lumen, & cuncta totius universi animalia eum, ut legitimum dominum agnoverunt! Verum ubi ipse larvam attraxit peccati, ei summoperè contraria exstitêrunt. Sic ipse: *Quamdiu purum servavit vultum, factum ad imaginem Dei, bestiæ ei tamquàm servæ parebant*. Ast post peccatum eum hostiliter insectatæ sunt. Unde addit: *Non cognoscentes dominum, tamquàm alienum odio habebant*,

Quis nunc tantoperè admiratur obcœcatos Hæbræos in incognitum Dominū, cujus faciem, quamvis relucentem, per perversissimos quosque adeò sputorum sordibus conspurcari demandârant. Scribæ & Pharisæi insulsasse? Sed ah turpiter errârunt. Famosissimus quidam Philosophus aliquem malæ vitæ visitans, sed opulentum & divitem, cujus aulæa pretiosa totius palatii parietes obtegebant, nec stratum absque suo relictū erat ornamento, in illius faciem spuit, & ob tantam injuriam stomachato respondit: aptiorem locum quàm vultum tuum non reperio, malitiâ & iniquitate coopertum. O perfide Caipha! ô iniqui Judæi! fœtidam magis non invenitis cloacam, quàm Christi Domini faciem? Ah, ah erratis impii! ipsius facies ornatu virtutum & splendore, atque radiis corruscat cœlestibus. Alius itaque vobis spuendi est locus.

Contemplor, piè illos quoque radiantem ejus vultum annotâsse; quandoquidem legam in sacra scriptura eos faciem ipsius obvelâsse Marci cap. 14. *Et cœperunt velare faciem ejus*. Formidantes, ne tanto splendore deterriti, ab atroci colaphizatione desisterent. Quæ per integram noctem juxta Anselmum Arichino citatum duravit. *Nox insomnis tota ducitur, nulla prorsùs requies ipsi præstatur, alapis & colaphis innocens mactatur*. Imò sustinet tanta Christum in hoc Tribunali perpessum fuisse Guilelmus Parisiensis tormenta, ut ea hominibus modò non sint persuadenda, sed in extremo Judicio cunctis ad confusionem revelanda. Innititur Scripturæ loco Isaiæ cap. 47. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium meum*. Dicto meo subscribit Chrysostomus. *Consilium eorum fuit faciem ejus velare, quo atrociùs eum cederent*. Et rationem dat, cui, ut ante dixi insistit Hieronymus, *qui ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*.

Marci c. 14. v. 65.

Isaiæ c. 47.v.3.

Chrysost. hom.86.

O nefandi Hebræi! nonne vos cœcæ similes estis gentilitati, de qua miram antiquitas commemorat dementiam. Aliqui summa cum reverentia Solem venerabantur, & quidem in eum finem, ut post ejus occasum, eo inscio, quaslibet possent committere iniquitates. Alii Lunam noctis præsidem colebant, quia ipsa de die eorum delicta intueri non poterat. Sicque gentilium cultus tantummodò & de die, & de nocte oculum divinum subterfugere satagebat. Hujus meminit Sanctus Cyrillus, dicens: *Alii dicebant*

bant Solem Deum, ut occidente sole, sine sole essent: alii verò lunam, ut in die Deum non haberent. Vos modò interrogo perfidi Judæi, an illius quoque Dei splendentes hujus Solis oculos vultis obfuscare, qui ab æterno nefanda infinitâ suâ præscientiâ, quæ modò perpetratis, futura præcognovit scelera? An actus vestros putatis illum celare, qui scrutatur renes & corda hominum? Christiani non ambigo, quin omnes illam inorbitantiam abominemini: verùm & miror inter vos reperiri, qui Solem & lunam adorant. Volo dicere, diu noctuque circumspectioni student, ne homines in cognitionem deveniant enormium criminũ, quæ indies committunt: non attendentes ad divinum oculum, qui omnia intima penetrat & perscrutatur.

Obvelatus itaque stabat piissimus Jesus: ideò non timentes insulsi Judæi divinum intuitum, tantò liberiùs, tantò sæviùs, tantò audaciùs in ipsum, tamquam incognitum insultârunt. *Et palmas in faciem ejus dederunt.* O execrandum facinus! rursùs clamare cogor, O cœli! O terra!

Matth. c. 16. v. 67.

hæc intuemini, & tam impios pro Creatore vestro severam non arripitis vindictam? Tu cœlum sacrilegas urbes Sodomam & Gomorrham, igne & sulphure devorasti: & nunc, dum tot alapas à furibunda plebe Christo summo Prophetæ impingi cernis, tua fulmina contines? O ingrata creatura? Tu terra, Dathan & Abiron in visceribus tuis vivos condidisti, & modò non dehiscis, ut blasphemos hos Judæos deglutias? Hoc summum videtur nefas. Armemini universæ creaturæ, & in creatoris vestri barbaricas vindicare injurias. Ad hoc vos excitat (ut dixi) Chrysostomus divinis hisce verbis: *Exhorrescat cœlum & contremiscat terra! alapis Deus percuti potuit? O Angeli, qui hæc intuemini, quomodo siletis, quomodo manus continere potestis?* Vindicans Angelus Exodi cap. 11. omnes totius Ægypti primogenitos subitaneâ morte prostravit. Et 4. Reg c. 16. centum octoginta quinque millia militum Sennacherib delevit, & nunc hæc immoti sustinetis cœlestes spiritus? O Pater superne, accurre & respice in faciem Christi tui, quæ sputis fœdatur, & sævis militum manibus acriter colaphizatur. Oza 2. Regum cap. 6. divinâ percussus est manu, eò quod Arcam vacillantem sustinere ausus fuerat. Immò, ut dicitur 1 Reg. cap. 6. Bethsamitarum quamplurima millia Dominus interfecit, eò quod solummodò oculos temerariè in Arcam Dei conjecissent. Ecce cœlestis Pater, sacrilegi hi Deicidæ vivam hanc Arcam Christum, continentem omnem in se thesaurum, non tantùm leviter attingunt, sed graviter percutiunt: & id pateris? An forsitan manibus tuis sævum Justitiæ fulmen excidit? Heliodorus 2. Machab. cap. 3. à cœlestibus ministris in terram prostratus est, eò quod templum Dei profanasset, & illud vasis aureis & argenteis spoliare attentasset. Ah quam vindictam non merentur illi, qui in templum vivum, in quo habitat omnis gloriæ plenitudo, tam enormiter sæviunt? Inexplicabilem certè. At hanc vetat infinitus Dei nostri amor. *Triumphat de Christo amor.* Unde ait S. Ambrosius: *Necesse fuit ut ærumnarum multitudinem miserationum multitudo depelleret.*

Memini me in comœdiis Terentii legisse, quemdam amantem in scenam prodiisse, qui in theatro suâ repertâ amatâ, quamplurima summi gaudii & lætitiæ demonstravit signa. Et tandem illi volens familiariter adblandiri, & amicabiliter arridere, graviter ab ipsa percussus est. Ipse, comœdiâ transacta, ab amicis suis interrogatus: *Quis te percussit?* Respondit: *Amans amantem peramanter percussit.* (Simile exemplum refert Sostrates in suis tragœdiis, ut dixi Concione 3.) Ac si diceret, hæc vulnera amoris sunt, ea insignia in amorem dilectæ meæ lubens suffero. Christus amore humanæ naturæ, mediante quâ hodie toties percutitur, interrogatus *quis te percussit?* Quid respondebit? An forsitan indignatione plenus, rabidi, ingrati, furibundi inimici Judæi? Non, non, verùm dicet: *Amans amanter peramantem percussit.* Has alapas ex amore amatæ meæ, videlicet hominis animæ voluntariè patior, eæque mihi amoris sunt indicia. Quoniam, ut ait Idiota: *Nimis languidè amat, qui pro amato pati recusat.* Hanc Domini submissionem, & hominum vindicativum animum maturè considerans Chrysostomus dicit: *Quam nos excusationem habemus, si vituperati ad iram concitamur, qui tot tantaque sustinuisse Christum non ignoramus?*

De nocte quadam vice valdè inopinatè (ut sacra commemorat historia Genesis 32. versu 24. Patriarcha Jacob ab aliquo insultum passus est, ac cum eo usque ad diei crepusculum est luctatus. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque ad mane, & cum prævaluisset Jacob, dixit ei Angelus, dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Ad quod dicit Jacob; *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Sed quis unquam audivit tale? Victor victo supplicat, triumphator à prostrato benedictionem postulat?

Qui

Qui vincitur clamat Eusebius, *benedicit?* Ergone devictus victori potest impertiri benedictionem, & beneficia dare? Ligatus libertatem ei, qui ipsum ligat? Oppressus liberumne reddet oppressorem? Sic est Auditores. Quod facile capietis, si sedulò ruminetis, quem repræsentent Jacob, & quem luctator. Jacob populi Judaici est figura: luctator Christi Domini, ut multi asserunt SS. PP. *In Iacob Iudæorum populus, in Angelo Christus agnoscitur.* Christus itaque, qui vincitur, alapis cæditur, à malevolis Judæis in terram prostratur, tamen benedicit: & eo tempore, quo ipsi omnem inquirunt contra eum sævitiam, ipse omnem erga eos cogitat misericordiam. Ipse, ipse divinâ suâ potentiâ terram cohibuit, ne dehisceret, & eos deglutiret. Ipse, ipse fulmina cæli continuit, ne sceleratos quaterent, & in cinerem redigerent. Ipse, ipse vindicativum Angelorum gladium evaginari non sinit, ne cuncti impii neci traderentur. Et ut breviter absolvam, dum pateretur, benedicebat, quidàm Poeta cantat:

Homil. 8. de Passione

Salvator patiens subjecto corpore totum
Sustinuit, nostræque dedit sua membra saluti.

Unde verè, & propriè Christus, de quo dicitur Apocalypsi cap. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*, assimilari potest leoni à fortissimo Sampsone prostrato, in cujus faucibus mellis favus repertus est. *Et ecce examen apum in ore leonis erat, & favus mellis.* Ipse namque verissimus paradisi est leo, qui invincibili suâ potentiâ cunctas tenebrarum domuit potestates, sed mitis effectus agnus, rejectâ leoninâ feritate, *bè, bè*, quæ litteræ benedictionem inchoant, balat, & ex ore suo nil, nisi mansuetudinem & gratiam spirat, quod contemplans Bernardus ait: *Quàm multus es Domine ad ignoscendum, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ.*

Apoc. cap. 5. v. 5.

Iudic. cap. 14. v. 8.

O stupenda charitas benigni erga genus humanum Jesu; ô intolerabilis sitis, quâ æstuasti, ut deleres antiquum protoplastis chirographum! At ô Christiani! quomodo illius nos correspondebimus amori? Massilius è verbis divinis Platonis dicens: *Amans vivit in amato*, elicit responsum, ergò qui amat, plus vivit in amato, quam in seipso. Et concludit: *Igitur, qui non amat Christum, non vivit in Christo, & qui in Christo non vivit, mortuus est.* O Christiane! si tibi similem improperarem ingratitudinem, quàm Malchus in domo Annæ, & in palatio Caiphæ ostendit Christo, nonnè multum hallucinarer? Si Petrum quis mihi adduceret Christum negantem, nonne ego vicissim simile tibi objicere possem improperiū, qui toties tuis peccatis negas adinstar Petri, & colaphizas adinstar Malchi, & tradis adinstar proditoris Judæ Christum Dominum? Ut mihi ad meum quæsitum satisfiat, me converto Auditores, ad Judæ desperationem, & ad Petri pœnitentiam, & lacrymas, pro quo sit.

§. XI.

Et tu cum Iesu Nazareno eras, at ille negavit coram omnibus, nescio, quid dicis.
Matth, cap. 26.

Audivistis utcumque gravia, quæ Christus hûc usque ab hisce barbaris Judæis perpessus est tormenta. Sed si quis curiosè interrogaret, quodnam omnium eorum exstiterit crudelius, atque durius, imò etiamsi de tota ipsius Passione loqueretur, asseveranter dicerem cum S. Chrysostomo, Petri Apostoli infamem fuisse lapsum, & detestandam Judæ desperationem. *Ecce*, inquit Augustinus, *ad simplicis ancillæ vocem: & tu cum Iesu Nazareno eras, Ecclesiæ fundamentum corruit: Columna firmissima ad ancillæ compulsum contremuit.* Durum namque est ab amico deseri. O Petre mihi videtur, quòd Christus te justè possit alloqui lamentabilibus Jobi de consanguineis suis conquerentis verbis: *Abominati sunt me quondam consiliarii mei, & quem maximè diligebam, aversatus est me.* O ingratitudo! ô iniquitas! potest tibi illa pius improperare Christus, quæ olim Deus Cyro regi dicit verba: cui tot, tantaque præstiterit beneficia. Qui gratissimus nutrici suæ Sinoni, quia ei morienti in sylva exposito, lac subministrârat, & usque ad virilem ætatem educârat, sæpiùs clamabat: ô Sino, ô Sino! Deo ingratissimus, qui ipsi talem nutricem destinârat, & ejus imperium longè lateque dilatarat, non clamavit: ô Deus, Deus! sed quod pejus est, eum non agnovit. Quod abominandum scelus ante vaticinatus fuerat Propheta Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dextram, ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, &c. & vocavi te nomine tuo, & non cognovisti me.* Proh nefas! ô detestabilis Cyri ingratitudo!

Aug. serm. 124. de temp.

Iob cap. 19. v. 19.

Isaia cap. 45. v. 1. 2. 3. & 4.

Idipsum inquam, tibi objicere potest, & excla-

mare : ô Petre, ego tibi nomen imposui : Simon tu vocaberis *Cephas*, & non cognovisti me ? Te piscatorem ad Apostolatum vocavi, ego te petram

Matth. c. 16. v. 18.

Ecclesiæ meæ constitui fundamentalem: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ego tibi cœlestis thesauri tradidi claves : & non cognovisti me ? *Non novi hominem.* O perfide Apostole! non vereris illam vindictam, quam in Israeliticum populum ob idem delictum exercuit

Ierem. c. 5. v. 9. 10, 11. 12.

Deus (ut testatur Propheta Jeremias) *Numquid in gente tali non ulciscetur anima mea?* Hostiles adesse phalanges: *Ascendite muros ejus, auferte propagines ejus.* Sed unde ô pie Domine tantus furor? *Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, & domus Iuda. Negaverunt Dominum, & dixerunt : non est ipse.* Et dicere audes, *non novi hominem?* O impie Petre? de te potest dici, severam latam esse sententiam, & quam plurimum tuam à sapiente exaggeratam perfidiam, dicente:

Eccl. c. 27. v. 27.

In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur : novissimè verò pervertet os tuum, & in verbis tuis dabit scandalum. Et audi quid subjungat: *Multa audivi, & non coæquavi ei, & Dominus odiet illum.* Petre non capis illam egregiam, quam ipse idem tibi

Eccl. c. 22. v. 28. & 29.

donat instructionem cap. 22. *Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane fidelis.* Ast quàm benè de te, ô inique discipule! denuò ait vers. 10. cap. 6. *Est amicus servus mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Et rursus nonne te condemnat cap. 22. vers. 31. *Amicum salutare non confundar, à facie ipsius non me abscondam, & si mala mihi evenerint per illum, sustinebo.*

Ah Petre, quantùm ab illo mutatus es pectore? Eum non novisti, quem filium Dei vivi apertè in Apostolorum cœtu confessus es, respondens Christo interroganti : *Vos, quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei vivi, &c.*

Matth. c. 16. v. 16.

Quàm benè de te conqueritur Christus per Psalmistam : *Tota die improperabant mihi inimici mei, & qui laudabant me adversus me jurabant.*

Psal. 101. v. 9.

Ait namque Evangelista Matthæus : *Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novi hominem.*

Matth. c. 26. v. 74.

Illum Petre non cognoscis, quem in monte Thabor es intuitus, amictum lumine, sicut vestimento? A quo rogasti perpetuam ibi mansionem

Matth. c. 17. v. 4.

Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula? Non novisti eum: qui nos pedes lavit, & tibi renitenti dixit? *Si non lavero te, non habebis partem mecum?*

Ioan. cap. 13. v. 9.

Non cognovisti eum, qui te pretioso suo corpore, & sanguine in ultima cœna saginavit? Non novisti eum, qui Lazarum in tua præsentia resuscitavit, tot prodigiosa perpetravit miracula, & tua adhuc ex ictu trepidante manu, Malcho aurem restituit? An servus forsitan suum non agnoscit Dominum? *Non novi hominem.* Quo tua audacia evanuere promissa? *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ubi modò tua est constantia, fiducia, & temerarium de cæteris judicium : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor : tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.*

Matth. c. 26. v. 33.

An in fumum tam ardens tuus, quem protestatus es coram divina, & infinita Sapientia, abiit amor? *Tu scis Domine, quia amo te?*

Ioan. cap. 21. v. 17.

Audi Petre, quid de hoc dicat magnus ille Doctor Augustinus : *Ante tentationem Petrus præsumpsit de se, & in tentatione didicit se.*

O animæ devotæ, parumper ad hoc spectaculum properate, & oculis mentis funestam luguberrimæ hujus tragœdiæ contemplemini scenam. Propheta David profusis lachrymis fraudulentam filii sui Amnonis deploravit necem, & Absalonis à Joab occisi interitum. Ast quis nobis pandet Christi tristitiam, dum suæ inchoantis Ecclesiæ corruere vidit columnam? Quis ipsius intrinsecum exprimet dolorem, quo cor ejus concussum fuit, ob unum Petri lapsum? Mihi apparet, eum de Petro conquestum fuisse, quemadmodum olim de primogenito suo Ruben conquerebatur Patriarcha Jacob : *Et tu Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.*

Gen cap. 49. v. 3.

O Petre tu meus inter meos Apostolos es primogenitus, ego in te summam habui fiduciam, ego te legi in meum vicarium : *major imperio.* Tu potes tibi illud appropriare : *prior in donis*, quoniam tibi regni cœlestis cunctæ traditæ sunt divitiæ. Ego te selegi infirmam Ecclesiæ meæ petram, & tu Petre tam turpiter cadis? Ut video optimè dixisti, cùm post ancillam ostiariam, alius te interrogaret : *Et tu de illis es? O homo non sum.* Pulchrè faciebat iste juvenis, (qui rursùs à meretrice, cum qua sæpè sæpiùs carnaliter peccarat, ad idem peccatū allectus, sese eam non cognoscere finxit. Quod advertens ipsa, dixit : *Non me nôsti? Ego sum illa, quæ toties tecum concubui*) prudenter respondit : *Et ego non sum ille* quia vitam enormem in pulchriorem, mores pejores in meliores commutavi.

Luc. c. 22. v. 58.

At tu Petre impudenter ais *non sum*, scilicet idem, quoniam totaliter animus meus in pejus immutatus est, & ego, qui paratus etiam pro Domino meo

mori,

mori, cum timidus turpiter negavi: *Non novi hominem*

Ah quàm ingeniosum inter te ô Petre, & Adamum S. Maximus confecit paralellum. Si, inquit, hic divinum de non comedendo ligno scientiæ boni & mali, receperit mandatum, ille fidelitatis erga magistrum habuit præceptum. Si hic, contempta Dei lege, vetitum deglutierit pomum: ille perfide negavit Christum. Si Eva maritum suum Adam ad intemperantiam allexerit, una ancilla ostiaria Petrum ad infidelitatem perduxit. Si Eva primum hominem subdolâ suâ persuasione à Deo disjunxerit: hæc frivolâ voce Petrum à Christo separavit. Si ad primam culpam Adæ concurrerint dæmon, vir & fœmina, in hac luctuosa nocte ad Petri lapsum non defuere dæmon, vir, & ancilla. Si ibi reperiebatur vigilans ovium Christi vorax leo, diabolus: aderat persuadens ad malum famula. *Est ergo*, concludit ipse, *eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ fuit in Adamo.* Ah bene diabolicæ huic fœminæ potest applicari illud Judith registratum cap. 14. vers. 16. *Una mulier fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: Ecce enim Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo.* Quoniam per ostiariam istam in domo summi Dei confusio facta est maxima, & prostratum jacet Ecclesiæ caput. Ast ô benigne Deus! cur permisisti, ut prima, & fundamentalis divini tui ædificii disrumperetur petra? Quorsum vix erecta cecidit columna? Quare Apostolorum Princeps te adeò enormiter deseruit? Hoc dubium curiosè movet S. Gregorius, & respondet, id divinam sic decrevisse permittere Sapientiam, ut ille, qui totius mundi constitutus erat caput, aliorum peccatis condoleret. Verba ejus sunt: *Ut is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alis misereri deberet.* Quod ante rectè insinuarat Augustinus, dicens: *ut in clavibus esset fidelis janitor, in sententiis clementissimus dispensator.* Ecce misericordiam voluit, & non judicium.

Gregor. hom. 21. in Evangelia
Augustin. serm. 126. de tempore.

Eheu lingua hæret! quot in perverso hoc ævo reperiuntur Petro Christo deneganti similes! Sic, sic esse asseverat mellifluus Doctor tantum detestans scelus disertis his verbis: *Irâ & mœrore impleor propter meum Iesum, quia ea de causa odio habetur pro quo magis diligi debuisset.* Piissimus Dominus tibi ô Christiane, tot, tantaque confert beneficia, tibi adolescens donat fortitudinem, tibi puella faciei venustatem, ut iis donis ad Dei utamini cultum, & è contra tu adolescens contra Jesu mandatum præcipientis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, viribus tuis in sumenda injuriarum vindicta abuteris. Nonne ipso facto adinstar Petri Christum negas & ait: *Non novi hominem?* Illius non æstimo mandata? Et tu filia, dum pulchritudine tuâ abutens, tuum Veneri, luxuriæ, & carnalitati devoves corpus, nonne eum, qui tibi mandat continentiam, & castitatem, denegas, & clamas, *non novi hominem*? Tibi opulente, tantas distribuit divitias, ut iis frigida Christi membra foveres, famelicos cibares, nudos cooperires, & indigentibus assisteres, & tu eos luxui, deliciis, crapulæ, lautis & opiparis conviviis, equis enutriendis, & ut uno verbo finiam, mundanis applicas voluptatibus: nonne tu Christum negas, qui ad te clamitat: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: Et estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Ad hoc attende Christiane, & perversam cum Petro detestare vitam.

Bernard. in Cant serm. 45.
Matth. c. 25. v. 40.
Luc. cap. 6. v. 36.

Verùm redeamus ad afflictum, & tam impiâ Apostoli negatione consternatum Jesum. O benigne Domine! quàm justè possum tibi applicare illud Senecæ Poetæ: *Finis unius mali, gradus est futuri?* Ah intueor novas densissimas nubes horrendam rursùs capiti tuo dolorum comminari pluviam: Benè de te vaticinatus est Isaias, quod tu sis *vir dolorum, & sciens infirmitatem.* Tu cum Propheta David confiteri potes: *Repleta est malis*, id est, doloribus, ait Glossa, *anima mea.* Modò, modò illa Jeremiæ adimpletur, & consummatur Prophetia: *Addidit Dominus dolorem dolori meo.* Et cap. 4. vers. 20. *Contritio super contritionem vocata est.* Ecce vix jam Petrus juxta opinionem divi Cypriani suum perfide negarat Dominum: Judas sceleris sui, & proditionis ruminans enormitatem, & cognoscens sese injustè innocentem furibundis leonibus tradidisse Agnum, & sanguinem, divinæ diffidens misericordiæ, sibique firmiter persuadens impossibile esse tantum crimen posse condonari, *abiens se laqueo suspendit.*

Isai. cap. 53. v. 3.
Psal. 87. v. 4.
Ierem. c. 45. v. 3.
Matt. c. 27. v. 5.

Ecquis tam eloquens, qui à hujus Apostoli irremediabilem casum dolorem exprimere queat, quo internè Christi Domini oppressus fuit animus? *Nullum* inquit Cyprianus, *tormentum adeò pupugit Christum, quàm Iudæ desperatio.* Quando fratres Joseph inter sese pravum injerunt consilium, quid de eo agerent, inter illos duo reperti sunt, qui ex fraterno affectu misericordiâ moti, ipsum à morte liberare tentarunt. Ruben scilicet

licet

licet & Judas. Heu, heu! contemplamini hic animæ Christianæ verissimum Joseph, non Ægypti, sed totius mundi Salvatorem stantem, à feris Judæis tamquam rabidis canibus circumcinctum, & à suis derelictum. Primogenitus ejus Petrus illum negat, *non novi hominem.* Impius Judas inique ipsum tradit, & animam suam desperans diabolo vendit. Tanta ruina non dubito, quin acerbissimos in pii, & misericordis Christi penitralibus causarit dolores & elevatis ad cœlum oculis, internâ voce adinstar Davidis exclamarit: ô Juda fili mi! *quis mihi det, ut moriar pro te?* Et ante finalem lapsum ad cœlestem Patrem, sicut ipse ad Joab dixerit, *Serva mihi puerum Iudam.* Ac si vellet dicere pius Jesus. O Pater! patierisne, ut illa cœtui meo Apostolico eripiatur præda? Permittesne, ut pretiosus meus inaniter pro Juda effundatur sanguis? Ah quanto cor meum premitur dolore! Juda parumper expecta Passionem meam, differ tam pravum desperationis propositum: retarda ad æternam mortem cursum, & experire, an ego in monte crucis trabi affixus obduratum tuum forsitan (divinâ Patris connivente clementiâ) ad me non traham cor? Audite quid te tanto scelere sentiat S. Leo: *Sceleratior omnibus Iuda, & infelicior extitisti: quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum, si exspectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, infamis lethi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona, torquerent, illa te à præcipitio tuo Sacramenta revocassent, quæ in Paschali Cœna jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ detectus, receperas. Cur de bonitate ejus diffidis, qui te à corporis, & sanguinis sui communione non repulit? Qui tibi ad comprehendendum se cum turbis, & armatorum cohorte venienti pacis osculum non negavit? Sed homo inconvertibilis, spiritus vadens, & non revertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorsisti: ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas judicem, te pateretur tua pœna carnificem.*

2. Reg. c. 18. v. 33. Vers. 5.

Leo de Pass. Dom. serm. 4.

Sed eheu actum est de Juda! præda diabolicis irretita est laqueis. Reus in rigorosas justi Patris Judicis incidit manus. S. Hieronymus hujus Apostoli attente perpendens de Dei benignitate diffidentiam, sustinet, eum gravius sese ipsum laqueo necando peccasse, quam Dominum suum tradendo. *Pœnitentiâ Iudæ*, inquit, *pejus peccatum factum est.* Sed quomodo pejus est Hieronyme? An pejus puram creaturam interficere, quàm creatorem Deum, & hominem morti tradere? Cato juratus Julii Cæsaris inimicus, nuntio accepto, eum ad Romanum evectum fore Imperium, sibi ipsi vitam eripuit. Quod resciens Cæsar, ingemiscens exclamavit: *Cato invidit gloriæ meæ, quam mihi ipsi condonando comparassem.* Haud aliter credo Christum fuisse locutum, & dixisse: ô Juda magnam rationem habeo, quòd de te conquerar. Tu me horribilibus tradidisti tormentis, quæ nulla hominum mens comprehendere valet. At ego illa floccipendo, & nil me magis cruciat, quàm æterna animæ tuæ ruina. Quoniam invidisti gloriæ meæ (quæ in commiseratione consistit) perennem misericordiæ meæ obstinatâ tuâ voluntate obturans fontem. Tua magis mihi displicuit desperatio, quàm iniqua tua proditio. *Pro clementia Domini*, inquit Hieronymus, *hoc dico, quia magis in hoc offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quod Dominum tradidit.* Ex dictis in hoc paragrapho solidam possumus elicere conclusionem, quòd cor pii Jesu Petri denegatione, & Judæ desperatione, quasi duobus malleis in incude amoris fuerit contusum, & quasi duobus lanceis transfixum.

O animæ devotæ! dum nos ad ingentem hunc contemplandum properamus mansueti Christi dolorem & mœstitiam, animadvertamus sedulò, conscientiamque nostram benè perscrutemur, an adinstar Judæ, aut Petri Christum non tradamus, aut negamus peccatis nostris. Quod si sic, eja exspectate misericordiam, & ne imitemini desperantem Judam, sed Petri pœnitentiam, ad cujus lachrymas divina vos convocat clementia.

§. XII.

Et conversus Dominus, respexit Petrum, & egressus foras, flevit amare. Luc. cap. 22.

AQuila Ecclesiæ Doctorum S. Augustinus acutissimi ingenii sui in hæc Psalmistæ verba cojiciens oculos: *Respice, & exaudi me, & convertere Domino, & libera animam meam.* Asseveranter docet, hunc locum apertissimè stupendam Christi Domini oculorum demonstrare efficaciam in Petri conversione quàm optimè esse probatam. Ecce divinus ille misericordiæ fons miseri voce

Psal. 12. v. 2. Psal. 6. v. 5.

cujusdam

cujusdam mulierculæ prostrati Apostoli commisertus, radios vultus sui ad induratam dimittit petram, & illicò ea disrumpitur, & liquescit. *Et egressus foras, flevit amare.* O benignissimè Jesu! nonne te meritò inversum nuncupare possum basiliscum? Plinius testatur, cæterique Naturalistæ consentiunt, basilisci venenum tantæ esse potentiæ, & efficaciæ, ut ipse solo suo visu, è quo illud emittit hominem, enecet. At tu divine Basilisce ex oculis tuis transfundis gratiæ, & lucis antidotum, hominique animæ impertiris vitam.

Summum illud Firmamenti jubar Sol splendidis suis radiis obnubilatum aerem illuminat, densissimas noctis tenebras dissipat, campum sterilem fœcundat, in profundis terræ visceribus aurum & argentum generat. Sol justitiæ Christus Dominus radiis suæ charitatis è duro, & lapideo Petri corde peccati caliginem depellit, glaciatam hanc animam igne gratiæ suæ vehementer accendit, & illam in uberrimas lachrymas dissolvit. Sidonius Apollinaris commemorat, quòd Thraces conantes hieroglyphicè exprimere oculorum Dei potentiam, & virtutem, artificiosè jusserint depingi splendentem solem è quo tres progrediebantur radii, quorum unus caloris sui vi quemdam mortuum resuscitabat, secundus durissimam rupem in partes dissecabat, & tertius montem nive coopertum, ardore suo exonerabat, eam in aquas dissolvens.

Hic ad vivum profectò repræsentaris pie Jesu, De te verissimè vaticinatus est Propheta Malachias: *Orietur vobis sol justitiæ.* Sol tantæ virtutis, & eminentiæ, ut ipse fervidis suis radiis, quoad animam mortuum spiritualiter reviviscere faciat. Saulum persecutorem emolliit, avaritia induratum Matthæi in telonio sedentis animum liquefecit, & ad aquas, & lachrymas adduxit pœnitentem Petrum. Judæi post longum sub Babylonica servitute tempus, tandem (ut narratur 2. Machab. cap. 1. Jerusalem regressi, loco ignis ante absconditi, *Sacerdotes, qui cultores Dei erant: acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & siccus, & in eo conturati sunt eum.*) Repetiunt aquam crassam, ut ibidem dicitur: *Et non invenerunt, nisi aquam crassam.* Nehemias sacerdos hoc aspiciens, jussit ipsa ligna, quæ superposita erant, ad sacrificium offerendum, aqua aspergi. Et ecce, nota, quid contigerit. *Usque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo: accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Haud aliter evenit reneganti Christum Petro; antequam servituti subjectus erat peccati, summis incendebatur amoris flammis, clamabatque: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, & animam meam pono pro te.* At jam in domo Caiphæ mulieris interrogatione conturbatus, & peccati pondere depressus ex ardenti charitatis fornace in glaciem immutatus est. Sed ubi cœlestes Solis Christi intuitus radii affulserunt, calefactus, & ad amorem ejus accensus, tamquam glacies agnovit divini ardoris vires, *& egressus foras flevit amare.* Audite in quantum Dei S. Leo extollat aspectum: *Respexit ergo Dominus Petrum, & inter calumnias sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium, & conspuentium injurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum praviderat esse turbandum, & in illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio. Quasi illi vox insonaret, ac diceret: Quid habes Petre? Quid in tuam conscientiam recedis? Ad me convertere, in me confide, me sequere, meæ Passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicii. Quid metuis quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus. tu de meo esto securus.*

Malach. c. 4. v. 2.

Machab. c. 1. v. 19. 20. v. 21. & 22.

Leo ser. 3. de Pass.

Celeberrimus Naturalista Plinius commemorat in Phrygia repertas esse durissimas petras, quæ istius erant naturæ, ut solis ardore calefactæ, aquas effunderent. Petrus, qui petra est, supra quam Christus suam ædificavit Ecclesiam, quasi per trinam Domini negationem in petram conversus, radiis divini luminis accensus, perfidum suum detestatur peccatum, & ad aquas, ut illud diluat, sese convertit lachrymarum. *Conversus Dominus respexit Petrum, & flevit amarè.* Hæc prædixerat Psalmista regius: *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupes in fontes aquarum.* Narrat famosissimus historiographus Ælianus stupendam cujusdam avis nominatæ *Caradrii* proprietatem, nimirùm, quòd ipsa solo suo visu plerosque infirmos sanet. Addunt quidam probati Doctores, inter quos Dionysius Carthusianus super caput 11. Levit. art. 13. quòd si quispiam quasi de sua desperet recuperanda sanitate, illius certitudinem ab ea auspicari possit. Signum hoc erat. Quòd, si avis ab infirmo vultum, & oculos deflecteret, evidens subsecuturæ mortis erat indicium; si autem ipsa blando aspectu eum aspiceret, sanitatis recuperandæ manifestum testimonium.

Psal. 113. v. 8.

Ælianus de variis hist.

monium. Quod Caradrio Naturalistæ attribuunt: numquid ego Christo meritò appropriare possum, & dicere ipsum cœlestem Caradrium fore, qui suo intuitù hominem quoad animam sanat, & illius aversione ruinam prognosticat? Audite, quid dicat Propheta David Psal. 36. vers. 8. *Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Idcircò oculorum Dei efficaciam non ignorans, clamat: *Ne avertas faciem tuam à me.* Psal. 26. v. 9. Ecce Christo vultum à Petro divertente, in horrendas ipse incidit blasphemias, etiam cum juramento attestans, *non novi hominem.* Verùm ubi divini intuitus splendor affulsit Petro (*& conversus Dominus respexit Petrum*) *egressus foras, flevit amare.* Ah! quàm divinè rursus id insinuat S. Leo, dicens: *Dominus Iesus, qui intra Pontificale consilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi, divino vidit intuitu; & paventis animum, mox ut respexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitavit. Vidit in te Dominus non fictam fidem, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus. Et fonte charitatis lavit verba formidinis: nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis. Citò itaque in soliditatem suam rediit petra, tantam recipiens fortitudinem, ut quod tunc in Christi expaverat Passione, in suo post supplicio non timeret.*

Pierius Valerianus curiosè annotat inter cæteras, quas stulta effinxit gentilitas, imagines, quamdam notatu dignam extitisse hujus figuræ. Ipsa basilisci habebat caput, alasque ancipitris, cui insculpta erat hæc epigraphe: *Oculi Divûm.* Ipsi Ethnici sibi imaginabantur, eam quandoque vi artis oculos claudere, eosque quandoque aperire. Et dum oculos aperiebat, felicem Ægyptiis præsagiebat fortunam, quando verò claudebat, imminentem prognosticabat ruinam. Non secùs evenit Petro: qui, dum Christus tantisper oculos ab eo amovit, non obstante, quòd dixisset: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* defectu tanti luminis in profundam peccati incidit abyssum. At, dum rursus lux illa luxit, ad veram pœnitentiæ est deductus semitam. Ah quàm benè hoc
Ambr. lib. 10. super c. 22. Luc. dicit Ambrosius: *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: Negavit secundò, & non flevit: quia adhuc non respexerat Dominus: Negavit tertiò, & respexit Iesus, & ille amarissimè flevit.* Et tandem urgendo concludit: *Si itaque tam necessarii sint oculi tui Deus, respice in me, & miserere mei.*

Naturalistæ mira, ac stupenda de essentia & proprietatibus Cynocephali commemorant. Pierius lib. 6. cum aliis quàm plurimis asserit, eum lumen suum, valetudinem, atque fortitudinem à Luna auspicari. Imò tantam dicitur cum ipsa habere sympathiam, ut eâ decrescente & deficiente, oculorum lumine, corporisque viribus, omninò destituatur: è contra verò illâ resplendente, & cursum suum redintegrante, lumini, & pristino vigori restituatur. *Cùmprimis autem Cynocephalus,* inquit Pierius, *Lunæ erat hieroglyphicum: propterea, quòd animal id pari quodam afficitur consensu cum Luna coitu. Nam ipsâ eâdem horâ, qua Luna nullo illuminata candore Soli conjuncta transit, nobisque videtur penitus evanuisse, Cynocephalus ipse quoque deficere visu comperitur. Neque interim cibum capit, sed humi procumbens ægrè habet, quasi Lunæ raptum ingemiscat.*

Non ita Christiani, Cynocephalus à Lunæ dependet splendore, sicuti nos ab ipsius Christi lumine, qui venit, ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Nonne id evidentissimè patuit in cadente Petro. Hic adinstar alteris Cynocephali à splendore Domini sui amotus, & impio Judæorum consortio intricatus, obcæcatus, ac perterritus, unius ancillulæ voce, infamiter cecidit, & fortitudo ejus evanuit, qui sese jactaverat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ast, ubi rursùs tanti luminis Petro affulsere radii, (*respexit Dominus Petrum, & egressus foras flevit amare*) assurrexit, pristinasque vires vi lachrymarum à divino intuitu causatarum recuperavit. Optimè itaque clamitat Propheta David: *Respice in me, & miserere mei.*

Relinquamus modò attractivum lachrymarum magnetem: & eas parumper consideremus. Petrus Cæsariensis narrat, quòd quidam interni animi sui dolorem conans manifestè cunctis demonstrare, à peritissimo istius ævi pictore delineari mandarit quamdam herbam, nuncupatam Amaranthum. Hæc ut sentiunt Naturalistæ è terra eruta, illicò decrescit, & flaccescit, & in aquam demissa, denuò crescit, & virescit. Emblemati suo ingeniosam inscribi jusserat epigraphen: *Lachrymis mea vita viret.* Ac si vellet dicere, quemadmodum Amaranthus in aquis viriditatem suam retinet, ita cor meum lachrymis irrigatum, amissæ gratiæ recuperat nitorem. Apostolus Petrus extra lachrymarum aquas totaliter

frigido

frigido abjectæ ancillæ cujusdam vento exsiccatus, & arefactus erat: ast rursùs illatum efficaciâ revixit, Ita ut meritò exclamare possit: *Lachrymis mea vita viret.*

Lib. 3. c. 104.

Famosissimus commemorat historiographus Discorides, portentosum quemdam in Thracia reperiri lapidem singularis naturæ, & mirabilium proprietatum, inter quas hæc ipsi indita est, in quòd, dum aquâ aspergitur, accendatur, & inflammetur. Et Gregorius Nazianzenus, quemdam dicit comperiri piscem, nominatum Epitum, qui, quantumvis ex natura aqueus sit, & in eo frigiditas, atque humiditas maximè dominetur, in ignem tamen conjectus ex essentia sua summopere siccum, & calidum, in illo tam admirabiliter conservatur, ut hæ contrariæ qualitates, activitatem suam suspendisse, & quasi amicitiæ fœdus iniisse videantur. Ecce hæc naturæ portenta in Petri contemplari possumus pœnitentia. Torrente lachrymarum inundatus, vehementi amoris igne incensus est Petrus, & hæ aquæ cum non extinxerunt, sed auxerunt. Illæ genas quidem commacularunt, sed fœdas animæ maculas emundarunt. Unde lachrymas Petri considerans Leo, exclamat: *Felices lachrymæ tuæ sancte Apostole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem habuere sacri baptismatis.* Ah bene Petrus benigno Deo (cui in tantùm ipsius complacuere lachrymæ,) cum Propheta Davide potest dicere: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* S. Hieron. hic legit: *Posuisti lachrymas meas in lagenula tua*, tamquam nimirùm pretiosum liquorem in ea asservatum. Alii legunt, *posuisti lachrymas meas in thesauris tuis*, tamquam selecta monilia. Nec mirum, quia, ut ait Chrysol. *Deus esurit gemitus delinquentium, sitit lachrymas peccatorum.*

Greg. Nazianz. de præceptis ad Virgines.

Serm. 9. de Pass. Dom.

Psal. 55. v. 9.

Serm. 93.

S. Maximus Turonensis quondam Archiepiscopus, oculos mentis in Petri pœnitentiam conjiciens, summoperè admiratur, eum verbis internum suum non propalasse dolorem, & clamasse, *peccavi.* Filius prodigus ad patrem rediens pœnitentiâ ductus, indoluit, & exclamavit: *Pater peccavi.* Regius Propheta David à Nathan adulterii, & homicidii accusatus dixit: *Peccavi*, & Petrus dumtaxat ex oculis lachrymarum emittit fluenta, & nulla omninò ex ore profert verba nec clamat *peccavi.* Et hoc sanè non absque fundamentali ratione fecit Petrus. Reminiscebatur enim sibi linguam in instrumentum deserviisse ad ruinam, & culpam: ideò ea uti noluit ad indicandam pœnitentiam. Veritus, quòd perfidæ ipsius linguæ, qua Dominum suum impiè negaverat, fides non adhiberetur, dicenti, *peccavi.* Audite citati Patris verba: *Ideò Petrus jam non utitur sermone, quo fefellerat, quo peccaverat, nè per id ei non credatur, ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum, & per hoc mavult causam flere, quàm dicere, & quod voce negaverat, lachrymis confiteri.* Nobis moralem relinquens doctrinam, quòd omnia illa, quæ nobis peccandi extitêre instrumenta, atque incitamenta, debeamus detestari.

Luc. c. 15. v. 8.

Maximus homil. 9. Biblioth. PP. tom. 2.

O Christiane! ô peccator! percepisti Petri lapsum, & ad pœnitentiam per lachrymas reditum. Ah negastinè Christum Dominum tuum divina sæpè sæpiùs transgrediens mandata? Sequere pia ipsius vestigia: Reperisnè animam tuam iniquitatis maculâ fœdatam, eam lachrymis dilue. *Luge peccata*, inquit Chrysostomus, *ut ipsa diluas.* Et in Psal. 50. ait: *Peccata tua in libro scripta sunt. Spongiæ autem instar sunt lachrymæ tuæ: Lachrymas mitte, & obliterantur: lachrymas mitte, & purus illic liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lachrymæ.* Ast proh! proh pudor! videtur mihi, quòd nobis illud ipsum promiscuè contingat, quod in sua persona summoperè deplorat S. Augustinus, dum Poëtarum pervolvebat scripta, & curiosè eorum legebat figmenta. *Detestabar*, inquit, *Æneæ perfidiam, & amarè deflebam Didonis mortem, & intereà cæcis oculis meam præteribam vitam, & nec miseram animam, tot peccatis mortuam deplorabam.* O dementia! ô cæcitas! clamat Augustinus; *Quid misertus misero, non miserente se, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat amando te.* Ah miseri homunciones! minimũ bonorum, & divitiarum damnum, mortem cujusdam filii, aut amici acerbè deflemus, & æternus animæ nostræ interitus ex obstinato animo unam non valet extrahere lachrymulam. O homines cæcutientes ait Chrysostomus, *Tristitia facta est, non ut in morte, nec in ulla alia re doleamus, sed ut ipsa ad delenda utamur peccata.*

Chrys. ad pop. Antio. homil. 5.

Aug. lib. 1. Conf. cap. 13.

O benigne Jesu. *Quis dabit oculis nostris fontem lachrymarum?* Eheu! confitemur pie Domine imbecillitatem, & fragilitatem nostram, tu unicus fons es, è quo cunctæ gratiæ scaturiunt. Tu sola fortitudo, à qua vires nostras ad benè operandum participamus. Sine divino, tuo auxilio pœnitentiæ lachrymas effundere nequimus. Aperi Pater misericordiarum, & Deus totius conso-

Ierem. cap. 9. v. 1.

consolationis, thesaurum gratiarum tuarum, & corda nostra ad veram peccatorum præpara contritionem. Tu oculorum tuorum radiis percussisti durissimam rupem Petrum, & adimpletum est illud Davidis vaticinium: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* Percute quoque divino tuo intuitu nos miseros peccatores, ut tandem resipiscamus, & Passionis tuæ fructu gaudeamus, ad quam prosequendam progrediamur.

§. XIII.

Et vinctum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Matth. cap. 27.

Audivistis benevoli Auditores funestas, quæ in lugubri illa tragœdia in impio Caiphæ tribunali repræsentatæ sunt, scenas. Tempus nos vocat ad tertium Pilati, aliis duobus Christo non mansuetius, sed multò atrocius. Constringitur denuò funibus, & chordis ligatur piissimus Jesus, violenterque per terram à furibundis leonibus exultantibus, ob injustam à Caipha prolatam sententiam, trahitur. Ecce rursus Dominus ad instar pilæ percutitur, & repercutitur. Ast non absque sævis tormentis, & inauditâ violentiâ. In itinere non desunt opprobria, & illusiones. Accurrit ad hoc spectaculum undique sævus populus, ac summâ instigatus curiositate, atque invidiâ, quid tandem de legum Mosaicarum perversore foret, à rabidis ministris inquirit. Ipsi mox vocem suam exaltantes, acclamârunt, & accinerunt sententiæ Caiphæ: *Reus est mortis.* Ad hoc pronuntiatum quàm plurimi novum illi intentârunt assultum, ut quoque partes suas in detestanda hac tragœdia peragerent.

Ego neutiquam admiror, sanguineam rabidarum harum tygridum sitim nondum esse expletam, ac extinctam: quoniam ex inveterato in Christum odio adeò incensus fuerit eorum furor, ut eò processerint crudelitatis, & sævitiæ, ut præter Romanorum consuetudinem, & leges communes, ante latam, & pronuntiatam sententiam, tam immaniter propriâ suâ authoritate eum tractârint, tantamque contra nondum condemnatum exercuerint barbariem: quomodo ipsorum feritas ac rabies non fuit accensa, atque inflammata, intellecto Caiphæ judicio: *Reus est mortis!* Ah, mihi pie persuadeo audire summa cum lætitia vociferantes: eja animosè socii, en tandem desideratum advenit tempus, quo licet nostrum abunde ostentare odium, & vindicativam satiare famem. Resumite animum generosi commilitones, acuite dentes, armate manus, arripite crudelissima quæcumque instrumenta, quæ sagax quandoque excogitare potuit tyrannorum ingenium, ad prædam hanc dudum exoptatam dilacerandam.

Unde solido cum fundamento possum asseverare, piissime Jesu, barbaros Judæos tibi justam tormentorum dedisse mensuram, pro qua quatuor tu exigis conditiones per Evangelistam Lucam cap. 6. *Mensuram bonam*, id est, plenam, & hanc habuisti Christe, ut in persona tua attestatur regius Psalmista: *Repleta est malis anima mea, confertam*, id est, crassam, *coagitatam*, id est, compressam. *Et superaffluentem effundent in sinum vestrum.* Profectò Christe æquâ tibi suppliciorum attributa est mensura. Unde de tua mentionem faciens acerbissimâ Passione Jeremias, dicit: *Vocem quasi parturientis audivi, angustiam quasi ut puerpera.* Verùm, ô benigne Jesu, quem parturire desideras in hoc laborioso Passionis tuæ puerperio? Ah, inquit ipsa pietas, non nisi charum meum Benjamin, humanum videlicet genus, peccati jugo suppressum. Sed heu Christe! nonne præscis, illum filium non pulcherrimæ Rachaëli, sed tibi Deo vivo, & Creatori totius universi erepturum esse vitam? Ah, respondet Dominus: à morte non abhorreo, pressuras pœnosi hujus puerperii non vereor, modò Benjamin, id est, humana natura vivat. Pereat formosus præ filiis hominum, modò homo spiritualiter renascatur. O amor! ô inaudita tantæ Majestatis exinanitio!

Luc. 6. 38. Psal. 87. 4. Ier. 4. 31.

O animæ contemplativæ! meditor per fastidiosum hoc iter tandem Christum totaliter defatigatum, viribus ex tam abundanti sanguinis profusione exhaustum, ad palatium Pilati appulisse. Instituitur tertium tribunal, erigitur novum theatrum, ut tertius inchoatæ tragœdiæ repræsentetur actus. Ecce stat innocens Agnus, qui peccatum non fecit, coram superbo Judice ad infamem dijudicandus mortem, qui universum dijudicaturus est mundum. Et tanta quidem cum patientia audit insanos Judaicæ plebis clamores, falsa testimonia, enormia opprobria, ita ut miraretur Præses, cogereturque tumultuantem populum interrogare: *Quam accusationem affertis adversus hunc hominem?* Sed illi nec ad rationem, nec ad leges attendentes, responderunt: *Si non esset malefactor,*

Ioan. 18. v. 29. Ibid. v. 30.

factor, non tibi tradidissemus eum. O infernales furiæ! ô animæ abominandæ! ô dementes Judæi! ex quo delicto Christum probabitis malefactorem? Cuncti malefactores alicui legi contravenire debent. Dicite, ô rabidi canes! in quam ipse impegit? Observavit Mosaicæ legis circumcisionem: cæremonialem non est transgressus: Ipse namque juxta Judaicam consuetudinem in templo à matre, & Josepho est præsentatus. An forsitan legem naturalem est prævaricatus? Minimè sane: Quoniam ipse summam erga Deum, & proximum ostentavit charitatem, succurrens quàm promptissimè cuilibet indigenti.

Si mihi nullam surdi adhibeatis fidem, vocate in testes tot cæcos, quibus visum benignè restituit. Compareat ille juvenis à nativitate cæcus, loquatur, ætatem habet, & magnificum à Christo receptum exponat beneficium. In medium prodeat viduæ Naim filius: accurrat Archisynagogi filia, advocetur quatriduanus mortuus Lazarus, cum stupore omnium ad vitam revocatus. Audite barbari, quodnam ipsi de eo laturi sint testimonium. Reminiscamini, quid vos ipsi sentieritis, dum loquelam muto, & surdo auditum donavit: *Amplius admirabantur, dicentes: omnia benè fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui,* inquit Evangelista Marcus. *Marc. 7. v. 37.* Quid ergò nunc tam furiosè in illum, tamquam reum insilitis? Propter quid horum vultis eum occidere? Ah, ô vaferrimi, & sceleratissimi homines! Ecce responsum vestrum dudum prædixit, quod nunc contra Christum insanum produxit Concilium, Sapiens, dicens: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis.* *Sap. 2. 12.* Justum? O perfida injustitia! justus ad instar rei graves cogitur subire pœnas? *Inutilis est nobis.* O splendidum mendacium! judicent id infirmi, & defectuosi, ab eo (ut jam dixi,) sanati. Hîc ô impii, calcei vestri vos non premunt. Pergit ipse: *Et contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.* Hîc nodus est. Verè contrarius est operibus vestris. Ipse enim totus humilis est, honoresque & status devitat, ut patuit in illius ad solitudinem fuga, dum turba eum voluit rapere, ut faceret Jesum Regem. Et vos primas cathedras ambitis, & sublimiores dignitates sectamini: ipse totus mansuetus est & pacificus. Constitit hoc in ejus nativitate, & primo mundi ingressu, in quo universalem illi concessit pacem. Ipse clamat: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* *Matt. 5. v. 44.* Et vos in proximum insatiabili animo vindictæ inhiatis. Ipse secundùm legem templo Dei respectum jubet esse defetendum: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* *Matth. 21. v. 13.* Et hæc sunt scelera, quæ vobis justè improperat Christus, dicens: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* *Ioan. 8. 39.* Et hæcne causa mortis? Ah! verendum est, stupidi Judæi, quòd fallax hoc, & naturæ ipsi repugnans fundamentum, arrepturus non sit Pilatus.

Ut video, hanc præsensêre difficultatem perfidi: ideò iniquo suo occultato consilio, aliud medium præmeditantur, & eum seditionis, criminis apud Romanos læsæ Majestatis accusant, dicentes: *Commovit populum, docens per universam Judæam.* *Luc. 23. 5.* Mehercle, Scribæ & Pharisæi certas observabant regulas, quæ etiamnum in moderno sæculo vigent, & videntur ad nos hæreditario jure pervenisse. Culpant Judæi Christi doctrinam, quæ sana, recta, secundùm Deum, & homines est. Condemnant quidam juvenes Theologi magni illius Doctoris Augustini de gratia, de prædestinatione, de peccato originali, de necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ imperfecta contritione doctrinam. Quæ tamen sana est, & recta secundùm Deum, & homines. Imò & ab ipsa Sede Apostolica confirmata. Clamant ad instar rabidorum Judæorum: Augustinus talia, & talia docens, commovit totum mundum, & ex ejus dogmate multi effecti sunt hæretici. O perversitas! sed viderint hi, an in hoc facto cum Hebræis non hallucinentur.

Has calumnias, hæc improperia tanta cum patientia tolerabat mitis Dominus, ut eam demirans Pilatus, ad innocentis Christi partes visus sit inclinari. Quapropter ad populum dixit: *Nullam mortis causam invenio in eo.* *Ioan. 18. v. 38.* Ad hæc verba Pilati, in cujus manus juratum tradiderant inimicum, totaliter consternati, particulare (ut mihi imaginor, iniêre consilium, in quo constitutus criminalis Orator, sic suam exorsus est ratiocinationem: O dementes, & obcæcati nos! quis nos coëgit sententiam hujus requirere Judicis? Ecce Caiphas eum nostro dederat arbitrio, clamans: *Reus est mortis.* An fortasse nobis defuit occasio, eum in itinere crudelissima afficiendi nece? Quod non, nobis liquidò constat. Quorsum itaque eum alieno subjecimus tribunali, & latam executi non sumus sententiam: *Reus est mortis?*

Peroraverat insignis Judaicæ fæcis Orator, magis, ut videtur, odio in Christum instigatus,

quàm ratione ductus. Pòst eum è Concilio quidam astutior, & malignior assurgit, & facti fundamentum dilucidat, dicens: Nonne tu scis, perite Jurista, nos neminem in minimo posse condemnare, nisi definitiva, & verbalis reo prolata sit sententia? Caiphas solummodò, ut gentis nostræ Consiliarius, suum pronuntiavit judicium. Restabat igitur, ut eum indemnem ad plenum deduceremus tribunal, & consistorium, cui legitimus præsideret Judex Pilatus. Applausêre cuncti tam subtili replicæ. Ah, liceat mihi semel primi Oratoris partem sustinere. Peto argute Jurisperite, an forsitan in alia, quàm Judaica mecum, ad feritatem in Christum exercendam, studuisti Academia? Hoc neutiquam credo. Sed ô confrater, (pace tua dixero,) quomodo veritas dicti tui, quòd nobis non liceat aliquem in minimo condemnare ante definitivam sententiam, consistit; quandoquidem & tuo quidem judicio in domo Annæ & Caiphæ tot perpessus sit præsens noster reus tormenta? Qui adeò violenter colaphizatus, irrisus, infamium orum sputis (quod maximè apud nos ignominiosum æstimatur) est conspurcatus, qui tot, tantasque persecutiones à Caipha patientissimè toleravit, & immania, quæ nos novimus in non finaliter condemnatum exercere permisisti supplicia? Quæso, confiteamur, nos omnes extitisse cæcos.

Cæcitatem nostram deponamus. Una sagitta generosum totaliter non debet consternere animum. Incepto opus est insistere. Sustineamus nos tantùm ei pepercisse quoad mortem (ne tangamus jam ventilatum dictum in minimo) & nos rabidam plebem ab eo necando cohibuisse, ut ad justum tribunal perveniret, quod indubiè maximè plausibile erit Pilato. Judicium admittitur. Sed coloratum quemdam necesse est indagare prætextum. Subtilis quidam, & omnium in perfidia magis versatus, hunc suggerit modum: In lege Romana (ut etiam affirmat Rupertus) observatum, & exaratum publicis diplomatibus decretum hoc reperitur; *Iudicatum Iudæus non licet occidere, nisi Romano Præside Iudice.* Melior sanè Achilles contra Christum præparari non poterat, quàm adulatio. Ast nondum obtinetis, ô scelerati, in illum adoptatum triumphum. Continentne Judaicæ leges, ad mortem condemnari posse innocentem? Hoc non assereretis; ideoque clamatis: *Reus est mortis. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, commovit populum docens per universam Iudæam.*

Verùm rursus repeto, nondum vestrum affecuti estis intentum, nondum vestra rabies Pilati commovit animum. Ecce replicat, & clamat: *Nullam invenio mortis causam in eo.* Ac si diceret: Insana & furibunda plebs incassum & invanum Jesum Nazarenum reum mortis proclamatis, ego illum exactissimè exaaminavi: vitam ejus inculpabilem reperi. O Judæi, vos innocentem hunc adeò crudeliter tractâstis, ut vix pedibus consistere queat. Nihilominùs stupenda cum patientia vestram toleravit sævitiam. Potestne quispiam tam mansuetus judicari reus? Ah, ut video, vehemens vos instigat sitis ad exhauriendum Agnelli hujus cruorem. O inconstans popule! ex ore tuo te judico. Nonne tu ipse magnum eum fore Prophetam pronuntiasti? *Propheta magnus surrexit in nobis.* Luc. 7. 16. Tu ausus non fuisti divinam illius denegare eloquentiam: *Nunquam sic locutus est homo.* Ioan. 7. 49 Tu ingenuè declarasti, eum veræ doctrinæ fore propalatorem: *Magister, scimus, quia verax es, & veritatem in via Dei doces.* Matt. 21. v. 16. Vix quatuor, vel quinque dies elapsi sunt, quòd ipsum tanto cum applausu cunctis acclamantibus: *Benedictus, qui venit in nomine Domini,* Matt. 21. v. 9. ad urbem recepistis. Dicite mihi obsecro Judæi, vos interrogare me compellit justitia. A tantillo tempore, quid mali fecit, quodnam facinus aut scelus commisit, quod animum vestrum adeò interturbavit, & commutavit, ut modò incessanter clametis: *Debet mori?* Ah perfidi, cerno, quòd à Sacerdotibus & Pharisæis concitati estis, qui dudum ad innocentem hujus sanguinem anhelarunt. Desistite, desistite, in eum mortis à me exigere sententiam: illam non proferam, quoniam *nullam invenio causam mortis in eo.*

Non licet secundùm laudabilem Romanorum consuetudinem, tam inconsideratè, & temerariè humanum effundere sanguinem. Vos bene possem alloqui Alexandri Magni verbis. Hic quodam tempore à perdilecta sua matre Olympia summopere urgebatur, ut certum nobilem, quem insatiabili odio prosequebatur, ad mortem condemnaret, non obstante, quòd eam vehementer diligeret, id renuit, dicens: *Pete aliud mater. nam vita hominis nulla mercede potest compensari.* Vos à me mortem hujus hominis expostulatis, petite aliud, & illud lubens concedam. Si tamen vobis videtur, & judicatis eum fore reum mortis, *accipite eum vos, & secundùm legē vestram judicate eum.* Ego innocentis sanguine manus conspurcare no-

lo. Judæi ob hoc responsum attoniti, excandescentes, & præ timore titubantes, vix remedium adinvenêre, ut inchoatam contra Jesum iniquitatem complerent. Quapropter, inito maturo consilio, tandem conclusum est, hanc Præsidi obtrudere replicam: *Nobis non licet occidere quemquam*. Cujus responsi stoliditatem admirans Augustinus, ad Judæos exclamat: *Quid est, quod loquitur insana crudelitas? Si malefactor est, cur eum non licet occidere?* O insani! an nescitis lege divinâ sancitum esse, Exod. cap. 22. *Maleficos non patieris vivere.* Deus strictissimè vobis mandat, de medio populi tollere seductores plebis: vos eum talem confitemini, & judicatis, quomodo igitur clamatis, *Nobis non licet interficere quemquam*? Si dicatis, vos judiciariâ non pollere authoritate, rogo, cujus authoritate eum per terram raptâstis, colaphizâstis, faciem ejus sputis fœdâstis? Quocumque vos vertatis impii, in retia perfidiæ inciditis: nisi forsitan totum hoc responsum mansuetudini vestræ imputetur. Videtur enim rabidam eorum sanguinis Christi sitim extinctam fore, odiumque omninò evanuisse. Ecce à Pilato potestatem eum dijudicandi accipiunt, & tamen illam renuntiant, *Nobis non licet interficere quemquam. Sic, sic est.*

Ioan. 18. v. 31.

Deut. 22. v. 18.

Sed quid dico? Quò mens errabunda divagatur? Sitisne extincta? Non, non, ast accensa. Odium sedatum? Non, non, ast inflammatum. Nunc, nunc, ô maligni Judæi! vestram evidentissimè cognosco rabiem: nunc in medium prodit insatiabilis furor: nunc cogor fateri cum S. Cypriano, vos numquam magis eradicatum in Christum demonstrâsse rancorem, quàm, dum clamâstis: *Nobis non licet interficere quemquam*. Verùm quomodo probabo perniciosissimum sub hisce verbis sublitescere odium. Scio, diversas eorum adduci interpretationes, ut tamen intentum prosequar, mihi adhærendum est D. Chrysostomi opinioni. Hic acutis ingenii sui oculis intensum Judæorum in Christum furorem contemplans, curiosè annotat illos, ut patet ex lege *Samedrin*, quatuor dumtaxat mortis uti potuisse generibus; nimirum lapidare, decollare, comburere, & strangulare. Sed ipsi sitibundi cælestis succi sanguinis hujus Agnelli, eum crucifigi adoptârunt, ut sic quatuor uberes foderent fontes, è quibus tam desideratus hic liquor abundanter effluerèt, quo ardentissima illa sitis penitùs extingueretur. Et idcircò clamant: *Nobis non licet interficere quemquam*: videlicet crucis nece. Hæc doctrina innititur sacræ Scripturæ, Marci cap. 10. *Et interficiunt eum*. Sed Matthæus mortis genus exprimit, cap. 20. *Filius hominis tradetur ad crucifigendum.* Unde concludit hic S. Doctor: *Quòd interemerint, & aliâ morte, argumentum est Stephanus lapidatus sed crucifigere eum desiderabant.*

Marc. 10. v. 34.
Matth. 20 v. 19.
Chrysost. hom. 22. in Ioan.

Sed quid, ô perfidi Judæi! ô sitibundi canes! an arbitramini manus vestras ab innocentis sanguine esse mundas? O stulta plebs! persuadesne tibi, te Christum non crucifixisse? Audite, audite barbari tortores, quodnam Augustinus de vobis ferat judicium? *An non interficiebant, quando ad crucifigendum offerebant? An crux non interficit?* Sic est. Ideoque cum veritate clamâstis: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Ah, cum Augustino concordat S. Leo de immani scelere vestro dicens, & ad vos loquens: *Vobis, vobis, falsi Iudæi, & sacrilegi Principes populi, totum facinoris istius pondus incumbit. Et licet immanitas sceleris & Præsidem obligârit & milites, omnis tamen facti summa vos arguit, & quidquid in supplicio Christi, vel Pilati peccavit judicium, vel cohortis obsequium, hoc vos fecit humani generis odio digniores.* Imò dicere ausim, innixus authoritati magni Doctoris August, vos crudeliùs Christum, quàm ipsimet crucifixores crucifixisse. Pro quo curiosè ipse advertit horam, quâ Jesus cruci affixus est. Evangelista Lucas cap. 23. asserit illam fuisse sextam. *Erat autem ferè hora sexta.* Cum eo concordat Matth cap. 27. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt supra universam terram usque ad horam nonam.* Constat autem ex SS. PP. tenebras Solis splendorem fugâsse immediatè pòst crucifixionem. S. Marcus videtur iis omninò contrariari cap. 15. dicens: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Quomodo hæc duo cum veritate consistere queunt, cùm trium horarum sit differentia? Imò Marcus sibi ipsi, ut apparet, apertè contradicit eodem cap. ajens vers. 33. *Et hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, usque ad horam nonam.*

Aug. in Ps. 115.
Matth. 57. v. 25.
Leo ser. 8. de Pass. Dom.

Luc. 23. v. 44.
Matt. 27. v. 43.

Clarissimum illud Ecclesiæ lumen nobis, quemadmodum Ariadna Theseo deservit, ut intricatum hunc labyrinthum evadamus. Sustinet Christum Dominum bis fuisse crucifixum. Primâ vice venenosâ Judæorum linguâ, quando nimirum ipsi, perceptâ severâ Caiphæ sententiâ: *Reus est mortis*, lætabundi, simul & furiosè cœperunt exclamare: Tu profectò justi Judicis ô Caipha,

honori-

honorificum promereris titulum, judicium tuum à nemine potest inverti. Ast dic quæso, quo mortis genere plectendus est falsus hic dogmatizator, perfidus hic populi seductor, & publicæ quietis, ac pacis interturbator? Proh dolor! nulla mors, quâ nos eum possumus secundùm legem *Samadrin* afficere, sufficiens est, ut tantum malefactorem ad æqualitatem delictorum puniat. Suaves nimiùm sunt petræ, gladius nimiùm mitis, ignis propter nimiam suam violentiam, quâ citissimè reo vitam adimit, incapax est tot castigare crimina: chorda sanguini parcit, oportet ei lentam, & crudelem inferre necem. *Crucifigatur.* Durius mortis genus, quàm crucis investigare non valemus. Marcus itaque loquendo de crucifixione linguæ, ait: eam horâ tertiâ contigisse; verùm Matthæus, Lucas, & ipsemet pòst Marcus de reali Christi cruce, & inclavatione locuti sunt, (quæ prima multùm juxta Augustinum ipsi fuit secundâ crudelior) ideoque asserunt, eam factam fuisse horâ sextâ. Audite Augustini Evangelistarum loca reconciliantis verba: *Credas Dominum Iesum Christum, & horâ tertiâ crucifixum linguâ Iudæorum, & sextâ manibus militum.* Et addit: *Specialiter de illa egit Marcus, verissimè judicans, magis fuisse Domini necatricem linguam Iudæorum, quàm militum manus.* (*Aug. l. 3. de consens. Evang. cap. 13.*)

Ad hoc, ad hoc attendite scelerati Judæi, sævius Creatori vestro, & Deo intulistis supplicium, duriorem ipsi imposuistis crucem, quàm barbari illi milites, & audetisne adhuc vos necis illius excusare, clamantes: *Nobis non licet interficere quemquam?* Lingua vestra enormiter vos arguit, illâ tamquam clavis benedictum Jesum cruci affixistis. Audite rursus impii hanc ab Augustino veritatem: *Et vos ô Iudæi occidistis. Vnde occidistis? Gladio linguæ: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige.* O venenosa lingua! ô acutus gladius! (*Aug. in Psal. 63.*)

Quis vestrûm, ô Christiani, reperietur tam obcæcatus, qui maturè incomprehensibilem rugientium horum leonum contemplans feritatem, non abominetur, & detestetur perfidam linguam? Ast, proh dolor! proh pudor! quot in scelerato hoc sæculo sunt Christiani, qui indies intoxicatâ suâ linguâ Salvatorem suum crucifigunt. Quando impii & abominabiles homunciones linguâ vestrâ pejerando, falsis dandis testimoniis, in Deum blasphemando, proximum decipiendo, mentiendo, detrahendo, summam bonitatem graviter offenditis, quid aliud agitis, quàm Deum crudeliter crucifigere? Ipse namque ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si itaque proximo tuo homo noceas, Christo noces. Ah Christiane, linguam tuam effrænatam doma, vel mortis Christi reus judicaberis. O Christe Jesu, fatemur nos, quàm sæpissimè linguam nostram citiùs ad sordida, quàm nitida, ad vana, quàm stabilia, ad temporalia, quàm æterna, ad impia, quàm devota, ad blasphemias, quàm Dei laudes dirigere, & illam in Creatorem nostrum acuere. Ah, quandoquidem Apostolus Jacobus dicat: *Linguam nullus hominum domare potest:* tu eam refræna fræno gratiæ tuæ, ut ipsa numquam abutamur, sed semper ad tuam gloriam eam dirigamus. (*Matt. 25. v. 40.*) (*Epist. c. 3. v. 8.*)

§. XIV.

Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus? Matth. c. 27.

Hucusque in hoc tribunali satis benignè à Pilato tractatus est Jesus. Ecce totaliter insistens justitiæ, Christum innocentem declarat, & sententiam mortis in eum ferre, mordicùs recusat: quàm plurimis rationibus, & argumentis ipsius comprobat innocentiam. Attamen ea insana plebs non rationibus, & argumentis, sed magnis clamoribus refellit, omnemque adhibet astutiam, ut Jesus morti tradatur. Pilatus, quidquid pro innocuo agat, quomodocumque Christo patrocinetur, in vanum laborat, nec ullatenus sitibunda Judæorum corda refocillare potest. Quapropter veritus quamdam seditionem, aliud ad eum à morte liberandum medium tentat. Vigebat apud Judæos laudabilis consuetudo, quòd recurrente annuo illo die, quo potenti Dei manu populus Hebræus duræ ereptus fuit Ægyptiorum servituti, in tanti beneficii reminiscentiam reus quidam mortis liber dimitteretur. *Per diem autem solemnem consueverat populo dimittere vinctum unum, quem voluissent.* Qui mos usque ad præsens adhuc inter Christianos in quibusdam civitatibus observatur. Tum temporis summum in carcere Pilatus tenebat malefactorem, ut satis clarè attestatur sacer textus: *Habebat tunc vinctum insignem, qui dicitur Barabbas.* (*Matt. 27. v. 15.*)

Ipse-

Ipseque propter tot nefanda, & enormia latrocinia, homicidia, atque innumera alia crimina, omni homini erat execrabilis. Hunc furenti plebi proponit, eique adjungit Christum, ut e duobus unum seligat, *Quem vultis dimitti vobis, Barabbam, an Iesum?* Ibid. v. 16

O animæ devotæ! à mundano strepitu vestram avertite mentem, & eam ad contemplanda spiritualia mysteria attollite. Erigite aures vestras, ad hanc iniquam attendendam electionem. Quem obsecro arbitramini Auditores, insanum hunc elegisse populum? Nemo adeò obcæcati animi, nullus ita sensibus orbatus, qui sibi possit imaginari, possibile fore, ad mortem condemnari eum, qui mortuis vitam restituit, & à morte liberari illum, qui vivis vitam eripuit. Nihilominus in tantùm exarserat perfidorum Judæorum odium, in tantùm accensus erat ad vindictam animus, ut pedibus humanas, & divinas conculcantes leges, reum innocenti præposuerint, & necis authorem indemnem dimiserint, authorem verò vitæ morti tradiderint, *Non hunc, sed Barabbam.* Ad luctuosam hanc catastrophen, ad lugubre hoc spectaculum jure meritò cum Jeremia exclamare possum: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Ier. 2. 12.

Inauditum hoc scelus sanguineis Augustinus deplorans lachrymis, disertam suam acuit linguam, ut acriter in furibundos illos leones insurgat, & intolerandam eorum arguat impietatem. *Non hunc dimittas, sed Barabbam. Quid tanta dementia aliud dicere prætendit*, inquit Augustinus, *quàm occidatur ille, qui resuscitat mortuos, & dimittatur latro, ut occidat vivos.* Nunc adimpletum est illud Davidis vaticinium: *Captabunt animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Ah, quæ lingua capax est, ut valeat exprimere, quod ingenium adeò subtile, ut possit comprehendere tam infamis electionis iniquitatem! Vix capio, mundum tantum sustinuisse scelus. Ausim asseveranter dicere, fretus S. Cypriani doctrinâ, quòd Sol è firmamento ex horrore in terram fuisset dilapsus, nisi divina manus ejus motum retinuisset, ad intuendum epilogum mœstæ hujus tragœdiæ, cælum sua ignita dimisisset fulmina, ad universum mundum in cineres redigendum, terra suum aperuisset sinum, ad diglutiendam rabidam hanc plebem, nisi divina Christi Domini mansuetudo, & misericordia omnium creaturarum furorem compescuisset. Ipse namque vult, ut solus triumphet amor. Aug. tra. 15. in Ioan. Ps. 93. 21.

O cælestis Pater! estne hic tuus filius, in cujus inculpata vita tantùm tibi complacuisti, hicne est iste, de quo testatur Spiritus Sanctus, *Qui peccatum non fecit.* Imò, imò ipse est. Et tu pateris, quòd ei sceleratus latro, perfidus homicida præferatur? Deperdidistine tuam justitiam, aut vindicativam potentiam? O Pater æterne, video quid te attonitum reddat. Te horrentem quasi tenet tanta Judæorum iniquitas, & tanta Christi filii tui pietas. Dicerem, quòd furentis hujus populi cæcitas divinos quoque obfuscârit oculos, nisi olim Levit. c. 16. mandâsset Deus Sacerdoti, ut duos acciperet capros, quorum unus sorte Domino erat sacrificandus, alter verò liber in desertum dimittendus. Sic testatur sacer textus: *Mittens super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario: cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, & emittat eam in solitudinem.* Illa figura modò in hac mœsta tragœdia completur in Christo innocenter ligato, & ad mortem condemnato, & in reo Barabba libertati restituto. In Christo vinculis constricto cuncti præfigurantur electi: in Barabba verò reprobi. Ille, qui sorte Dei est, ligari debet, & sacrificari: sed ipse, cui vita obtigit, libertati restituitur, atque in locum desertum, in quo non nisi regnat confusio, propellitur. Prædestinatos itaque cum Christo oportet vinciri, id est, tribulationes pati, & affligi: imò ex illius amore immolari. Etenim, qui cum Barabba libertatem acceptat, æternum inferni carcerem metuat. Quia, ait Hieronymus: *Pars Domini semper mactatur pars diaboli vivit.* Igitur & Philo Hebræus dicit: *Potiùs puniri optare debemus, quàm dimitti.* 1. Pet. 2. v. 22. Levit. 16. v. 8, 9, 10.

Verùm perfidiam Judæorum in enormi hac electione perstringamus. Vos cæcos appellavi, ô impii tortores! quando vos sitibundas sanguisugas accuso in tam infami scelere. Et meritò: quoniam abundè satis constat, vos vestris spoliatos esse sensibus, & nescire, quid agatis. Mihi respondete quæso: vos solemnem veneramini diem in memoriam restitutæ libertatis, ac proinde secundùm legem vestram reum mortis dimittere, in vestra est potestate. Sed dicite mihi, quænam lex permittit, quòd aliquem die hujus solemnitatis paschalis ad mortem condemnare possitis? Scriptum est enim, legeque sancitum Num. cap. 29.

Num. 29. v. 1. *29. Omne opus servile non facietis in ea, &c.* Videturne vobis hominem per sententiam morti tradere, non esse servile opus? Hoc post, si hactenus ignorastis, clarissimè vos docuit Herodes, qui Petrum tam diu carceri inclusum servari curavit, donec tempus paschale transivisset & vos clamatis: *Crucifige crucifige* Ah! ut cerno, accensa innocentis hujus Agni cruoris cupiditas mentis vestræ penitùs tollit capacitatem. Vos, ut inquit Augustinus, ausi non fuistis palatii Pilati prætorium ingredi, *de ingressu atrii contaminari metuebant*, & vobis imaginamini, locum intrare judicii illicitum fore, quia illud reorum vos sanguine conspurcaret, & diem paschalem profanaret? Et eò progredimini dementiæ, quòd audeatis altissimâ voce clamare, *Crucifigatur*? O cæcitas, ô insania, ait S. Augustinus, *an crux non interficit*? Et tractatu 115. in Joan ad eos exclamat: *Non reprehendimus, ô Iudæi, quòd per pascha liberâstis nocentem: sed quòd occidistis innocentem.*

Ecce anima Christiana, Christus innocens cum impio Barabba bilanci impositus est, sed quis eorum obsecro, præponderavit? Quid video? En scelerum onere gravi in terram deprimitur Christus, & impius latro levior invenitur. Barabbas liber dimittitur, & Jesus morti traditur. Et quid mirum? Primus Adam de *terra terrestris*, divino mandato subdolam callidi serpentis sibi propositam præposuit suggestionem; & ideò modò in hujus fallacis judicii vindictam Adam secundus *de cælo cælestis*, Christus minoris æstimatur, quàm sceleratus latro: & sic hic ut latro, & hominum occisor indemnis dimittitur; ille verò, ut perfidus populi seductor cruci traditur. Ah quàm bene in Jesu nostro verificatur mysteriosus ille locus registratus Ecclesiastici c. 8. *Sunt justi qui-*
Eccl. 8. 14. *bus mala proveniunt, quasi mala opera egerint impiorum; & sunt impii qui ita securi sunt, quasi ju-*
Tertull. l. 4. contra Marcelliū. cap. 42. *storum facta habeant.* Quoniam, inquit Tertullianus, *Barabbas nocentissimus vitâ, ut justus donatur: Christus justissimus, ut homicida morti expostulatur.*

Hæc iniqua Judæorum fuit fateor sententia: sed ex parte Dei vindicantis justa. In bilance namque iniquitatis positus Christus, longè latroni præponderabat: nec id paradoxum cuilibet apparere debet; quia, ut ait Isaias, totius mundi aggra-
Isa. 53. 6. vatus erat sceleribus. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.* De quorum pondere lamentatur Jesus per Prophetam Davidem: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Vox itaq; hæc: Psal. 37. 5.
Non hunc, sed Barabbam, quâ immanes hæ tygrides pectus Christi transfixerunt, à divina permissa est misericordia, & ab æterna Dei præscientia prævisa. Ideoque ait Apostolus, hunc mitem Agnum ab æterno fuisse occisum. Magna igitur ventilabatur in justo SSS. Trinitatis tribunali lis inter justitiam, & misericordiam. Misericordia exigebat Barabbam, id est, hominem reum dimitti: Justitia autem conabatur Christum tamquam innocentem, & justum morti eripere Misericordia generi humano patrocinans, clamabat: *Tolle hunc, crucifige, crucifige Christum, & dimitte nobis Barabbam.* Cælestis Pater desiderans hanc determinare controversiam, simulque ostendere, quòd misericordia superexaltet judicium, sarcinâ peccatorum Barabbam exonerat, totumque illius onus humeris pii Christi imponit. Et sic bilanx à parte vindicativæ justitiæ inflectitur, ipsique Christum donat, & ad mortem condemnat. Misericordiæ verò Barabbas traditur, & indemnis dimittitur. Unde Ildephonsus lib. de Martyrio Deiparæ, Patrem in hac hujus tragœdiæ scena loquentem introducit: *Consentio, ut Barabbas, id est, peccator dimittatur, & filius meus pro redemptione mundi crucifigatur.*

Hic mihi apparet, Patrem cælestem generosum egisse actum, quem pòst subsecutus est invictissimi animi Hispaniæ Rex Alphonsus. De hoc commemorat Joannes Marianus lib. 5. de rebus Hispaniæ, illum casu fortuito à jurato suo hoste Marcoccio Maurorum Rege in maximè munita civitate Tartesia (aut, ut quidam autumant Cartara) potenti circumcinctum fuisse exercitu. Obsidionis tempore in certa quadam ex urbe contra inimicum eruptione, unigenitus Alphonsi in severas Marcoccii incidit manus, filius. Hic tantâ intumescens prædâ, in funesto theatro ante Tarteliæ portam erecto, Alphonsi oculis charum gnatum funibus ligatum, ferreis catenis constrictum exponi jussit, jam jam gladio percutiendum. Dumque tam lugubre toti urbi jam appareret spectaculum, Marcoccius ad Alphonsum misit tubicinem, ei Regis sui nomine hæc verba dictutum: *Aut urbem trades, aut filium perdes.* Quo solummodò utebatur stratagemate, ut urbem, quam armis devincere non poterat, ex paterna erga filium commiseratione ultrò traditam possideret. Nunc perpendendum est, quænam non fuerit animi patris lucta: ab una parte naturalis filii mi-

litabat

litabat amor, ab altera urgebat communis civium ruina. Quid ageret in tanta constitutus angustia miser pater? Natura ad filium inclinatur: amor ad subditos trahit. In bivium tractus, viam intrat amoris communis: naturâque sepositâ, in hæc verba prorumpit: *Moriatur filius, cives vivant, retineatur fides. Natura in me extinguatur.* Imò, ut evidentiùs invictum suum demonstraret animum, è muris Marcoccio proprium gladium projecit, dicens: *Meo gladio meum filium jugulate.*

Haud aliter inquam, sese gessit supernus Pater; tenebatur à justitia totum genus humanum ob peccatum Adæ obsessum, illudque quàm instantissimè suæ prætendebat subjicere jurisdictioni. Ipse Pater, ut hanc dissolveret obsidionem, unigenitum in terris dimittit filium, Verbum divinum. Hic à divina constringitur justitia, quâ prædâ ipsa ditata, ad instar Marcoccii ad Alphonsum, ad te Patrem cælestem clamat: *Aut hominem vindictæ trades,* nec illi ad supernum paradisum introitum permittes, *aut filium perdes.* Attonitus stat Pater, misericordiâ ei totius mundi repræsentante interitum æternum. Reflectit sese super filium dilectum, in quo sibi multùm complacuit. Intuetur quoque justitiæ prætensionem, & tandem ait: *Moriatur filius, genus humanum vivat, natura in me extinguatur.* Et ecce proprium meum tibi justitiæ trado ensem. *Consentio, ut Barabbas, id est, peccator dimittatur, & filius meus pro redemptione mundi crucifigatur.* Obedit ultrò tam ignominiosæ ab ipsomet Patre latæ (secundùm suum in horto Gethsemani dictum: *Non mea, sed tua voluntas fiat*) filius sententiæ. Quam promptam enim considerans obedientiam, nonne meritò possem uti pio istius Poëtæ disticho:

Aut amor, aut furor est, qui te bone Iesu peremit:
Est amor, & furor est, hic meus, ille tuus.

Unde, ô pissime Domine, ingenuè cuncti fateri cogimur Christiani, quòd tanta divinæ Majestati tuæ non debeatur ignominia, sed vulneribus animæ nostræ illa sit medicina. Si tu præpositus fuisses Barabbæ, quid de misero actum fuisset homine? Eheu, misericors Christe! adhuc modò sub dura diaboli teneremur servitute. Sit tibi laus in sæcula sæculorum, quia tantam propter nos passus es contumeliam, ut ipsemet testaris per Psalmistam: *Propter te sustinui opprobrium.* Quam inauditam benignè Jesu benignitatem, & stupendam pietatem perpendens Augustinus, scilicet, quòd homo peccârit, & Deus culpam luerit, ait: *Nihil magnum est, quod dicitur opprobrium, sed quod dicitur, propter te sustinui. Si enim sustines, quia peccâsti, propter te sustines. Ille omninò nihil rapuit, & propter te opprobrium sustinuit.* Unde Christianis loquens S. Bernardus, ait: *Vox tua absolvit Christum, & peccata tua damnant Christum.* Psal. 68.8. Aug. in Psal. 68.

Advolate ad perfidam hanc electionem animæ devotæ, & sedulò ruminate, quâ animus Christi oppressus non fuerit tristitiâ, quàm sævus ipsius pectus pertransierit gladius, dum furentium horum Hebræorum inaudiit vocem: *Non hunc, sed Barabbam,* & homicidam vitæ authori proponi intellexit. Nonne tum justè poterat conqueri cum Propheta Isaia: *Filios enutrivi, ipsi autem spreverunt me?* Nonne justè poterat exclamare: O ingrati Judæi, mortuos vestros resuscitavi, & vos in mercedem me neci datis. Hic scelestus nil aliud fecit, quàm hominibus violenter vitam auferre, & ipsi vitam contra omne jus conceditis. O injustitia! Isaia 1.8.

Ah Christiani, animas vestras deplorate, & profusis uberrimis lachrymis perscrutemini maturè, quòd talem non tantùm Judæi promereantur Christi queremoniam, præponentes ipsi Barabbam, sed quàm plurimi etiam è vobis. Ah, quoties in bilance apud vos non ponitur Barabbas, & Christus, id est, iniquitas & justitia. Et quoties, ut inordinatis abundè satisfaciatis desideriis, ut sequamini sensuales voluptates, ut vanis gaudeatis carnis deliciis, & perituris mundi perfruamini voluptatibus, Barabbam impietati Christo justitiæ non præposuistis? Ah, quoties vos Christiani ostium cordis Creatori, divinâ suâ gratiâ pulsanti non occlusistis, & illud dæmoni, carnalibusque cupiditatibus reserâstis? Si itaque vituperandi sint omnium Christianorum calculo Judæi ob tam iniquum respectu Barabbæ, & Jesu judicium: quid ni, & majori ratione pejoris criminis arguendi sumus, simile perpetrantes facinus. Igitur ad Deum nostrum nos convertamus, clamemusque: O pie Domine! tu tot, & tanta pro nobis sustinuisti supplicia, diabolus nullum umquam nobis præstitit beneficium, sed nos

sæpe sæpius suis blanditiis fraudulenter decepit. Ecce promittimus nunc, deserimus Barabbam, mundum, diabolum, & carnem, te dumtaxat rogantes, ne iniquitatum nostrarum antiquarum recorderis amplius.

§. XV.

Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit. Joan. cap. 19.

EHeu! quàm lugubris oculis meis objicitur catastrophe, quàm mœstum spectaculum, quod lubet potiùs amaris lachrymis deflere, quàm linguâ exprimere. Quomodo dolor additur dolori, & sævitia rabidorum Judæorum terminum nullum adinvenire potest! Mortis in Jesum sententia instantiùs, & instantiùs continuò urgetur. Rabies eorum non sedatur, nisi viderint eum in malam crucem actum. Morsus serpentini non curantur invidiæ & odii, nisi Christus fuerit cruci affixus. Ideoque eò usque impii laborant, ut saltem aliquam ab iniquo Judice extorqueant sententiam.

O Pilate! dum illam contemplor, *tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit*: me reminisci facis innatæ inter bufonem & quemdam vermiculum, nominatum *Balettam*, inimicitiæ, & naturæ stratagematis, quo bufo, ut contra inimicum victoriam reportet, utitur. Ille ex innato suo instinctu venenosum os aperit, & pestifero suo halitu virus suum in hoc animalculum diffundit: quo vehementer tactum, sese gyrat & regyrat, atque ab una parte ad aliam divertit, putans hoc motu vim veneni superare, verùm ejus efficaciâ superatum, in terram concidit, prædaque inimicum manet.

Haud aliter evenit Judici Pilato, qui cernens furibundas has bestias Hebræos venenosum suum os reserare, ut innocuum hunc Agnellum deglutirent, ad eum unguibus eorum eripiendum, aliqualem adhibet curam ac diligentiam. Vindicativo libello supplici renuit subscribere, & diversis utitur mediis, ut intentum assequatur. Nunc ad populum insanientem clamat: *Nullam invenio causam in eo.* Nunc illum ad Herodem mittit. Nunc interrogat: *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum?* Nunc delicta ejus inquirit, ajens: *Quid mali fecit?* Ah, proh dolor! proh nefas! cuncta in vanum fuêre, nihilque ad virulentum venenum debellandum profecit. Quapropter animo despondens, levem & injustam arripit resolutionem, eum ad flagella condemnandi, atque: *Emendatum ergò eum dimittam.* Ac si voluisset dicere: O rabida plebs! intueor, & apprimè cognosco furibundam vestram sitim neutiquam posse restringi, quàm sanguine innocentis hujus hominis. Accurrite, properate furiosi: ego vos plenè illo satiabo, & ut inauditam vestram dilineam iracundiam, & execrandum diminuam odium: ego ex ejus corpore abundantes undequaque per flagra scaturire faciam sanguinis fontes: ego eum adeo sæve flagellari mandabo, ut ipsi appropriare valeatis illud Prophetæ Davidis: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ego carnem ipsius ita curabo dilacerari, & discerpi, ut vos ipsimet ex commiseratione sitis vivum dimissuri. *Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Ps. 21. 18.

O animæ devotæ, aperite hîc oculos mentis vestræ, & contemplemini funestam hanc scenam, dissolvite carnis cogitationes, & terrenis occupatos permittite sensus huc accurrere, ut in Passione Domini suas quoque partes peragant. Dum Papyrius Dictator Fabium Rullianum vestibus spoliatum, jusserat flagellari, ipsemet tantâ ignominiâ ad commiserationem commotus, ad populum in eum furentem exclamavit: *O spectaculum admirabile!* & tamen non plus juxta Romanæ curiæ consuetudinem, quàm quadraginta ictus perpessus. O Christiani, invito vos ad longe crudelius spectaculum. Ecce illîc flagellatur modicè unus Fabius, & hîc severè percutitur cæli & terræ Dominus: idque, ut liber postea dimittatur, *Emendatum eum ergò dimittam.* E quo majorem Christi S. Hieronymus elicit afflictionem, dicens: *Leviora tunc erant flagella, si mori deberet. At si morti adjudicatus non erat, acerbiora multò infligebantur.* Notant S. Bernardus, & D. Anselmus, quòd præ rabie spumantes Judæi, cernentes Christum à columna solutum, à parte anteriore, quæ pectus spectat, non fore vulneratum, illum tum à tergo ligârint, ut sic in cunctis membris crudeliter percuteretur, & sic adimpleretur illud Isaiæ vaticinium: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Unde & tunc poterat pius Jesus hoc sibi appropriare Job cap. 19. *Pelli meæ consumptis carnibus, adhæsit os meum.* O feræ tygrides! an è memoria vestra illa vobis à Deo data excidit lex, Deuteronomii cap. Isaiæ 1. 6. Job. 19. 20

[*Deut. 25. v. 3.*] *29. Ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

Modò tempus nos vocat, ut uberrimas super contritionem unigeniti Dei Filii effundamus lachrymas. Ecquis tam duri animi, qui intueri queat corpus flagris adeò dilaceratum? Quis sibi imaginari potest, eum columnæ posse alligari, qui potens unico verbo est cuncta vinculo dissolvere? Nullus sanè, nisi ille, qui maturè arctum amoris Christi considerat nexum. Ille namque est, qui constrinxit Omnipotentem, inquit Justinus: [*Iustin. lib. de ligno vitæ, cap. 4.*] *O charitatis quàm maximum est vinculum, quo Deus ligari potuit! nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* O Christiani, dum hanc lugubrem oculis mentis spectatis scenam, & vinculis constrictum intuemini invincibilem, internas arripite chordas, quibus effrænatam vestram concupiscentiam, inordinatos animi motus ligetis, curiosos compescatis oculos, vitia dometis, & virtutes charo amplexu constringatis. Attendite sedulò, propter quem tam horribiliter flagellatus sit Dominus, & ex hoc vestram cognoscite dignitatem. [*August. serm. 114. de temp.*] *Agnosce homo, quantum vales, & quantum debeas, & dum redemptionis tuæ dignitatem perspicis: ipse tibi peccandi pudorem indicito. Ecce pro impia pietas flagellatur, & si multa flagella peccatoris, multa etiam oportuit esse flagella Redemptoris. Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Maxima fuit mensura peccatoris, maxima etiam plagarum* inquit Augustinus.

Hoc crudele Pilati cùm contemplor judicium, & ævi nostri judicandi aspicio methodum, cogor convocare SS. Patres, & ab iis indagare, quid de illius justitia ac levitate in hac sentiant sententia. Pilatum accusant. Loquatur unus pro millibus Augustinus, qui paucis iniquitatem impii Judicis detestans, in hæc prorumpit verba: [*Idem tra. 35. in Ioan.*] *Quid profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & velut eum addixisse nequitiæ? Nisi, quod gravius peccatum est, unum eumdemque pronunciare justum, & tradere criminosum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absolvit, & corde condemnat. Laverit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit: & quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem, ejus tamen sanguine mens manet infecta. Ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum.* Nonne sic benè possem exclamare cum doctissimo Ruperto: [*Rupert. in cap. 13. Ioan.*] *Theatrum mundi totius facta est Pilati domus, fuit spectaculum grande mundo, Angelis, & hominibus, ut à servis peccati libertatis Princeps servilibus modis cæderetur.*

O perverse Pilate! ô inique Judex! tu confiteris Christum fore innocentem, & ipsum tam crudeliter cædi permittis? Hoccine in jure & legibus justum reperiisti? O immanis tortor! videor audire tuum responsum: nimirum, te id ad melius bonum fecisse, & sic tuam sævitiam pallio compassionis erga Christum obtegis. *Emendatum dimittam.* Tua intentio est, hoc medio ardentem harum sanguisugarum sitim abundanti innocentis Jesu cruore extinguere, & eum à morte liberare. Sed erras Pilate. An ignoras, lupos ex sanguinis intuitu majori incendi furore? Naturalista Plinius dicit, nullum efficacius adinveniri remedium, ad leonis irati rabiem compescendam, ac mitigandam, quàm in ejus præsentia graviter percutere unum canem: sed ad tollendam furentis canis iracundiam, frustrà & in vanum leo vapulat. O Pilate! tu flagellis impetis generosum illum leonem Christum, de quo dicitur: *Vicit Leo de tribu Iuda,* [*Apoc. 5. 5.*] ut famelicas ad delicatam hanc escam, satures fauces rabidorum canum. Tu profectò rectum medium non attigisti, ut Judæos ad pietatem, & commiserationem commoveas. Opus est, & in falsos testes insilias, & dirè percutias, ad veritatem, Christique innocentiam tandem extorquendam. Insurgendum est in furentes canes: de quibus ipse innocens lamentatus: *Circumdederunt me canes multi:* [*Ps. 21. 17.*] & non in Christum. Nunc adimpletum est illud Davidis vaticinium: *Adversum me lætati sunt, & convenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* [*Ps. 34. 14.*] O perfide Judex! in vanum infame tuum scelus palliare studes. O fœdifrage! potesne sustinere cum veritate tò *emendatum,* cum tò *nullam in eo invenio causam?* [*Luc. 23. 16*] Si nullius prorsus in homine hoc appareat scintilla delicti, quomodo asserere audes, *Emendatum illum dimittam?* [*Ibid. v. 14.*] Quod est omninò perfectum, emendari, & planè innocens castigari nequit. O impium judicium!

Tu detestande homo, manus tuas lavas, & ei primum ictum donas, (ut opinatur Venerabilis Beda.) Antiqua vigebat apud Romanos consuetudo, dum aliquis ad flagella damnatus erat, Judex eum primus virgâ percutiebat, & tum illicò cuncti alii, ad hoc munus deputati, sententiam executioni mandabant. Tu omnium hominum nequissime, non solùm innocentem Jesum fustibus-

dæ plebi tradidisti ad flagellandum: verum etiam tu ipsemet ei primum ictum dedisti. Hoc de re testatur Evangelista Joannes: *tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Pilate valdè in Deum tuum existis severus: attamen tuâ crudelitate è manibus irati cœlestis Patris excutis justitiæ telum, fulmen ejus restringis, & nobis reis misericordiam tribuis. Tu furentis populi non poteras sedare rabiem,& tamen vi fluentis sanguinis Christi Dei nostri mitigas furorem. Achab,ut à se iram divinæ justitiæ averteret, scidit vestimenta sua,& consecutus est misericordiam, teste
3.Reg.cap. Scripturâ: *Quia humilitatus est Achab mei cau-*
21.v.29. *sâ; non inducam malum in diebus ejus.* Tempore Jonæ,quando iratus Dominus ultimam Ninivitis minabatur ruinam,Rex sese purpureâ, & regali veste spoliavit,arripiens vilem, & abjectum habitum,induensque cilicium,& ira Dei cessavit.Quid itaque mirum,quòd indignabundus, & fruore accensus supernus Pater (cernens unigenitum suum filium, non tantùm tunicâ suâ inconsutili, sed pelle quoque privatum) suam deponat iracundiam,ad quam nos eum peccatis nostris provocavimus? Ah! quantam tunc nudus Jesus, toti populo expositus,passus est ignominiam? Hoc ipsemet testatur per Psalmistam: *Confusio faciei*
Psal.43. *meæ cooperuit me: & ipsi consideraverunt, & in-*
v.16. *spexerunt me: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Et S.Brigitta lib.Revelat.cap.19, *Patiebatur nu-*
Psal.21. *ditatis erubescentiam.*
v.18.&19

At, ô bone Jesu! dic obsecro, quis te istâ affecit verecundiâ? Quis te tàm ignominiosè nudum plebi Judaicæ exhibuit? Plato finxit quodam tempore Solem & Boream inter sese de sua potentia,& virtute decertâsse. Quæ lis & controversia, ut absque jurgiis decideretur; conclusum est,utriusque potentiam in villico,in campo aperto existente,experiri. Quapropter determinatum est,quòd illi, qui ipsi pallium eripere posset, palma deberetur. Boreas in medium prosiliit, & frigido, ac vehementi suo flatu miserum concutere incœpit, tentans palliolum ab humeris ejus tantâ violentiâ amovere: verùm, quò magis intensum villicus frigus sentiebat, eò magis sese illo cooperiebat, & involvebat. Imò arbori innixus, inanem Boreæ furorem explodebat. Defatigatus Boreas quievit: cui successit Sol. Ille fervidis suis radiis congelatum quasi aggressus est hominem, & suo calore eum in tantum divexavit, ut tandem, non solummodò pallio, verum etiam thorace sese spoliare fuerit coactus. Sicque Soli bravium attributum est. Dum modò quæritur, quisnam Dominum denudârit? Respondebo ego: vehementissimus ille sol amor, qui ferventibus suis radiis ei vestem peccatorum quâ ipse erat indutus juxta Isaiam: *Posuit Dominus in eo* Isai. cap.
iniquitatem omnium nostrum: excussit; & sic nu- 53.v.6.
dus apparuit. Undè & in hoc lugubri spectaculo possumus cum S Bernardo exclamare: *Triumphat de Christo amor.* Hunc considerans S. Augustinus, ait: *Ecce jàm Dominus aptatur ad verbera, jacet extensus antè hominem Deus, & supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium inveniri potuit.* Sed verissimè dixit Isaias: *Attritus est propter scelera nostra.* O
amor! ô pietas! non tantùm Christi, sed & cœ- Vers.5.
lestis Patris, qui ut nos funibus peccatorum ligatos dissolveret,proprium filium alligari promisit: imò & cooperatus est, inquit Rupertus: *Colligavit planè Dominus Pater filium suum, non imbecillitatis vinculo, sed magno charitatis imperio.*

Quàm plurimi historiographi commemorant, gentiles olim venerantes falsam Deam Februam pro more habuisse, quòd sacerdotes diebus ipsi sacris in angulis civitatis starent, tenentes in manibus suis virgas, quibus transeuntem populum percutiebant, autumantes iratos Deos hisce flagris mitigari. Quandoquidem Deus humeris dilecti sui filii omnem nostram imposuerit iniquitatem, & eum flagellando, nostra punierit delicta,non fictè,ut Ethnici credebant, sed verè, ut Catholici, credimus Deum ad hoc spectaculum nos sibi reconciliasse, omnemque deposuisse iracundiam.

Sed verendum nobis quàm maximè est, nè denuò peccatis nostris eum irritemus. Quod malum, ut securè devitemus, quo medio opus est?
Audite quid clamet Propheta Isaias: *Ad quem* Isai c.66.
respiciam, nisi ad humilem? Hebraicus textus ha- v.2.
bet: *Nisi ad flagellatum?* Accurre Christiana Anima, intuere Dominum tuum, & Creatorem, undique sanguine conspersum. Contemplare benedictum ejus corpus usque ad ossa dilaceratum ut ex D.V. Mariæ revelatione didicit S.Brigitta. *Vidi corpus ejus vulneratum & flagellatum usque ad costas,ita ut costæ ejus viderentur.* Oculos mentis reflecte super pia illa Tertulliani verba,in persona Christi loquentis: *Lavit carnem suam in sanguine,lavit autem tunc maximè, cùm flagellis est cruentatus:* & lava animam tuam tot mortiferis peccatorum vulneribus sanciatam, undis

undis lachrymarum. Scindatur compassionis cultro saxeum tuum cor, dum immania Christi consideras tormenta. Clama, ô misericors Jesu! fons misericordiæ, & Pater totius consolationis: excita præveniente tuâ gratiâ oculos meos, ut peccata deplorem, quæ te tàm crudeliter flagellârunt: exprime ex illis tot lachrymarum guttas, quot sanguinis barbari Judæi è corpore tuo extraxêre: quoniam *anima, quæ in hac nocte fleverit, delebitur de populo meo.*

§. XVI.

Ecce Homo. Joan. cap. 19.

INvitaris hodiè, Christiana Anima, ad oculis mentis contemplandam mœstam scenam, & lugubrem hujus tragœdiæ actum intuendum, quem impius Judex in palatii sui theatro exhibuit Pilatus. Adducit ad spectaculum nobilissimam personam Regem regum, conspectui populi objicit hominem magis monstro, quàm homini similem. Isaia, tu benè de eo prophetâsti: *Non est ei species, neque decor: quasi absconditus vultus ejus, & aspectus, & nos reputavimus eum quasi leprosum.* Ecce facies ejus sputis est fœdata, corpus dilaceratum, quodcumque illius membrum extrinsecè immutatum. Et ut verum dicam, verissima est tristitiæ, & doloris imago. Etenim, ut ait Bernardus. *Exivit Jesus coronatus, & purpura indutus, non clarus imperio, sed plenus opprobrio.*

Isai. 52. v. 3.

Bern. lib. de Virgine.

O crudelitas! ô barbaries! imaginabar hanc sævam flagellationem rabiei Judaicæ præfixum terminum futurum: *Non plùs ultrà*: ast erravi. O pie Domine: te quàm optimè assimilare possum ingeniosissimo nautæ Columbo, qui nova repertâ terrâ, ulteriùs pergere voluit, posuitque alteras Herculeas columnas, *Plus ultrà*: quoniam non contentus tot flagris clamas: *Plus ultrà*, & postulas numquam usitatam coronam spineam, ut adimpleretur illud regii Prophetæ: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, nimirùm, pungentissimas spinas, ut testatur Alanus, dicens: *Cujus spicula usque ad cerebrum penetrabant.* Unde de eo bene potest dici: *Sicut lilium inter spinas.*

Psal. 68. v. 27.

Cant. c. 2. v. 2.

Fateor, quàm maximè accusanda est rabidorum horum canum severitas: ast coronam, tuam, ô Christe? cum sponsâ Ecclesiâ exigebant sponsalitia: Moris enim erat apud antiquos, ut sponsi coronâ insignerentur, ut attestatur doctissimus Tertullianus: *Coronant & nuptiæ sponsum.* Corona itaque benedicto capiti tuo debetur. Undè ait sponsa: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Et de hac ipsemet Dominus gloriatur per Prophetam Isaiam: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis, & indumentis salutis & justitia: circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ:* at plùs ultrà. Pius namque Jesus tormenta sitiebat, ait Tertullianus. *Dominica Christi tempora lancinaverunt mortiferis quidem vulneribus spinæ, sed novarum pœnarum ardore sustentabatur amans.*

Tertul. de Coron. militis.

Isai. c. 61. v. 10.

Dicite mihi obsecro Domini Medici, quænam magis propria est animæ rationalis sedes? Quamvis hæc sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: attamen aliqui sustinent fore sanguinem, juxtà illud dictum: *Anima carnis in sanguine est.* Alii asserunt animæ speciale habitaculum esse humanum cor, quia illud est primum membrum, quod vivere incipit, & ultimò vivere desinit. Quidam denique cerebrum animæ proprium statuunt receptaculum. Ego (ut jàm insinuavi) teneo eam fore totam in toto, & totam in qualibet parte corporis. Scelerati itaque Hebræi tam ardenter inhiantes animæ Christi prædæ, & omni modo conantes sanctissimam hanc animam, à sua comparte, & sacrosancto corpore separare, in omnia omninò illius membra barbarè sævière, nè ea forsitan manus ipsorum effugeret. Ecce illam in sanguine quæsiêrunt, cum diris flagris copiosè extrahentes (ut paragrapho præcedenti vidimus) eam investigârunt in corde mediante crudeli lanceâ, dum Longinus illius, quem nondùm mortuum arbitrabatur, pectus aperuit: *Lancea ascendit usque ad cor,* ait S. Vincentius Ferrerius. Tandem furibundi hi milites illam in cerebro reperire tentarunt: *Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti illius.*

O diabolica inventio! ô nunquàm audita, aut visa barbaries, à nullo hucusque tyranno reperta! at concepta ex furioso insanientium Judæorum contra Christum odio. Tale quidem nec ipse Pilatus somniârat supplicium, sicque nec ab eo mandatum dicit Chrysostomus: quod ipse ex ipsiusmet Pilati litteris colligit ad Tiberium Imperatorem, hac super re conscriptis. *Non hoc Pilatus jussit, sed milites omnia audebant.* Sed quid dico? ô pie Jesu! non tam Hebræorum odium pungentissimam capiti tuo imposuit coronam, quàm

Chrysost. hom. 38. in Ioan.

nimium

nimium amoris incendium, quo continuò ad majora, & majora æstuabas, & anhelabas tormenta, & desiderabas pati plùs ultrà.

Ad luctuosum hoc spectaculum intuendum vos convocat, ô Animæ contemplativæ S. Bernardus divinis hisce verbis : *Egredere filia Sion, & vide Regem Salomonem, regem pacificum, omnia pacificantem, & quæ in cœlis, & quæ in terra, vide inquam, regem tuum cum corona doloris, & contumeliæ, cum veste ludibriosa, & opprobriis, quibus coronavit, & risit, & blasphemavit eum, non mater, sed noverca sua impia Synagoga. Egredere de sensu carnis ad intellectum mentis: : de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ, de domo patris, de terra, de cognatione tua, de mundi hujus deliciis, & vanis gaudiorum oblectamentis, ad domum luctus, & compassionis, & vide regem Salomonem.* Et quid ibi disces, quid boni ex tàm tristi, & mœsto aspectu hauries? Ah Christiane! ibi disces, dum spina tentationis te pungit, dum spina tribulationis cor tuum cruciat, summam in sufferendo patientiam : ibi ex magistri tui exemplo addisces exclamare, *Plùs ultrà, ampliùs Domine* : Ibi disces imitari Christum, quem Hugo Cardinalis cani venatico assimilat : *Fecit Dominus*, inquit, *sicut canis venaticus, qui feram insequens, caput inter spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat.* Sic nec à spinis tribulationum, & adversitatum non abhorresces, si adoptatam illam prædam cœlestem beatitudinem seriò irritire studes.

Hugo in c. 2. Cant.

Pilatus cernens tàm crudeliter Christi corpus flagris dilaceratum, & undique sanguine aspersum, atque insuper præter suam intentionem caput coronâ spineâ terebratum, illum sic constitutum (ut autumant quàm plurimi) ad furentem plebem adducit, clamatque : *Ecce Homo.* Sed quid ais Pilate? Qualis est homo ? *Cui non est species, neque decor*, inquit Isaias. Homo in quo *à planta pedis usque ad verticem non est sanitas.* Homo respondet Bernardus, *non homo, suprà hominem, intrà hominem, extrà hominem, pro homine, & contrà hominem.* Ecce homo ob naturam humanam assumptam ; *& homo factus est*, non homo ob hominis deperditam figuram ; *ego sum vermis & non homo.* Supra hominem, propter divinitatem : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*, ait Apostolus. Infrà hominem propter humiliationem, & subjectionem : *Erat subditus illis.* Intrà hominem propter amorem: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Extrà hominem ob suam innocentiam ; *Qui peccatum non fecit.* Pro homine : *Qui propter nos homines descendit de cœlis.* Contrà hominem, dum judicaturus venerit vivos & mortuos juxtà opera eorum, & ut paucis perstringamus cuncta. Homo est, qui nil, nisi nudam doloris, & miseriæ imaginem repræsentat.

Bern. in Symbolo.

Psal. 21. v. 7.

1. Cor. cap. 15. v. 47.

1. Petri cap. v. 23.

At Pilate, quid hâc istius afflicti hominis ostentatione prætendis? Mos vigebat apud Romanos, quod dum quidam famosus Orator suâ eloquentiâ reum excusare conaretur, ipse in conspectum Judicum deduceretur intonsâ barbâ, pallido vultu, ut hoc tristi intuitu ipsi ad commiserationem commoverentur. Belli duces, & militares Heroes accusati cujusdam criminis morte digni, ad publicum forum prodibant, seseque plebi exhibebant, & dilacerantes vestimenta sua, vulnerum suorum ostentabant cicatrices, quas generosè pro Romana Republica in arduis expeditionibus receperant, idque ut populum, simulque & Judices ad pietatem, & benignitatem excitarent. Hoc stratagemate usus est celebris ille sui ævi Orator Marcus Antonius. De quo refert Plutarchus, ipsum ab afflicta quadam matrona interrogatum, ut filio, ob militare aliquod delictum neci adjudicato suffragaretur, ex compassione negotium illud in sese recepisse. Quare sequenti die pro more rostrum ascendit, rei, & condemnati causam defensurus, quam tantâ eloquentiâ, tot fundatis rationibus, & argumentis dilucidavit, ut attonita hæreret plebs, ignara, an injustè latam sententiam non deberent accusare. Nihilominus Marcus Antonius cernens adhuc immotum, & inflexibilem Judicum animum, è rostro exiliit, vesteque rei dilaceratâ, cuncta ensium, & telorum indigitavit signa, exclamans : Si frivola mea, apud vos Judices, nil efficere valeat Oratio, si inania mea aures internæ mentis non penetrent verba, ad minùs *moveant vos illæ cicatrices, quas ipse pro Romani Imperii salute ab hoste recepit.* Quibus visis, ipsi severo judicio deterriti, condemnatum indemnem dimisere.

Pilatus hujus volens inhærere vestigiis, populo excandescenti, indelebili odio præoccupato, innocentem Jesum exponit, exclamat, ô rabidi Judæi! causam illius, quem vos dijudicâstis, vociferantes : *Reus est mortis* : justè peregi, atque coram omnibus protestatus sum : *Ego nullam mortis in eo invenio causam* : attamen altâ voce

clamâstis *crucifigatur.* Ah! si meæ fundamenta-
les, quas adduxi rationes, dicens: *Quid enim ma-*
lifecit, (ad quod nunquam respondere potuistis,
nisi tumultuanter vociferantes: *Nisi esset hic ma-*
lefactor, non tibi tradidissemus eum) ad commise-
rationem vos commoveant, si inutilia extiterint
cuncta mea argumenta: quæso in eum modò o-
culos conjicite, non mysticos sed veros: & aspi-
cite, quàm crudeliter sit tractatus. Ecce caput i-
psius acutissimis compunctum est spinis, facies e-
jus sputis conspurcata, genæ alaparum impetu tu-
midæ, manus sunt ligatæ, oculi nimio sanguine, è
capite profluente obfuscati, & ut ipsimet cernitis,
ejus corpus à planta pedis usque ad verticem dis-
cerptum est flagellis. Nonne plusquàm rationa-
le est, ut nunc eum emendatum dimittam?

Si Marci Antonii apud Romanos pro reo tanti
valuerit demonstratio: quis non obstupescet ad lu-
gubrem hanc scenam saxea & indurata Judæo-
rum non emolliri, nec ad minimam pietatem com-
moveri corda, & audientes quidem pro innocen-
te ipsummet perorantem Judicem, rabidos hos
canes ab injustitia non deterreri: Pilate modò ex-
petiris te in vanum Redemptorem & Salvatorem
tot diris flagris percussisse; quoniam, quamvis
hoc spectaculo irrationabilia commota sint ani-
malia, immò & inanimatæ creaturæ: attamen Deo
nec in minimo quidem rationabilia barbarorum
Judæorum ad compassionem excitata sunt visce-
ra. Pilate, ignorabas forsitan sylvestris tauri pro-
prietates. Inter cæteras juxtà Plinium, hæc ei à
natura indita est, quod ipse sanguinis intuitu ad
majorem furorem incendatur ac inflammetur.
Ecce hi Hæbræi, feroces & indomiti tauri sunt, de
quibus conqueritur Christus per Prophetam Jere-
miam: *Tauri pingues obsiderunt me.* Quid mirum,
si cruoris illius aspectu rabies ipsorũ magis magis-
que concitetur, clamentque altiùs: *crucifige, cru-*
cifige eum.

O incomprehensibilis sævitia! ô impiissimi
Judæi! feritas vestra tanta est, ut vix quispiam
sciat, cui indomito animali vos comparandi sitis.
Jeremia, dic nobis: quid tu de hac barbarie sentis?
Quodnam fers judicium? Respondet, *Sed & La-*
Ioan. c. 3. *mia nudaverunt mammã, lactaverunt catulos suos.*
v. 3. *Filia populi mei crudelis, quasi struthio.* At quid
ais Propheta? Estne struthio animal tam ferox,
tam furiosum, ut ista assimilatio populi hujus cru-
delitatem justè exprimere possit? Heu! heu! ut
video, nec ipse Propheta adæquatam comparatio-
nem adinvenire valet. Struthio fateor, hoc à natu-
ra sortitur attributum, quod parvulos suos iner-
mes & impotentes aliis feris prædam relinquat,
sed nullam molestiam iis infligit, verùm hic rabi-
dus populus eò progreditur sævitiæ, ut suâ vene-
nosâ linguâ innocentem Agnum dilaceret. Leo a-
nimal tam furiosum, quamtumque famelicus e-
xistat, si inimicum suum, quem insequitur in ter-
ram intueatur prostratum, subsistit, mansuescit, &
omnem furorem compescit. Unde cantat quidam
Poëta: *Pugna suum finem, cum jacet hostis habet*:
sed insana Judaica plebs omnem omnium anima-
lium feritatem longè superat; quia nec sanguine
satiatur, nec Christi in terram dilapsu mitiga-
tur, nec tot millenis vulneribus ira ejus seda-
tur.

Pilatus summoperè demirans obstinatum pra-
vi populi animum, totus attonitus, quod ipse (ubi
exspectârat accensam horum furentium canum
tam mœsto aspectu exstinctam iri rabiem: certò
confidens, cunctos cernentes Jesum adeò miserè
tractatum, clamaturos: sufficit, nostro abundè sa-
tisfactum est furori, *dimitte eum*) majores & a-
cerbiores perciperet clamores, *Crucifige, crucifige*
eum, Generosum rursùs pro innocentia tuenda
resumit animum: & crudeli eorum nolens ac-
quiescere petitioni, clamat: O insatiabilis natio!
Possidetisne corda adamante duriora? ille hirci
sanguine emollescit, & vos agnelli hujus cruore
magisque magisque obdurescitis? Properate, per-
pendite cruenta ejus vulnera, *Ecce Homo.* Vix præ
nimia sanguinis effusione & debilitate, pedibus
suis consistere potest. Aspicite, quàm sævè om-
nia corporis ipsius membra sint dilacerata. Si sibi
regium arrogaverit titulum, videte quanti illi con-
stiterit, *Si regi invidetis*, ait Augustin. *O Iudæi! jam* August.
parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinis co- Tract. sup.
ronatus ludibriosâ veste amictus est, malis cõvitiis il- Ioan.
lusus, alapis cæsus, fervet ignominiâ, frigescit invidiâ.
Sed non frigescit, ardescit potiùs & crescit. Et sic o-
mnia in vanum. Nil enim aliud auditur, quàm cru-
cifigatur. Pilate, tu miraris tantam Judæorum im-
manitatem, sed tu cunctos in sævitia antecellis.
Quoniam tam hostiliter eum tractari jussisti, ut
ipsemet per Prophetam Job conqueratur: *Pelli* Iob. c. 19.
meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Et cla- v. 20.
met Jeremias: *Intuitus sum & non est homo?* Hæ- Ierem. c.
bræi itaque in Christo nullam hominis conspicie- 4. v. 25.
bant imaginem, aut similitudinem, ac proindè ad
commiserationem non flectebantur.

O Anima Christiana! efficaciter intuere luctuosam hanc scenam: contemplare istum Christum flagellatum, *Ecce homo:* Respice in faciem Christi tui. *Egredere* inquit Bernardus, *de domo patris, ad domum luctus, de mundi hujus deliciis, & vide Regem Salomonem.* Attende, si iste sit ille homo, de quo dicit Psalmista: *Speciosus forma præ filiis hominum.* (Psal.44. v. 3.) Contemplare eum hominem, qui non propter propria, sed tua, humanam effigiem deperdidit delicta: *Propter te,* inquit ipse *sustinui opprobrium.* Suprà quem locum sese reflectens Augustinus, ait: *Nihil magnum est, quod dicitur opprobrium, sed quod dicitur, propter te sustinui: hoc valde magnum est: Si enim sustines, quia peccasti, propter te sustines. Ille omninò nihil rapuit & propter te opprobrium sustinet.*

O barbaræ tygrides! O furiosi leones! oculos vestros conjicite in sanguinolentum Jesum & ruminate, an non superabundanter fatali vestro satisfactum sit odio? Ah impudens plebs, tepescat furor, sedetur rabies, & ita flaccescat tam insolito aspectu. Sed heu! quid audio, fervescit furor, rabies (Marc.c.15 v.14.) augmentatur, & ita instauratur. *Illi magis clamabant, crucifige eum.* O sitibundi canes! copiosum innocentis agnelli sanguinem lambistis: unicam divini hujus potus degustâstis suavitatē: & idcircò sitis vestra vehementiùs est accensa, quæ vos (Matth.c. 27.v.25.) vociferari compellit: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Modò regii Prophetæ adimpletur vaticinium: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* (Psal.139. vers. 4.) Psalm. 139. Verè namque, O perfidi! linguas vestras acuistis dum clamâstis: *Crucifigatur, crucifigatur.* Ast quare adeò pertinaciter linguam in innocentem Jesum instigatis? Respondet Psalmista: *Ut sagittent in occultis immaculatum.* Sed rursùs petere cogor, quid vos con(Sap. c. 2. v. 15.)tra Christum adeò incitavit? Sapiens respondet; *gravis est nobis ad videndum.* Et istius rationem annectit: *quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Nunc veritatem præter consuetudinem vestram pronuntiatis Judæ. Vos estis injusti, ipse justus, vos nocentes & ipse innocens, vos crudeles & ipse mitis.

Ah Christiani! nonne sanguineis lachrymis deplorandum est, iniquitatem hanc non solummodò in obcœcato isto reperiri populo: verùm etiam in illuminato Christiano. Nonne quotidianâ addiscimus experientiâ justitiam pessumdari, & à peccatoribus conculcari! Si namque quispiam civitatis, aut reipublicæ servitio sit applicandus, magis investigatur, an politicus sit, quàm an rigorosus sine personarum exceptione justitiæ administrator. Quoniam totus justus à tali munere arcetur, ne aliorum injustitia evidenter appareat. O mansuete Domine! tu insulsos furentis plebis arribus percipis clamores: *Reus est mortis, crucifige eum.* Et tamen ad hos, ne unicum quidem respondes verbum. *Aures tuæ,* inquit venerabilis Beda, *quæ audiunt angelicos cantus, diabolicos audiunt peccatorum insultus.* In cœlesti regno angeli cantant, *Sanctus, sanctus:* in terra clamat ingrata natio Judaica, *crucifige eum.* Audis pie Jesu inaudita improperia, nec tua tamen percipitur excusans lingua. Ah Christe! hic cum Beda immensum tuum ergà genus humanum annoto amorem, *propter te homo silet Iesus,* nimirùm, ne crimen per responsionem diluens, à Præside dimitteretur, *& ita Crucis utilitas, & nostra redemptio differreretur.* Ad hoc properate spectaculum Christiani, & patientiæ addiscite virtutem. Clamate lachrymevolâ voce! O Christe gratiæ tuæ lumine depelle tenebras mentis nostræ, emolli saxeum nostrum cor malleo divinæ tuæ inspirationis, & animum jaculo tristis hujus tragœdiæ intuitus transfige.

Pilate ad Judæos clamâsti: *Ecce homo.* Ast frustrà, ô æterne Pater! videor audire è cœlis resonantem echonem: *Ecce Homo,* qui ut deperditam per peccatum imaginis Dei restitueret similitudinem hominis, perdidit figuram: *Ecce homo, qui natus & datus est vobis.* ut nullus (quantumcumque secunndùm animam imbecillis existat) dicat cum paralytico *hominem non habeo. Ecce Homo,* qui non virtute piscinæ probaticæ, sed balneo pretiosi sanguinis sui, cunctas animæ depellit infirmitates. *Ecce Homo,* de quo loquitur David: *Frater* (Psal. 48. v.8.) *non redimit,* id est, nec Moyses, nec lex naturæ, nec circumcisio, sed *redimet homo.* Iste tam dignus est titulo, *homo,* ut Jeremias veraciter dicere queat (Ierem. c. 4. v,3.) cum Diogene in foro hominibus pleno existente, *hominem quæro, intuitus sum, & non erat homo.* Quoniam postquam Verbum humanam assumpsit naturam, hominem habes, qui nec similem visus est, nec habere sequentem. *Ecce homo.* Ecce perfecta omnium virtutum effigies. Imitare itaque superbe hujus hominis humilitatem: sequere vindicative illius mansuetudinem, cole pecuniarum cupide paupertatem, & simul liberalitatem, quâ ipse in animæ tuæ refrigerium usque ad ultimam sanguinis sui guttam effudit. Ambitiose Dei tui rumina exinanitionem. Proterve juvenis,

carna-

carnalibus immersæ desideriis & cupiditatibus mundanis, luxuriosos mentis occlude oculos, & inspice hunc hominem, hoc speculum intuere & cogita, quàm gravis sit animæ casus, qui tot tormentis debuit reparari. *Magna res est anima,* inquit Bernardus, *quæ Christi sanguine redempta est. Gravis animæ casus, qui non potuit nisi cruce Christi reparari.*

Bernard. epist. 54.

O Pater misericordiarum & Deus totius consolationis! permitte obsecro, ut liceat mihi ad cœlum echonem transmittere. O regni cœlestis rector! *Ecce homo* secundum cor tuum, in quo tibi summoperè complacuisti. In quo latent omnes scientiæ & bonitatis thesauri. A longo tempore hominem quæsivisti, qui nomen tuum justi, *Deus justus, & hoc nomen, quo vocabatur,* in nomen Emanuelis, id est, misericordiæ commutaret: qui furori tuo obsisteret, qui acutum justitiæ vindicativum gladium à misero peccatore averteret. Sed eheu! *intuitus es, & non erat homo,* in lege naturæ reperti sunt quamplurimi sancti homines, v. g. Seth, Noe &c. in lege circumcisionis Abraham, Isaac & Jacob, &c. in lege scripta Moyses, Aaron, &c nihilominus culpæ Adami ex toto rigore justitiæ debitum persolvere nequierunt. Mors & Infernus triumphabant. Modò *Ecce homo,* qui spiritu infernali in mortem eripuit dominium & infernum suâ privavit prædâ. *Per Christi mortem,* inquit Bern, *Mortis amisit imperium. Ecce homo,* qui ex vi atque efficacia effusi cruoris sui pro impiis suis expostulat misericordiam & pietatem.

Pater æterne, hæc horrenda vulnera, hic benedictus sanguis aliam vocem edit, quàm Abelis, urget te, ut pallium exuas vindictæ, & habitum induas gratiæ: petit pro iis vitam, qui sceleribus suis æternam promeriti sunt mortem. Abjice igitur Pater misericordiarum arma justitiæ, absconde evaginatum iræ gladium. Si purus homo peccavit, Deus homo satisfecit. *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia,* videlicet satisfactionis. Reminiscere Domine, dùm impiæ civitati Ninive ultimum comminatus per Prophetam Jonam fueras interitum, Rex regiam abjiciens purpuram, regaliaque deponens ornamenta, corpus suum sacco circumdedit, & tu ad pietatem tantâ exinanitione, tam humili spectaculo non es commotus? *Ecce homo,* respice unigenitum tuum filium, Regem Regum, undiq; cruentatum. Vestis corporis ipsius penitùs est dilacerata, caro flagris extracta est, ferreis ungulis omninò dilaniatus est Jesus: & ad hoc spectaculum ad commiserationem non commoveberis pater? Non, non Pater. Aperi misericordiæ ubera, & diffunde tam liberaliter gratiæ tuæ dona, sicut pius sanguinem suum ultrò pro generis humani redemptione effudit filius.

Ad Rom. c. 5. v. 20.

Ad te, ô peccator! nunc remitto resonantem vocem & echonem *Ecce homo.* Considera eum hominem, qui pro te sese tot tantisque subjecit tormentis, pro quibus nil in recompensationem exigit, nisi cor tuum. *Fili præbe cor tuum mihi.* Sed prôh nefas! tanta tua est ingratitudo, ut illud diabolo devoveas. Ad cor tuum pulsat Christus, & tu pertinaciter illud obseratum servas, atque temerariè voluptatibus tuis & illicitis appetitibus aperis? Ipse clamat, ut cor tuum ab omni mundi vanitate abstrahas, & tu illud carnalibus deliciis promptissimè dedicas? Non attendis ad nummū, quo empta est anima, nimirùm pretiosum Christi sanguinem? ô detestanda dementia! O inaudita ingratitudo! O impudens peccator! audi Spiritus S. per Jeremiam comminationem: *Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te.* O insensati Christiani, mentis oculos aperite, tempus est à peccatis vestris desistendi. *Ecce homo,* confugite ad benedicti Christi vulnera: *Veni in foraminibus petræ.* Id est, inquit Bernard. abscondere in vulneribus Christi. Considerate, quod vestra superbia pungentissimis spinis tenerum illius terebrârit caput: iniquam linguam tot opprobriorum & contumeliarum, scitote fore fontem & originem: homicidia vestra & furta in fortia ipsi deservièrunt vincula. Et ut paucis finiam, tu impie peccator, densis peccatorū tuorum tenebris splendentem solem Christum obfuscasti, tu divinam ejus faciem sputis conspurcâsti, colaphis afflixisti, corpus Domini flagellâsti: scelera tua sunt homo, quæ tenellum hunc agnum ferè dilacerârunt. Testis est Isaias: *Attritus est propter scelera nostra.* Et adhuc contumax homo adeò inconsideratè & temerariè sese dabit iniquitati? Cogita Christiane & te de novo peccatis tuis cuncta Christi renovare vulnera, & te sanguinis ejus in extremo judicio exactam redditurum fore rationem.

Prov. c. 23. v. 26.
Ierem. c. 10. v. 25.
Cant. c. 2. v. 14.
Isai. c. 53. v. 5.

Patriarcha Jacob, visâ chari filii sui Joseph sanguine hædi tinctâ tunicâ, tàm inopinatè afflictus est, ut sua dilacerans vestimenta, sese in terram prostraverit, eumque luxerit multo tempore? O Christiane, en Pilatus aspectui tuo exponit funestum hoc spectaculum, *Ecce homo,* Vides pretiosam illam veri Joseph Christi tunicam humanitatis in frusta discerptam: & nondum oculi tui uberem lachrymarum distillant fontē? Dum Julius Cæ-

Gen. cap. 37. v. 34.

Cæſar (ut author eſt Plutarchus) nefariè & proditoriè in ſenatu erat interemptus, Marcus Antonius in roſtro ſanguinolentam illius publicè populo oſtendit veſtem, ſicque eum ad vindictam in perfidos homicidas ſumendam concitavit, ut teſtatur Quintilianus. *Populum Romanum egit in furorem, prætextâ Caii Cæſaris prolatâ in foro cruentâ.* Hâcque inſpectâ, arma cuncti arripuêre, & Brutum & Caſſium cum aſſeclis ſicariis è civitate Romana expulêre. Quod olim fecit Marcus Antonius, idem ego modò facio & expono oculis veſtris, non cruore madidam Julii Cæſaris tunicam, ſed ſacroſanctam Chriſti Domini cruentatam & dilaceratam humanitatem. *Ecce homo* Ejà itaque aſſumite arma, & vindictam in perfidum illum proditorem, qui Jeſum tam crudeliter tyrannizavit, præparate. At quis ille perfidus tyrannus! Ah peccatum! in hoc ergò omni conatu & viribus inſurgendum eſt. Quare accipite gladium acutum veræ contritionis, aſſumite ignem inflammatæ charitatis, fugite crudelem iſtum animæ veſtræ tyrannum.

O ſanguinolente Jeſu! tibi ex intimis cordium pollicemur penetralibus, quod ex nunc obſtinatum contra impium hunc homicidam, geremus bellũ: tu tantùm imbecilles animi noſtri adauge vires: accende ferale in corde noſtro charitate tuâ contra tyrannum peccatum odium, & radica in anima noſtra intenſum ergà virtutem affectum? effice, ut te ſequamur, non ex timore pœnæ, ſed ex amore juſtitiæ. Dona gratiam, ut oculi noſtri abundantes profundant lachrymas, intereà temporis, quo me ad alia paſſionis tuæ conſideranda accingo myſteria.

§. XVII.

Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Matth. cap. 27.

Rabidi Judæi oculis ſuis non ſufferentes radiantem Chriſti Solem, & totius mundi Salvatorem Chriſtum, omni uſi ſunt methodo ac ſtratagemate, ut tandem aliquando furioſam ſuam ſitim ultimâ cruoris ſui guttulâ ſatiarent. Quapropter animadvertentes, Pilatum nullo modo ad mortis inclinari ſententiam, innocentiam fatali intereſſe mundani telo transfixerunt, ſummo cum tumultu vociferantes: *Si hunc dimittis: non es amicus Cæſaris.* Fortiſſimo hoc ariete jam concuſſa temere incipit juſtitiæ columna. Præſes Pilatus attonitus hæret, cernens nimium obſtinatum rugientium horum leonum animum; proindè pro æquitate ultima vice clamat: *Quid mali fecit?* O inſatiabiles canes! intuemini afflictum hunc innocentem, in quo à planta pedis uſque ad verticem nulla eſt ſanitas: nonne confiteri hoc aperto ore cogimini? Ecce caro illius quaſi in mortario piſtillo contrita eſt, & nondum veſtra rabies emollita, & furibunda ſitis totaliter extincta eſt.

Pilatus Chriſtum dimittendi nihil ſupereſſe videns ſpei, & audiens majores ingruere clamores: *Crucifige, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*: (Ioan. c. 19. v. 12.) peritus quoque publicam inſanæ plebis ſeditionem, & Cæſareæ amicitiæ deperditionem, *adjudicavit fieri petitionem eorum.* (Luc. c. 23. v. 24.) O maledictum intereſſe, quod authori vitæ vitam eripuit! Idcircò, ait Gregor. *in mortem Chriſti conſentit, quia oblationum lucra amiſsâ Cæſaris gratiâ, amittere formidabat.* O inique Judex! an forſitan ignoras per Salomonem ſcriptum eſſe: *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt apud Deum?* (Prov. c. 17. v. 15.) Non reminiſceris, te formidandas contra perverſum Judicem in Iſaia legiſſe ruinas: *Væ vobis, qui dicitis bonum malum, & malum bonum?* (Iſai c. 5. v. 20.) Veridicum de Jeſu innocentia dediſti teſtimonium: *Non invenio cauſam in eo.* Et modò eum cruci tamquam maleficum affigi mandas? tu juſtificas, & indemnẽ dimittis nocentem latronẽ, & morti adjudicas innocentem Jeſum? Ah Pilate! *uterque abominabilis eſt apud Deum.* An memoriæ tuæ excidit *Lex nemo*, quæ habet, *nemo poteſt ſententiam ſuam mutare in alteram?*

Pilate aquâ manus tuas lavas: verùm hoc elementum, hic liquor tuam neutiquam diluere poteſt immunditiam & ſpurcitiam & animæ tuæ emundare maculã. Non ſufficit, te clamare hominem iſtum fore innocentem, & te pallio veſtire innocentiæ: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* (Matth. c. 27. v. 24.) Sed eum omninò indemnẽ dimittere debueras. Quare ait Auguſtinus, O inſignis innocentiæ protector Pilate! deſiſte à tua propalanda innocentia: quoniam veriſſimus es Chriſti Domini traditor, & perfidiſſimus homicida: (Greg. in Moral. Bern. ſer. de Epiph.) *Gravius peccatum eſt unum eundemq; pronuntiare juſtum, & tradere criminoſum: ipſe enim iniquitatis tuæ eſt teſtis, qui ore abſolvit, & corde condemnat. Laverit licet manus ſuas Pilatus, tamen ſua facta non diluit, & quaſi abſtergere ſe putaverit juſti ſanguinem, tamen ſanguine mens manet infecta. Ipſe enim occidit Chriſtum, qui eum tradidit occidendum.* Neminẽ tam hebetis ingenii, tã parvi judicii, qui Au-

guſti-

gustino hac in sententia non assentiatur. Verùm nullus elegantiùs, atque urgentiùs, quâm S. Leo serm. 8. de Pass. dicens: *Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impiâ mente committitur. Excessit quidem peccati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, & invidiosis vocibus increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt. Sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditiosis reliquit judicium proprium, & in crimen transivit illorum.* Sed proh dolor! quot in scelerato hoc ævo reperiuntur Pilati? Ah! veraciter possum dicere cum Propheta Davide: *Mendaces filii hominum in stateris.* Quod inveniuntur injusti, & falsi Judices, qui lucro, nummo, & auro (quod mundo prædominatur, ut late demonstravi suprà in Concione de Dominica prima Quadragesimæ) inescati, & personarum intuitu devicti, viduas supprimunt, & pupillis iniquam per fas, & nefas administrant sententiam? O insulsi, & dementes! dum Christi attendentes innocentiam, Pilati detestamini injustitiam, clamate: O pie Domine: *Pilatum accusamus, & idem quotidiè facimus.*

Impius hic Judex lotis manibus, sedit pro tribunali, & fatalem in Christum propalati coràm plebe mandat sententiam. Ad crudelem ignominiosæ crucis pius Jesus condemnatur mortem, eô quòd contra directam Cæsaris authoritatem sibi regium regni judaici arrogâsset titulum, & potestatem, atque populum falsâ doctrinâ à legibus paternis seduxisset. O benigne Jesu! dum adeò injustum contrà te percipis judicium, adhuc siles! An nescis, quòd lex habeat: *qui tacet, consentire videtur?* Ah Christe: modò immensum tuum ergà genus humanum intimiùs contemplor amorem. Crimen namque diluere renuis, ne calicem ebibere desinas acerbæ Passionis. Triumphat itaque & hic summoperè de Deo amor. Sed quid nos isti ferventi in recompensationem tribuemus charitati? Ah! sequamur tres magnos SS.PP. Gregorium, Bernardum, & Eusebium. Iste ait: *tantò ab hominibus honorandus, quantò pro hominibus indigniora suscepit.* Ille, *quantò minorem se exhibuit in humilitate, tantò majorem se ostendit in charitate. Et quantò pro me vilior, tantò mihi charior.* Hic verò: *ferina immanitas Deum æstimare minorem, quia majora contulit, ut ideò à te minùs accipiat honoris, quia plus antè contulit dignitatis.*

Greg. in Moral.
Bern. ser. de Epiph.

Ah afflicta, & lachrymosa mater! ubi obsecro latitas? Ad quem angulum domus confugisti? Eheu! intuere tu semel, dilacerum hunc hominem *Ecce homo.* Nullus est, qui curiosis oculis luctuosam hanc non desideret aspicere tragœdiam, & tu ubi manes? En Pilatus cum cunctis flagellatum cernendum exponit, & nemo ejus commiseretur. De quo multum lamentatur per regium Prophetam Davidem: *qui videbant me, foràs fugerunt à me, oblivioni datus sum, tamquam mortuus à corde.* Unusquisque tàm lugubri deterretur spectaculo. Fierinè potest ut tu tanta, & talis mater dilectum tuum in tanta anxietate deseras filium? Ah Maria! te confundit constans Resphæ in suos filios amor, quem sacra 2. Reg. cap. 21 commemorat historia. Rex David cernens Gabaonitas, ob commissum Saulis prædecessoris sui in eos infame scelus, iratos, neutiquam posse mitigati, nisi septem de domo Saulis, & de semine illius cruci affigerentur: respondentes ad omnes regias legationes, & oblationes, *non est nobis super auro, & argento quæstio sed contrà Saul, & domum ejus.* Tandem furori eorum volens satisfacere, inter cæteros duos Resphæ filios, quos ipsa Sauli pepererat, Armoni, & Miphiboseth tradidit crucifigendos. Quo tristi nuntio percepto, amans hæc mater, ut toti mundo intensissimum suum erga filios condemnatos testaretur amorem, illicò assurrexit, eosque ad lugubrem catastrophem, & funestum mœstæ tragœdiæ comitata est exitum. In quo itinere non ordinaria, verùm numquàm audita mœstitiæ edidit signa, & insolita pietatis usque ad vitæ terminum obsequiosa præstitit officia. Immò nec mortuos deseruit teste Scripturâ: *tollens ergò Respha filia Aia cilicium, substravit sibi super petram: corpora suspensa contrà mordaces aves defendens, & non dimisit lacerare per diem: nec bestias per noctem.*

Psal. 30. vers. 13.
2. Reg. c. 21. v. 3.
Vers. 10.

O dilecta Mater Maria: ubi hæres? Quo terrarum confugisti? Ecce charus tuus unigenitus filius ab iniquo Judice Pilato cruci addictus est, & nefariæ plebi traditus. *Iesum flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur,* & torpes? An amor tuus in ardore ergà Christum amori Resphæ in filios suos cedere debet? hoc blasphemium esset asserere: Quare itaque summa cum promptitudine ad tàm triste non accurris spectaculum? Quid obest, quò minus afflicto Christo cuncta pia matris præstes charitatis munia? An tu forsitan inter eos computanda es, de quibus conqueritur dominus; *foràs fugerunt à me, oblivioni datus sum?* Scio Maria te strenuum pro tua innocentia habere advocatum dilectum, & devotum famulum Bernardum, qui intrepidè & indubitanter sustinet, te Christo corde &

de, & corpore fuiſſe præſentem, & lugubrem illam tragœdiam profuſis lachrymis deploràſſe. Attamen aliquis de hac veritate poſſet dubitare, innixus illis Prophetæ Davidis verbis in Chriſti perſona

Pſal. 191. verſ. 5. dicentis: *conſiderabam & videbam & non erat, qui cognoſceret me.* Quomodo hoc ſtare poteſt eam adfuiſſe, & filium non cognoviſſe?

Rogemus Mariam, an Chriſtum non cognoſcat? Sed quid miri eſſet, ſi mater talem (quamvis proprius filius ſit) hominem non agnoſceret, qui nullam præ ſe hominis refert figuram?

Ierem. c. 20. v. 25. *Conſumpſerunt illum, & decus illius diſſipaverunt.* inquit Jeremias, ipſum tam crudeliter flagris cæciderunt, ut ei non ſit ſpecies, neque decor. O mœſta mater! contemplare hunc afflictum à capite uſque ad calcem: perſcrutare cuncta corporis membra, & vide, ſi ex nullo membro ipſius expiſcari poſſis notitiam. Quale eſt filii tui caput Maria?

Cant. c. 5. verſ. 11. *Caput ejus aurum optimum. Et coma capitis, ſicut purpura regis.* Caput autem hujus fuſtibus eſt contuſum, coronâ ſpineâ perfoſſum; capilli ejus non purpureo, ſed ſanguineo colore tincti ſunt. Unde de eo recté ait

Thren. c. 1. v. 5. Jeremias: *Sunt hoſtes ejus in capite.* Non eſt meus. Qualia ſunt labia filii tui:

Cant. c. 7. verſ. 1. *Sicut vitta coccinea.* Labia ejus favum mellis diſtillant, & iſtius labia atro colore obducta ſunt, nil, niſi ſanguineam ſalivam diſtillantia, juxta illud Iſaiæ vaticinium:

Iſai. c. 30. verſ. 17. *labia ejus impleta ſunt indignatione.* Non eſt meus.

Cant. c. 4. v. 3. Quales ſunt Oculi? *Oculi columbarum.* Oculi grati, & amabiles, aſt oculi hujus hominis lividi ſunt, ſqualidi, & fœdâ Judæorum ſalivâ turpiter deſignati. Hinc ipſe per Iſaiam ait:

Iſai. c. 38. verſ. 14. *oculi mei attenuati ſunt.* Et per Jeremiam.

Thren. c. 1. v. 49. *Oculus meus afflictus eſt.* Non eſt meus. Quales ſunt genæ?

Cant. c. 1. verſ. 15. *Pulchræ ſunt genæ*, & corallinæ. Verùm hujus genæ ex vehementi armatæ militis manus alapâ atræ ſunt, luto, ſputis, aliiſque ſordibus conſpurcatæ. Non eſt meus. Ah! reſpice faciem ipſius Maria, indubiè ex ea tuum dignoſces filium.

Ibidem. Qualis eſt ejus facies? *Pulcher eſt dilectus meus, & decorus. Filius meus ſpecioſus præ filiis hominum.* Huic autem non eſt hominis ſimilitudo. Unde, clamat per Prophetam Davidem:

Pſal. 144. verſ. 3. *ego ſum vermis & non homo, & abjectio plebis.* In ſumma, quò plus eum intueor, eò plus vociferari cogor, non eſt meus. O pia Domina, ne deſiſtas ulteriùs eum contemplari: vide ſi tunica filii tui ſit.

Pſal. 21. verſ. 7. *Illa eſt inconſutilis deſuper contexta per totum.* Ah! adinſtar Regis Iſrael, cum Joſaphat ad bellum progreſſuri, mutavit habitum, aliumque accêpit, nimirùm habitum peccatorum noſtrorum.

Iſai. c. 53. verſ. 12. *Ipſe peccata multorum tulit.* Idque atteſtatus eſt Zacharias:

Zach. c. 3. v. 3. *Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis*; criminum videlicet mundi: itaque non eſt meus.

1. Petri c. 2. v. 22. *Ipſe enim peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus.*

Ergò nullum veſtigium apparet, è quo Maria ſuum agnoſcere queat filium? Unicum dumtaxat à plagis intactum in toto Chriſti corpore reſtabat membrum, ſcilicet lingua. Verùm ob continuam ejus taciturnitatem nec ipſa ullum notitiæ ſubminiſtravit ſignum, niſi, dum ad mulieres flentes dixit:

Luc. c. 23. verſ. 28. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* tùm Maria, tamquam è gravi ſomno evigilans, in hanc cum Patriarcha Jacob prorupit lamentationem.

Gen. c. 27. verſ. 25. Vox quidem, vox Jacob eſt, manus autem ſunt Eſau. O dilectiſſime fili! O clariſſima ſoboles! ſæva hæc flagella, quæ pertuliſti, pungentes ſpinæ, quibus fuiſti coronatus, crux, quam aſcendiſti, te ſceleratum & impium Eſau peccatorem teſtantur, ſed divina tua vox te inſontem Jacob declarat. Nunc, nunc te agnoſco. ô fili! modò confiteor, tu es meus.

Conſiderate, O piæ animæ! quis tùm dolor, quæ triſtitia, quæ ſuſpiria, quæque gravia tormenta tenerum Mariæ animum non lancinârint? Ipſamet ea manifeſtavit Brigittæ. *Tunc rupta ſunt omnia viſcera mea præ compaſſione filii mei.* ſanctus Auguſtinus ait: *omnes affectiones animæ cauſantur ab amore.* E qua doctrina hoc conficiamus argumentum: quantò major eſt amor ergà objectum amatum, tantò gravior eſt dolor de amato afflicto, cùm itaque infinitus Mariæ ergà Chriſtum exſtiterit amor, per legitimam conſequentiam ſequitur: ergò dolor ejus fuit infinitus. Inſuper amor ipſius, ſicuti per totam vitam duravit, ita ejus dolor uſque ad mortem perſeveravit. Ideoque de ſe ipſa teſtatur:

Pſal. 30. v. 16. *deficit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Dolorem itaque ſedulo contemplare Chriſtiane, & cum Maria, ſæva Chriſti amarè plangite vulnera, quæ propter te per totum corpus accêpit, ut teſtatur Anſelmus: *in omnibus membris paſſus eſt, ut omnium membrorum peccata deleret.*

§. XVIII.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha: quod eſt Calvariæ locus. Matth. cap. 27.

CRucifigendus benignus ducitur Dominus, & ad ultimum luctuoſæ paſſionis ſuæ tragœdiæ, à multo

à multo tempore adoptatum, montis Calvariæ properat tribunal pius Jesus, consortio quidem latronum diffamandus, sed cruce, & cruci superscripto titulo Rex declarandus. *Tunc Christus,* inquit Augustinus, *super humerum regnum habuit, quando crucem suam admirabili humilitate portavit.* Cui accinit Theophilactus: *principatus Domini, & regnum ipsius est crux super humerum ejus.* Apparet mihi, quod signa conspiciam solemnis triumphi: quod audiam insonantes tubas, clangentia tympana, quibus tota Hebraica plebs iniqua super sententia, à perfido Pilato contra Christum prolata, ad summam excitatur lætitiam. Parata sunt omnia obsequia, ut absque mora illa mandetur executioni, quoniam cuilibet pruriunt manus, ut tandem tam diu conceptum consummatur odium, & finis admirabilis hujus cernatur catastrophes. Quapropter summa cum violentia mitem arripiunt agnum, & debiles Christi humeros ponderosâ crucis trabe onerant.

Aug. serm. 71. de Temp. in cap. 25. Lucæ.

O crudeles Tyranni! quis unquam vidit condemnato instrumentum necis tradi? O piissime Domine! quare grave hoc onus tibi imponi desiderasti? Ad hoc quæsitum respondet Cyprianus: moris erat antiquitus, ut triumphans victor illa arma præ se ferret, quibus inimicum prostraverat: pariformiter Christus crucem, quâ in cruento Calvariæ campo diabolum erat devicturus, tamquàm triumphi sui tulit trophæum. *Quemadmodum victores, ita Christus victoriæ signum humeris tulit.* B. Simon à Cassia aliam adducit rationem, non minùs piam, quàm curiosam. Reminiscebatur pius Dominus, diabolum hominem ligno prostravisse, ideò ipse lignum assumit, ut eum in pedes erigat, eumque pristinæ valetudini restituat. Audite divina ipsius verba: *Quare defers Domine hanc lignorum sarcinam?* Et in persona ejus respondet: *Porto lignum, ut vincam in ligno invisibilem hostem, qui vicit in ligno: porto lignum, ut præter humanas artes ex ipso faciam gradus ascensionis in cœlum.* Unde ait Isaias: *factum est principium super humerum ejus.*

Isai. c 9. vers. 6.

Gen cap. 22. refertur à Spiritu S. quod Patriarcha Abraham secundùm divinum præceptum volens unigenitum filium suum Isaac in monte, sibi à Deo demonstrato, immolare (quem quamplurimi autumant fuisse montem Calvariæ) ligna ad holocaustum hoc necessaria illius humeris imposuerit. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse verò portabat manibus ignem, & gladium,* non obstante, quod puerorum suorum ei nullatenus deesset servitium. O absconditum mysterium! O stupenda futuræ Christi immolationis figura! annota hîc quasi penicillo delineatum sanguinolentum, & pretiosum holocaustum, quod hodie in funesto Calvariæ monte oblatum est. Intuere mentis oculis verum Isaac unigenitum æterni Patris filium: contemplare, quantâ patientiâ, quantâ pœnâ tàm graviter onustus ad destinatum procedat supplicium.

Gen. c. 22. v. 6.

Ah pie Jesu! jure meritò de tàm insolita Judæorum conqueri potes barbarie, justeque exclamare: *Popule meus, quid feci tibi?* Ego vos è dura Pharaonis in brachio forti liberavi servitute, & me tamquàm vile tractatis mancipium? Ego vos famelicos pavi, & sitibundis potum è rupibus elicui quadraginta annorum spatio in deserto, & in recompensationem, & mercedem tanti beneficii me opprobriis satiatis, & myrrharum vinum præsentatis? Imò vos mecum tàm sævè, & crudeliter geritis, ut in hæc prorumpere cogar verba: *repleta est malis anima mea.* Ego eripui vos de Ægypto discedentes persequentis Pharaonis manibus, & me gentilium furori traditis? *popule meus:* ego sicco pede vos transire feci Jordanem, ut ab inimicis insignem reportaretis victoriam, & me ad crucifigendum ducitis? Ego divinâ meâ manu acriter flagellavi hostes vestros Jebusæos, Chananæus, aliosque inimicos, & me diris flagris percutitis? Ego sponsavi vos mihi in populum electum: in superaffluentia cælestes gratias, divina dona elargitus sum, & exaltavi suprà cunctas gentes? & vos me in montem elevatis Calvariæ, & infami crucis ligno affigitis.

Psal. 78. vers. 4.

Benignissime Domine, dum tàm enormem contemplor Hebræorum ingratitudinem, fateor te summo cum fundamento posse lamentari & dicere: *hæreditas mea quasi leo in silva dedit contrà me vocem.* Joseph tibi in hæreditatem reliquit cuncta passionis tuæ, tamquam faber lignarius, instrumenta. Cælestis Pater tibi non pepercit: ut attestatur Augustinus, dicens: *Pater ipse ligna illius holocausti in cruce offerendi suprà Christum verum Isaac imposuit.* Expressè desiderat, ut modò illa Isaiæ adimpleatur Prophetia: *Dabo clavem domus David super humerum ejus:* & tu confestim Patri obediens, clamas: *Ecce venio,* atque ferventi charitatis ardore grande hoc onus assumis, *in pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Pater, si hæc tua sit voluntas, ut ponderosam illam paradisi portem clavem, *Deus meus*

Ierem. c. 12. v. 8.

Aug. c. 5. in Gen.

Isa. c. 22. v. 22.

Psal. 4. vers. 9.

volui.

volui. Confiteor multùm me tantum pondus aggravat, sed major amor sublevat. *Portavit*, inquit Augustinus *Iesus crucem pondere gravem itinere longo, grave quidem pondus corpori, sed leve charitati.* Æternus itaque Pater ad instar Abrahæ innocentem hunc Isaac ad fatalem deduxit Calvariæ montem, portans ignem, & gladium; ignem amoris, quò adeò ergà genus humanum æstuabat, *ut filium suum unigenitum daret.* Gladium divinæ Justitiæ, ut illo pro ejus redemptione percuteretur. Unde & illud Zachariæ cap. 13. verificatum est vaticinium: *configent eum pater ejus, & mater ejus, genitores ejus.* De Patre constat ex Apostolo dicente: *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* De matre verò ait Arnoldus Carnotensis, *omninò ibi erat una Christi voluntas & Mariæ, unumque holocaustum pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.* Ipse namque reminiscebatur mandati divini, quod ipsi per Angelum injunctum erat in Incarnatione: *Et vocabis nomen ejus Iesum,* quod significat *salvatorem.* Cui subscripserat, dicens: *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quem titulum cum non nisi Christus per crucem posset meritò adipisci, filii quoque crucifixioni consensit, tacitè dicens: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Maria quoque à pio filio ardentem ergà hominem didicerat amorem. Unde ait Richardus: *sicut tu Domine salutem humani generis in cruce sitisti, sic & ipsa virgo sitivit. Stabat juxta crucem, non, ut dolores filii tantùm consideraret, sed ut salutem generis humani exspectaret.*

Ioan. c. 3. vers. 16. — *Zach. c. 13. v. 3.* — *Ad Rom. cap. 8.* — *De laud. D. Virg.* — *Matth. c. 1. v. 21.* — *Matth. c. 1. v. 21.* — *Iudic. cap. 1. v. 38.* — *Richard. de laud. Mariæ.*

Hinc, si ad tantum gradum à Spartanis olim elevata sit invicta animi nobilissimæ matronæ Celeuciæ constantia, & vehemens in patriam amor: quantùm nos Mariæ Virginis, ô Christiani, non extollere cogimur illius insuperabilem fortitudinem, ergà genus humanum pietatem & charitatem? De Celeucia commemorat Plutarchus, illam quodam tempore voluisse funeribus (quæ in busto tùm temporis celebrabantur) unigeniti filii sui, in ardua quadam expeditione pro republica Spartana cæsi, adesse. Quam, dum alia tàm lugubri spectaculo immotam & imperterrito vultu assistentem cerneret, paulisper propiùs accessit, eâ consolatura hisce verbis: *O infelix fortuna!* quæ ne ulteriùs progrederetur, ipsa interrupit, dicens: *per Castores propitia: cujus enim gratia eum peperi, nisi ut pro Sparta moreretur? Id assecuta sum.* Maria Virgo, teste Joanne, funesto montis Calvariæ adstabat theatro, in quo luctuosam immota intuebatur scenam, & filium suum unigenitum cruci affigi, cœlestibus plorantibus spiritibus, exhorrescentibus hoc fatum firmamenti astris, & insolita commotionis universo mundo demonstrante indicia, & tacito modo exclamante: *Eheu infelix fortuna!* ipsa tamen in corde has ad cœlum transmittebat voces: *Per Castores propitia! cujus enim gratiâ eum peperi, nisi, ut pro homine moreretur, id sum assecuta.* Cedat itaque Mariæ amori, Celeuciæ amor, illique palmam deferat. Etenim hæc filium hominem communi fato ex naturæ suæ conditione obnoxium, mortuum intuebatur: ipsa verò Deum hominem, illa creaturam neci traditam, hæc Creatorem cernebat sponte sua ad mortem oblatum, quod in infinitum Mariæ amorem adauget. Concludamus itaque bene dixisse Zachariam: *Configent eum mater, & genitores ejus.* De quibus non minus constat juxtà Augustinum. Cum enim per Christi genitores intelligantur Judæi, ut testatur Apostolus: *Quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem,* & ipsi linguis (ut ex Augustino suprà ostendi) eum crucifixerint, verè dicitur: *Et configent eum genitores ejus,* nimirùm per descendentes suos.

Ad Rom. c. 9. v. 5.

Pius Dominus arduum iter perficere aggreditur, de quo dictum erat, *vadam ad montem myrrhæ,* & magna cum molestia, sed summa cum alacritate ad destinatum ultimum, & quartum tribunalis properat theatrum, montem Calvariæ, *bajulans sibi crucem.* Ubi tò *sibi* juxtà Bernardum, emphasim habet. Et eo innuitur æstuans illud desiderium, quo anhelabat ad acerbæ Passionis consummationem. *O Agnus Dei!* ait præfatus author, *qui aufers peccata mundi, quàm ardens, quàm volens crucem suscepisti, nemo tibi crucem imponit; sed tu pro me animam ponis.* At liceat mihi, ô benigne Jesu! te interrogare, si onus crucis tanto amori tuo leve sit, quare permisisti, ut Simon Cyrenæus in ea portanda te sublevârit? Ait namque Evangelista Marcus: *Et angariaverunt prætereuntem quemdam Simonem Cyrenæum, ut tolleret crucem ejus.* Ubi tò *tollere* insinuat Simonem totum crucis pondus supportâsse. Alii tamen opinantur, eum tantùm parvam illus partem tulisse. Innituntur claris Lucæ verbis: *Imposuerunt illi crucem portare pòst Iesum.* Quæ nobis quoque Christi Domini rationem jam petitam manifestam reddunt: nimirùm Dominum hoc facto omnes Christianos docuisse, quam necessarium sit eum crucibus onustum sequi, & imitari. Et ideò ait Lucas *pòst Iesum,*

Cant. c. 4. v. 6. — *Marci c. 15. v. 21.* — *Luc. c. 25. v. 26.*

Iesum, id est, Jesus antè, qui ad instar strenui ducis
præcedebat militem, & Simon retrò, qui ad instar
militis sequebatur ducem.

Unde mihi piè imaginor, Christum hoc myste-
rio indicâsse, & quasi tacitè dixisse: Ecce Christia-
ni viam vobis pando, hæc est recta semita, hæc est
unica platea, quæ ad cœlestem ducit paradisum. Ab
hac si quis deviet, & viam intret deliciarum, & vo-
luptatum, errabundus numquàm ad optatum æ-
ternæ gloriæ perveniet locum, cruce opus est, ut
sæpius inculcavi, dicens: *Si quis vult venire pòst me*
Matth. cap. 16. v. 24. (videlicet ad supernum regnum) *tollat crucem*
suam, & sequatur me. Ah! felix ille, qui avido a-
nimo eam amplectitur! ter, terque beatus ille, qui
alacriter eam arripit, & patienter tolerat. Dominus
ad nos, sicut Abimelech ad suos clamat: *Quod*
Iudic. cap. 29. v. 48. *me videtis facere, citò facite.* Ecce ego crucem elê-
gi, & humeris imposui, vos milites præeuntem pa-
riter sequimini ducem, & sic cum hoc insigni tro-
phæo ambo ad cœlestem properamus trium-
phum. Sed proh dolor! ah quot, quot nomine
Christi milites, & re diaboli sunt sequaces. Quot
sunt, qui cruces abjiciunt, adversitates detestantur,
& omni molestiæ, quantumcunque parvæ relu-
ctantur! ô miser homo! quod Christum cernis
facere ducem, nonne te pudet facere militem. Di-
sce itaque Anima devota ex hac molesta pondero-
sæ crucis bajulatione tolerantiam, & invictam in
miseriis, & tribulationibus patientiam. Ipse præi-
Act. c. 14. v. 23. vir, tibi sequendum est: quoniam *per multas tri-*
bulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Ait Spi-
tus S.

Christus totaliter defatigatus ex molesto hoc
itinere, vix verticem montis attigerat: ecce hi fu-
riosi leones adhuc famelici, & sitibundi in mansue-
tum hunc agnellum insiliunt, & magna cum ve-
locitate altare crucis præparant, in quo, tamquam
in torculari, exprimenda erat ultima preciosi san-
guinis Christi gutta. Hi lignum terebrant, alii
clavos acuunt, alii summâ violentiâ ei tunicam
detrahunt inconsutilem, & sic cuncta corporis re-
novant vulnera. Quilibet omnem adhibet dexte-
ritatem, ut ipsi vulnus super vulnera addat. O bar-
baries! ô tyrannis! ô ingratitudo! non veremini
illius manus perforare, quæ te creârunt? Illas ma-
nus terebrare ausinè estis, de quibus vos ipsi dixi-
stis: singulis manus imponens, curabat omnes. O
Animæ contemplativæ! quis hominum adeò in-
gratus, qui tantam non execrabitur sævitiam?
Quis enorme hoc Judæorum non exhorrescet
scelus, & cùm Bernardo exclamabit: *Os, quod do-*
cet Angelos, felle & aceto potatur: pedes, quorum sca-
bellum adoratur, cruci clavis affiguntur: manus,
quæ formaverunt cœlos, sunt in cruce extensæ, & cla-
vis confixæ: corpus verberatur, latus lanceâ perfora-
tur. O spectaculum! ô mœsta catastrophe! ah ac-
currite Christiani mentis vestræ pedibus ad san-
guinolentum Calvariæ locum, & tamquam veri
filii cælestis aquilæ lambite in eo effusum Christi
sanguinem! properate, & fugite benedicta ejus
vulnera, antequàm in altum erigatur, & in apice
montis exaltetur, totique mundo exponatur. Cor-
dium vestrorum penetralibus salutarem Augusti-
ni vos exhortantis imprimite doctrinam: *& quan-* *Aug. lib.*
ta sint cogitate, & in statera cordis vestri appendite: *de Virg.*
ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fi-
xus fuit in cruce. Et libro de charitate idem asserit:
filius Dei ad crucem ducitur, ad crucem ligatur, qui
solvit compeditos: Ligno suspenditur, qui erigit elisos,
aceto potatur fons vitæ, disciplina cæditur, salus vul-
neratur, vita moritur, occidit ad tempus vita, ut mors
in perpetuum à vita occidatur. Tot tantaque (ut
huic paragrapho finem imponam) maturè consi-
derans Christi Domini beneficia, ad te conversus
homo cum divo Bernardo premor in hæc verba
prorumpere (quæ utinam cuncta diligenter per-
scrutarentur Christiani) *bone Iesu! quid tibi est mo-*
ri? nos debuimus, & tu solvis; nos peccavimus, & tu
luis. Opus sinè exemplo, gratia sine merito, charitas si-
nè modo. Sed nota homo, quod secundùm eum-
dem S. ad nos reversus dicat Christus: *ô homo vi-*
de, quæ pro te patior. Non est dolor, sicut, quo crucior,
Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus
afficior: vide clavos, quibus confodior. Cum sit dolor
tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te
ingratum experior. Ut hoc itaque enorme evitemus
crimen, clamemus ad tàm benignum benefacto-
rum! ô infinita charitas! ô amor incomprehensi-
bilis, unicum animæ nostræ solatium! contem-
plor Creatorem cruci inclavatum, quid nì & au-
deam petere, ut hi quatuor fontes in cord meo tua
constituant vulnera. Cum Augustino loquor, &
finio: *vulnera hanc animam meam, confige cor*
meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea, cha-
ritate tuâ vulnerata sum, ut ex ipsis vulneribus a-
moris tui ubertim effluant lachrymæ. Quibus
non tantùm irrigatur, sed maximè
mundatur anima.

§. XIX.

Ibi crucifixerunt eum. Luc. cap. 23.

Ecce inclavatus non absque magna crucis concussione, sanguinisque effusione in altum erigitur Christus. à diabolo, & furibunda Judaica plebe explodendus, sed certò contra illius mentem triumphaturus, & exaltatus omnia ad se attracturus. De victoria diaboli, quis est qui dubitet, de clade Christi crucifixi, quis est qui ambigat? Hanc mysteriosam ipsius, dum attentissimè pro ingenii mei imbecillitate præpondero exaltationem, coarctor fateri, verissimè dixisse Bernardum, *triumphat de Deo amor.* Qui fortissimus Achilles fuit, quo perfidus humani generis inimicus prostratus est diabolus: Quoniam ad cruentum Calvariæ montem concertantia ascendére divinæ essentiæ de hominis justa punitione attributa, nimirum justitia & misericordia. Ast, ubi tantum justitia persolutum conspexit pretium, illicò firmum inter sese pepigêre fœdus. Tuncque adimpleta est Davidis Prophetia: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.* Psal. 84. v. 11. Et verè; quomodo acquiescere non deberet justitia, ubi tàm miria summæ charitatis apparebant vestigia?

Magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus meo judicio (salvo meliori) posset modò dicere, *jam incipiunt mysteria.* Quæ, ut intimè penetremus, cunctos funesti Calvariæ montis angulos perlustremus, atque sedulò sanguinolentum hujus tragœdiæ exitum intueamur. Aspicite hic contemplativi summum sacerdotem supra crucis altare deductum, ut in eo, ad delendum antiquum peccati chirographum, & divinam mitigandam Justitiam, sanguinolentum illud holocaustum efficacissimum Deo Patri offerret: conjicite mentis oculos in veræ vitæ lignum, onustum specioso cœli fructu Deo homine: videte illud lignum, quod capax est vitam causare æternam: ecce hic reperitur torcular, quod, ad emundandam ab omni peccatorum macula animam, è Corpore Christi pretiosum expressit sanguinem, è quo salutare nobis conficeretur balneum, unde ad crucem meritò exclamare possumus: *O Crux ave spes unica.*

Verum ô benigne Jesu, si mihi liceret te interrogare, quodnam motivum tuam urserit bonitatem, ut rectè montem Calvariæ in theatrum tuæ Passionis, & non in montem Thabor, in quo fuisti clarificatus, aut montem Sinai, in quo Moysi divinas tuas leges tradidisti, elegeris? Quidam hujus rationem allegant, quia Christus statuerat universi redemptionem in medio terræ operari, juxta illud Davidis vaticinium: *Operatus est salutem in medio terræ.* Psal. 73. v. 12. Hic autē mons, ut asserunt Geometrici est mundi medium. Augustinus aliam adducit, nimirùm, quia hic salutem Patrum in limbo (quod terræ est medium) detentorum salutem est operatus. Et ipse etiam sustinet secutus antiquissimum Doctorem Tertullianum, Adamum hoc in loco fuisse mortuum, & sepultum. Atque idcircò secundum Adamum hic voluisse mortem obire, ut nobis donaret vitam. Verba S. Augustini sunt: *Hic hominem primum suscepimus esse sepultum. Verè* Aug. serm. 75. de temp. *fratres non incongruè creditur quòd ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia.* O magna exinanitio! ô inaudita benignitas!

Rex Moab cernens sese nullatenus potentiæ triū Regū Israel, Juda, & Edom resistere, & se inter muros arctè conspiciens conclusum, & undequaque angustiatum, de omni quasi salutis expectatione desperans, crudeli usus est stratagemate, sed non simili illi, quod arripuerunt Rhodani, qui pulcherrimam Bacchi à Protagine depictam imaginem muris appendi jusserunt, ad deliniendam regis Demetrii iram. Verùm plùs secutus Didonis sævitiam, quæ, ut Æneam ad pietatem commoveret, in ejus conspectu procreatam ex ipso dilaceravit prolem: proprium filium morti tradidit, teste Scripturâ: *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum* 4. Reg. c. 3. v. 27. *suprà murum.* Quo enormi, & sævo spectaculo reges deterriti, & innocentis Principis morte, quam propter suam hostilitatem perpessus fuerat, ad commiserationem commoti, obsidionem solverunt, & domum rediêrunt. *Facta est indignatio magna in Israel, & reversi sunt in terram suam.*

Pater cœlestis Rex regum & dominus dominantium ampliùs enormes mundi non valens impunitas ferre iniquitates: quoniam eò illæ devenerant, ut justitia exacerbata contentiosam, & justam de vindicta sumenda misericordiæ in sanctissimæ Trinitatis tribunali intentaret litem. Suspenditur litis decisio, & intereà temporis janua cœli clauditur. Quid faciet Pater? Ecce non adinstar Regis Moab primogenitum immolat invitum,

tum, & coactum, sed unigenitum sese ultrò offerentem: *Ecce ego mitte me*, arripit, & tradit crucifigendum. Ac si diceret, ô homo! tu millenis quotidiè justitiam meam stimulas peccatis: vix ferendo sum tàm intolerabilia crimina: potentia quasi mihi deficit, ut justitiæ meam opponam misericordiam, nihilominus ipsa ex cælesti arsenali fortissima desumpsit arma ad saxeum tuum cor transfigendum. Veni, accede ad tristem hanc scenam contemplandam. Ibi intueberis, non curiosam Bacchi effigiem humanâ arte confectam, non unius Moab filium, verum Creatorem cæli & terræ cruci appensum. Demetrii ad talem aspectum evanuit furor, tres prænominati Reges Principis innocui acerbè deplorarunt interitum: & tuum Christiane non exardescet amore cor, dum superni Patris unigenitum nimio amoris igne perpendis consumptum? ô ingrate! ingratitudo tua justè te ad cuncta condemnat supplicia, dum Christi Domini severa non meditaris tormenta. Ascende itaque montem Calvariæ, & addisce è vulneribus crucifixi tàm præclaram virtutem. Ascende ad Christum in cruce elevatum, & attende, quid dicat Augustinus: *ibi poteris inspicere vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum, ad osculandum, cor apertum, ad diligendum, brachia extensa, ad amplectendum, totum corpus expositum, ad redimendum.* Sed quid dicam? Sanè tantummodò hoc, *à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Maria ubi modò hæres? ubi moratis? Ah! tene assimilabo hirundini, quæ à Sapiente potissima columba nuncuparis? Dicamnè te hiemali tempore, id est, in adversitate proprium, & dilectum deseruisse filium? Hoc numquam asseruero: quoniam me apertè falsitatis argueret Evangelista Joannes, dicens: *Stabat Mater Iesu juxta crucem.* O Domina! nec te ideò ab ingratitudie immunem puta. Cur namque tu in barbaros Judæos, in defensionem filii, furiosè non insurgis? Animosa ista Thebana matrona Evadne cernens in foro perdilecti sui mariti corpus busto imponi, illudque à flammis consumi, amoris igne accensa, tanti doloris impatiens, sese in bustum projecit, ut, eos quos inimica mors disjunxerat, ignis denuò in cineribus conjungeret: unde canta Poeta: *Arserit Evadne flammis injecta mariti.* O pia Virgo! tanta mater tantum filium non vindicas? Cur tot tormenta, tot scandalosa opprobria taciturna, & immota intueris? Cur in furibundos leones non insilis? Si teneris tuis manibus barbaros hos Judæos discerpere non valeas: quare saltem verbulo eorum inauditam rabiem, & numquam visam sævitiam non improperas, & imbecillitatem tuam excusans, non exclamas? ô barbari! si potentes forent hæ manus, si satis fortes mei dentes, illis vos in frusta comminuerem, & his vos minutim, ut molâ contererem, ut sic ad minimum tuum ergà dilectum in aliquo ostenderes affectum? Te mehercle turpiter confundit illa generosa mulier Epiroina, de qua refert Plutarchus in vita Pyrrhi, quod ipsa, intellecto, regem Pyrrhum filium suum ad particulare digladiatorium convocasse certamen, curiosa pugnæ exitum videre, tectum domus ascenderit: & videns victoriæ bilancem ad partem Pyrrhi inclinari, dejectâ ex alto tegula, caput illius illiserit, sicque filium à morte eripuerit.

Aug. serm. 75. de temp.

4. Reg. c. 3. v. 27.

O Maria! ecce hoc ausa fuit imbellis mulier Ethnica, solo naturali ergà sanguinem suum amore provocata, arripere stratagema, & nihil tale divinus tuus, & supernaturalis audet attentare affectus? Potestne August. in amoris tui præconium cum veritate asserere: *numquàm te deseruit: non in infantia, non in adolescentia, non in passione tua, numquàm tibi defuit ejus solatium, sed neque obsequium. Lactat infantem, audit, & sequitur prædicantem, videt, & comitatur patientem.* Ah videtur errare August. Attamen piam hanc dominam excusat Bernardus, dilectus ejus filius, qui audacter sustinet Mariam cruci affixo filio (& sic tota prætacta in eam corruit invectiva) longè præclariora, ac eminentiora amoris ostendisse indicia. Audite divina ejus verba: *Sursum manus nisu, quò poterat extendebat, unicum suũ amplecti desiderans, nec valebat. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustrà protensæ, in se complosæ, & complexa redibant. Levabatur à terra sursum, ut dilectum suum contingeret, ipsumque tangere nequiens, durissimè collidebatur in terram. Ibi doloris immensitate oppressa prostrata jacebat. Sed maximo vis amoris, quo incensa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat, & amoris impetu surgens, & extensis manibus suum attrectare filium affectabat, & rursus, magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur.* Constat itaque matrem Mariam filio suo Christo mirabilia dedisse amoris testimonia. Fateor cum Richardo: *Beata Virgo, nec passionem filii impedivit, nec crucifixoribus maledixit.* Quia sese divino penitus subjiciebat decreto.

August. Tract. 17. in Ioan.

Bernard. de lamentat. Virg.

Unicum tantummodò desiderabat Maria, nimirùm concrucifigi, ait S. Bonaventura in persona ejus loquens: *heu fili mi! heu me dolentem! quid faciam? Quare me permittis stare juxtà crucem, & te in cruce? O chare fili, quare non acquiescis petitioni infelicissimæ matris? Quare vis sine matre stare? Cor meum tecum est. Sume ergò & corpus meum, & ambo in cruce moriamur.* Verùm, cum cognosceret utriusque interitum à sanctissima Trinitate esse inhibitum, amicabilem inter Christum & eam, ut inter Orestem, & Pyladem contemplor conflictum. Hi, ut commemorat Cicero, in regnum Tauricum profugi, ad mitigandam Orestis iracundiam, & conceptum in eos odium sedandum, quia Clitemnestram matrem in adulterio inventam occiderant, à rege Toante ob violatum Dianæ sepulchrum apprehensi sunt. Et cum Judex scire non posset, quisnam eorum illud crimen commisisset: Pylades integerrimi amici sui Oresis (quem eum fore erat incognitum) necem non æquo animo ferens, se Orestem fore dixit; è contrà Orestes sese morte plectendum asseruit, ut vitam, quàm neci suæ præponebat, Pyladi conservaret. Haud dissimiliter diva Virgo ô vindicativi tortores! ô iniqui Judæi! exclamabat: me, me dilacerate, corpus hoc discerpite, manus has perfodite; caput pungentibus, spinis terebrate, & ut paucis finiam, cuncta membra in frusta concidite. Ecce me suppliciis offero. Ego, ego sum, quæ peccavi, ego rea sum. *Hic autem quid mali fecit?* Et ad filium conversa, dicebat cum Davide, deplorante Absalonis mortem: *heu fili mi Iesu! quis mihi det, ut moriar pro te.*

Bonav. in specul. Virg.

O contemplativa Anima Christiana! mentem tuam eleva, & ex Mariæ Virginis lamentatione disce cum ipsa clamare: ô bone Jesu! quis mihi det, ut moriar pro te! ego tot flagella ob mea promeritus sum scelera, mihi manus, & pedes debent perfodi, quia tot furta commisi, & toties ad vindictam cucurri. Ego spinas promerui, quia toties per superbiam Deum meum ostendi. Ego sum rea mortis, quia tàm sæpè te summam bonitatem peccatis occidi. Ah pie Jesu! fac divinâ tuâ gratiâ, ut vulnera tua salutaria animæ meæ sint medicamenta. Effice, ut eorum contemplatio in corde meo veram omnium præcedentium delictorum excitet contritionem, & in posterum illorum concutiat horrorem, ut pura vivam, immaculata moriar, acerbæ Passionis tuæ in æternum frui meritis.

§. XX.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. cap. 23.

O Me miserum! quis me ad hanc cathedram deduxit, ut exitum funestæ hujus tragœdiæ vobis exponam? Ah! quis linguam meam diriget, ut de aliis mysteriis, quæ hic adhuc abscondita latent, aliquid dignè disseram? Quis obtusum meum ingenium illuminabit, ut ea comprehendere queam? Ego ad vulnera pissimi Christi accedo, tamquàm ad chrystallinum speculum, & loco, quod in iis aliquod lumen adinveniam, densioribus me involutum reperio tenebris, & in labyrintho intricatum. In quo non suavibus sanè ornatum, & refertum floribus campum, sed miserum dilaniatum intueor corpus, quod jure merito vulnerum labyrinthus nuncupati potest. Hæc, ô piissime Jesu! attentis mentis oculis contemplor, & tàm stupendam cum S. Bernardo admiror pietatem, qui clamat: O *bone Iesu! quid tibi est mori? Nos debuimus, & tu solvis, nos peccavimus, & tu luis, opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.*

Confiteor Bernarde, verissima tua est sententia. Charitas sine modo. Verùm verba tua meum obfuscant intellectum, meum torquent ingenium, meosque interturbant sensus. Apprimè nôro, omnia Christi tormenta, ac cuncta stupenda vulnera, stupendi amoris (ac proindè optimè dicis Bernarde: *Charitas sine modò*, quia nec humano, nec angelico comprehendi potest intellectu) extitisse testimonia. Certum & indubitatum est, amarissimam Christi Passionem vivificum misericordiæ fuisse speculum. Quoniam, si clavis ignominiosæ crucis trabi affigatur: dicere possumus, amor hoc fecit: *sic ursit amor.* Si manibus apertis, & non transversis appendatur, rursùs *ursit amor*, nimirum, ut nos pauperes cœlestium donorum & gratiarum thesaurum, ex iis prudenter furaremur. *Sciebat enim Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Recordor ad hoc propositum istius (cujus suprà alibi mentionem feci) Cataloniæ historiæ. Quæ commemorat Gastonis filium Guilielmum ad Bohemiæ regnum fuisse assumptum, quia Legati eum manibus apertis dormientem compererant, censentes illud regis necessariæ liberalitatis fere prognosticum.

Ioan. cap. 13. v. 3.

Christus exponebatur in cruce, Rex eligendus J.N.R.J.

J. N. R. J. ostendit manus apertas, ut ipsius homo gratiæ distribuendæ, & largissimè thesauri suæ divinitatis effundendi, miram intueretur promptitudinem. Damianus notat ad hoc Aristotelis conceptum, qui asserit prudenter ab authore naturæ manuum digitos ad se invicem esse disiunctos, ut dona ab illis copiosè effluerent. Verùm in medio eas fore clausas, ne liberalitatis virtutem, prodigalitatis vitium inficeret, At, quia benignus Christus, gratiarum suarum voluit esse prodigus dispensator, etiam in medio manus clavis perforari permisit, ut quod natura clauserat, Judæorum feritas aperiret. *O S. Prodige!* clamat Damianus, *quod in te natura integrum reservavit, hoc clavus aperuit.*

Bernarde, scio me tempus inutiliter consumpturum, si singula corporis benigni Domini vulnera velim perpendere & discutere: Ecce caput ipsius acutis spinis ob nostram terebrarum est superbiam: manus transfossæ sunt ob enormia furta & homicidia, & discurre de cæteris. Duo dumtaxat in sacrosancto ipsius corpore membra à furentium horum leonum sævitia intacta comperio, videlicet linguam & cor. Vehemens attamen amantis Christi urgebat amor, ut & illa quoque barbarorum ferociam degustarent: ideoque clamat, *sitio.* Ac si diceret: ô Pater cœlestis: tam æstuans est charitatis meæ ardor, tam arida est lingua mea, ut vix tantum fervorem sufferre queam. Ah precor! ut etiam hæc duo membra guttulam amari Passionis calicis delibent. Sitio dolores, sitio tormenta. Ecce hominis cor carnalibus desideriis, inordinantis appetitibus, odio, rancore, invidiâ est refertum: Ah pater! hæc obsecro enormia quoque diluant crimina. Verum estne exauditus à patre pro sua reverentia filius? Notate contemplativi, quàm diversimodè sese gesserit cum hisce membris Dominus. Cordis completur desiderium, dum post mortem diro lanceæ mucrone transfossum est (de quo, Deo dante, agemus infra) sed linguæ ea gratia denegatur, & ab omni Hæbræorum immanitate immunis asservatur. Quamvis enim illi ipsi potum clamanti *sitio*, obtulerint, cum tamen recusavit, ut testatur Evangelista Matthæus: *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum: & cùm gustâsset noluit bibere.* *Matth. c. 27. v. 34.*

O mysterium absconditum! ô pie Jesu! tu tormenta sitisti, tu tantoperè ad sæviores dolores anhelâsti. Cur modò tantillam fellis amaritudinem delibare recusas? Vix labia hic liquor attigerat, & tu illicò illum renuis: tu caput, manus, pedes, totumque corpus barbaris cruciatibus exposuisti: cur de sola lingua tantam curam geris? An forsitan, quia humana lingua totaliter pura est, & innocens, & idcircò linguæ tuæ pœnis eam diluere non est necesse? Minimè sanè. Ipsa namque detractionibus, contumeliis, opprobriis, blasphemiis, juramentis, falsis testimoniis (quemadmodum abundè satis experientiâ, per discursum Passionis tuæ didicisti) maximè est obnoxia & addicta. Quare itaque illam intactam, puram & illæsam servas? Aliqualem hujus mysterii rationem expiscare possumus ex Plinio lib. 23. cap. 1. & 31. natural. hist. qui asserit, aceto eam à natura inditam esse virtutem, ut fluxum sanguinis contineat. Unde Tertullianus advertit spectaculo cap. 25. moris fuisse gladiatori vulnerato, ad sanguinem sistendum spongiam adhiberi aceto intinctam. Christus itaque sanguinem suum totum volens effundere, acetum noluit degustare. Ratio hæc, fateor, bona est, sed pro modò magis placet illa, quam nobis pandit S. Bernardus, dicens: *In eo non remansit nisi lingua illæsa, ut pro peccatoribus exoraret, & matrem discipulo commendaret.*

O stupendus amor! ô incomprehensibilis charitas! ô Maria veræ misericordiæ Mater! quomodò cor tuum exultavit, dum intonantem audivisti divinam hanc linguam, *Pater dimitte illis, &c.* quomodo ad has voces animus tuus revixit? Benè, bene potuisti tibi illud Psalmistæ appropriare: *Exultavit cor meum in salutari tuo*, id est, in misericordia tua. Sed heu! Mater nescis, aut, ut melius dicam, non apprehendis, quàm acutum tibi immineat spiculum? Illa lingua, quæ à Christo destinata est salutaris crucifixoribus medicina, illa eadē ad cor tuum transmittetur, tamquam crudelis lancea. Bernardus dicit, eam mundam & intactam fuisse conservatam, non tantùm, ut pro crucifixoribus exoraret, verùm etiam, ut te dilectam suam matrem, adstanti discipulo Joanni commendaret. Sed quæ obsecro, ista commendatio? *Ecce Mater tua.* Quomodo hæc verba in auribus tuis sonuêre Maria? Quomodo hæc tibi arrisêre Virgo, dum ex iis intellexisti, te matrem puri hominis filii nuncupari: *Mulier ecce filius tuus?* Ah! ut video Domina, tam acerbo, tamque inopinato telo percussa in animi cecidisti deliquium, nec ullatenus capax fuisti vehementem propalare dolorem. Respondeat itaque devotus tuus famulus Bernardus, qui te hisce alloquitur verbis: *An non plusquam tibi gladius sermo ille reverà pertransiens usque ad divisionem animæ & corporis: Mulier ecce filius tuus.*

Psal. 12. v. 12.

Ioan. cap. 13. v. 3.

Ast O Bernarde! mihi te interrogare liceat, quare hanc commendationem in acutum commutas gladium, eamque crudelitatis arguis? Illam ego maximam reputarem afflictæ matris solatium, nisi tu disertis verbis genuinam opinionis adduceres rationem. *O commutatio! Ioannes tibi traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo sanctissimam tuam animam non pertransiret hæc auditio? Quomodo nostra liceat saxea, licet ferrea pectora solâ recordatione scinduntur* Et quasi hic Sanctus in Christum ipsum stomachatus, amatæ suæ causæ patronus, sic urget: *Quid meruit mater, ut jam non esset mater? Imò, quid non meruit, ut jam recompensaretur? Et hæc est recompensatio? Iam non eris mea mater, nec ego ero tuus filius.* O ingrata metamorphosis! O crudelis transmutatio! quis hic non admiratur tantam pii filii in amatam matrem severitatem? Antiquitus apud cunctas gentes etiam barbaras, vituperio & detestatione digna habita fuit nefanda scelerati Imperatoris Neronis ingratitudo, eò quod propriam matrem, in cujus visceribus novem delituerat mensibus, per sicarios infamiter mandârit interfici. Et tu Christe tantam matrem proprio linguæ necas gladio? Prôh Deus! quam rectè potest Maria lamentari ad instar nobilissimæ matronæ Thessalonicæ: de quo commemorat Trogus, ipsam jam jam ad supplicii locum de mandato filii sui Ægypti Tyranni deductum, hunc unicum generosi animi bolum bene masticare non valuisse, quod ad mortem proprii gnati sententiâ esset condemnata. Quapropter altâ voce, quàmplurimis suspiriis & gemitibus, exclamavit: *Hoc solùm mihi durum est à proprio filio occidi.* Idem dicere potest inquam, Maria: *Hoc solùm mihi durum est à proprio filio pati.* Desine obsecro, O benigna! de filii conqueri sævitia, quia hujus tui tormenti, sicut & aliorum introducam fundamentalem, ut puto, rationem.

Bernard. epist. 6. ad Paulin.

Quare cum tuo beneplacito me ad crucifixum converto, eumque interrogo: O pie Jesu! cur tanto tempore altum tenuisti silentium? Cur perversa Judæorum improperia, infames derisiones, falsa testimonia, surdâ aure percepisti? Et etiam instigatus à Pilato, ad respondendum: *Non audis, quanta adversùm te dicant testimonia:* Obmutuisti & tacuisti? *Et non respondit ei ad ullum verbum.* Sane optimè de Pilato ait Matthæus: *Ita ut miraretur Præses vehementer.* Quoniam valde mirum est atque stupendum, quod tam altum silentium vix in cruce elevatus rumpat. Quod profectò non absque mysterio, (sub quo insigne cunctis Christianis sublitescit documentum) factum fuisse arbitror. Matthæi cap. 5. Christus dilectionem inimicorum necessariam discipulis suis instanter inculcans, mandatum donat, ut diligenter sibi præcaveant, ne ad sacrificium Deo offerendum, cum rancore animi, & odio erga proximum accedant. *Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Christus Dominus jam pervenerat ad crucis altare, ut in eo inæstimabile, & sacrosanctum Deo Patri pro totius mundi redemptione offerret sacrificium, & sese in victimam & hostiam immolaret. Sed ecce memor confratrum suorum crucifigentium injuriarum, veritus, ne quispiam opinaretur, quod in eos iratus & stomachatus forsitan sacrificaret, hanc scandali petram omni modo possibili amovere studet. Verùm sese clavis cruci cernens affixum, ideoque non valens in eorum amorosos ruere amplexus, eosque exosculari, atque millia amoris ac pacati animi ostentare indicia: divinum os suum reserat, & ad verba sese convertit, ut dilectionem suam, quam aliis signis monstrare non poterat, illis publicè exprimeret, clamatque: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.*

Matt. c. v. 13. & 14.

Matt. 5. v. 23. & 24.

Dixi in hoc Christi Domini actu, utile & morale pro omnibus hominibus Christianis latère documentum. Appropperate itaque cuncti velociter ad crucis cathedram, & attendite arrectis auribus, quid ex ea vos doceat divinus præco Christus, veniam & remissionem tot enormium scelerum pro crucifixoribus rogitans. Certum est, docet omnem Christianum inimicorum dilectionem, & specialiter docet te, ô nobilis, quantùm aberres, dum inglorium & infame æstimas inimico condonare, qui publicè clámat: *Dimitte illis.* Infames namque actus odiunt lucem, & tenebras quærunt. Christusque ab omni infamia abhorret. Docet quoque sacerdotes, quantùm ipsi teneantur colere pacem & concordiam, si dignè ad divina accedere velint sacrificia. Docet præterea moribundos, si minimam cum proximo habeant inimicitiam, ut illam ex corde depellant, si gratam Christo Domino animam offerre desiderent. Accede itaque vindicativè ad tragœdiæ theatrum, & attende crucifixum in cruce, tamquàm in veritatis cathe-

cathedra tibi salutarem, & necessariam illam admonitionem deprædicâsse. Accurre, inquit Augustinus, ad benedicta Christi vulnera, & ex iis sugere dulcissimum mansuetudinis mel: addisce in funesto Calvariæ monte, in luctuoso hoc tribunali inimicis etiam gravissimas condonare injurias. An tibi persuades in proximum vindicare, & pro delictis à Deo misericordiam impetrare? Ah miser! plurimùm erras, ut testatur Matthæus: *Si demiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis delicta vestra.* Audite quid de hoc sentiat S Leo: *In oblivionem mittantur injuriæ, supplicium jam nesciant culpæ, & à vindicta metu omnes subditorum absolvantur offensæ. Neminem teneant claustra pœnalia, nec in custodiis tenebrosis tristes reorum gemitus perseverent: si quisquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem se esse non dubitet: & ut indulgentiam ipse accipiat, gaudeat se invenisse, cui parcat. Vt cùm secundùm Dei doctrinam dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, non ambigamus per nostræ orationis formam, divinam obtinere clementiam.* Itaque ne aliam, Christiane, arripias viam, nisi eam, quam ipse ingressus est, & tibi in cruce clamitans *dimitte*, indigitavit: alioquin tibi ipsi illud, quod Augustinus vindicativis impropeterat improperium, appropria: *Christiani nomen frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum? sed si Christianum esse te delectat, quæ Christianitatis sunt gere, meritò nomen Christiani assume.*

Matt. 5. v. ibi 23. & 24.

August. serm. 52. de temp.

O piissime Jesu, unicum animæ nostræ solatium & securum refugium! ad te omnium præsentium nomine me converto. Cerno tantam Majestatem in cruce exinanitam, in hac Christiana schola nos charitatem atque inimicorum dilectionem docere: tu legem tulisti: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros,* & ipse observâsti vociferans *dimitte.* Tu dux præivisti, militis est strenui, te promptè sequi. O Christe deprecor benignitatem tuam, ut gratiæ tuæ malleo obduratum conterere digneris animum. Ejice divino tuo auxilio è corde omnem rancorem & odium, inflamma illud charitatis igne, ut condonando inimicis meis, annumerari tuis justè queam militibus, & promisso frui stipendio.

§. XXI.

Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Matth. cap 27.

RECordamini, credo, quod in tota fermè lugubris Passionis Domini catastrophes enarratione sustinuerim amorem Christum Dominum ad quatuor præcitata perduxisse tribunalia: ac proinde fatendum esse, funestam hanc tragœdiam perfecti amoris extitisse exemplar & speculum. Innitebar tum S. Bernardi, tum S. Cypriani verbis. Ille namque ait: *Triumphat de Christo amor.* Hic verò: *De me solus amor potuit proferre triumphum.* Verùm, ut hunc radicitùs contemplemini Christiani, ad ultimas, in quibus ultrà omnem modum ille illuxit, scenas mentis oculis properandum est. Quapropter tandem aliquando vobis tempus indicit Christi amor, quo ferreas inordinati rerum terrenarum & mundanarum bonorum catenas disrumpere, & procul abjicere oportet. Tempus est, ut cuncti sensus nostros, & perversos affectus à vanis carnis voluptatibus, & fallacibus mundi deliciis avellamus atque abstrahamus. Convocamur ab ipso amore, ut quarti actus exitum maturè intueamur, & citamur ut stupendum amoris triumphum admiremur. Etenim, si in cæteris Passionis actibus quædam illius emicuerit scintilla, audeo dicere, quod fatalis Calvariæ mons adinstar alterius ignivomi montis Æthnæ ingentes divini amoris evomuerit flammas & misericordiæ ignes.

Demens quò vagor? quò errabundum currit judicium? Quid dico flammas amoris, ignes pietatis? Erro, flammas iræ & furoris, ignes justitiæ, & indignationis. Imò, cœlestis Pater solido cum fundamento ad te cum Divo Thoma à Villa nova possem exclamare: *Excessisti Domine, excessisti omnes justitiæ metas, & dum nimium videri vis justus, plus justo factus es justus. Imò, si dicere auderem, præ nimia justitia (nisi quia Deus est) quod appareat injustus.* Quis umquàm vidit tàm crudeliter tractari innocentem *qui peccatum non fecit, nec est inventus in ore ejus dolus.* ait de eo Petrus Apostolus. Quodnam obsecro, reperis in eo jus? Advocatus pro justitia Patris patrocinatur, dum Christo Domino titulum fidejussoris attribuit: *Gratiam fidejussoris, ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Ecclesiastici capite 29.

Thomas à Villa nova ser. 1. de Nativ.

Ante

Ante commissum protoplastis Adæ peccatum duo eminentia divinæ essentiæ attributa, misericordia nimirùm & justitia, tum pariforme habebant pondus: verùm ubi prævaricator Adam manum suam extendit & porrexit, ut vetitum fructum acciperet, eumque deglutiret contra expressum Dei mandatum, justitia misericordiæ præponderans, bilancem in terram detorsit, seseque in ea collocavit, ac proindè misericordia in cœlum ascendens, inclusa & quasi incarcerata est: *Domine in cœlo misericordia tua.* Ps. 35. v. 6 Sed ubi ille, qui cœlos disrupit, homo factus descendit, ad instar alterius columbæ Noe, ramum misericordiæ terræ attulit. Et veniens evangelizavit pacem. Et sic sursùm ascendit justitia, quæ onusta Christi cruce misericordiæ obvians, pacem & amicitiæ fœdus cum ea iniit, juxtà illud Psalmistæ: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Quoniam Christus in se suscepit Adæ delictum ex integro persolvere. Quo pacto hæ duæ sorores plenam recepêre satisfactionem, inquit Sanctus Anselmus, justitia pretioso sanguinis Christi pretio, & misericordia totius humani generis redemptione. *Quid misericordius intelligi potest, quàm ut peccatori tormentis æternis deputato, & unde se redimeret non habenti, Deus dicat: accipe unigenitum meum, & da pro te. Ipse filius: tolle me & redime te. Quid autem justius, quàm ut ille, cui datur pretium, majus omni debito, dimittat omne debitum.*

Verùm ô piissime Jesu! quandoquidem crux tua ardentissima amoris extiterit fornax, in qua tamquam in resplendente speculo miram tuam pietatis extasim nobis datur contemplari (quia ut ait Augustinus: *Lignum in quo fixa sunt membra morientis, factum est cathedra magistri docentis*) Aug. ser. 72. de temp. Quare tu permittis, ut radians Sol lucem suam mundo subtrahat, & terram tenebræ circumdent? *Et factæ sunt tenebræ super universam terram ab hora sexta usque ad nonam.* Ecce nos accurrimus, ut tantum tuum intueamur & admiremur amorem, & nos densis involutos reperimus tenebris. Scio solem justè lumen suum perfidis Judæis subtraxisse: quoniam iis intuitus tuus displicebat: *Gravis est nobis ad videndum.* Ad quæ verba S. Leo: *Vocibus his stultis reddunt omnia elementa responsum, & unam in vos sententiam ferunt: cœlum, terra, sol, sydera, quæ indignos vos suo ministerio protestantur, terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestræ cœcitatis ostendunt.*

Sed Christe, tu sufficienter huc usque demonstrasti, quod de te *triumphet amor*, Dic quæso, cur modò aspectum gratissimum divini vultus denegas? Pro quo intuendó clamat Psalmista: *Ne avertas faciem tuam à me.* Psal. 26. Vers. 9. Non ignoro, quod lumen majus obfuscet minus: Quid mirum itaque, quod apparente linguâ, dispareant vulnera? Efficacius namque tuum ostendit amorem lingua, quàm sæva benedicti corporis vulnera. Fateor in hisce verbis: *Pater dimitte illis*, stupenda tua etiam erga inimicos commendatur charitas, maximè tamem illa in istis elucet: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Matth. c. 27. v. 46. Ac si diceret: O Pater æterne! ecce omnes humanitatis evanuêre vires, jam, jam violenta mors ultimum suum præparat telum: succurre Pater: adhibe potentem divini auxilii manum naturæ humanæ imbecillitati, conforta eam, viresq; restaura, ut adhuc tantisper me superstitem ex amore patientem, furibundus adstans contempletur populus. Omnia tormenta, quæ toleravi, ferventissimam amoris mei sitim restringere nequiêrunt: adhuc sitio majora. Advola adjutor Pater & animam meam in corpore detine. Sed quid hoc? Nullum sublevamen sentio. Ah! *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Imò, ut intentum suum à Patre pius Dominus obtineret: precibus addit lachrymas, ut videtur indicare Apostolus: *Clamans clamore valido & lachrymis offerens.* Ad Hebr. c. 5. v. 6. Sed quis hoc credet? Quis umquàm vidit gloriosũ militiæ ducẽ jam jam triumpho vicinum, lachrymas profundentem? Quis mercatorem cum opulentis mercibus feliciter ad portum appellentem, tristem est intuitus; Quis sponsam suam dilectã jam tristatur amplexurus? Quomodò itaque tu Christe, jam in cruce victor & triumphans, gemitus ac lachrymas edis? S. Hieronymus admiratur Patriarchæ Jacob, quas, visâ sponsâ suâ futurâ, effudit: *Osculatus est eam, & elevatâ voce flevit*, Gen. c. 29 v. 11. & adfert rationem. Recordabatur Jacob, inquit, quod pater suus Isaac, dum sibi ad Rebeccam in sponsam suam recipiendam servum rogârat, ipsi quamplurima munera & sponsalitia dona in verum amoris mnemosynon per eum obtulisset: verùm jam cernens sese omninò inopem, nilque habentem, quod Rachaeli donaret, flevit: *Flevit elevatâ voce Iacob, quia dilectissimæ sponsæ suæ Rachaeli, quod donaret, non habebat, memor quàm splendida dona & munera Rebeccæ pater per servum miserat.*

Haud dissimiliter Christus, dum desideratum dudum in cruce sibi sponsum desponsare anhelârat

Eccle-

Ecclesiam, in lachrymas dissolvitur, quia nil ampliùs habet, quod ei donet. O benignissime Christe! omnia prodigaliter elargitus es. In cœna, inquit Bernardus pretiosum suum corpus, & carnem Ecclesiæ magnificum sanè (ut heri vidimus omnium cœlestium donorum in se comprehendens thesaurum) amoris præstitit donum. In horto sanguineum sudorem. In domo Caiphæ genas percutienti, in palatio Pilati flagellis carnem, tenerum caput acutissimis spinis, in monte Calvariæ vestem militibus, manus, & pedes cruci, sanguinem terræ, cor lanceæ, latroni paradisum, matri Joannem, & Joanni matrem, animam Patri æterno, veniam suis crucifixoribus. Audite aurea Bernardi verba: *Quàm magnificatus factus es in in nuptiis tuis. Rex sponse, bone Iesu, quàm largè omnia, quæ habuisti, tradidisti: latroni paradisum, filio matrem, matri filium, mortuis vitam, manibus Domini animam, toti mundo signa patientiæ tuæ pro redimendo servo non ex parte, sed totum sanguinem fudisti.* Quid igitur lamentaris Christe? Quid clamore valido, adjunctis lachrymis, vociferaris: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ad tanta dona jàm præstita totus obstupefactus, ait Hieronymus, *Dominus meus Iesus Christus, quasi nil dedisset, nec haberet, quod daret Sponsæ Ecclesiæ suæ, clamore valido flevit?* Ah! quod hic reddere potest Christus responsum? Sanè, non nisi hoc: Hoc tibi satis est ô homo! non tamen satis est amori meo.

Quid itaque ad amori plenariè satisfaciendum desideras Christe? Ecce terræ motum quærit, &
Matth. c. 28. v. 2. exauditur pro sua reverentia: *Terra motus factus est magnus.* Verùm quare Christus ad terræ motum anhelat? Augustinus ait: omnes creaturas meritò ingentia ob authoris naturæ interitum ex gratitudine voluisse doloris ostentare indicia, & quasi in tanti sceleris flagitium dignam præparare
Aug. sermon. 12. de temp. vindictam. *Apertè rerum natura perspicitur commoveri, velut in vindictam authoris sui velit armari. Terra ipsa concussa est à fundamentis suis, quasi quæ crucem Domini vix sustineat. Tamquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine, quomodo potest sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu more lugentis induitur. Et ut tota cœli facies Dominicæ nativitatis gloriam novâ luce testatur: ita crucis injuriam novis tenebris detestatur.*

Augustine tuam, ut soleo, & debeo veneror interpretationem: condona tamen, ut salvâ tuâ reverentiâ, ad modernum institutum aliam producam explicationem, quàm mihi suppeditat S. Bernardus. Christus sentiebat in venis, & vulneribus suis adhuc restare sanguinem, ex amore ergò totum volens profundere, terræ motu vehementer humum, & per consequens ipsam crucem concuti desiderat, ut ultima effluat gutta. *Attendas*, inquit, *hoc mysterium, attendas precor: ut totum sanguinem effunderet, factus est terræ motus magnus, concussus est mons Calvariæ, concussum Christi corpus, quâ concussione totus sanguis exhaustus est.*

Ah benigne Jesu! jamnè ardenti penitùs satisfactum est amori? Nondùm satiata est vehemens tua sitis? Ah non. Adhuc audio te clamare *sitio*, & *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quid hoc est? Restatnè adhuc aliquid tolerandum? Imò, imò. Lingua, & cor duo membra supersunt à flagris immunia: ideò pro eorum afflictione rogitat, ut in persona ejus vaticinatus fuit David: *Cla-* Psal. 118.
mavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Rur- v. 154.
sùs pro sua pius filius à patre exauditur reverentia; quia linguæ mittit acetum, & cordi lanceam. Alphonsus de Passione Christi hoc rectè annotat: *Christus omnes corporis sui partes lustrat, an aliqua sit pars, quæ passa non esset. Vidit latus dextrum, quod non ita passum videbatur, & vulneri locum aperuit, ut cor feriatur.* Et hoc quantum ad
cor. Pro lingua ait Bernardus: *Fractis membris* Bernard.
omnibus, dulcis Iesus voluit puniri & linguam, & serm. 14.
ad pœnam linguæ sufficit gustâsse. Et Albertus: *So-* de Pass.
la remanserant cor & lingua, sed & nè illa remanerent absque pœna, felle, & aceto lingua potatur, & cor aperitur lanceâ. O amor! ô charitas!

S. Augustinus loquens de ardenti hac Christi siti, sustinet eam magis fuisse spiritualem, quàm corporalem, & illam Christum magis cruciasse, quam cuncta, quæ anteà pertulerat tormenta. *Sitio.* Ah Christe! quænam hæc tàm vehemens sitis, ut clames sitio? Augustinus ad hoc respondet: *Sitis mea, salus vestra.* Sitio unam lachrymulam è contrito corde depromptam. Clamat ad te, ô Christiane! Christus, *da mihi bibere.* Quem potum exigit? Potum melioris tuæ vitæ, sitit virtutes, quærit, ut salutem vestram operetur, malitiam vestram deglutire, modò vos cooperemini: Ecce sitit, & vehementi opprimitur amoris calore. Ah! cogita homo ipsius sitim non posse extingui, nisi vitæ tuæ emendatione. Sitit pius Dominus, O superbe humilitatem, sitit avare liberalitatem, luxuriose castitatem, &c. Verùm eheu! Jesum credimus clamasse, sitio meliorem vitam, & ta-

men clamantem furdis auribus præterimus, & loco, quòd eum fitibundum dulci contritionis, & lachrymarum liquore refocillemus, ipſum indies amaro ſcelerum noſtrorum felle & aceto potamus. O ingratitudo! ô iniquitas! hæccine eſt gratia ad amicum tuum? Hoc cogita, hoc rumina Chriſtiane.

§. XXII.

Et inclinato capite tradidit ſpiritum.
Joan. cap. 19.

O Lugubris dies! ô funeſtum momentum! Deus homo mortuus eſt, quis unquam ſimile audiit? O inſolitum ſpectaculum! *Vita moritur, ut mors humana redimatur*, inquit Auguſtinus, *occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuo occidatur mors.* Quis tantam Domini Jeſu ruminans benignitatem, ſeſe temperet à lachrymis? Ah, inquit Cyprianus, omnes pariter creaturæ Creatoris ſui mortem planxerunt: & quàm tepidè nos contemplantes acerbam Chriſti Domini Paſſionem, ad effundendas lachrymas excitamur? O dulciſſime Jeſu! *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* O homo Chriſtiane, dum oculis mentis tuæ luctuoſa hæc repræſentatur cataſtrophe, clama cum Propheta Jeremia, teipſum exhortans: *Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Præ luctu conſumere anima, in gemitus erumpe, & in alta ſuſpiria, quoniam ipſa Vita Chriſtus tradidit ſpiritum.

Threr. 9. 1

Filiæ Iſraêlitæ pro more habebant, quòd ſingulis annis ad ſepulchrum filiæ Jephte à patre ſuo Deo oblatæ, proficiſcerentur, ut ibidem innocentis virginis lugerent mortem, ut atteſtatur ſacer textus Judic. cap. 11. *Exinde mos increbuit in Iſraël, & conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni curriculum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.* O Chriſtiani! hodie annualis occurrit dies, quo convocati eſtis, non, ut unius filiæ Jephte necem deploretis, verùm ſplendidiſſimi illius Solis Juſtitiæ Chriſti lugeatis occaſum. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ah, ſummo cum fundamento populus Iſraêliticus ſanguineis lachrymis, inſolitoque luctu mortem generoſi ducis Judæ Machabæi planxit, altâ voce clamans: *Quomodo cecidit potens in prælio, qui ſalvum faciebat populum Dei.* Nonne majori cum ratione nos acerbam Ducis ſupremi totius mundi Salvatoris Chriſti Domini deplorabimus necem?

Verſ. 40.

I. Mach. c. 9. v. 21.

Ad planctum amarum univerſa ſanè nos ſtimulat creatura, quocumque enim oculos convertam, nil niſi mœſtitiæ & lamentationis intueor objecta. Si eos ad cælum attollam, ecce illud tenebris involvitur, ſi terram aſpiciam, horrendo motu concutitur, crucem Domini ſuſtinere non valens: *Pendente*, inquit S. Leo, *in patibulo Creatore, univerſa creatura ingemuit, & crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt, nihil ab illo ſupplicio liberum fuit.* Et rationalis creatura oculis lachrymas denegabit? O Maria, qualis cor tuum, & animum dolorum fluctus obruit, dum Unigenitum tuum exhalantem vidiſti ſpiritum? Qualis, fateor, explicari humana lingua penitùs nequit. Dicat tamen ſuam de ipſius intenſiſſimo mœrore S. Bonaventura ſententiam: *Regina clementiæ Virgo, Mater Chriſti, cùm videres filium tuum in cruce mori, nullus ſimilis tuo dolori dolor.*

Bonav. in Spec. Virg.

Verùm, cur Chriſtus inclinato, & non elevato capite emiſit ſpiritum? Hoc namque nec ſuo ſanè caret myſterio. *Inclinato capite ad matrem*, inquit Irenæus. Sed quid hoc ſigno mœſtæ, & afflictæ matri ſuæ innuere prætendebat Chriſtus? Ille ad eam ſic mutus clamabat: O piiſſima Virgo, en curſum tragicæ Paſſionis meæ ſpectaculi perſolvi, & ad Patrem tendo, teque deſerere cogor. Cerno animum tuum dirâ triſtitiæ ſagittâ transfodi, & intimè doloris lanceâ lancinari. Reſume animum mater, tibi in ſolatium dilectum meum trado diſcipulum Joannem, qui eſt alter ego, illum ego loco meo ſubſtituo, & ut adhuc vivus dixi: *Ecce filius tuus*, hunc quoque mortuus tibi indigito. Sed tantùm abeſt, ô contemplativi, ut funeſtum hoc ſignum Mariæ fuerit ſolamini, ut audeam dicere, quòd ipſi ſummo extiterit cruciatui, (ut ſupra oſtendi paragrapho 20.) quare ad hæc Chriſti verba, *inclinato capite tradidit ſpiritum*, alii aliam ſacræ Scripturæ Interpretes non contemnendam adducunt rationem. Pro qua bene intelligenda operæ pretium eſt parvulam è Platina, de Pontificibus tractante, in mentem revocare hiſtoriolam. Ille commemorat, ex marmore Romæ à quodam perito ſculptore artificioſam erectam fuiſſe ſtatuam, cui inſculpta legebantur hæc verba: *Dum Sol menſe Iulio erit in*

meri-

meridie, caput aureum habebo. Quod dictum quidnam indicaret, cùm ignoraretur, sæpe sæpiùs Romanorum Academici interpretationem hujus indagârunt, qui eam invenire non valuerunt: certum erat, marmoreum caput ardore Solis non posse commutari in aurum. Quare unanimiter confitebantur, ea verba alium quendam sensum prætendere. Transactis quamplurimis annis, tandem Urbem sanctam visurus, eò appulit ingeniosus quidam alienigena, qui curiosè omnes Romanas antiquitates, splendida, & ampla palatia, rara ædificia, artificiosasque picturas, & statuas investigans, tandem ad hanc pervenit, cujus artem cùm admiraretur, simul & hæc exarata legit verba: *Dum Sol mense Iulio erit in meridie, caput aureum habebo.* Quæ & ipsi magnam peperêre difficultatem, & penes sese variis ea explicandi ponderatis mediis, denique statuam eo mense, & meridiano tempore contemplari statuit, sicut & fecit. Accessit itaque tum ad illam, quam attentè aspiciens annotavit locum, ad quem capitis illius umbra pertingeret, in quo fodere incepit, sperans umbram illam ab artifice statuario ibidem absconditum aurum, & thesaurum indigitare. Quod ei ad mentem contigit. In eo namque loco ingentem auri defossi invenit copiam.

Ad instar peritissimi illius statuarii nobiscum sese gessit Christus. Ecce divina hæc statua in altum in fatali Calvariæ monte erecta, perpendit cuncta corporis membra, durante Passionis tempore, in sanguinis effusione prodiga extitisse. Cernit omnem fermè donorum cælestium dispensatum esse thesaurum. Sentiens tamen in corde parumper cruoris restare, ad barbaros Judæos rursus exclamat, *sitio.* Ah, cor meum sit vulneratum! venite, aperite meum latus. Sed eheu, morte præventus, & voce destitutus, *inclinato capite, tradidit spiritum.* ostendens ejus umbrâ pectus Longino, & indigitans, in illo adhuc pretiosissimum quendam thesaurum pro dilecta sua sponsa Ecclesia latitare. Quo signo ipse attractus, ad Christi latus perfodiendum velociter accurrit. Pro cujus actûs explicandis mysteriis sit

* * * * *

§. XXIII.

Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Joan. cap. 19.

INtuemini adstantes, & contemplantes finem mœstæ hujus catastrophes, Christus occubuit. O sævæ tygrides! ô immanes leones! estne modò vehemens cordis vestri erga Christum odio æstuantis, extinctus ardor? Nuncne sanguine mitis Agnelli estis abundè satiati? Mortuus est Christus. Crocodilus ex natura sua ferox, ut testis est Plinius, hanc adhuc habet innatam mansuetudinem, quòd, enecato jam homine, feritatem suam plangat. De leone cantat Ovid.

Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni,
Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.

Et vos sævis illis animantibus crudeliores, adhuc in corpus sævitis? O perfidi! ah, video nondum vestra rabies sopita est, nondum radicatum vestrum odium evanuit. Laboratis nocivo hydropisis morbo, quoniam, quò plus cruorem Christi hauritis, eò vehementiùs sititis. Non fuit inventa gens à primordio mundi ad hoc usque sæculum, de quo agimus, tam barbara, quæ non abominandum semper judicavit scelus, inauditam sævitiam in mortuum sævire. Unde extraordinaria Japonensium incolarum reputatur adhuc moderno tempore impia, & crudelis consuetudo, qui solent gladiatorum temperaturam, & brachiorum fortitudinem explorare in cadaveribus damnatorum ad mortem, cōscindendis. Tam fera fuit Judaica gens, ut à simili immanitate non abhorruerit. Quod stupendum nefas tanti æstimat ponderis S. Chrysostomus hom. 48. ut dicat: *Illudere mortuo, quàm ipsum supplicium crucis longè pejus est.*

O benignissime Jesu, unicum animarum nostrarum refugium, quî fit, ut etiam post mortem tuam vulnerari desiderâris? An sufficientes & superabundantes cor tuum passum non est dolores, quando clamâsti: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ah, inquit Bernard. ferum hoc vulnus splendidissimus est amoris Christi radius. Imitatur pius Dominus infelicem illum amantem, qui ob amatam suam in duello læsus, ipsi effigiē suam

depictam cruore madidam transmisit, cum dicto: *Sicut deforis, ita & intùs*: ac si diceret, quemadmodum in corpore vulneratus sum, ita & cordis lanceâ lancinatus sum. Christus, maxima, crucifixoribus clamans: *Pater dimitte illis*, ostenderat amoris indicia: ne itaque quis forsitan cogitaret, eum tantùm ore, sed non corde, (ut Politici hujus mundi faciunt) condonâsse, cor aperiri mandat, ut toti mundo amoris sui candor appareat. Audite Bernardi verba: *Cur vulneras cor jam diu vulneratum?* Et respondet: *Vt per vulnus visibile, vulnus invisibile amoris videretur.* Cui concinit Salmeron: *Permisit cor aperiri, ut verum ostenderet amorem.* Illud namque vulnus verus locus erat spiritualis animarum nostrarum regenerationis, prout prædixerat Propheta Isaias: *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Stupendum quid contigisse, in Annalibus comperimus Hispaniæ. In iis refertur, tempore Regis Sancii Abarcæ, ejus matrem gravidam, hoste armatâ manu quandam civitatem intercipiente, lanceâ in utero grave vulnus recepisse, è quo infantem incolumem peperit. Pariformiter Longini lanceâ transfossus Christus, nos ex eo Patri cælesti incolumes spiritualiter peperit.

Quidam veteres Philosophi (ut commemorat Lucianus) conquerebantur de ipsa natura, quòd illa in pectore humano nullam statuisset fenestram, per quam quilibet conspicere potuisset abscondita cordis humani: sed seipsos dementes dementes decipiebant, quia ubi à corde per fenestram, dumtaxat recondita contemplari, & extrahere cogitabant, ex ea sese quoque fœtentes peccatorum exhalationes percepturos non prævidebant. *Ex corde exeunt*, inquit Matthæus, *homicidia, adulteria, &c.* Fateor, hoc merum erat Gentilium figmentum. Sed, si velimus illud ad mysticum & catholicum sensum trahere, nonne meritò asserere poterimus, id post mortem in cruce effecisse Christum Dominum, dum sibi de proprio consensu permisit fenestram cordis sui aperiri, ut quilibet secreta purissimi, & non fœtidi cordis valeret intueri, ut in quo, juxta falsam Philosophorum imaginationem, errârat natura divina, suppleret clementia. De tanto Christi beneficio (cæteris humano generi exhibitis non prætermissis) ad octo admiratus Augustinus, mirabilem hanc profert sententiam, serm. in Psal. 7. *Dominus Deus Iesus post cætera inæstimabilis erga me*

Matth. 15. v. 18. & 19.

beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi, ut in dextro mihi locum pararet refugii. Et idem quoque in Manuali confitetur cap. 23. dicens: *Longinus aperuit mihi lanceâ, & ego intravi, & requiesco securus.* Bene dixisti Augustine: qui namque requiescit in foraminibus petræ, id est, in vulneribus Christi, maximè quietus recumbit.

Moris erat apud antiquos Medicos, & ipse etiamnum in moderno viget ævo, ut ipsi mortui jam cujusdam causam, ab amicis solicitarent, ut ejus corpus possent anatomizare, & sic originem necis cognoscere. Christus mortuus erat, vix aliquis mortis illius expiscari valebat causam. Judas proditor sese pessimè sanguinem extraxisse fatebatur, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Pilatus ad venæ sectionem properârat, eum tradens flagellis, & imperitus medicus ignarum sese dicit morbi Jesu, & medicinæ suæ nullam potest adducere rationem: *Nullam invenio in eo causam mortis.* Latro Dismas pulsum ejus investigat, & dum necinæ qualitatem, nec alterationem ullam reperit, eum omninò sanum declarat hisce verbis: *Quid enim mali fecit?* Hebræi Medici hoc efformant argumentum ex cap. 21. Deut. desumptum: *Maledictus homo, qui pendet in ligno.* Ergo qui pendet in ligno, gravissimum commisit scelus. Et ignari non reminiscuntur sanctæ, & puræ ejus vitæ, ob quam dixit Petrus: *Peccatum non fecit, & non est inventus dolus in ore ejus.*

Matt. 27. v. 4.

Ioan. 13. v. 18.

Luc. 23. v. 23.

Deut. 21. v. 23.

Ad quæsitæ difficultatis enodationis nodum annotandum est, Medicos solere aposthemiam, & præcipuè circa cor ex Hypocratis & Galeni lege, aut, ut meliùs dicam, opinione, incisione curare, quam aperturam, non novi vulneris inflictionem nuncupant. Ideoque ait Evangelista: *Vnus militum latus ejus aperuit*, & non *vulneravit*: quoniam benignus Dominus ab initio suæ conceptionis laborârat aposthemiâ: unde militis indignabundus quasi culpans feritatem, clamat Bonav. *Quid vulneras Longine cor tam diu lanceâ vulneratum amoris?* Ah! vulnus fuit maximi amoris: ut ille videlicet, qui foris tantùm resplendebat, intus quoque conspiceretur. Et Christus ipsemet duo ex nostro amore, id est, humanæ naturæ sponsæ suæ recepisse attestatur vulnera: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum.* Supra quem locum sese reflectens S. Bernardus, dicit: *Bu positum est vulnerâsti, quia utriuf-*

utriusque vulneris ipsa sponsa causa est, ac si diceret: quia telo amoris tui vulnerâsti me, lanceâ quoque militis vulneratus sum. Sicque Christus imitatus est quasi desperatam ob amorem Æneæ Didonem, de qua cantat Ovidius:

Nunc mea nunc primùm feriuntur pectora telo,
Ille locus sævi vulnus amoris habet.

Et de hoc Longini ictu, causa & origo mortis Christi patefacta est, nimirum vehemens & calidus amor. Evidens itaque est pacis, & reconciliationis lanceæ hoc vulnus.

Apud Antiquos mos vigebat, quòd, dum militiæ duces jam in tentoriis commorantes, ut datâ opportunitate hostem suum opprimerent, ab unâ & alterâ parte quamdam inclinationem, & affectum ergà pacem, & concordiam percepissent, ii adversario lanceam, in cujus cuspide signum belligerum erat expositum, transmitterent, tamquam ad inimicum legatum. Quòd si ab eo ipsa detinebatur, nec remittebatur, clarum accipiebant responsum, quòd nullatenus exspectanda foret pax, & quòd belli finis totalis unius, aut alterius exercitus strage esset determinandus. Quòd si è contra hæc lancea remittebatur, evidens habebatur hostilitatis, & inimicitiæ sopitæ signum.

Hoc ipsum (ut mihi videtur) observavit piissimus Jonathas, inseparabilis Davidis amicus. Ipse, ut refertur lib. 1. Reg. cap. 20. volens indicare illi, an furibundi patris sui Saulis erga eum nondum dissipatus foret furor, hoc dedit indicium:
1. Reg. 20. v. 21. *Si dixero, sagittæ intrà te sunt, veni ad me, si sic locutus fuero: sagittæ ultrà te sunt, vade in pace.* Id est, si illæ intrà te sunt: accurre ad me velociter, ut tibi consilium, & suppetias præstem, ad tam potentis inimici sanguinis tui sitibundas manus evadendas; quia illud tibi erat manifestum signum, adhuc sub calido politiæ, & dissimulationis cinere, odii & rancoris favillas sublitescere. Verùm, *si clamem, ultra te sunt*, testimonium redintegratæ amicitiæ est, quòcumque placuerit, vade in pace.

Haud dissimiliter Christus Dominus lanceam Longini destinavit in testimonium pacis initæ, inter Deum, & hominem, & ut cognosceretur, an justitia, an misericordia triumphum obtineret: ecce lancea delegata è pectore Domini ad Longinum redit, cujus cuspidi inscripta est: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Erat namque sanguine tincta, & aquâ aspersa. Quod manifestissimum (ut jam statim ostendam) irati Patris cholerae extinctæ extitit indicium. Modò quàm optimè intelligo, cur Propheta David in persona Christi dicat: *Similis factus sum pellicano solitudinis.* Ps. 110. 7. De hujus namque proprietatibus, & essentia asseverant Naturalistæ, quòd tanto amoris ardore ergà pullos suos feratur, ut proprium pectus acuto suo rostro aperiat, & sic sanguine profluente, ipsos enutriat. Imò, ait Pierius, quòd etiam illos mortuos vitæ restituat. Quis negabit, hanc naturam benigno nostro Pellicano Christo, qui pectus lanceâ aperiri permittit, ut animæ nostræ spirituale nutrimentum, & vitam donet? *Habet hæc avis*, inquit Augustinus, *magnam similitudinem carnis Christi, cujus sanguine vivificati sumus.* Admirabilis de Lactantii matre Regina Castiliæ commemoratur historia: nimirum, quòd ipsa admonita de Ottomannici Christianorum jurati inimici in regnum suum violentâ invasione, prolem utero gestans, etiam partui vicina, ad instar generosæ Amazonis, masculum induens animum, in propria persona cum exercitu suo Ottomanno obviam processerit, de salute patriæ contra eum dimicatura. Contigit autem, ut Reginæ uterus lanceâ cujusdam militis transfossus sit, è quo vulnere, ipsâ mortuâ, Lactantius partem manus extendens, signum dabat militantibus, in visceribus defunctæ matris adhuc vivum superesse regni hæredem. Quod prodigium adeò in tam periculosa pugna animavit milites, ut clamantes: *Vivum Regem habemus, vivum Regem habemus*, in hostiles Ottomannicas turmas tanto furore insilierint, ut inimicum ad infamem & ignominiosam fugam compulerint.

O Christiani! ad hanc attendite historiam, sive veram, sive falsam, quam narrat Antonius Arichinus in sua Passione. Et perpendite, nos omnes in corde Christi Domini latere, juxta illud Isaiæ: *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à vulva mea.* Isai. 46. 3. Filii tanto majori dolore partis, quò longiùs ad pariendum tempus fuit requisitum. Autumabat barbara gens Hebraica, nos omnes in sinu cordis Christi delitescentes, dirâ Longini lanceâ transfodere: ast, ô felices nos, decepta est: & unde mortem nostram sperabat, inde nescia vitam offerebat. Quoniam S. Hieronymus ait: *Latus Christi percutitur lanceâ,* &

& Sacramenta fluxêre. Et Bernardus non veretur dicere : *Latus est mystica porta salutis.* Quia ex eo vulnere emanavit baptismus , qui ad alia Sacramenta est porta, & fine quo nullus salvari potest, Et Eucharistia saluti animarum nostrarum maximè necessaria, ut attestatur ipsamet veritas Christus : *Nisi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Bern. ep. 83

Ioan. c. 6. v. 54.

Verùm modò semel seriò indagemus , cur ex hoc vulnere effluxerit sanguis & aqua : *& continuò exivit sanguis & aqua,* & investigemus, quid prætendat sanguis, quid prætendat aqua ; in hoc enim mysterio maximè elucescit Christi Domini amor. Variæ fateor sicuti sunt Doctorum, & sacræ Scripturæ interpretum interpretationes : ita varia sunt eorum fundamenta ; primum eruitur è Philosophorum documento. Asserunt ipsi vulnus mortui è corpore in præsentia occisoris sanguinem emittere, quasi clamantem contrà homicidam vindictam. Quod si tamen tantillum aquæ ipsi vulneri applicetur, sanguis sistit. Aderant juxtà vulneratum corpus Christi perfidi homicidæ Judæi : ne igitur sanguis ille, è vulnere lateris profluens ad Patrem cœlestem severam clamaret vindictam : aquam ipsi commiscet. O amor! ô pietas! ecce Christus omni stratagemate etiam crucifixoribus suis impertiri conatur benignitatem.

Ioan. c. 16 v. 34.

Aliam ad præsens quæsitum S. Cyprianus donat rationem. Sustinet hic, binam Christi Domini mortis extitisse causam. Pilatum nimirùm, qui lavans manus suas, in illum pronuntiari mandavit sententiam , & Judæos, qui furibundâ voce clamârunt: *Crucifige crucifige eum.* Quia itaque aqua Pilati denotabat peccatum, & sanguis Judæorum homicidium ; Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Vult piissimus Christus, ut sanguis & aqua è latere egrediatur in evidens testimonium, quòd amborum ex sincera corde dimittatur piaculum. *Propter duas cædes,* inquit hic S. Doctor, *unam judicantis, alteram verò clamantium, sanguis ejus super nos, & super filios nostros, ut ostenderet se utrique condonare.* Præterea, quandoquidem juxta medicos ira sit *ebullitio sanguinis circà cor,* expressè è latere transfosso ultimam sanguinis guttam effundi mandat, ne minima vindictæ, & choleræ superstes remaneret materia. *Pro nimio amoris sui fervore voluit lanceâ latus aperiri, ut demonstraret , quod totum suum sanguinem tradidisset, ne ultrà cholera materia superesset,* inquit Bonaventura.

Hîc duæ adhuc piæ nequaquàm prætereundæ sunt speculationes. Pro quibus inquirendum est, cur etiam Christus aquam in sanguinis effusione adhibuerit , & cur aqua post sanguinem exierit. Ad primi quæsiti solutionem procedo. Numquàm annotâstis Auditores, dum poculum ab aliquo liquore præexistente quispiam nitidè vult emundare. quod ipse illud aquâ abluat, ut sic nihil amplius illius restet, idipsum fecit Christus, desiderans vas cordis sui ab omni sanguine detergere, aquâ utitur ut sic nil supermaneret. Ad secundi enodationem, quædam advertenda est medicorum curandi regula pro pleuritide. Dicunt hi, ut Cornel. Celsus, Hypocrates, & alii, efficacissimum pro ea (quæ in vehementi lateris dolore consistit) fore remedium ex diversis corporis partibus sanguinem extrahere. Si hoc non juvet, cucurbitæ lateri sunt applicandæ , inquit Celsus. Et addit Hypocrates, quòd tàm diu sanguis debeat elici, donec mutet colorem. Ah Christiani ! quænam erat Christi Domini nostri infirmitas ? Sanè vehementissima amoris pleuritis , quæ ejus cor continuis puncturis & stimulis affligebat. Vix protoplastes Adam de vetito comederat ligno , vel statim Verbum intenso sese incarnandi exarsit ardore. Vix jam incarnatus febre opprimitur frigidâ , & præ frigore tremens pannis involvitur. Diebus octo nato in circumcisione aperitur vena : attamen nec febris sese remittit, sed ardor magis magisque accrescit, & continuò clamat *sitio.* Tùm cœlestis medicus filii salutis providè satagens, eum ad hortum misit, non, ut ibi pulchros flores colligeret , sed amaras spinas, & tribulos meteret, & sanguineo sudore emisso, noxios morbi humores expelleret : *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis.* Sed omnia in vanum. Ulterius pergit, & ordinat, ut intret palatium Pilati , ut ipsi flagellis è toto corpore abundans extrahatur sanguis, at nec sufficit, quare coronâ spineâ è capite infectus cruor divertitur, ast adhuc convalescentiæ , & æstus remissionis nulla apparet spes. Deducitur ad montem Calvariæ, ut ei manus, & pedes perforentur, & nihilominus calor non evanescit, nec imminuitur, & altius clamat *sitio.* Et tandem extremum supernus medicus per Longinum ei applicari curat remedium. Ipse enim lanceæ cucurbitas lateri apponit, & sanguinem eò usque evacuat, donec colorem mutet, & aqua egrediatur. Et sic pleuritis, & vehemens sitis cessat, quia nil amplius habet, quod effundat.

Cornel. Celsus lib. 4. cap. 6. Hypocr. c. 11. de ratio. victus.

Luc. c. 22. v. 44.

Ah!

Ah! hic clarissimè intueri quisque potest, Christum hoc vulnere plus ferventem voluisse ostendere amorem, quàm insanam Hebræorum rabiem. Quoniam jàm frigidum, & congelatum quasi erat mortuum corpus è quo furibunda Judæorum sævitia sanguinem extrahere non poterat; sed ipse sanguinis sui prodigus, eum ad ictum lanceæ liquefaciens, ultrò profudit. Divino amori morte Christi satisfactum non erat, idcircò internas, quas in corde nutriebat adinstar alterius montis Vesuvii amoris flammas voluit evomere. Ah possem justè dicere! *Fortior morte est dilectio.* Loco illius Cantici: *Fortis est, ut mori dilectio.* Cant. c. 8. v. 6. Confusa restat Judaica rabies, & quem illa cruorem elicere non valuit, amor benigni agni effudit.

Ad hoc propositum mihi in mentem incidit præclarus patientissimi Job actus, æternâ sane memoriâ dignus. Ille cunctas diabolicæ militiæ in se armatas cernens phalanges, omnemque quasi in ruinam suam conspirare creaturam, hostibus omnem vi, & impetu auferente substantiam, Diabolo mœstum patrem concutiendo domus parietes, in qua epulabantur filii, omni prole orbante, atque videns sibi solam restare vestem, quâ corpus cooperiebatur, *scidit vestimenta sua.* Iob. c. 1. v. 20. O Job! quare te tàm impatientem (ut primâ fronte apparet) ostendis Ah! id impatientiæ Job, qui verum erat patientiæ exemplar, minime est attribuendum. Quia præclarum illud sacra Scriptura de eo dat testimonium: *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.* Iob. c. 2. v. 10. Audite itaque, quid de hac vestium dilaceratione, dicat Chrysostomus. Intuebatur Job vehementem, & indomitam dæmonis rabiem, ipsumque omnia attentare furoris sui media: ast illius quasi misertus impotentiæ, ei succurrit, & ad ipsius confusionem vestem suam etiam ultrò offert. Ac si vellet dicere scindens vestimenta sua: ô perfide spiritus! tu in me furiose sævis, omniaque bona mea appetis, ecce ex Dei mei amore, etiam hanc vestem tibi dono, ut meliùs ardens sitis sedetur. Sic appositè exponit ipse homilia de Job: *Disrupit vestem, quâ indutus erat, diaboli rapacitatem confundens, gloriaturque contrà tentantem, ostendens ei, quod majora sustinere queat.* Christus cruci inclavatus, cernens sese dedisse paradisum Disrnæ latroni, matrem Joanni, tunicam militibus, Patri spiritum, totum corpus carnificibus Judæis, adhuc illud in una parte sentiens integrum, eam quoque dilacerari permisit, ut Hebraica iracundia, divinâ vinceretur clementiâ.

O Christiani! audivistis, & mentis oculis contemplati estis amorosum Christi lateris vulnus. Sed quid benignus Dominus illo à nobis prætendit, quod ei pro hoc satis dignum poterimus rependere munus. Cogimur sanè exclamare cum juniore Tobia, loquente de Angelo debita donanda itineris mercede: *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Tob. c. 12. v. 3. Ah! ipse hâc lateris apertione, cor suum donat, & ipse etiam in recompensationem cor nostrum expostulat.

Commemorant Salernitani Annales, ut author est Marcellinus Picenus homilia 6. de institutione Eucharistiæ, sævam de Tancredo historiam. Is animadvertens nobilem quemdam Palatinum in palatio suo commorantem, nomine Guiscardum, summopere adamare filiam suam Sigismundam, à qua vicissim tenerè diligebatur: veritus, ne connubium inirent (erat enim inter ipsum, & illam magna stemmatis, & nobilitatis inæqualitas) quodam die penes sese conclusit juvenem apprehendere, eâ intentione, ut ipsi faceret vivo è pectore cor exscindi, quam inique perfecit: verùm nec hic intoleranda ejus substitit barbaries, sed illud in argentea scutella positum, filiæ suæ Sigismundæ in cubiculo suo existenti, misit: per latorem ipsi dicens: *Ecce cor cordis tui, capé cor amantis.* Quid cogitatis Auditores, quid tanto spectaculo attonita, & tantâ feritate patris deterrita, fecerit Sigismunda? Ah! cor illud adhuc palpitans & calidum, madidis oculis aspicit, lachrymis irrigat, volvit, & revolvit, & sic exanime cor affatur: ô cor! tu ex amore mei vitâ es orbatum, tu es corculum cordis mei. Ah! quid tibi, ô cor! præstare possum in pignus amoris tui? Aliud dignum munus, quocumque me vertam, non reperio, quàm ut cor pro corde tradam. Quare pugionem pectori infixit, clamans: *Cor corde rependo.* Et sic amata cum amante miserè interiit.

Haud dissimiliter mortuo nostro contigit Christo: cognoverat æternus Pater, quanto filius suus ergà animam nostram teneretur amore; cujus evidens edere volens testimonium, permittit, ut ipsi Longini lancea pectus aperiat, ut sic cor amantis Christi toti mundo contemplandum hodie mittat. Ast, in quem finem? Ut tu, ô homo? ad instar Sigismundæ vicissim Christo cor tuum consecres, & clames: *Cor corde rependo.* Ejá itaque Christiane, incessanter hanc amoris mentis oculis intra fornacem, pro quo nil aliud exigit, quàm cor tuum vociferans: *Præbe fili mi,* Prov. cap. 23. v. 26.

cor tuum mihi, uni, & conjunge amoris vinculo cor cordi Christi, sicque illud stabile, & immobile permanebit. *Cor hominis divino amori affixum stabile persistit, & non amando mutabile permanet*, inquit Hugo Victorinus. Abstrahe illud à mundanis, & terrenis rebus, ex eo depelle idola, id est, peccata, atque iniquitates: & tum tuum ergà

D. Thom. Opusc. 61. Deum ostendere incipies amorem. *Anima cum primo amare incipit, à peccato languescit*, ait Angelicus Doctor. Ama sincerè eum, qui te divino amore amavit, desine amare qui te fictè amat.

Narrat Plinius, in territorio Tycico fontem repertum fuisse tàm stupendæ proprietatis, ut ille, qui ex eo aquam biberat, omnem concupiscentiam deperderet, ideoque *fons Cupidinis* nuncupabatur. *Tycici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes omnem deponunt amorem.* Currite, currite Christiani, ad vivificum hunc fontem, qui è latere

Isai. c. 12. v. 3. Christi Domini scaturit. Ibi *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ecce prodigiosus sanguinis Jesu fons pectoris vulnus est, ex isto bibite, & absque dubio omnem vani amoris amittetis reminiscentiam, & mundanus amor in divinum, & cœlestem commutabitur, sicque poteritis

Ad Galat. c. 2. v. 20. meritò exclamare: *Vivo autem, non jàm ego, vivit verò in me Christus.*

Generosum fuit responsum istius militis datum Joab, supremo Davidis militiæ duci, ut refertur 2. Reg. cap. 18. dicentis: *Vidi Absalon pendere*

Vers. 10. 11. & 12. *de quercu.* Ad quod Joab: *Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & unum balteum.* Ad quod miles viriliter respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquàm mitterem manum meam in filium regis. Audientibus enim nobis, præcepit Rex tibi, & Abisai, & Ethai dicens: Custodite mihi puerum Absolon.* O Christiane miles! perfidus ille Joab, infernalis exercitus dux diabolus, tibi sæpè sæpiùs persuadet, proposito temporalium bonorum lucro, promissis omnibus mundi deliciis, & vanitate, Christum in cruce pendentem iterum dirâ peccatorum tuorum lanceâ transfodere. O Homo! dic, & generosè clama: Si appenderes omnia totius mundi oblectamenta, cunctas universi divitias, & quodcumque terrenum imaginari quis potest bonum: *Nequaquàm mitterem manum in filium Dei.* Apagè itaque, eum volo amare, qui me tàm vehementer amavit, eum desidero animitus diligere; qui cor suum mihi moriens donavit. Volo, volo cor corde rependere.

§. XXIV.

Accepto Corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo. Matth. cap. 27.

Mortuo jam Christo, fidelis ipsius discipulus Joseph ab Arimathæa, utpotè, qui nec in ultimo luctamine suum deseruerat magistrum, pro sepultura corporis sollicitus, absque ullo pavore Pilatum accessit, illudque ab eo expostulavit, ut narrat Matthæus cap. 27. *Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.* Vix Joseph tàm pretiosum de cruce deposuerat thesaurum, ad matrem flentem cucurrit, illumque ei obtulit, cadaver in sinu reponens, ut illud ipsum corpus, quod in proprio virgineo vivum requieverat novem mensibus utero, mortuum quoque in benedicto ejus requiesceret gremio. *Ioseph & Nicodemus*, inquit Alanus, *ipsum de cruce deposuerunt, & super genua matris ipsum reclinaverunt.* Vers. 57. & 58.

In hac sacra pretiosissimi Christi corporis depositione, an felicitatis palmam reportet Joseph, an Maria, vix ipse resolvere possum. Pro Josepho militat, quòd emortuum dilecti filii cadaver sævissimum matri crudelissimæ Passionis extiterit instrumentum: attamen pro ipsa patrocinatur, quod immensum indè promeruerit meritum, & supremum Reginæ Martyrum obtinuerit titulum ac eminentissimæ gloriæ præmium. Ut infrà mox ostendam. Quare hoc saltem dico: ô Joseph, felices tuas in oculis divinis æstimatas fuisse manus, quia tanti Domini mortuum attingere meruêre corpus. Quod si hoc ita sit, ô Christiani! quantò feliciores nos non sumus, qui Dominicum corpus vivum indies contrectamus, deglutimus, oreque nostro in animæ cibum sumimus, & sanguinem ejus in potum lambimus? Sed heu! quid dico? Quoties eò longè infeliciores! Ecce quantam ipse exhibuit curam, quantamque reverentiam, ut divinum hoc corpus nitidissimè inhumaret. Textus id testatur: *Accepto corpore, Ioseph involvit illud in sindone munda.* Et heu! quoties nos infelices illud in fœtida peccatorum cloaca, & immunda anima recondimus! & sic æternum nobis manducamus, & bibimus judicium. Illam tantæ munditiæ Joseph

ſeph curam conſiderans S. Ambroſius, dicit, felicē pōſt tot opprobria, & improperia extitiſſe, honoreque affectum mortuum corpus ſuper hunc locum: *Beatum planè corpus, quòd Virginitas peperit, & Iuſtitia cuſtodivit. Cuſtodivit illud Ioſeph tumulus incorruptum: ſicut ſervavit illud Mariæ Virginis uterus illibatum. Hîc enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur ſanctitas, ubique virginitas. Novus illud venter recēpit, novus tumulus incluſit. Dominica ergò eſt virgo vulva, & virgo eſt ſepultura. Eſt enim ſimilitudo non parva: ſicut enim Dominus de matris vulva: ita de Ioſeph ſepultura vivus ſurrexit. Et ſicut tunc de utero ad prædicandum natus eſt, ita nunc ad evangelizandum renatus eſt de ſepulchro.* Et addit Auguſtinus ſerm. 113. de temp. *Maria Dominum pannis involvit, cùm natus eſt; Ioſeph linteis, cùm receſſit. Illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit.*

Serm. 48. 56.

De abſoluto, & expreſſo Dei mandato in veteri lege Davidis in regno ſucceſſor Salomon, in templo Hieroſolymitano tanto ornatu, labore, peritia, & prudentia exſtructo, duo ædificavit altaria. Unum ad ſacrificandum, alterum pro thimiamate, erant tamen ambo ex eadem planè materia fabricata, & eâdem figura, & ad eumdem finem. Hæc dumtaxat reperiebatur differentia, quod in uno occiſa, & ſanguine conſperſa offerrentur animalia, in altero aromata, & odorifera incenſa accenderentur. Sic teſtatur Auguſtinus: *In illo altari, quod foris erat, animalium celebrabatur ſacrificium: in illo verò, quod intùs erat, thimiamatis offerebatur incenſum.* Hodiè vobis propono in ultima ſcena funeſtæ hujus tragœpiæ duo altaria, unum eſt Chriſtus, in cruce amore noſtro mortuus: alterum doloroſa ejus mater, quæ ſedulam ipſius ſepulturæ geſſit curam. Duo altaria ejuſdem omninò materiæ: quoniam *caro Chriſti, caro eſt Mariæ*, inquit Auguſtinus. Erant quoque utcumque æqualia, quia Maria, mediante maternitate, divinitatem quaſi participavit, & divinus amans, amatæ ſuæ danti humanitatem, divinitatem in quantùm poſſibile fuit in recompenſationem obtulit. Unde Guericus Abbas ait: *Communicâſti, quod homo ſum, communicabo tibi, quod Deus ſum.* Ac proindè in altari crucis ad eumdem à Chriſto offerebatur finem, pro humani videlicet generis redemptione ſolemne holocauſtum, & in altari piiſſimæ matris cordis odoriferum a dolebatur ſacrificium. Hoc ego non dico, ſed Arnoldus Carnotenſis: *Ambo pariter holocauſtum offerebant, hæc in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis.*

August. ſerm. 255. de temp.

Serm. 2. de Aſſump.

Tract. de laud. Mariæ.

In iſto altari idem ardebat ignis: Quemadmodum enim Chriſtus altero zelo non ſtimulabatur, niſi æterni Patris ſui mundo evidenter manifeſtare gloriam, id eſt, miſericordiam: ita & Maria mater ejus, memor dicti ſui: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, proprium filium cruci, aliis deficientibus, propriis manibus affixiſſet. Sic atteſtatur Auguſtinus: *Si opus fuiſſet, ipſa Virgò filium ſuum crucifixiſſet.* Hæc inter Mariam, & Jeſum dumtaxat reperiebatur diſſimilitudo, quòd ille carne, ipſa autem pateretur mente. Unde ait Carnotenſis: *Duo videbantur altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti: Chriſtus carnem, Maria immolabat animam.*

Luc. c. 1. v. 38.

Auguſt. Tract. de ſeptem. verbo Dom.

Dolorem, quem tùm piiſſima in corde ſentiit Mater, quis explicare poteſt? Ex affectus materni ergà filium eminentia, magnitudo doloris utcumque, dum ille affligitur, inveſtigari poteſt. Quælibet genetrix, filium indigitans, iſte eſt filius noſter, dicere poteſt, ſed ſtrictè loquendo, non, iſte eſt filius meus. Quoniam adhuc alium genitorem tenetur recognoſcere. Verùm Maria abſolutè aſſerere poteſt monſtrando benedictum Chriſtum, hic eſt filius meus, quia in illius conceptione nullum virum agnoſcit. Unde de ea dicit Evangeliſta Lucas: *Peperit filium ſuum.* Si itaque ipſa extiterit mater, & pater, neceſſe eſt, ut duplici amore paterno ſcilicet, & materno illum proſecuta fuerit. Hinc ait Anſelmus: *Plùs omnibus amavit, & plùs omnibus doluit.*

Luc. c. 2. v. 7.

Crucifixus ergò ipſemet filius ditus Mariæ extitit carnifex: quoniam omnia corporis ipſius vulnera, ſæva illius cordis fuêre tormenta. Sic appoſitè atteſtatur S. Bonaventura: *Hoc ſolum reſtat, quod ipſe in corpore; Maria verò in corde paſſa eſt. Nec non ſingula vulnera per corpus ejus diſperſa, in corde ipſius generaliter ſunt unita. Quia nempè gladius animam pertranſivit. Tu Domina in corde es lanceata, tu amoris clavis inclavata, tu illuſa & exprobrata, tu contumeliis, & maledictis affecta etiam felle & aceto potata.* Et hic dolor ſanè crudelior eſt, quàm corporis paſſio. Quod rectè confeſſus eſt Empedocles. De hoc veteres commemorant hiſtoriæ, quod ipſe ob publicam quamdam contrà Rempub. Athenienſem conſpirationem in exilium miſſus (cæteris aſſeclis morte punitis) diſceſſurus, conſanguineis ſuis obviam venerit: ipſiſque ei unanimiter de tàm benigna

Bonav. in Spec. Virg.

nigna sententia congratulantibus, apertâ voce responderit: O *stulti! durius est martyrium cæteris, quod patior. Alii sustinuerunt tormenta in corpore, ego verò in corde, & vivus à patria, & à d is abstineo.* Undè Mariæ dolorem ruminans B. Amadæus audacter exclamat: *Maria in Passione Domini vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultrà humanitatem: torquebatur enim magis in Christo, quàm in se, quia suprà se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.*

Verùm, ô piissime Jesu! cur tu tàm severus in tàm benignam matrem existis? Ipsa tibi in infantia summo cum affectu quàm plurima officiosa præstitit indicia: uberibus suis tanto tempore te lactavit. Herodis furori de nocte tempore hiemali in Ægyptum fugiens, eripuit. Te in templo perditum anxiè quæsivit: & tu modò eam tàm amarè affligis? Hæccinè est amicitia ad amicam tuam? Quare genitricem tuam ad fenestram hoc vocâsti spectaculum? Richardus Christum excusat, idque in fervidum ejus amorem ergà illam refundit. Eo enim stimulabatur in matrem amore, ut ipsi cunctas omnium SS. prærogativas in summo quidem gradu communicare vellet. Cum itaque & ipsa nuncupari deberet *Regina Martyrum*, decrevit, ut ipsa pateretur mente, quod alii passi sunt corpore. Sic explicat præfatus Doctor: *Voluit siquidem filius, ut omnium Sanctorum pulchritudinem excederet: & sicut appellatur Virgo Virginum, ita Martyr Martyrum debet appellari.* Ex quo quilibet intelligens eruere potest hanc consequentiam: ergò Christus sponsus, & filius Mariæ, simul amorosus ejus extitit carnifex.

Pro probanda legitimitate hujus consequentiæ, cito speculativos, & peto: an hi nunquàm curiosè annotârint, quòd ordinariè sancti Martyres depingantur cum instrumentis, quibus sunt martyrizati: Laurentio enim attribuitur craticula, Paulo gladius, Catharinæ rota, Bartholomæo cultellus, Andreæ crux, & sic de cæteris. Sed quænam Passionis instrumenta Reginæ Martyrum Mariæ assignantur. Eam depictam vidi duobus modis: primò cum gladio pectus ejus transfigente, qui diram repræsentat lanceam, quæ Christi pectus aperiens, adstantis matris cor crudeliter perfodit, & lancinavit juxtà illud Simeonis vaticinium: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Testis est Bernardus: *Postquàm emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, sed tuam utique animam pertransivit. Nimirùm jàm ibi non erat, sed tua planè, in qua corporeæ passionis sensum excessit compassionis affectus.* Secundò totaliter mœsta, & dolorosa delineatur, emortuum Christi corpus in sinu suo tenens. Et meritò: quoniam illud Mariani martyrii fuit sævum instrumentum; ipsa namque diris filii spinarum aculeis eum attrectando, etiam in corpore torquebatur, & tunc inquit Theophylactus: *Miscebatur sanguis matris cum sanguine filii.*

Luc. c. 2. v. 35. Bernard. serm. 1. sup. signū magnum.

Hoc pretioso thesauro, cùm beatam Virginem onustam contemplabar, in mentem mihi pulcherrima incidit historia, quam Plutarchus commemorat de prudentissimo Lacedemoniorum rege. Hic justitiam, & æquitatem ad summum colens, omni modo effrænatos suos subditos compescere, pravosque eorum mores corrigere studuit: quod cùm ipsi nullatenus perferre vellent, in necem illius impiè conspirârunt. Et tandem pòst quàmplurimas insidias à perfidis quibusdam sicariis crudeliter est necatus. Cujus saucium, & vulneratum corpus, cùm mœsta ejus mater intueretur, in hæc prorupit verba: *Heu fili mi! tua bonitas, tua mansuetudo, & humanitas, & æquitas te simul, & me perdidit.* Non secùs Mariam Virginem mentis oculis cuncta amantissimi istius corporis, quod novem mensibus in castis suis visceribus portârat, perlustrantem vulnera, & tot millenos flagrorum explorantem ictus, ad eum exclamâsse arbitror: ô charissime fili! tua bonitas, ferventissimus ergà hominem peccatorem amor, te tàm sævæ corporis, meque tàm diræ cordis passioni adjudicavit.

Audivistis fusè, ô devoti Christiani, funestam Christi Domini Passionis tragœdiam. Contemplati estis quatuor sæva tribunalia, in quibus innocens condemnatus est Jesus. Quare modò finem impono, & vos omnes ad Christi cadaver in sinu matris, tamquàm in feretro recumbens, sedulò intuendum convoco; adhortorque, ut minutissimè totius corporis ejus vulnera, quæ ipsi vestra inflixerunt scelera, perscrutemini, & illa lachrymis deploretis. Judic. cap. 19. lugubris nobis à Spiritu sancto narratur historia, & nefandum Gabaonitarum scelus, quod ibidem distinctè describitur. Sed te, ut nimiam prolixitatem vitem, ad eum locum remitto, & solummodò, quod proposito meo necessarium fore judico, adduco. Levites erat in Israel, cujus concubina ad majus evitandum peccatum libidinosis Gabaonitis prostituta erat. Quâ adeò carnaliter abusi sunt, ut ea ex

Vers 25. 26. & 27.

nimio

nimio coitu obierit. Textus ait: *Quâ, cùm tota nocte abusi essent, dimiserunt eam manè. At mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, & ibi corruit. Mane facto, surrexit homo, & aperuit ostium, ut cœptam expleret viam. Et ecce concubina ejus jacebat antè ostium, sparsis in limine manibus. Cui, putans eam quiescere, loquebatur: surge, & ambulemus. Qua nil respondente, intelligens, quod erat mortua: tulit eam, & imposuit asino, & reversus est in domum suam.* Sed attendite Christiani, quid Levites pòst fecerit, ut cunctas tribus Israel in Gabaonitas, qui erant de tribu Benjam in severam vindictam sumendam concitaret. Textus dicit: *Quam cùm esset ingressus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes, & frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.* Sed quid tàm triste apud Israelitas operatum est spectaculum? Audite verba subsequentia: *Quod cùm vidissent singuli, conclamabant: numquàm res talis facta est in Israel ex eo die, quo ascenderunt Patres nostri de Ægypto usque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune discernite, quid facto opus sit,* tandemque conclusum est tribum Benjamin armis delere, ut & factum est, exceptis sexcentis, qui in solitudinem sese receperunt: ut constat ex capite vigesimo.

O Christiani! ego vos appello rursùs, ut cadaver Christi in matris gremio contemplemini, & quàm instantissimè possum, admoneo, ut hostes, qui pium Jesum sævè necarunt, debelletis, nimirùm scelera vestra. Ego quod Levites realiter fecit, spiritualiter, & moraliter facio: mittoque superbe caput Dei tui ob fastum tuum coronatum. Tibi homicidæ, vindicativo, & aliena injustè rapienti perforatas manus, & pedes. Tibi invido cor amorosum dira lancea transfossum. Tibi luxuriose corpus exanime, tibi detractori, falsario, iniquo testi, linguam felle, & aceto potatam. Eja itaque ad arma, unanimiter omnes contrà hostiles has phalanges furiosè ad instar aliarum tribuum Israel insurgite, & debellate, ut in æternum, iis prostratis, acerbissimæ Passionis Christi fructum in cælis percipere mereamini, quem mihi, & vobis donet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA RESURRECTIONIS CHRISTI DOMINI.

Surrexit non est hic. Marci cap. 16.

IAm dudum tempus, quamvis non inaniter trivimus, & oculos nostros lachrymis fatigavimus, enarrando inaudita creatoris cæli & terræ Passionis tormenta, & tàm luctuosam attentè considerando tragœdiam. Nunc vetus verificatur adagium: *Post nubila Phœbus.* Ecce tempus nos cunctos citat ad deprædicandum gloriosum Christi Domini triumphum, & contemplandam singularem ipsius de hostibus victoriam. Pro quo intento prosequendo, quàm optimè meo judicio (salvo meliori) mihi deservire potest antiqua Romanæ Reipublicæ consuetudo, quæ in hoc secundùm doctissimum Plutarchum consistebat. Quòd à Senatoribus generosè certantibus, & belli ducibus, qui hostem Imperii ab urbe depulerant, aut insignem victoriam contrà eum reportârant, certum decerneretur præmium, & gloria. Idque, ut juventus Romana ad militare exercitium ejus mercede ad strenue belligerandum alliceretur. Unde triumphus solemnis victorioso belli duci Romam, hostibus debellatis, jam ingressuro præparabatur. Cujus eminentiam, ut extollerent, ante triumphalem triumphantis currum præcipui càtenis ferreis constricti deducebantur captivi, ostendentes per hoc, quod si tales adhuc superstites in manibus victoris forent vivi, quales in certaminis loco essent desiderati cæsi. Sic triumphavit cum Jugurtha Marius secum ducens sexaginta millia Germanorum

rum captivorum. Catulus cum Hiſerba, Pompejus, & alii, quorum nomina nimis longum foret recenſere.

Ego in Paraſceve Domini vobis ad oculos poſui ſanguinolentum, quod maximus ille militiæ dux contra perfidiſſimos hoſtes iniit Chriſtus certamen. Sed nonne ab iis proſtratus eſt, & devictus? Quis aliter de eo judicabit, qui in infami abominandam mortem ſubiit cruce? Sed, an juſtè, & rectè tale feratur judicium, quàm plurimùm dubito. Fateor, ſuperatus apparet. Aſt ad inſtar colubri (de quo memini ſuprà Dominica Palmarum) nominati Enhydrios, contra crocodilum, victor quoque contra omnes inimicos evaſit. De hujus animalculi natura commemorant Naturaliſtæ, quòd illud hoſtem ſuum fatalem cernens ad paſcua properantem crocodilum, ſeſe ſub herba viridi abſcondat, quam, cùm ipſe depaſcit, illius viſcera ſubintrat, eaque corrodit, & necem miſero crocodilo infert, atque victor ex eo egreditur. Sic inquam victorioſus de ſuis inimicis, dæmone, inferno, morte, &c. ſtrenuus evaſit athleta Chriſtus. Dum enim ipſi de illo triumphare præſumerent, retibus ejus implicati, in Chriſti, juſto æterni Patris decreto, adducti ſunt triumphum. Quod clariſſimè atteſtatur Apoſtolus, dicens: *Expolians principatus, & poteſtates,*
Coll. 2. 15. *traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſeipſo.* Et qui credebatur morte peremptus, mortem debellavit, propriâ virtute reſurgens. *Surrexit, non eſt hìc.*

Victoriam Chriſto denegare, neutiquam audet infernus. Quoniam nunc adimpletum illud
Oſeæ 13. Oſeæ vaticinium: *Morſus tuus ero inferne.* Capti-
v. 14. væ retinebantur in limbo Prophetarum, & Patriarcharum animæ: nec quiſpiam (non obſtante aſſiduo ſupplicantium clamore) pro infringendis tartarei carceris portis, iis aliquod afferre poterat adjutorium, niſi Verbum incarnatum, (conſummatâ priùs lata Moyſis lege, Num. cap. 35. de qua refert Scriptura, quòd quicumque exules gentis Hebraicæ, atque in deſtinatis à Deo refugii civitatibus commorantes, ſummo vitâ defuncto Sacerdote, in patriam ſuam poſſent liberi, & indemnes omnino tendere) ipſis tamquam ſummus Sacerdos mortuus, adoptatæ dudum libertatis gratum nuncium declararet. Ideo oblitus quaſi vulnerum, & tribulationum, memor autem victoriæ
Pſ. 93. 19. clamitat: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes lætificaverunt animam meam.*

An forſitan Chriſti triumpho non interfuit infernalis hoſtis dæmon? Ah perfide! tot, quot vis, quære tricas, numquam ex hoc prælio, quod Creatori tuo temerariè intentâſti, ſalvus evades. Tu namque quaſi victoriæ Chriſti deſtinatus es coriphæus, & ludibrio mundi expoſitus, ut ait Propheta regius: *Draco iſte, quem feciſti ad illudendum ei.* Ideoque etiam de eo triumphante Pſ. 103. 26.
dicitur: *Tu contriviſti capita draconum.* Plinius magnus naturalium rerum proprietatum inveſtigator, aſſerit, draconem calidiſſimæ fore naturæ, & vehementi ſiti impulſum ſanguini elephantis inhiare, ac proinde illum è venis dormienti, arbori innixo exſugit. Elephas jam exſanguis præ debilitate in terram concidit, & draconem adhuc ſugentem, corporis ſui mole obruit, & quaſi in naturalem vindictam enecat. Chriſtus Dominus crucis trabi erat affixus, ſitibundus dæmon manibus, & ore Judæorum ipſi uſque ad ultimam guttam, ſanguinem extraxit, verùm eum ipſe Divinitatis ſuæ pondere ſuppreſſit. *Tu con-* Pſ. 73. 14.
triviſti capita draconis.

Quid modò de morte dicam? Ah! nonne confiteri neceſſe eſt, eam ſtrenuiſſimum totius mundi proſtraviſſe ducem? *Et inclinato capite emiſit ſpiritum.* Sic apparet. Attamen fallimur. Ipſa namque decepta eſt ad inſtar apis, quæ aculeo mordens, morſu propriam vitam deperdit. Germinianus narrat, taurum ſylveſtrem iſtius eſſe naturæ, ut à rubro colore abhorreat. Quare venator iſto ſeſe induit habitu, quem cernens taurus, ad arborem confugit, cornuaque ſua illi innitens intricat, quæ quandoquidem adeò facilè non poſſit extricare, ab inimico perſecutore confoditur prædaque manet. Idipſum Chriſto accidit, qui cum cruento, & rubro humanitatis habitu indutus, cruci fuit affixus, mox inſidioſa mors fatalia ſua præparavit tela, ut in Authorem vitæ glorioſam reportaret victoriam. Verùm, ubi ipſa de Chriſto mortuo gloriabatur, ita & de ejus admirabili reſurrectione triſtabatur: *Surrexit, non*
eſt hìc. Unde eam irridet S. Paulus: *Ubi mors* 1. Cor. 15.
ſtimulus tuus? Ac ſi diceret: O mors! quò tuæ evanuêre vires? v. 55.
In confeſſo eſt, nemo hactenus crudelia tua evadere potuit tela, & modò te ignominioſè dejectam intueor. Nonne tu illa ipſa es, quæ oſſa hominum, & putridas mortuorum conculcans carnes, ſummoperè triumphabaris, & lætabunda jactabas, te ſupremam omnium fore dominam? Ah! vide nunc, an non bene faſtum

explo-

explo serit tuum per Prophetam Michæam Christus: *Ne lateris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris.* Et ubi est, ô mors, *victoria tua*? Eam judicet, & irrideat Eusebius: *Mortis iniquitas, quæ tamquam hominem vincere gaudebat, expavit subitò prædam suam, & in suo regno, à suo, ut putabat, debitore constricta est. A suo condemnata reo, à suo subjugata est captivo. Ideo suis laqueis illigata, dum decipe ret, sublata est, dum interficeret, extincta est, dum devoraret, absumpta est.* Tres hos præcipuos captivos in triumphum gloriosæ Christi Domini Resurrectionis hodierno die, mens est deducere. E quo salubertima, & fortissima ad nostram instructionem elicere poterimus arma, ut in eosdem hostes Christi exemplo animosè debellemus. Cujus prælii ratio, antequam instituatur, operæ pretium judico, ut belligeram nostram Amazonem Virginem Mariam in subsidium convocemus, ut ipsa, impetratâ à Spiritu S. gratiâ, arma nostra dirigat, promoveat, & ad collimatum scopum destinet. Pro quo suffragio unanimiter te deprecamur Virgo Angelicâ oratione: Ave gratiâ plena.

Mich. 7. 8

Ps. 11. 26

Ps. 73. 14.

Surrexit, non est hic.

ANtequam devictos in triumphatoris nostri Jesu Christi gloriosum deducam triumphum, lubet investigare, quæ illa tam fortia extiterint arma, quibus adeò potentes debellati sunt hostes. Apprimè notum est, antiquas pervolventi Gentilium historias, olim Ethnicos ex certis armis victoriam imminentem prognosticâsse. Testis mihi sit famosissimus Historiographus Plutarchus, qui de quodam generoso militiæ duce commemorat, quòd ipse certo tempore, maximâ urgente necessitate, à Reipublicæ Atheniensis moderat ribus jussus sit debili satis exercitu tribus potentibus hostibus, totidemque exercitibus obviam procedere, capitale certamen illis intentaturus: quam gloriæ ansam nolens detrectare, victoriæ tamen quàm maximè dubius, de rei eventu & successu Apollinem Delphicum consuluit, illiusque templum adiit. Et ecce: dum solito Dei sui intenderet sacrificio, ferreus in caput ejus incidit clypeus, cujus pondere graviter læsus, ingemuit, sibi hoc infestum præmeditans augurium. Verùm, dum in eo tres pulchras depictas conspexit coronas, & additam epigraphen: *In hoc vinces*, animum resumpsit, & ad reportandam contra hostes victoriam, animatus generosè pugnavit, gloriosè vicit, & procul à patriis ditionibus hostem repulit.

Haud dissimiliter evenit Christo Redemptori nostro: ipsi enim, qui descenderat ex hominis amore, gloriosum de hostibus reportare triumphum, misera & acerba in humeros, & caput cecidit crux. Sed quid ipsa prætendit? quid prognosticavit? Ah sanè! non nisi victoriam, *in hac vinces.* Idipsum perfidus Pilatus etiam ignarus prædixit, dum super caput ejus apponi jussit titulum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. Quoniam antiquitùs mos invaluerat, ut trophæis triumphantium præclari tituli, honorifica elogia imponerentur, quibus heroica eorum facinora exprimebantur. Hinc refert Strobius serm. de fortitudine, strenuum & nobilem Thesæum devictis hostibus, magnificum erexisse trophæum, atque in eo proprio sanguine hunc exarâsse titulum: *Dignum Theseo, devictis Archivis, trophæum posuêre Lacedæmones.* Consuetudinem hanc Julium Cæsarem in triumpho observâsse, asserit Suetonius cap. 37. *Iulius Cæsar Pontico triumpho inter pompæ fercula, trophæa verborum protulit titulum: Veni, vidi, vici.* Crux Christi verissimum extitit stupendæ victoriæ trophæum: unde dignum etiam Pilatus judicabat, eam glorioso titulo condecorare. At de crucis victoria, & efficacia vide infrà Dominicâ Palmarum, cujus tamen illud, quod S. Leo ipsi adscribit encomium, subticere hìc nequeo, quo stupendos ejus succinctè recolligit affectus. Audite divina ipsius verba: *O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria Passionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est Crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ Majestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Et tandem encomiasticam crucis finiens laudem, ait: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

S. Leo Ser. 7. de Pass.

Verùm, ut evidentiùs Christi in sua Resurrectione per crucem victoriæ elucescat eminentia & magnitudo, prolixiùs perscrutemur tres, quos ipse victor in triumphum duxit captivos hostes. In campum prodeat teterrimus animarum

carcer infernus, adeò obſeratus, tam fortiter munitus, ut nullis viribus poſtes ejus, & cardines poſſent perfringi, nullo modo aperiri, niſi ſpecioſa crucis clave, de qua vaticinatus eſt Propheta Iſaias: [*Iſa.22.22*] *Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus.* Hac volens in infernum triumphare, mortuus propriâ virtute ſibi vitam reſtauravit, & renovavit ad inſtar generoſæ aquilæ; de cujus eſſentia, & proprietatibus commemorant Naturaliſtæ, quòd ipſa deſiderans rejuveneſcere, atque veteres exuere plumas, ſeſe in altum extollat, & alas ſuas ferveſcentibus Solis radiis urendas expandat. Quo facto, illicò ſe in fontem projicit, & ſic virtute ignis, & aquæ mirabiliter innovatur, aliaſque plurimas recipit. Ita Chriſtus Dominus in flagranti Calvariæ monte in crucem ſeſe elevavit, & alas brachiorum ſuorum extendens, divini amoris radiis ſeipſum accendit: & madefactus lateris ſui aqua, ſe tertio die renovavit, pluma ſque veteres in meliores commutavit, corpus impaſſibile, agile, ſubtile, atque glorioſum aſſumens.

Teſtatur doctiſſimus Solinus lib. de mirabilibus mundi, cap. 13. in quadam provincia ſtupendum reperiri fontem, hujus videlicet naturæ, ut fax cerea accenſa in eo extinguatur, extincta verò in eodem accendatur. Ardentiſſima illa fax Chriſtus dimiſſa eſt in altum tribulationum mare, & propria voluntate ad modicum extincta eſt; verùm rurſus tertio die eadem revixit, ſicque illi quoque illud phœnicis meritò applicari poteſt dictum: *A me ipſa renaſcor.* Inde Lactantius Firmianus Chriſtum reſurgentem phœnici avi aſſimilat, de eo cantans:

Vnica ſed vivit, morte refecta ſuâ.
Nam perit, ut vivat; ſe tamen ipſa creat,
Vt poſſit naſci hæc, appetit antè mori

Nec unquam ulli mortalium hoc donatum eſt privilegium, & virtus conceſſa, ſeſe propria virtute reſuſcitandi, teſte divo Ambroſio: *Quis enim eſt alius*, inquit, *qui reſuſcitet, niſi ipſe ſe ſua, Patriſque Poteſtate? Video natum authoritate propriâ, video mortuum propriâ, qui omnia ſuo fecit arbitrio: cujus alterius auxilio indigebit, ut reſurgat. Ipſe igitur reſurrectionis ſuæ eſt author.* Cui concinnè accinit Bernard. dicens: [*Bern. ſer. 5. in die Paſch.*] *Quis in cæteris omnibus ſuſcitavit aliquando ſeipſum? Ineffabile iſtud eſt, ut à morte ſe excitet ipſe, qui dormit: ſingulare eſt. Non eſt, qui faciat, non eſt uſque ad unum. Eliſæus Propheta mortuum ſuſcitavit, ſed alterum, non ſeipſum. Ecce enim quot annis jacet in monumento? Quod autem à ſe non poteſt, ſperans ab alio ſuſcitari. Ab eo utique, qui triumphavit mortis imperium in ſeipſo. Inde eſt, quod cæteros quidem dicimus ſuſcitatos, Chriſtum reſurrexiſſe, qui ſolus virtute propriâ victor prodiit de ſepulchro.*

Plinius refert, quòd olim quædam arbor, nullo juvante, nullo cogente, ſuâ ſponte quaſi in aram Junonis ceciderit, quæ tandem rurſus propriâ virtute aſſurrexit, & ut prius floruit. Quod inauditum prodigium areoli judicârunt prognoſticum eſſe futuræ Romanorum de hoſtibus ſuis victoriæ. Propheta David aſſimilat Chriſtum arbori, quæ ſecùs decurſus aquarum dabit in tempore fructum ſuum. Hæc ſpontaneè & propriâ voluntate in aram crucis decidit, & poſt triduum denuò ſuâ virtute aſſurrexit. Quodnam ſanè manifeſtius argumentum, quàm illud Romanorum, nimirum Chriſti in ſuos hoſtes victoriæ?

Chriſtus itaque propriâ virtute reſuſcitatus, clavem crucis attollens, ad inferos deſcendit, ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum animas in inferno, ſeu limbo arctiſſimè conſtrictas, poteſtatibus, & principatibus infernalibus erepturus, ſeraſque tetri & obſcuri clauſtri diſrepturus. Unde notat Gregorius, ſignanter in perſona Chriſti dixiſſe Oſeam Prophetam: *Ero morſus tuus ô inferne.* [*Greg. ho. 22. in Evang.*] *Quoniam ex eo*, inquit, *quod mordemus, partem abſtrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo ex inferno partem abſtulit, partemque reliquit, non occidit funditùs, ſed momordit infernum.* Et Apoſtolus id atteſtatur de Chriſto, hæc proferens verba: *Exſpolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* [*Col. 2. 25.*]

Hunc triumphantis Chriſti Domini in limbum deſcenſum fuerat vaticinatus Propheta Job: *Nunquid ingreſſus es profundum maris, & in noviſſimis abyſſi deambulaſti.* [*Iob 36.16.*] Sed attende, quantum gaudium, quantam exultationem miſeris his increatis, & in denſis tenebris detentis Chriſti attulerit præſentia? Ait de eo Eccleſiaſticus: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* [*Eccl. 24. v. 46.*] Virtutem hanc filio Pater æternus olim per Iſaiam fuerat pollicitus, cap. 49. *Dedi in* [*Iſa. 49. 45*]

fœdus

fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, (nimirum ad implendas Angelorum apostatarum sedes) *ut diceres his, qui vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris sunt, revelamini.*

Valerius Maximus narrat, olim profundissimam Romæ repertam fuisse cloacam, quam Romani nec terrâ, nec saxis, aliâve materiâ implere potuerunt. Consulta fuit hoc super negotio quædam Sybilla, quæ respondit, fossæ os numquam fore obturandum, nisi fortissimus quidam miles sese armatum, equoque insidentem, in profundum præcipitaret. Hoc resciens Curtius, tum amore patriæ, tum gloriæ cupiditate inflammatus, arma sua induit, equumque ascendit, atque in cloacam vivus insiliit. Audite præcitati authoris verba: *Lib. 5. c. 6.* *Cùm in mediam partem fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumque esset, eâ re illum tantummodò compleri posse, quæ populo Romano plurimùm valeret: Curtius & animi, & generis nobilissimi adolescens, interpretatus urbem nostram virtute, armisque præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer, admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit: super quem universi cives honoris gratiâ certatim fruges injecerunt, continuoque terra pristinum situm recuperavit.* Ah! nonne ego jure meritò possem dicere, cloacam illam esse limbum, in quo Patres conclusi asservabantur, & nunquam spes salutis illucebat, nisi in illud fortissimus mortalium Jesus Christus descenderet, qui simul & os limbi reclusit. Unde de eo ait Zacharias: *Zach. 9. v. 11.* *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu.* Et tum magna edita sunt lamenta, auditi ululatus, & gemitus, dum tartareus rector suum intercipi vidit fortalitium, & prædam tam diu cautè custodiam, sibi eripi. Unde clamabat ad instar Vagao: *Una mulier Hebræa,* videlicet Judith occidens Holofernem, *fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* *Judith. c. 34. v. 16.* Unus Christus fecit confusionem in domo, & palatio Luciferi. Ac proinde huic spectaculo possunt aptè appropriari hæc Exodi verba cap. 15. vers. 15. *Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit timor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

Nec gloriosum hunc Christi Domini Resurrectionis triumphum infernales spiritus cohonestare omiserunt; ipsi namque ab invicto athleta nostro potenter dejecti sunt, atque prostrati, & ipsi, qui strictis vinculis miserum hominem arctissime tenebant devinctum, à Christo resurgente in vincula conjecti sunt, iisque tyrannicum in animas nostras ademptum est dominium. Quamvis enim ante Christi adventum ipsi per mortem universo mundo tamquam divinæ justitiæ ministram prædominarentur, attamen post ipsius mortem, misericordiâ superexaltante judicium, arctis catenis constricti sunt, atque inhibiti impetuosos in homines facere insultus. Ac proinde tum fictitia, & diabolica simulachra reddere desierunt oracula, & ampliùs incautum hominem per sortilegia decipere nequierunt. Sicut cùm olim v. g. idolum Minervæ in igne illæsum permansit, cùm Apollinis simulachrum amarè flevit, cùm Deorum statuæ sibi mutuò loco cesserunt, gemitus, & horrendas voces produxerunt, atque futura sæpè sæpius, divinâ permittente majestate, prognosticarunt, &c. ut latè refert Augustinus lib. 3. de civit. Dei. *Aug. lib. 3. de Civ. Dei cap. 7.* Postea namque nil tale, & præsertim in Sacerdotum, & Dei ministrorum præsentia efficere potuerunt, ut narrat Zozymus lib. 5. hist. adeò, ut falsorum Deorum Sacerdotes, dum oraculum consulere volebant, antea altè clamarent: *Cap. 18.* *Procul hinc sit lotus & unctus.* Et tandem penitus obmutuerunt, ut attestatur Plutarchus de defectu oraculorum. Præterea omnis in animam erepta est potestas, nec homini ullum spirituale inferre potest detrimentum, nisi ipsi ultrò ei manum, & consensum præbeat. *Alligatus est enim,* inquit S. Augustinus, *Aug. ser. 197. de temp.* *tamquam innexus catenis canis, & neminem mordere potest, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit.* Et paulisper inferiùs ait: *Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem.* Et S. Antonius imbecillitatem diabolicam attentè considerans, idem asserit: *Dæmon sicut passer irretitus tenetur, & constringitur à Christo: Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeant, sed rideant.* Diabolus itaque leoni ferreis catenis constricto est persimilis: ipse namque, licet iis onustus, determinatum loci spatium rugiens obambulet, nihilominùs nullum devorare valet, nisi eum, qui sese intra circulum, & sphæram statuerit. Ideò de eo dicit S. Petrus: *1. Pet. 5. 8.* *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Hæc memoranda Christi Domini de infesto humani generis inimico dæmone victoria, quàm optimè assimilari potest isti, quam de Phri-

none Atheniensium duce reportavit Pitticus, de quo commemoratur, quòd ipse, dum Athenienses, & Mitylenenses ob agri possessionem acriter inter sese dimicarent, solus, ne tot millia hominum evidenti necis discrimini, & arduo prælio exponerentur, particulare cum Atheniensium duce certamen inierit eo pacto, ut mota inter ambas partes controversia, unius aut alterius casu decideretur, & totaliter sopiretur. Uterque in arenam summa cum generositate descendit. Sed Pitticus Mitylenæus ingenioso stratagemate utens, Phrinonem reti, quod clanculò sub clypeo occultârat, intricatum, & irretitum trucidavit. Haud dissimiliter dico ego, Christus diabolum invictâ Divinitatis suæ potentiâ, quam sub vili humanitatis tegmine cautè absconderat, prostravit, & irretivit. Adeò, ut modò illaqueatus, parum nocere possit, & facilè devinci queat. Et hoc, quamvis millenis probari possit argumentis, ea prolixitatis vitandæ gratiâ prætereamus. Tempus namque nos urget, & monet, ut progrediamur ad stupendum hunc, & nunquam auditum Christi triumphum extollendum, signalatum inimicum devictum, nimirum mortem adducere: ipse namque, teste Ecclesiâ, *Mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Et quantumvis mors corporalis ad modicum tempus adhuc aliquale retinuerit dominium, attamen Christus in extremo die judicii omnem carnem vivificaturus est, & mortem ad deletionem dejecturus. Unde illud fecit morti Christus, quod Ichneumon Crocodilo. De quo sic scribit Naturalista Plinius lib. 7. cap. 17. *Hunc saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, parva avis, quæ Troschilos ibi vocatur, Rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratiâ. Os primum ejus assultum repurgans, mox dentes, & intùs fauces quoque ad hanc scabiendi dulcedinem, quàm maximè inhiantes: in qua voluptate somno pressum conspicatus ichneumon, per easdem fauces, ut telum aliquod immissus, erodit alvum,* sicque ichneumon incolumis, & illæsus egreditur, crocodilus verò, corrosis visceribus, præda remanet.

Pariformiter Christus in voraces inimicæ mortis fauces insiliit, eam corrosit, ipse autem salvus evasit, & omnes salvi evadent, quotquot ejus telo percutientur: & quantumvis illa in mundo relicta sit, attamen ipsa omnibus justis stratum sternit, & scalam erigit ad gloriosam in æternum vitam. Rex Persarum Sapor suum hostem devicerat, & captivum ceperat Valerianum Imperatorem, quem ipse tam barbarè contra regiam dignitatem tractavit, ut ei in scabellum pedum ad equum conscendendum deservire fuerit coactus, ut testatur Sextus Aurelius. Pariformiter mors ita à victorioso nostro athleta Christo subjugata est, ut strenuis suis militibus in scabellum deserviat, ad cæleste conscendendum regnum. Ac proinde, absente mortis aculeo, qui peccatum est, homini, nec in minimo damnum inferre potest. Quam Christi in eam ruminans victoriam, ipsi illudit, & imbecillitatem improperat Bern. *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed jubilus: jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Usurparis ad lætitiam mater horroris, ad introitum regni, porta inferni, & fovea perditionis, ad inventionem salutis, idque ab homine peccatore.* Et justam hujus captivitatis adjungit rationem: *Iuste nimirum, quia tu iniquè in hominem innocentem, & justum potestatem temerariam usurpâsti: mortua es, ô mors! & perforata hamo, quem incauta glutivisti.* Cui accinit S. Leo: *Nec ipse itaque diabolus intellexit, quòd sæviendo in Christum, suum destrueret principatum, qui antiquæ fraudis jura non perderet, si à Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitiâ nocendi avidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus est, dum prosequitur mortalem, incidit in Salvatorem.*

Bern. serm 26. in Cãt.

Leo ser. 9. de Pass.

Unde mihi apparet, morti Christum deglutienti idem contigisse, quod ceto Jonam in ventrem dimittenti contigit. Ipse namque, ut attestatur Scriptura, tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti commoratus est, & illæsus, ac indigestus egressus est. Ille enim per Prophetam vi naturalis caloris stomachi sui concoquere nequiit, quod voce evomuit, eleganter explicat Scriptura: *Et evomuit Ionam in aridam.* Iona 2. 11.
Pariformiter evenit Jonæ nostro Christo, ipse enim cetus mortis, licèt tribus diebus, & tribus noctibus eum voraci dente deglutitum in suis visceribus detinuerit, tertio nihilominus die illum reddere est coactus. Prout vaticinatus fuerat Propheta David: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum videre corruptionem.* Quoniam non potuit, inquit Hieronymus, Psal. 11. 8.

nymus, infernus eum vinculis constrictum retinere, qui divinitatis insuperabilibus pollebat viribus, & in mundum è cælo descenderat, ut portas æreas perfringeret, & vectes ferreos disrumperet. De eo namque ait Psalmista regius: *Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Neque valuit sepulchrum sacrosanctum illud corpus in cineres redigere. Licet enim illud ossibus & carne constaret, attamen tantæ erat virtutis, atque fortitudinis, ut in se omnem divinam potentiam comprehenderet. Hinc asserit morti contigisse, quod voraci isti draconi Eusebius, quem Babylonii tamquam Deum stulte venerabantur. Etenim eò cæcutientium gentilium dementia devenerat, ut illos pro Diis colerent, in quibus vires suis longè eminentiores conspiciebant, & suâ potentiâ superare non poterant. Tales profectò erant istius formidabilis draconis vires. Ideòque firmiter autumabat Rex, Prophetam Danielem neutiquam denegaturum, illum vivum Deum fore, utpote tantæ potestatis, ut oves, agnos, boves, vaccas, aliaque robusta animalia ferocibus dentibus dilaniaret. *Et erat,* inquit sacra Scriptura: *Draco magnus in loco isto, & colebant eum Babylonii: & dixit Rex Danieli: ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus vivens.* Cujus cæcitatem explodens Daniel, respondit: *Iste non est Deus vivens.* Et expostulata, & impetrata potestate à rege draconem enecandi, non gladium, aut hastam, sed cibum animantium carnibus robustiorem ipsi coxit, quem ille, quantumvis tam vegeto ad digestionem, & concoctionem polleret stomacho, ut fortium animalium ossa consumeret, & decoqueret, neutiquam digerere potuit. *Tulit ergo Daniel picem & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & disruptus est draco.*

Psal. 106. v. 6.

Dan. cap. 14. v. 22.

Vers. 26.

Mors sanè voracissimus est draco, cunctos absque personarum exceptione absorbens, & devorans viventes, & tantæ potestatis, ut ei nemo valeat resistere. Quapropter, ut attestatur doctissimus Alciatus embl. 157. ethnici eam catalogo fortissimorum suorum Deorum adscribebant, appellantes illam *Deum terminum.* Quoniam omnium viventium est finis, & terminus. Ipsique hanc attribuebant epigraphen: *Nemini cedo.* Et S. Augustinus ait: quòd in concilio, & congregatione Deorum omnes Dii sese Jovi humiliter subjecerint, exceptis tamen *Deo termino,* & duobus aliis. Quoniam cognoscebant nullas inveniri vires ipsorum superiores, & fortiores: ad hujus recognitionem supplices venerabantur mortem, ut supremam Deam, cui ut dicit Virgilius, quàmplurima offerebant sacrificia, pro quibus ipsi magnificum, & sumptuosum quoque exstruxerunt templum in Insula Cades, ut testis est Plinius.

Aug. l. 7. de Civit. Dei. c. 7.

Ut terribilis hic draco debellaretur, composita est massa humanitatis, quam è duabus diversis substantiis summus ille Daniel, nimirum Spiritus sanctus, in castissimo Mariæ Virginis utero efformavit. In illa adipem substantialem divinæ essentiæ, & subsistentiam ejusdem personæ divinæ Verbi æterni collocans. Cujus veritatem diviné Archangelus Gabriel expressit, dum illibatæ Mariæ Virgini insinuavit, quòd futura filii Dei conceptio operâ & virtute viri non esset perficienda, sed Spiritus S. adumbratione, adjungens: *Ideò & quod nascetur ex te, sanctum vocabitur filius Dei.* Ac si diceret, intemerata Virgo, absconditum hoc incarnationis mysterium divinâ Spiritus S. consummabitur virtute, mediante stupendo, & incognito nexu, qui duas naturas, & substantias infinitè inter sese distantes connectet, divinam videlicet & humanam in divina Verbi hypostasi, ita ut hoc compositum tam sanctum, tam eminens evasurum sit, ut omnem in se divinæ essentiæ comprehensurum sit perfectionem, ob quam propriissimè Dei Filius nuncupari potest. Et admirabilis hujus unionis virtute humana natura tantâ corroborabitur potestate, ut ejus vires omnium creaturarum potentiam longo intervallo sint superaturæ. Massam istam divino stratagemate sic compositam famelico draconi devorandam morti objecit. Et quantumvis illa tantâ vigeat efficaciâ, ut cunctos Reges, Imperatores, Principes, Magnates & Plebæos deglutiat, & digerat; tamen hanc escam, & prædam consumere nequiit, sed cum fœnore Patrum in limbo detentorum restituere est coacta. Dum enim Salvator mundi cruci affixus penderet, invida mors velut venenosus coluber arborem sursum ascendit. Quam, ut conspexit appropérantem, *inclinato capite emisit spiritum,* eamque apprehendit, & inter dentes potenter contrivit, vires illius enervavit, sibique mirabili victoriâ mancipavit. Hinc in gratiarum actionem de tanto beneficio sine intermissione uti deberemus divinis S. Hieronymi verbis epist. 3. ad Heliodorum. *Gratias tibi agimus Christe, quod tam potentem adversarium nostrum dum occideris, occidisti.*

Quando hanc Christi in mortem adhuc avidâ mente maturiùs contemplor victoriam, optimè de eo prophetizatum arbitror Genesi cap. 49. à Patriarcha Jacob in benedictionibus filiorum suo-

rum tangente Judam, è cujus progenie oriun- [Gen. c. 49. v. 9.] dus est Christus: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo; quis suscitabit eum?* Conformiter de illo loquitur [Apoc. c. 5. v. 5.] Evangelista Joannes Apoc. cap. 5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda*, & meritò leoni assimilatur resurgens Dominus. Quoniam ipsi quàm plurimæ illius congruunt proprietates, inter quas hanc ei attribuit S. Athanasius, quod ipse suâ fretus fortitudine in aperto campo, & non in antro, quemadmodum alia animantia, quietem capiat. *Leo terrori est feris omnibus, & hic solùm per confidentiam, & securitatem dormit intrepidus.*

Haud dissimiliter Christus quasi ad somnum sese composuit in publico loco, videlicet Calvariæ monte, quantumvis undequaque sese furentibus militibus, & rabidâ Judæorum gente cerneret circumdatum. Ipse nullius formidat vires, quibus gloriosa sua impediri posset resurrectio: signaturam monumenti, & custodiam explodit: [Matth. c. 27. v. 66.] *Et munierunt sepulchrum signantes lapidem.* Quia ipse adinstar Sampsonis in Gaza à Philistæis circumcincti, resurrectionis viam facillimè erat reperturus. Unde ait per Prophetam Davidem Psal. 3. *Ego dormivi. & soporatus sum, & exurrexi,* [Psal. 3. v. 6.] *quoniam Dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me.* Hinc omnem tum Pilati, tum plebis irridens cautelam, & munitionem S. Athanasius serm. 6. in parasceve Domini ait: *Miser, & infelix judex, qui mortis vincula dissolvit, non solvet sepulchri sigilla? Qui spoliavit infernum, timebit monumentum signaculo munitum? Signa lapidem, statue milites, obside sepulchrum custodibus: isto modo egregium opus majus efficis: statuis enim spectatores, & testes resurrectionis, meorumque miraculorum præcones ministros tu præparas.* Quam curam quoque explodit Amphilochius in sermone de sepultura Domini dicens: *Quis unquam vidit mortuum asservari, vel potius quis unquam vidit mortuum belligerare? Quis audivit aliquando mortuum, & undique circumseptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt.*

Deindè hæc adhuc leonis catulo à Ruffino, & Encherio adscribitur innata proprietas, eum immediatè post ortum suum tribus diebus & noctibus dormire, deindè patris horrendo rugitu, & terræ commotione excitari: ita etiam Christus Dominus postquam triduo requiem suam sumpsisset in sepulchro, patris sui voce, & propria potentia non absque ingenti terræ motu gloriosè resuscitatus est, & morti, & dæmoni summum timorem incussit, ut ait Athanasins quæst. 105. ad Antiochenum: *Morti quidem, quia se ipsum mortuum, & dormientem resuscitavit, & excitavit.* De quo quoque summoper admiratus Bern. exclamat: *Quis in cæteris aliquando suscitavit* [Bern. ser. 5.] *seipsum? Ineffabile illud est, ut à morte se excitet* [in die Paschatis.] *ipse, qui dormit. Singulare est, non est, qui faciat, non est usque ad unum. Eliseus Propheta mortuum suscitavit, sed alterum, non se ipsum. Ecce quot annis jacet in monumento, quod non potest à se, sperans ab alio suscitari; Ab eo utique, qui triumphavit mortis imperium in se ipso. Indè est quòd cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum verò resurrexisse, quia solus virtute propriâ victor prodiit de sepulchro. Siquidem & in hoc vicit leo de tribu Iudæ.* Diabolo verò leo noster summo fuit terrori, quia ingenioso stratagemate, inaudito artificio ipsi prædam tam arctè custoditam eripuit. Unde meritò Christus in astutia, & arte comparari posset peritissimo sagittario Alco, qui, cùm cerneret colubrum quendam strictè filium suum complectentem, veritus jam jam imminentem mortalem morsum, paternâ pietate commotus, ad artem sagittariam confugit, arcumque tetendit, & tantâ dexteritate illum telo trajecit, ut puerum omninò illæsum conservarit. De quo obstupefactus Marcus Manilius, ait mirabile fuisse hoc opus, *sed ars erat esse patrem.*

Haud dissimiliter Christus videns nos filios suos ab infernalibus serpentibus miserè implicatos, & arctè constrictos, commiseratione excitatus, omnipotentiæ suæ arcum velociter assumpsit, & è pharetra potentissimam crucis suæ sagittam eripuit, quam adeò dextre in eos direxit, ut totaliter prostrarit, & nos filios incolumes servarit. Juxta illam prophetiam Davidis: *Misit sagittas suas, & dissipavit eos.* Quoniam *ars erat* [Psal. 17.] *esse patrem.* Unde in hac mirifica victoria illud [v. 15.] quoque consummatum arbitror Abac. 3: *Cornua in manibus ejus*, videlicet crucis: *Ibi abscondi-* [Abac. c. 3.] *ta est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors, &* [v. 4.] *egredietur diabolus ante pedes ejus.* Concludo itaque audacter cum D. Bern. *Siquidem & in hoc vicit leo de tribu Iuda.*

Si quid ulterius tempus tero mirificam resurrectionis Dominicæ gloriam, majestatem, atque eminentiam extollendo? Quo enim eam attentius & fixius aspicio, eò magis tanto splendore obnubilatus cæcutio. Fateor maxima Christi infantuli exstitit magnificentia, dum à Magis in cunis pro Deo fuit adoratus & ab Angelis denuntiatus.

Verùm

Verùm nec tum deerat paupertas, contemptus, infirmitas, quia pauper & abjectus in vili natus jacebat stabulo, sed triumphalis ipsius resurrectio omni gloriâ, & excellentiâ cohonestatâ, penitùs remotâ omni penuriâ, imbecillitate, & contemptu, quæ eâ mediante per opulentiam, ac totius universi dominium, per absolutam, atque supremam potentiam, & per gloriam, & honorem recompensabantur. Magna semper à SS. PP. æstimata fuit illa gloria, in qua Christus Dominus in monte Thabor apparuit: ast illa huic longo intervallo in eminentia cedere debet. In illa namque unam dumtaxat gloriosi corporis demonstravit dotem, claritatem scilicet, & quidem ad modicum tempus duraturam, & ignominiâ crucis brevi auferendam: in hac verò maximè ipsius majestas resplenduit, agilitatem, subtilitatem, & impossibilitatem ostendens in æternum perseveraturam. Atque ita verissimè adimpleta est illa prophetia Evangelistæ Matth. cap. 26. dicentis in persona Christi: *Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* (ubi Christus loquitur de templo corporis sui) *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem.* Quoniam gloria primi templi secum inopiam, ignominiam, laborem, timorem, infirmitatem, &c. contulit: verùm gloria secundi cuncta illa incommoda exclusit. Et sanè, si Dominicæ resurrectionis gloriam ignominiæ comparemus crucis; illam hanc longè antecellere comperiemus. Contemplare ibi patientem, sanguine conspurcatum, vulneribus plenum, & à planta pedis usque ad verticem sauciatum, & hîc intuere impassibilem, resplendentem ad instar solis, agilem, subtilem, angelicis spiritibus stipatum: *Ah quantum mutatus ab illo Hectore.* Verè nunc triumphator noster dicere potest: *Hiems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.*

Matth. c. 6. v. 61.

Apud veteres consuetudo non contemnenda invaluerat, ut illustrium Heroum, & strenuorum militiæ ducum in perpetuam rerum gestarum memoriam sumptuosa publico ære erecta monumenta ingeniosis epitaphiis, atque acutis emblematicis elogiis condecorarentur. Quod ipsi observabant, ut posteris ad eandem virtutem, ac animi generositatem calcar adhiberent, & eos ad bellum allicerent. Hinc commemorat Plutarchus, quòd Alexandro Magno invicto Imperatori celeberrimum in Macedonia, jam debellatâ Asiâ, devictaque Europâ, sepulchrum fuerit exstructum. Cui per modùm emblematis duæ pulcherrimæ artificiosissimè insculptæ videbantur imagines, quarum una Asiam, altera Europam repræsentabat. Addita erat hæc Epigraphe. *Alexandri victoria.* Cyrus quoque potentissimus Persarum Rex sibi vivo adhuc splendidum à peritissimis sui ævi artificibus confici jussit monumentum, cui insculpta erant hæc verba: *Hic jacet Persarum debellator.* Magnifico Themistoclis prudentissimi famosæ reipublicæ Atheniensis moderatoris epitaphio eminentia & memoria digniora gesta & prœliâ impressa erant, cum hac inscriptione: *Memoranda Themistoclis facta.* Josue quoque tumulo apud Hebræos effigies solis insculpta fuisse dicitur, eò quòd sua virtute contra inimicos dimicans naturalem solis cursum sistere potuisset. Adjunctum erat hoc elogium: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Sed qua illustri epigraphe, quo digno encomio monumentum summi illius Monarchæ, & totius universi dominatoris cohonestabimus? Hic stupeo, hic hæreo. Ecce enim ipse cælum & terram devicit, visibiles & invisibiles hostes, dæmonem, mortem, & infernum prostravit, cuncta suo subjugavit imperio. Undè ei meritò quadrant omnia sepulchralia illorum veterum heroum elogia & dicta. Sed absit, ut, iis appositis, dicatur sufficit: nam illustriorem longè gloriosus hic triumphator promeretur epigraphen. Verùm quam? Ah! magis adæquatam, & aptam adinvenire, aut imaginari nequeo illâ, quam Domino suo resurgenti cœlestes attribuerunt spiritus: *Surrexit non est hic.* O mysteriosum dictum! ecce cunctorum monumentis inscribitur: *Hic jacet*, sed Christi, tanquam in mortem gloriosè triumphantis sepulchro insculpi debet hæc epigraphe: *Surrexit non est hic.*

Nec Christum solummodò de morte corporali triumphasse suspicandum est, verùm firmissimè credendum, eum quoque in spiritualem mortem, quæ peccatum est, gloriosum extitisse victorem. Etenim ipse cruce sua ex toto rigore justitiæ (ut saniores sustinent Theologi) & ad æqualitatem pro primi parentis Adæ noxa satisfecit, nobisque salutare è pretioso suo sanguine confecit balneum, Sacramentum scilicet baptismi, mediante quo à peccati originalis lepra perfectè mundaremur, juxta illud Apostoli: *Delevit chirographum peccati*, (id est reatum pœnæ æternæ dissolvit, & dissipavit) *quod erat contrarium nobis, & ipse tulit de medio, affigens illud cruci.* Et quamvis

Ad Coloss. c. 2. v. 14.

vis post totalem animæ purificationem ex humana fragilitate adulti facti personalium quorumdam peccatorum fæce denuò coinquinemur, aliam vulneribus animæ nostræ risanandis sanguine suo promeruit theriacum, nimirum Sacramentum pœnitentiæ, cujus virtute, etiam in malitiam relapsi resurgere possimus ad gratiam. Christus itaque suâ morte, & resurrectione misericordiam exaltavit supra justitiam, illamque huic prædominari fecit.

Narratur lib. 2. Reg. cap. 24. quòd Angelus Domini, enormi Prophetæ Davidis peccato ad summam iracundiam provocati, missus & delegatus sit, ut magnâ populi strage delictum hoc dilueret, gladium evaginatum compescuerit, ac de expresso Dei misericordiæ suæ memoris mandato vindicativam manum cohibuerit. *Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit, nunc contine manum tuam.* Sed hic ad præsens institutum suavis maximè annotanda est Lyrani speculatio. Is curiosè advertens locum, in quo vindicta à Deo est inhibita, quem signanter non absque mysterio exprimit sacra Scriptura: *Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Iebusæi:* Asserit hanc aream fore eundem locum & montem, in quo Patriarcha Abraham dilectum filium Isaac voluit Deo immolare. Quem quoque Calvariæ fuisse collem, in quo pro totius mundi salute unigenitus æterni Patris filius in ara crucis oblatus est. Quam sententiam quàm plurimi sustinent SS. PP. quorum doctrinæ pro modò adhæreo. Per hoc itaque quòd Angelus vindicans in hoc loco manum percutientem suspendat, atque retrahat, significatur, divinam iram in genus humanum in eodem penitus fore sedandam, dum immaculata & infinita illa hostia, Deus homo immolatur. Quod apertè innuit Apostolus hisce verbis: *Pacificans per sanguinem ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Quem locum attentè considerans Anselmus ait: *Quâ horâ sanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendentis, dimissum est peccatum Adæ humano generi, & pacificata sunt cœlestia, & terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus ad regnum cælorum.* Concludamus finaliter ergo ex jam dictis, Christum Dominum morte suâ ignominiosâ, & resurrectione gloriosâ de prænominatis hostibus potenter, atque mirabiliter triumphasse.

Lib. 2. Reg. c. 24. v. 16.

Sed hâc conclusione præsens nullatenùs finiendus est discursus. Verùm necessarium fore autumo (ut salutarem ex hoc triumpho pro animabus nostris hauriamus admonitionem) parumper inquirere, quid à nobis suâ resurrectione prætendat Dominus? Loquatur S. Leo, qui pulchrum ex ea eruit documentum, dicens: *Cùm igitur quadraginta dierum observantiâ, hoc voluerimus operari, ut aliquid sentiremus crucis in tempore Dominicæ Passionis: adnitendum nobis est, ut etiam resurrectionis Christi inveniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in alium aliquâ conversione mutatur, finis est, non esse, quod fuit, & ortus esse, quod non fuit.* Et egregiè addoctrinalem progreditur instructionem, subjungens: *Sed interest cui quis, aut morietur, aut vivat: quia est mors, quæ causa est vivendi, & est vita, quæ causa est moriendi.* Et de duplici hac morte sese explicat clarissimè sequentibus verbis: *Nec alibi, quàm in hoc transitorio sæculo utrumque conquiritur: ut ex qualitate temporalium actionum, differentiæ retributionum pendeant æternalium, moriendum ergo est diabolo, & vivendum Deo, deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgamus.* Verùm nec hanc dumtaxat Christi resurrectio exigit resurrectionem: etenim inter resurrectionem, & resurrectionem maxima reperitur disparitas. Resurrexit, aut potiùs ad vitam resuscitatus est Lazarus, & resurrexit Christus: Ast dissimiliter; iste namque è sepulchro linteum, cui fuerat involutus secum absportavit: hic verò sindonem mundam in tumulo reliquit. Et ratio hujus facti assignatur, quia iste revixerat adhuc semel moriturus, hic autem in æternum victurus. Sed quid significat hoc linteum? Ah Christiane! linteum, quod peccator spiritualiter per gratiam resuscitatus, denuò sibi reassumit, proximæ sunt relabendi in eadem peccata occasiones, v. g. locus, in quo scelus communiter perpetratum est, pravum consortium, quod hominem ad mundanas, & carnales allicit voluptates: superfluæ divitiæ, quibus totum avari cor devovetur. Simile linteum omninò deserendum est, atque procul abjiciendum, ut homo perfectè cum Christo resurgat, & triumphet. Ipse namque ita resurrexit, ut ei ulterius mors dominari non potuerit: quemadmodum protestatur Apostolus: *Christus jam non moritur, mors illi ultra non dominatur.* Sed heu! quam multi cum Christo resurgunt, animam suam salutari Sacramenti lavacro emundant, sed summa cum confusione, & evidenti æternæ damnationis discrimine subito in eadem peccata relabuntur.

Leo ser. 1. de resurrectione Christi.

Ad Rom. c. 6. v. 9.

Vix

Vix ſanguine, & carne Chriſti in feſtivitate Paſchali paſti ſunt, & illicò novis ſeſe deliciis, & vanis deſideriis paſcunt. Talis verum Chriſtianum, & converſum non decet reſurrectio: ſed ea, quæ ultra morti peccati, & reincidivæ non eſt obnoxia. Hoc ſeriò nobis inculcavit Paulus ſcribens ad Epheſios: *Induite novum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt. Deponite vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem* (abſque eo tamen, quòd illum reaſſumatis, & reinduaris) *qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renovamini iu ſpiritu mentis veſtræ.* Quam divinam Apoſtoli maturè perponderans doctrinam S. Leo loco citato divinè concludit: *Non ergo nos rerum temporalium occupent ſpecies, nec ad ſe contemplationem noſtram à cœleſtibus terrena deflectant. Pro tranſactis habeantur, quæ ex maxima parte jam non ſunt; ut mens intenta manſuris, ibi deſiderium ſuum figat, ubi quod offertur, æternum eſt. Quamvis enim ſpe ſalvi facti ſumus, & corruptibilem adhuc carnem, mortalemque geſtamus. Rectè tamen dicimur in carne non eſſe, ſi carnales non dominentur affectus: & meritò ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non ſequimur voluntatem.*

Ad Epheſ. c. v. 24.

Ex his manifeſtè ſequitur ſedulam cuilibet incumbere curam, ut imitetur ſerpentem, de quo Chriſtus ſuos admonet diſcipulos: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, & non parvulum quoddam venenoſum animalculum viperæ quaſi ſpeciem præ ſe ferens. De quo ait doctiſſimus Plinius, quòd ex naturæ inſtinctu arctiſſimè adamet murænam, cumque à libidine ad coitum inſtigatur, ad littus maris properet, eam ſibilo ſuo ex undis attracturum. Verùm ductu naturali cognoſcens, beſtiolam hanc ab omni prorſus abhorrere veneno, illud evomit, ſed poſtquam cum ea congreſſum eſt, ſtatim reſumit. Hoc inquam animalculum ſequi non poteſt Chriſtianus (ut tamen quam plurimi faciunt) Quid prodeſt namque ante pedes Confeſſarii virus peccatorum deponere, & illud illicò rurſus abſorbere? Ah! hoc non eſt reſurgere cum Chriſto, nec ſincerè poteſt de tali dici: *Surrexit non eſt hic.* Quia ipſe idem adhuc pravis ad peccata intricatus manet inclinationibus. Sed, ut ait Apoſtolus: *Quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Matth. c. 10. v. 16.

Lib. 9. c. 2.

Ad Rom. c. 6. v. 4.

De ſerpente verò, quem imitandum Chriſtus propoſuit, ſentit idem author, eum talis eſſe naturæ, ut, dum deſiderat jam decrepitus juveneſcere, veterem cutem exuat, ſed eam numquam reaſſumat: Imò, ne ad hoc forſitan ex ejus viſu blandè alliceatur, inſtinctu innato cavernam, in qua dejecta eſt, deſerat, aliòque migret, (ut fusè dixi alibi) Sic Chriſtianus agere debet, dum ipſe verâ, & ſincerâ pœnitentiâ, atque debitâ ſacramentali confeſſione veterem hominem cum actibus ſuis exuit, caveat, ne antiquum iniquitatis habitum reiteratò induat, & arripiat. Sicuti enim omnis in corporali morbo ſecundùm Galenum, & cunctos medicos reincidiva eſt ſummoperè nociva, atque periculoſa; ita multò magis ſpiritualis in eadem peccata perniciosior, ac periculoſior eſt relapſus. Reſurgendum itaque eſt à morte peccati adeò cautè, ut illa ampliùs nobis non prædominetur, alia namque ſummo diſcrimini obnoxia eſt reſurrectio. Audite quàm apprimè dicto meo conſentiat Leo: *Cognoſcat igitur populus Dei, novam ſe eſſe in Chriſto creaturam, & à quo ſuſcepta ſit, quemvè ſuſceperit, vigilanter intelligat: quæ nova facta ſunt, non redeant ad inſtabilem vetuſtatem, & non omittat opus ſuum, qui manum miſit ad aratrum. Sed ad hoc attendat, quod ſerit, non ad id reſpiciat, quod reliquit, nemo in id reincidat, undè ſurrexit.* Nè autem videretur in peccatum relapſo omnem ſalutis ſpem præſcindere, ſubnectit: *Sed etiamſi pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus jaceat, ſanari inſtanter deſideret, ac levari Hæc eſt enim ſalutis via, & cœpta in Chriſto reſurrectionis imitatio: ut quia in lubrico iſtius vitæ diverſi caſus, lapſuſque non deſunt veſtigia gradientium, à fluidis ad ſolida transferantur.*

Leo ſer. 1. de reſurrectione Chriſti.

Nullatenùs ergò ſufficit per ſinceram confeſſionem diabolum ex anima noſtra in hac Paſchali ſolemnitate depellere, & Chriſtum Dominum in ea concipere, & ſic cum ipſo reſurgere; ſed oportet etiam ipſum parturire, & partum fovere, & piè enutrire, inquit Divus Thomas à Villa nova. Varii namque ſunt modi Chriſtum concipiendi & pariendi, inutiles ad veram cum eo reſurrectionem, & poſt hanc glorificationem. Audite quàm egregiè animarum conceptum, & partum Chriſti explicet præfatus Doctor. *Nulla anima verè læta & jucunda eſt, niſi quæ Chriſto gravida, ipſam jucunditatem geſtet in ventre. Sed tamen varius eſt partus hujuſmodi animarum. Quædam enim animæ Chriſtum concipiunt quem numquàm pariunt: hæ ſunt, quæ bonum deſiderium quodammodò geſtant: & præ ignavia, & deſidia opere non complent. Aliæ autem Chriſtum abortiuntur. Hæ ſunt, quæ bonum deſiderium utero animæ conceptum, curarum nego-*

tiorumq; pondere oppressæ, informe, & intempestivum abortientiũ more fœminarum in opus educunt, è quibus Christus propter frequentes cordis anxietates perfectè formari, ac effigiari non potest. De his Apostolus ait: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur in vobis Christus Aliæ autem malè pariunt, & in partu ipso periclitantur, & moriuntur Hæ sunt, quæ bona desideria viriliter opere exequuntur, sed tamen propter inanem gloriam, vel perversam intentionem, vel propter peccatum aliquod, quod opus ipsum bonum, vel comitatur, vel continuo sequitur, & fœtus boni operis perit, & anima pariens peccatum moritur. Aliæ vero benè quidem pariunt, sed steriles sunt, neque habent lac ad fœtum nutriendum. Hæ sunt, quæ opus benè incœptum ex nimia tepiditate, & devotionis defectu prosequi non possunt: quæ l cet fortiter inchoant: tamen in bono opere minimè perseverant. Atque ita paulatim exsiccato devotionis fonte, & primo illo spiritus fervore consumpto, Christut in eorum corde velut infans lactis defectu moritur. Et sic nec hæ animæ verè cum Christo resurgunt. Ipse namque à mortuis resurgens, non amplius moritur, mors illi ultrà non dominatur. Et tandem verum conceptum, & Christi partum explicat, dicens: *Quæ autem vera Christi mater est, ipsum cum gaudio concipit, cum fortitudine parit, cum spiritu & devotione nutrit, & ad perfectam ætatem cum perseverantia ducit, cùm per charitatem & amorem extaticum adhærens, fit sponsa ex matre. Talis erat, quæ dicebat: tenui eum, nec dimittam.* Cùm ergò Christiani mediante recta de peccatis contritione, & sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento Christum in anima vestra concepistis, peperistis, & cum Christo spiritualiter resurrexistis, tenaciter eum conservare oportet, & clamare: tenui eum, nec dimittam, nè fraudulenter, subintrante diabolo & peccato, divinus hic fœtus enecetur & pereat. Alioquin numquàm ad instar Christi de diabolo, inferno, & æterna morte triumphare poteritis.

Audivistis utcumque Auditores, mirificam gloriosi Christi Domini triumphi eminentiam ac celsitudinem, intellexistis, quibus armis potentissimus militiæ Christianæ dux fortissimos prostraverit hostes, ipsiusmet nimirum diaboli. Ipse namque instigans rabidam gentem Hebraicam, ut ipsi gravem crucis molem imponeret, & importuna clamaret *Crucifige, crucifige eum*, illi fortissima arma præbuit, quibus miser occumbere cogeretur. *Ad irrisionem dignitatis*, inquit S. Leo, *supplicii sui jussus est esse gestator, ut impleretur, quod Isaias Propheta præviderat dicens: Ecce natus est puer, & datus est nobis filius, cujus imperium super humerum ejus Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis: Erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicarum virtutum pot ntissimus debellator, pulchrâ specie triumphi sui portabat trophæum, & invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.*

Vultis ergò scire Christiani, quibus armis uti debeatis, ut tartareum inimicum in Christiana militia etiam debelletis? Ecce vobis illa præstat Christus, nimirùm crucem. Quamvis enim ipse eum in terram prostraverit, ille tamen adhuc nobis lethalia vulnera infligere tentat. Quapropter ad crucem confugiendum est, ejusque memoria sinè intermissione refricanda. Percipite divinam ad hoc, quam vobis inculcat S. Leo, doctrinam. *Quamvis forti, & crudeli tyranno per potentiam crucis Christi vasa antiquæ deperditionis erepta sint, & dominatio Principis mundi à redemptorum sit ejecta corporibus: insidiari tamen etiam justificatis eadem malignitas perseverat, & multis modis eos, in quibus non regnat, impugnat, ut si quas animas negligentes, imprudentesque reperierit* (nimirùm, quæ criminum sordibus ex anima per veram sacramentalem confessionem ejectis: vel inclinationes pravas ergà eadem vitia reservant, vel proximas in ea relabendi occasiones non evitant) *sævioribus eas laqueis rursum innectat, & à paradiso ecclesia raptas, in consortium suæ damnationis inducat. Vndè, si quispiam observantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare: recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat* Ut tandem crucis Domini promereatur participare meritum, & gustare æternum in cunctos infernales inimicos in cœlis triumphum. Quod nobis misericorditer præbeat Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

***
**

FERIA SECUNDA PASCHATIS.

O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ: nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Lucæ cap. 25.

SI quispiam cujuscumque imbecillis sit ingenii, conetur maturè penetrare vitæ nostræ in hoc mundo dirigendæ methodum, absque ullo dubio doctissimi Euripidis adstipulabitur opinioni, dicentis: neminem absque labore, & defatigatione ad status sublimitatem, honores, dignitates, aut divitias posse pertingere: *Fortunas ex laboribus venari, & expiscari oportet.* Idcircò olim Romani jusserant in urbe extrui duo templa, quorum unum intitulabatur *templum virtutis*: alterum *templum honoris.* Illa hac dispositione, & ordinatione ædificata erant, ut nulli ad templum honoris daretur aditus, nisi priùs per templum virtutis transiisset, ut rectè annotat S. Augustin. dicens: *Hæ ædes taliter erant dispositæ & contiguæ, ut solùm per ædem virtutis pateret ingressus ad ædem honoris.* Quo (ut indicat Suetonius) Romani innuere intendebant, nullum ad dignitatem & gloriam posse promoveri, nisi primò virtute & labore eam sibi in præmium acquisiisset. Quod etiam vulgare Jurisperitorum apprimè stabilit axioma: *Honores habere non possumus sine labore.*

Aug. lib. 5. de Civ. Dei ca. 12.

Hoc ipsum voluit, quantumvis satis obscurè, verùm patientiæ exemplar Job intimare: dum divinâ providentiâ factum esse dicit, ut homo ipse ex natura sua mundum ingrediens ad gravem nascatur tolerantiam. Sic etiam ait Cyprianus: *Unusquisque nostrum, cùm nascitur, & hospitio hujus mundi excipitur initium sumit à lachrymis. Et quàmvis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud novit in ipsa prima nativitate, quàm flere: providentiâ naturali lamentatur, & vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio suo ploratu & gemitu rudis anima testatur.* Cui accinit doctissimus Tertullianus hisce verbis: *Mentior, si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum testatur sensisse, atque intellexisse, quod natus est.* Quibus egregiè suffragatur Augustinus: *Infantia, inquit, non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit nesciens propheta.* Hinc testatur Seneca naturæ fore quasi artificium, quòd homo absque usu rationis producatur. *Stratagema naturæ est, nasci homines ratione expertes.*

Cypr. ser. de patientia.

Tertul. lib. de natura cap. 14.

Aug. lib. 21 de Civ. Dei ca. 14.

Sen. de brev. vitæ.

Iob cap. 5. vers. 7.

Propheta Job cap. 6. de hominis in hunc mundum loquens ingressu, miram adducit comparationem: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Quoniam, quæ obsecro, similitudinis apparet scintilla inter hominis laborem, cui subjicitur, & avium volatum? Pro hac penetranda difficultate diligenter advertere oportet Deum divinâ suâ providentia in prima mundi creatione diversarũ specierum, diversarumq; conditionum, ac proprietatum produxisse creaturas: quasdam, quæ ab ipso existentiæ fere principio perfectionem, tùm quoad naturam, tùm quoad effectus, sortiuntur plenã. Hujuscemodi sunt Sol, Luna, Cœlum, Planetæ, omnesq; Firmamenti stellæ, & c. ac per consequẽs, nullo indigẽt medio, nullo adjuvamine, ut ampliùs perficiantur: quasdam verò, quæ, quantumvis perfectâ sua gaudeant essentia; attamen, ut debita sua obeant munia, paulatim ulteriorem, & ulteriorem virium exigunt completionem, & sufficientem, ac destinatam à natura perfectionẽ, atque etiã ad staturæ congruam altitudinẽ, necessariũ expostulant nutrimentum. Talis conditionis sunt animantia, & aves: hæc enim nascuntur ad volatum, ut venatorem, falconem, cæterosq; effugiant hostes; solus homo ad Dei creatus similitudinem quasi imbellis, & in natura, & in virtute morali modò producitur, incapax, ut videtur, ad virtutum adipiscendum compendium, & rectam insequendi ad æternam beatitudinem semitam. Verùm non ita est. Hic enim *nascitur ad laborem*, id est, inquit Augustinus, *tribulationem, quia vita ista tribulatio est.*

Aug. in Psal. 137.

Quàm optimè itaque dixit Propheta Job: *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Quoniam quemadmodum volatus avi summoperè ad proprium suum, & pullorum est necessarius sustentaculum: pariformiter omni homini ad sempiternum comparandam salutem, necessaria est afflictio teste Augustino ibidem: *Tribulatio est gloriæ procurativa.* Hinc ait Apostolus: *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.*

Epist. 1. ad Thessal. cap. 3. v. 3.

Sed quid tot ambages sero? Sententiam Augustini, & tactam doctrinam clarissimè ipsamet per essentiam confirmat, & corroborat veritas in præsenti Evangelio mœstis, & commiserentibus acerbæ Christi Domini Passionis, discipulis, dicens: *O stulti & tardi corde, &c. nonnè oportuit &c.* Ac si diceret: ô chari Apostoli! adhuc cæcutitis, & veram ad cœlum ignoratis viam. Hæc est tribulatio, hæc afflictio, hæc est janua paradisi: quocircà *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Hoc in desolatorum, & afflictorum solatium non modicum in moderna ratiocinatione conabor utcumque pro viribus attingere objectum, ut quilibet in suis miseriis insuperabilem addiscat patientiam. Quod antequam assumam onus, quatenùs illud efficaci Spiritus S. possit sublevari gratia, patrocinium sponsæ ipsius Mariæ ex animo sollicitemus, eam salutantes consueta oratione: Ave gratia plena.

O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ: nonnè hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.

MAximè mirabile constitutum Dei est decretum concernens modum templi Jerosolymitani introitus, & egressus, ut narrat Propheta Ezechiel cap. 49. *Qui ingreditur per portam Aquilonis: egrediatur per portam viæ meridianæ: porrò, qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis.* Rursus dico mirabile; etenim, quid importat, an per eandem, per quam intrat quis, egrediatur portam? subtilissimi ingenii summi illius Doctoris Augustini lumine ex hoc evademus labyrintho, & notatu dignum sub hisce verbis sublitescens eruemus mysterium. *Templum,* inquit ipse, *hujus mundi rectum est prototypon, in quem per duas ingredimur portas: una felicitatis est, altera miseriæ.* Vel hanc, vel illam in mundum intret homo, necesse est. Quòd si ergo per viam accedat felicitatis, quæ per viam optimè intelligitur meridianam, cogetur infallibiliter è mundo decedere per portam Aquilonis, verissimum æternæ miseriæ symbolum, id est, si homo vitæ tempore deliciis, cunctorumque terrenorum bonorum fruatur abundantia: in alio in æternum duratura spiritualium gaudiorum laborabit penuria. Hanc portam satis apertè indicat Psalmista dicens: *Hæc porta Domini* (nimirùm tribulationis juxta id: *nonnè oportuit Christum hæc pati, & ita intrare in gloriam suam*) *justi intrabunt per eam.* Hinc pulsans quasi cœlestis curiæ januas, imperativè ad custodes clamitat: *Aperite mihi portas justitiæ,* quia de jure ipsi, tribulationis viam ingresso, felicitatis patere debebat aditus: *Castigans castigavit me Dominus.* Et ob idem motivum audebat invictus athleta adhuc jacens sub prunis ardentibus in craticula, dicere Laurentius: *Gratias tibi ago Domine Iesu, quia januas tuas ingredi merui.* Attende igitur Christiane, si hic perfruaris gaudio: maximè verendum est, nè æterno priveris bono, si fidem attribuamus S. Hieronymo, ajenti: *Difficile, imò impossibile est, ut præsentibus quis, & futuris perfruatur bonis, ut hic ventrem, & mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.* Optimè itaque ait Ezechiel: *Qui ingreditur per portas Aquilonis &c.*

Ezech. ca. 46. vers. 9

Psal. 117. vers. 20.

Ibid. vers. 18.

Hoc ipsum dilucidè gentilis confitetur Philosophus Seneca, tribulationes divinæ attribuens ad hominem exercendum providentiæ. Loquens enim de inconstantia fortunæ, ait: *Fortuna, ut gladiator fortissimos sibi pares quærit, alios fastidio transit; ignem experitur in Manutio, pauperem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venerem in Socrate, mortem in Catone.* Haud dissimiliter cum suis benignus agit Deus: ignem experitur in Laurentio, bestias in Ignatio, lapides in Stephano, aculeos in Vincentio, rotas in Catharina, gladium in Dorothea, infirmitatem in Lazaro, & crucem in proprio Filio.

Seneca lib. de providentia Dei.

Nec idem ignoravit potentissimus Macedoniæ rex invicti Magni Alexandri Pater Philippus, de quo commemorant historici: quòd ipse quodam tempore, intellectis tribus favorabilibus (primò, dilectam suam uxorem Olimpiam sibi peperisse filium Alexandrum unicum totius Monarchiæ hæredem: secundò, exercitum suum insignem contrà hostiles phalanges in sanguinolento certamine reportasse victoriam: tertiò, regium equum in civitate Olimpia cursus velocitate præ

præ cæteris propositum obtinuisse bravium) hanc felicem, & applaudentem obstupescens fortunam, sese in terram prostraverit, & Diis, profusis lachrymis, supplicarit, quatenùs dignarentur iram suam, ac ignivomum furoris fulmen avertere, aliquidque adversi, atque infortunii ad patiendum parato immittere. Audite pulcherrima ipsius verba. *O fortuna! pro tot, tantisque bonis exiguo me malo affige.* Verùm, ô potentissime Monarcha! cuncta ad votum, & nutum tuum affluunt negotia, adversitas exulat, prosperitas regnat quid ergò adeò consterneris? quid tantum turbaris? Rationem claram adducit Seneca: *Nihil eo infelicius, cui nihil evenit adversi, argumentum est à Deo illum contemni.* Noverat ergò Philippus fortunam ad blandientem neutiquam trabali posse globo affigi clavo; verùm eam minimo Boreali vento versatilem fore, & ideò capiti suo magnum verebatur imminere infortunium. Etenim, favente fortuna, illius timenda est inconstantia. Hinc summæ temeritatis arguitur Cæsar Augustus eò quòd superbia intumescens ob insignem contrà hostes reportatam victoriam, jusserit excudi numum, ut refert Pierius, in quo sculpta erat mulier leva columnæ innixa, dextra palmæ ramum tenens cum hac inscriptione: *securus Augustus.* Et meritò sane: Etenim tam diu ac viveret, fortunam globo versatili insistentē, nummo imprimi curari debuisset cum hac epigraphe: *Auguste time.* Undè Seneca loquens de potentibus hujus sæculi, ait: *Omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos, si dispoliaberis.* Quòd si gentili fidem neges, eam adhibe B. Damiano. *Quis est enim, cui se fortuna non transferat? Et modò de adversis in prospera, modo de prosperis in adversa secundâ se varietate convertat.* Quapropter Romani fortunæ, utpotè Deæ templum consecrârunt, statuamque ejus in eo collocarunt in hac forma. Virginem curiosè sculpi curarunt viridi indutam togâ, una manu flagellum, altera corniculam gestantem, prætendentes hac indicare miram fortunæ instabilitatem. Modò enim suavi cantu, & gratâ symphonia, ut cornicula auribus adblanditur, modò diris excipit flagris.

Psal. 117. vers. 10.

Ibid. vers. 18.

Seneca lib. de providentia Dei.

Undè Theodorus Mauritii Imperatoris medicus, Legatus à domino missus ad superbum regem Chagamum, viso illius fastu, desiderans ei salutarem dare admonitionem: appositè curiosam ipsi de inflato ob diversas contra inimicos acquisitas victorias, rege Sosostre enarravit historiam, quam describit Nicephorus. Is superbia tumidus, ad regiam pompam augmentandam ex purissimo auro currum triumphalem jussit confici, qui, ipso ei insidente, à quatuor devictis regibus per plateas trahebatur, inter quos cùm unus currui appositus incessanter in rotas fixissimè oculos conjiceret, à Sosostre, id advertente, fuit interrogatus, quid tàm firmo, & immobili rotarum intuitu innuere prætenderet. Cui impavidè respondit, obstupesco, & demiror rotarum inconstantiam, & volubilitatem. Ecce rota modò in altum, modò deorsùm movetur, & quod modo in summo est, mox in infimo versatur. Ac si vellet dicere: ô superbissime rex! tu eos, qui tibi fuerunt similes, & quos inconstans fortuna effecit impares, currum tuum tyrannice trahere cogis: Cogita, cogita, quamvis modò superbè eleveris, ac in sublimi colloceris statu, te variante fortuna ad infimum posse decidere, *& nostrum commiserere.* Quo intellecto, Sosostres omnem factum deposuit, nec in posterum passus est currum à regibus trahi, eosque ab omni opere servili liberavit, condignam ipsis conditioni regiæ concedens libertatem. Hoc, hoc imitare ô Christiane factum! si ad sublimem evectus statum, te sentias inflari, atque superbire, si promotus plebejos aspernaris, si multis ditatus possessionibus, auctus divitiis, authoritate eminentiori stabilitus, omnem contrariam proximi tui vilipendens conditionem, ejusque plangentis celeri gradu ridens pertranseas miseriam: memento homo, te, & forsitan quidem in præsenti sæculo fore cunctis privandum. Quod, si in hoc iis perfruiturus sis, certò scias, te æterna non recepturum præmia, juxtà dictum S. Hieronymi: *Difficile est, immò impossibile, ut præsentibus quis, & futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, & mentem expleat: ut de deliciis ad delicias transeat, ut in utroque sæculo primus sit, & in cœlo, & in terra appareat gloriosus.* Nec sanè dissonat ab ipsamet essentiali veritate Christo, dicente: *Nonnè oportuit Christum pati &c.* Felicitatis itaque afflictio fidelissima est pedissequa, & tribulationis inseparabilis comes consolatio.

Hinc Alexandro Magno, cum potentissimis diversorum hostium exercitibus congressuro, peracto pro bono certamine successu solemni juxta morem & ritum Deorum suorum sacrificio, interroganti sacerdotem, an ulla bona auguria, atque victoriæ reportandæ auspicatus fuisset signa: divinè, & ad propositum nostrum, quàm optimè respondit. *Tu rectiùs quàm ego tibi responderis. Magnam enim Dii status tuarum rerum in diversam partem protendunt mutationem. Itaque si in*

præsentia res tuas existimas bono esse loco, adversam fortunam, sin afflictas esse scias, meliorem spera. Pari modo & nos possumus æternam augurari futuram felicitatem. Attende Christiane statum tuum, inspice, si favorabilis fortunæ susurret ventus, si in cunctis tibi arrideat mundana celsitudo; è contra intuêre, an patiaris adversa, an undequaque te opprimant infortunia, oppetant clades, insurgant miseriæ, & ex iis duobus venturum prospice. Etenim si hîc bonis fruaris, malum in altero mundo verere, si hic malis impetaris, ibi æterna exspecta gaudia. Utrumque namque simul subsistere nequit, juxtà dictum Hieron. *Imo impossibile est &c.*

Quare imaginare homo mundum in bivio positum esse, duasque oppositas continere vias, unam ad salutem, aliam ad damnationem. Sed, ut rectam assequamur, quid opus est? Nonnè quandoque in viarum biviis anxii annotâstis viatores, indices viarum ad dexteram, vel sinistram declinandum esse ostendentes? Indubiè. Justus index itinerandi in hoc mundo proponitur nobis viatoribus: dextram & sinistram protendit, verùm per utramque non demonstrat te ad rectum semitæ perventurum finem. Sinistram intrandam urget Christus, nimirùm tribulationis: dextram arripiendam esse persuadet diabolus: ille viam ad cœlum arctam, vepribus obsitam, spinis plenam, atque quàm maximè molestam, & arduam ostentat; hic versipellis, ut hominem à rectæ viæ tramite deflectat, rosis redolentem, floribus, & liliis gaudiorum, atque voluptatum refertam ob oculos ponit. Hâc, hac clamitat eundum tyrones. Hic carpetis odoriferos juventutis flores, hic abundè vestra satiabuntur desideria. Quid igitur homo per vepres, per spinas, viamque anfractam, ac incompositam incedere stultè amplecteris? Elige si sapis, quam hujus digito amœniorem, hæc te per mundi hujus delicias ad æternas alterius sæculi deducet voluptates. Ast decipit vaferrimus impostor. Etenim, qui assequi Christum cupit, viam Christi intret, necesse est. Qui sanè neutiquàm plurimas pollicetur delicias, ac mundana gaudia, inquit Augustinus: *dum sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas. Per dura Christus ambulavit, sed magna promisit. Sequere: noli tantùm attendere, qua iturus, sed quo venturus sis, & tolerabis dura, sed ad lætitiam pervenies.* Et hanc viarum differentiam optimè experti sunt, inquit S. Chrysologus, dives epulo, & pauper Lazarus. *Ad divitem, inquit, bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus pervenisse: neque tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt. Imò pauperem provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluntatem, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnum: at divitem sic extulit prosperitas, purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.*

August. in Psal. 39.

Chrys. ser. 112.

Verùm luculentiùs, atque parumper prolixiùs demonstremus unicam, securam, & certam cœli portam fore tribulationem juxtà dictum Davidis: *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* Et Christi: *Nonnè hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Invenimus in Matthæo cap. 17. registratam stupendam Christi Domini in monte Thabor transfigurationem coràm tribus electis discipulis: *Duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est antè eos, & resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt sicut nix.* Quæ Christi gloria tantæ erat eminentiæ, & excessûs, ut ea omninò obruti discipuli in faciem suam ceciderint. Directum hujus gloriosæ apparitionis divinum motivum sedulò indagant tùm SS. PP. tum sacræ Scripturæ interpretes. Qui omnes non in eundem collimant scopum, nec parem assequuntur sensum. Verùm, eorum rationibus prætermissis, tamquam ad præsens institutum impertinentibus, quod ad rem nostram facit, in hac mysteriosa visione annotabimus nimirùm, quarè Christus, illâ peractâ, expressè discipulis suis inhibuerit, ne sacramentum istud cuipiam revelarent. *Præcepit eis Iesus, dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Quod mirum videtur; etenim, si cuncta Christi miracula, & portenta deservierint ad manifestandam suam divinitatem, quare non jussit gloriosam, & admirabilem transfigurationem propalari?

Psal. 117. vers. 20.

Matt. cap. 17. vers. 1. & 2.

Hanc difficultatem enodat B. Simon à Cassia: ecce inquit, notate Christiani: ab æterno decretum erat à sanctissima Trinitate Christum secundùm humanitatem quidem esse glorificandum, sed non nisi per flagella, spinas, clavos, & crucem, oportuit Christum pati, & ita intrare &c. quæ omnia quia nondùm sustinuerat Dominus, gloriam, qua fruitus fuerat, mandavit occultari: *Nè videretur,* inquit ipse, *quod quasi ordinem in sua æternitate constitutum variâsset.* Ne quispiam præsu-

præsumeret sine flagellis, & cruce, id est, tribulationibus, atque persecutionibus ad æternam pervenire gloriam. Sic appositè hunc conceptum quoque exponit S. Gregorius, dicens: *Inutile est quidem prædicare regnum Dei, crucem autem ejus tacere. Propterea præcepit eis, ut nemini dicerent. Quia ipse est Christus, qui crucifixus est, & surrexit à mortuis.* Innuere itaque volebat benignus Dominus hac inhibitione nullum, nisi per crucem, & tribulationem ad æternam perventurum esse gloriam. Hinc implicitè suis dicebat: Ah chari Apostoli! Nolite hanc contemplari gloriam, quâ tantummodò mediante acerbâ præmiandus sum Passione. Ecce enim, modò nec flagella, nec sputa, nec derisiones, nec contumelias, nec alapas, nec coronam capiti impositam spineam, nec humeris gravem sustuli crucem, neque me ei cernitis affixum, hæc gloriam præcedant, necesse est. Tacete itaque, tacete absconditam hanc apparitionem, nè sit quispiam, qui absque flagello præsumat in legitimorum Dei filiorum inveniri testamento. Hinc rectè annotat Spiritus S. tempore Christi mysteriosæ glorificationis in Thabor, de illius Passionis gravitate mentionem fuisse factam. *Loquebantur de excessu,* vel, ut alii dicunt interpretes, *dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Et ob eandem rationem Christus in extremo omnium hominum judicio, militare suum, sub quo cuncti militavimus Christiani, vexillum, cruentata insignitum cruce, præcedere curabit, juxtà non vulgares authores, inter quos Didacus ajens: *Apparebit signum filii hominis in judicio: ut notetur non dari cœlum, nisi iis, qui strenuè militarunt sub signo crucis.*

Greg. Tract. 1. in Matth.

Psal. 117. vers. 20. Matt. cap. 17. vers. 1. & 2.

Luc. cap. 9. vers. 31.

Totum hoc quàm pulcherrimè comprobatur Exodi cap. 23. Propheta Moyses admirabili sæpè sæpius in monte Sinai in ænigmate visionis Dei dulcedine inescatus, insatiabili divinam essentiam contemplandi facie ad faciem æstuans desiderio, hunc Deo humillimè offert libellum supplicem: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Cujus petitioni annuit benignus Dominus, dicens: *Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me.* Verùm nec hac contentus Moyses Dei promissione, actualis adimpletionis avidus, rursus ingeminat: *Ostende mihi gloriam tuam.* Cui respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Sed quod hic notatu dignum, est, quòd ipsi claram faciei suæ visionem deneget: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Quòd mirum sanè est. Quoniam, quomodò hæc duo simul cohærent? Se Prophetæ omne bonum, quod sola est perfecta beatifica visio, demonstraturum pollicetur Dominus: & tamen faciem suam, id est, essentiam suam, ab eo abscondit? Quid quæso, ipse ostensurus est Moysi, in quo omne bonum consistit? Scriptura id declarat vers. 23. *Videbis posteriora mea.* Ast hic summoperè obstupesco cum S. Anselmo. *Propheta anxiè rogat divinam intueri faciem, & gloriam: spondet Dominus se ipsi ob oculos propositurum omne bonum.* An forsitan faciei divinæ splendor, majestas, gloriaque in dorso illius resplendet? Imò, imò Auditores: Attendite semel quàm divinè hanc quæstionem attingat S. Anselmus: *O bone Iesu, inquit, quid est in posterioribus tuis, in quibus faciem tuam, & gloriam videmus?* Et respondet in persona Christi: *Nil aliud certè, quàm quinque millia flagrorum, ossa nuda, plagæque crudelissimæ: quasi dicat nulla alia brevior est, & rectior via, ad faciem meam videndam, quàm oculos in posteriora conjicere: per tot passiones ego veni in gloriam, & per eam pervenire debet, quisquis illam mecum possidere desiderat.*

Exod. cap. 33. v. 13.

Vers. 17.

Vers. 18.

Vers. 20.

Anselm. in hunc locū.

Quod in ipsomet Moyse dilucidè demonstravit Numerorum cap. 14. ubi narratur, quòd in Prophetam, dimissis ad terram promissionis perlustrandam exploratoribus, ingentem filii Israel concitarint conspirationem: *Itaque vociferans omnis turba flevit nocte illa. Et murmurati sunt contrà Moysen, & Aaron cuncti filii Israel.* Quem tumultum blandis verbis, solidis exhortationibus Moyses, & Aaron sedare, divinæ eos commonentes fiduciæ, & mirabilium Dei in Ægypto, & in mari rubro factorum reddentes memores, omni conatu allaborarunt, ut rabidam plebem à tanta in Deum blasphemia averterent. Imò nec hoc ipsi tantùm, verùm etiam exploratores Caleb & Josue ex terra promissionis reduces, summo studio iis inculcare tentarunt, & ut animum virilem resumerent, instanter exhortati sunt, dicentes: *Nolite rebelles esse contrà Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare. Recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Verùm omnes exhortationes, confortationes, tamquàm inanes in aërem dissipatæ sunt. Tantaque Israëlitæ obstinati exarserunt rabie, ut lapides avidè arripuerint ad eos lapidandos. Cui malo medelam adferre conatus Moyses, cujus humeris, utpotè supremi ducis, totum onus incumbebat, inter dura saxa, & tam sævas, ac inexspectatas persecutiones, ad

Num. cap. 14. vers. 1. & 2.

Vers. 9.

preces, iis excandescentem ob tam enormem rebellionem, Domini furorem deliniturus, sese convertit. *Dimitte obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, usque ad locum istum.* Sed advertite curiosi, quid Moysi in tantis constituto angustiis, contigerit. Ait sacer textus:
Vers. 19. *Cùmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini.* Quem eventum mastiCans doctissimus Origines, divinè
Num. cap. 16. vers. 3. ad nostrum propositum ait: *Quamvis magna sint vitæ merita Moysis, & Aaron, quamvis animi virtutibus polleant, apparere tamen eis gloria Dei non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, ac in ipsa penè morte positis.* Numer. cap. 16. dicitur Moysen & Aaron ob seditionem populi confugisse ad tabernaculum. Quibus, tùm in tribulationibus constitutis, mox divina affulsit gloria, *quod postquàm ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Ad quod ait Origines: *Non legimus anteà, quod obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit gloria Domini, & receperit intra nubem Moysen, & Aaron, nisi tunc, cum insurrexit in eos populus, & voluit lapidare, Discamus ex hoc quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gloriæ conferatur, quomodo propugnator fiat Deus.* Et concludit contra insensatos, qui divitiis affluentes, voluptatibus conniventes, carnem & sanguinem fomentantes, & absque ulla tribulatione præsumunt æternam Dei adipisci gloriam. *Et tu ergo non putes tibi dormienti, & otioso apparere posse gloriam Dei.* Id namque nullatenùs fieri potest teste Apostolo: *Sicut socii passionum estis, & resurrectionis erimus: si tolerabimus* inquit, *& conregnabimus. Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo.* Ubi & nota tò debent, quo innuitur paradisum, gloriamque sempiternam tribulato ex rigore justitiæ competere; quod & sufficienter indicat David in persona Christi, qui gloriosus in cœlum ascendens, elevatis manibus, ut cuilibet vulnerum cicatrices paterent, ad cœlestes januæ vigiles clamitat: *Aperite mihi portas justitiæ, & introibit rex gloriæ,*
Psal. 117. vers. 19. rex martyrum, rex afflictorum, hæc merces tantis ex justitia debetur persecutionibus.

Undè amore potiùs carnali, quàm spirituali ergà filios mater Zebedæi obcæcata, cùm à Christo præ cæteris Apostolis eorum sollicitaret præeminentiam, dicens: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & unus ad sinistram in regno tuo,*
Matt. cap. 20. v. 21. durum meruit audire responsum: *Nescitis, quid petatis, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, dicunt ei possumus.* Ad quod rursùs Christus: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* Sed quid ais Domine, *non est meum*? Tibi absolutum Psalmista regius adscribit in omnem rem creatam dominium: *Tui sunt cæli, & tua est terra.* *Psal. 88. vers. 12.* Quomodo itaque asseris, *non est meum*? Pro hac difficultate dissolvenda in mentem revocemus cujusdam libelli supplicis à Petro tempore transfigurationis in monte Thabor Domino oblati. *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* *Matt. cap. 17. vers. 4.* Et tamen dementiæ, & temeritatis de insulsa sua petitione à Spiritu S. arguitur Petrus Marc. cap. 9. *Non enim sciebat, quid diceret.* *Marc. cap. 9. vers. 5.* Sed quid ô infallibilis veritas! ecce Petrus servus cum Domino jucundam expostulat commorationem, *bonum est nos hic esse &c.* Apostolus magistro desiderans cohabitare, æterna exstrui requirit gaudii tabernacula *Faciamus tria tabernacula,* Quare Petre, si quis interroget? Mox in promptu illius erit responsum: *Quia bonum est nos hic esse.* Quis ergò umquàm asseret eum nescisse, quid diceret? *Marc. cap. 8. vers. 4.* Sanè primo intuitu cuipiam forsitan hic locus alio præallegato apparet difficilior. Verùm facilè clarescet ex dicendis.

Certum est, atque indubitatum, SS. Trinitatem Christo Deo incarnato judicandi vivos & mortuos dedisse potestatem, juxta illud Joannis: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* *Ioan. cap. 10. v. 18.* Ast hæc potestas absoluta non ac proindè in legibus neutiquam valet dispensare, sed tenetur secundùm allegata, & probata dijudicare. Verùm illa dumtaxat est delegata, ut rectè docet subtilissimus Scotus: *Delegatam,* inquit, *potestatem sibi à tota Trinitate accepit.* Cùm itaque Deus pater certa conditione, statuto decreto, determinatis legibus regnum cœlorum mandarit distribui, limites suæ jurisdictionis nefas fuisset ab obediente filio transiliri. Hinc ait: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater.* Sed quomodo tibi, ô pie Jesu! ipse illud disposuit? Ah quid dicet? Non nisi sanè per mille tribulationes, per flagra, spinas, & crucem: *Nonne oportuit Christum pati, &c.* Conformiter itaque ad suam matri filiorum Zebedæi Christus Dominus respondet authoritatem: *Nescitis quid petatis.* Ah! nondum Passionis calix, qui vobis offeretur exhaustus est: vix Christianæ scholæ prima attigistis rudimenta, & subitò ad supremam evehi concupitis victoriæ palmam? Nullum præcessit certamen, quâ

quâ fronte ergò justum exigitis bravium? *Non est meum dare vobis*; quoniam ego secundùm patris edictum, eum æterna redimire neque corona, nisi legitimè in gloriosa Christiana sub meo vexillo militarit militia. Sic concinnè explicat doctissimus Rupertus: *Hoc jus legale est apud cœlestem regem, ut sicut Pater, ita ipse disponat permanentibus in tentationibus, ut si sustinuerimus, conregnemus, si compatimur, conglorificemur.* Cui concordat Antonius de Padua, dicens: *Non est meum, hoc est justi judicis dare vobis ad gratiam dignitatem istam* Quia, ut ait Ambrosius: *Qui non fuerit in labore certaminis, non erit in requie æternæ visionis.* Idem est de Apostolo Petro: fiui æternâ appetebat gloriâ, & necdum ad eam destinatam sustinuerat crucem, de quo rursus Antonius de Padua ait: *Ante voluit beatificari, quàm præcederet meritum.*

Rupert. cap. 10. in Apoc.

Et hanc Domini erga suos in statu illuminationis, & gratiæ methodum egregiè comprobat S. Thomas à Villa Nova, sustinens ideò tantummodò à nobis Christum tribulationes, & cruces exigere, quia eas prior passus est. *Itaque viros jam perfectos grandia pro Deo agere oportebat, ut latens in eis Spiritus S. virtus cunctis hominibus panderetur. Item oportuit ita fieri, ut quid Deo mundus deberet, apertiùs innotesceret. Dominicam enim Passionem, clavos, flagella, irrisiones, sputa, spinas, nuditatem, opprobria, mortem, aliud est è pulpito referre, aliud equuleo sentire. Potavit eos Dominus calice suo, ut agnoscerent, quam ipse amaritudinem ebibisset. Quid pro eorum peccatis in cruce sustinuisset: & quo magis beneficium agnoscerent, eo ardentiori affectu gratias Deo pro illo referrent.* Et ut ostendat quanto cum fundamento tribulationes ab homine expetat Deus, subjungit: *Et quidem quam diu Deus pro omnibus dolores, passiones, persecutiones, & mortem passus non est, hæc ab hominibus minimè postulavit. Sed postquam hæc omnia sustinuit: quid mirum, si servus patiatur, quod Dominus pati pro ipsomet dignatus est servo? Quid mirum, si servus Domini sui vestigia sequatur? Imò mirum, si non sequatur. Non est, inquit, servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus: non facio vobis injuriam. Viâ, quâ me duxit Pater, ego duco vos, neque enim ampliùs diligere debeo servum, quàm Pater suum diligat filium. Oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam quantò magis famulos, ut in regnum intrent alienum? Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam. Non dignetur justus intrare cælum per portam crucis, per quam ingressus est Dominus. Hæc est enim voluntas Dei, ut accipiat unusquisque crucem suam, & sequatur eum.*

Thomas à Villa Nova Conc. de S. Romano.

Manet itaque inconcussa irrefragabilis veritas, inquit Thomas, in oculis divinis crucem Christi, ad gloriam atque regnum rectam fore semitam. Audite illius hac de re judicium perscrutantis illa Gabrielis promissionis Mariæ Virgini factæ verba: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Hic autem nesciens, quando, & quomodo hoc angelicum adimpletum fuerit vaticinium, sic eum alloquitur. *Sed edissere nobis, ô Angele Dei! quomodo, aut quando impleta est promissio tua? Quando hic, quem annuntias, Virginis filius, sedem David patris ejus conscendit? Quando regali potitus est gloria? Quando in domo Iacob regni moderamina tenuit? Vidimus eum novissimum virorum, abjectum, & pauperem in labore, & ærumna vitam duxisse. Vidimus inquam, illum persecutiones, insidias, odia, æmulationes, famem, sitim, nuditatem, egestatem totâ vitâ tolerasse: non domum, non ancillam, non servum, non agrum, non vineam, aurum, argentum, sed neque ubi caput suum inclinet, habuisse. Vbi ergò sedes? Vbi regnum? Vbi promissa majestas? Hocne regnare est? Hoc est domui Iacob imperare?* Verùm attendite in persona Angeli ad similem querimoniam divæ Virginis dilucidè, paucis interjectis, respondentem præfatum Doctorem; *Leva oculos tuos ad filium, & vera me dixisse probato. Numquid non regia stemmata vides? Numquid regis vexillum attendis? Non aspicis caput diademate regis ornatum? Titulum non conspicis regali throno attendentem? Non audis multorum regem acclamantium voces? Sceptrum non decernis potenti manu defixum? Quid obsecro, Virgo, quid deest ad regnum?* Et paulò infra ait: *Intellige Maria mysterium: Sacramentum magnum agnosce: ea, quæ perfidi homines opprobrio faciunt: apud Deum & homines seriò fiunt: & quæ ludibrio dicuntur, veritate complentur. Iniquorum injuria, vera regni est gloria: irrideri videtur, sed in veritate Rex coronatur. Corona illa spinea laurea reputatur à Deo: pungit quidem, sed ungit: cruciat, sed honorat: & si vis nosse secretum, crux illa crudelis regni David sedes est.*

Luc. c. 1. v. 32.

S. Thomas à Villa-Nova côc. 1. de Annunt. Divæ Virginis.

Verum, quandoquidem in hanc inciderimus materiam, parumper ampliùs demonstremus idem esse crucem, passionem, tribulationem, martyrium & gloriam. Hoc apertè innuit S. Hilarius, qui enucleatè loquens de innocentium passione, deside-

desiderans martyrium definire, illi gloriæ asseveranter attribuit elogium: *In æternitatis profectum, per martyrii gloriam offerebantur.* Quod solidè confirmari aggredior pulcherrimo divi Augustini conceptu. Hic sagaces mentis oculos in Eliæ per currum igneum raptum, & Henoch ex hoc mundo abscessum, conjiciens: (de quo Scriptura ait: *Ambulavit cum Domino, & non apparuit, quia tulit eum Deus*) ambos adhuc in vita conservari, nec unquam mortem sensisse, asserit: *Translati sunt Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: Cæterùm morituri reservantur.* Sed quorsum: ut nimirùm terribile, & gloriosum tamen in consummatione sæculi contra Pseudo prophetam Antichristum viriliter prælientur, eumque prosternant, *ut Antichristum* inquit Augustinus, *sanguine suo extinguant.* Modò interrogat subtilissimus hic Doctor, quòd si duæ sanctissimæ hæ personæ realem, ut cæteri homines obiissent mortem, fatumque absolutè persolvissent commune, nonnè illæ glorioso Christi Domini nostri ad æternum Patrem Ascensionis die cum aliis SS Prophetis & Patriarchis triumphalem ipsius in cælum ingressum, numerum augmentassent. Indubiè respondet Augustinus. Cur namque eandem illis cum aliis Sanctis mercedem justus non impertiretur Dominus? Deus itaque arguit Augustinus, probatos hos in sanctitate, virtutibus, atque vitæ perfectionis viros debitâ privat coronâ, & gloriâ, & quidem ad tam ingens temporis spatium? Quod, ut ait Divus Augustinus, directè divinæ repugnare videtur justitiæ distributivæ.

Ad hunc difficultatis nodum dissolvendum Augustinus annotat finem, ad quem piè reservantur, nimirùm, ut crudele suo insolentis Antichristi tyrannide in carne sævum subeant martyrium. *Et tunc*, inquit Augustinus, *ipsis gloria recompensabitur*, hoc est, secundùm leges ad æqualitatem, quod importat *tò compensare*, gloria reddetur, omneque planè emersum damnum in integro resarcietur. *Compensabitur eis tolerando martyrium.* Liquet modò consequentia: ergò prorsus unum & idem censentur in conspectu Domini gloria & martyrium.

Aug. lib. de Gen. ad litteram.

S. Ambrosius sedulò ruminans Evangelistæ Joannis verba: *Quod factum est in ipso vita erat*, attestatur Christum omnem omninò creaturam, quam ipse immediatè attigit, suo contactu in melius commutasse. Audite obsecro, quidnam dicat de abjecta & vili terræ materia, de qua protoplastes creatus est Adam *O lutum, quàm fragile, quàm vile, quàm abjectum eras*, nimirùm in primæva conditione, *ecce quam solidum, quàm gloriosum factum es; postquam in manus cœlestis figuli assumptum est lutum, à Deo solidatum est.* Imò nec tunc lutum nobilitatum est, sed vel tum maximè, quando Verbum ipsum majestatis suæ oblitum, illud assumere dignatus est, ad summam evectum est excellentiam, & supra novem Angelorum choros collocatum.

Ioan. c. 1. v. 4.

Quapropter, si Christus aquam tangat, eam sactificat, si tenebras contrectet, dissipantur, & subitò evanescunt, luxque pura suboritur. Si manum ægrotis admoveat, & mortuis, illos sanat, hos ad vitam resuscitat. Si obduratum vivaciter pungat peccatorem, mox in justum, & sanctum transmutet, facitque à mancipio diaboli verum filium Dei. E quo hanc Ambrosius conficit rationem: *Vulnus in Christo factum fuit, ergò vulnus in Christo vita fuit facta: Mors in Christo facta fuit: ergo mors in Christo vita fuit.* Cùm itaque Christus omnes prorsus sustinuerit dolores, anxietates, supplicia, tormenta, martyria, teste Ambrosio: *Christus omnia martyria sustinuit, omnium non tantùm martyrum, sed etiam imaginabilia.* Sequitur per legitimam consequentiam: igitur martyrium, tribulatio, &c. vita facta fuit, & per consequens, dum miseriæ, atque angustiæ fideles suos participes reddit, illa in iis vita facta fuit. Christus itaque tribulationes summoperè nobilitavit, & cruces exaltavit. Seneca loquens de injusta Socratis in carcerem violenter injecti captura, ait: *Carcerem intravit Socrates, ignominiam loco detracturus, non enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Pariformiter, quia innocens noster Socrates Christus Jesus, postquam omnia tormenta in se suscepit, iis omnem molestiam, acerbitatem, & compunctionem ademit: Ita ut modo Christianis non sit carcer, tribulatio non sit tribulatio, martyrium non sit martyrium, verùm vita & gloria, imò quoddam admixtum divinitati, ut ait B. Simon à Cassia: *Martyrium divinitatis plenum esse*, eò quòd summâ toleratum patientiâ suam voluntatem patiens divinæ perfectè conformet, quod divinum esse asserit Bernardus: *Velle quod Deus vult, hoc est jam Deo similem esse.*

In confesso est apud omnes justum judicem, cunctorumque bonorum operum remuneratorem Deum iis mercedem tribuere, qui illum diligunt. Et quò ferventior, atque intensior est iste amor, eò perfectior est gloria, & merces amplior. Quoniam actus meritorii intensioni adæquatè correspondere debet mercedis intensio, & magnitu-

nitudo. Hoc supposito: quòd si vobis probem Auditores, Deum in eminentis actus amoris mercedem impertiri diligenti martyrii donum: nonne abundè ostendero martyrium idem fore, quod gloria? Ad probam hujus itaque progrediamur. Joan. cap. 21. Christus Apostolum suum Petrum de ejus interrogat amore: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ad quod in promptu respondet Petrus: *Etiam Domine tu scis, quia amo te.* Et ecce in istius dilectionis remunerationem, supremum Ecclesiæ suæ sponsæ ei tribuit gubernamen: *Pasce agnos meos.* Verùm huic primæ petitioni nondum acquiescens Jesus, rursus petit quasi diffidens: *Simon Ioannis diligis me.* Imò tertia vice idem ingeminat, cui respondenti fiducialiter: *Scis Domine, quia amo te,* prima promissio denuò confertur: *Pasce agnos meos.* Verùm notatu opus est, Christum, summâ Petri in amore perfectâ constantiâ, particularem isti actui pollicitum fuisse retributionem & gloriam: *Amen, amen dico tibi: cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit significans, quâ morte clarificaturus esset Deum.* Nimirùm crucis inquit Tertullianus. Etenim olim cruci adjudicati in medio corporis fortiter ligabantur, ut extensa super crucem brachia facilius totum corporis pondus sustinere valerent: *Tunc Petrus ab alio cingitur, cùm cruci accingitur crucifigendus.*

Ioan. c. 21. v. 15.

Ibid. v. 18. v. 19.

Prius itaque Dominus de perfecto Petri indagare vult amore, antequam ei martyrii repromittat gloriam, & coronam, judicans in idem planè coincidere martyrium, & gloriam, quæ actus amoris mensuræ justè æquiparatur. Sic id optimè exponit S. Fulgentius: *Primitus Christus Petrum ad confessionem amoris invitavit, ut facultatem ponendæ animæ suo deinceps amatori concedat.* Cui accinit aureum os: *Cùm dixisset Petro Dominus de amore, quem habebat ad ipsum, pronuntiat ei martyrium, quod pro ipso debebat sustinere.* Et in illa Scripturæ verba: *Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum,* subjungit: *Non dixit moriturus esset, ut discas, quoniam pati pro Christo gloria, & patientis est honor.*

Quòd cum ita sit, quid, ô proterve! ô contumax Christiane! tribulationes & adversitates patienter tolerare detrectas? Quid Deo tibi paterni amoris sagittas immittenti obmurmuras? Cur miseriis, & sinistræ fortunæ adeò obluctaris? Sagittæ ejus, consolationes ejus sunt, & tribulationis individuus est comes divina præsentia, & assistentia, juxta illud Davidicum: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum:* Unde ei potest illud appropriari Sapientis: *Hic venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Imò tribulatio ista adeò in bonum operata est Josepho, de quo hic, ut addat Scriptura: *Donec adferret sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.* Quod tribulationis incrementum egregiè exaggerat Chrysostomus, dicens: *Neque Iosephus tantum honorem est consecutus in paterna domo habitans, quantum venumdatus, & in domo barbarica educatus. Per ipsos enim insidiatores ei contexebatur diadema & comparabatur purpura, & ab infamiæ occasione honoris, & regni causa processit.* Hinc ait Gregorius Nazianzenus: *Electi in tentatione proficiunt, & quod eis diabolus præparat ad ruinam, hoc Deus vertit ei in gloriam.* Cum ardenti itaque amore, grandique animi affectu Christianum decet salubres has infortuniorum sagittas è cælo dilapsas acceptare, iisque ultrò caput objicere. Etenim firmiter sibi persuadere debet, nemini æternum tribuendum cœlestis regni præmium, nisi lubricosum ærumnosæ hujus vitæ generosè percurrerit stadium. Ad hunc celeberrimum virtutis actum urgenter nos exhortatur Augustinus, divinis hisce verbis: *Quàm facilè toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur. Domini amor meus, pondus meum, & omnia fiunt facilia charitati, cui una Christi sarcina levis est. Quæ dura videntur tolerantibus, dulcia sunt amantibus. Et quæ difficilia videntur imbecillibus, levia sunt viris & fortibus.* Estote itaque viri Christiani, & virtutem exercete. Ait enim Gregorius: *Virum dici à virtutibus. Sed heu!* inquit Philosophus, *nostrâ hâc depravatâ ætate permulti inveniuntur homines, viri perpauci.* Hinc Diogenes Athenis pleno die accensâ face virum quærebat in adversis constantem, qui etiam non ignarus Lacedemoniorum virtutis, illorum fœminas extollebat, dicens: *Solum Lacenæ viros pariunt.* Idque ideò, quia ipsæ suos partus in scuto tamquam in cunabulis ad labores, & militiam conducebant. Nos quoque ad belligerandum nascimur. Arripiamus itaque scutum fidei, & patientiæ clypeum, ac ita nobis poterit appropriari illud emblema Passonii, qui depinxerat Sirenam in mari nati-

Psal. 90. v. 15.

Sap. c. 10. v. 13.

Gregor. Nazianz. orat. ad cives.

Aug. ser. 9. de verbis Domini.

tantem

tantem cum epigraphe : *Contemnit tuta procellas.*

Famosissimus historiographus Plutarchus commemorat, strenuum illum ducem Temeliontem, cùm jam jam in campum contra hostiles phalanges dimicat rus, procedere meditaretur, priùs ad Apollinem Delphicum de certaminis eventu, & victoria sciscitaturum perrexisse. Sed ecce vix interiora templi attigerat, è suspensis variis ante ora culum belli trophæis, fortuito ponderosum decidit scutum supra Temeliontis caput, in quo tres depictæ erant coronæ. Quod scutum Æmilii Romani extitisse autumant aliqui, qui ter coronas triumphales ob tres memorandas reportatas victorias recipere Romæ meruerat. Cujus ictu præ nimia gravitate graviter læsus fuit. Attamen illud vulnus certissimum futuræ victoriæ habitum est augurium.

Fateor hæc superstitiosa sunt figmenta, & ridicula Ethnicorum deliramenta. Verùm liceat ea modò ad Catholicam, & sanam retorquere doctrinam. Visnè scire Christiane; si in hujus vitæ malitia contra dæmones, carnem & mundum certam adepturus sis victoriam: si æternam assequêris beatitudinem: Intuere, intuere sedulò vitam tuam. Aspice an cuncta sint felicia, prospera, an omnia ad desiderium, & beneplacitum tuum affluant: an verò sæpè sæpiùs caput tuum duro sævæ adversitatis concutiatur malleo : an infortuniorum fluctibus obruaris: proximi persecutionibus opprimaris : in summa, an flagellantem divinam non sentias manum ? Quod si primum, pessimè augurare. Etenim, qui est exceptus à flagello, indubiè ab æternæ hæreditatis excludetur testamento, juxtà illud Ambrosii : *Qui non fuerit in labore certaminis, non erit in requie æternæ visionis.* Quod si secundum, omnia tibi prognosticantur felicia. Quoniam Christus Dominus tibi eodem modo, quo ipsi pater disposuit regnum, videlicet per cruces, & passiones, quæ infallibile sunt sempiternæ victoriæ, ac cœlestis mercedis præsagium, & certissimum divinæ prædestinationis indicium, teste D. Thomâ à Villa nova disserente suprà illud Psalmistæ Psal. 27. *Ad te Domine clamabo, ne quando sileas, & taceas: volo affligas, volo arguas. Hoc enim magni amoris signum est, sicut ipse ait: ego quos amo, arguo & castigo: undè pater filium suum legitimum hæredem delinquentem arguit, increpat, sed spurium abire sinit. Magni amoris, & electionis æternæ signum est, quando hominem redarguit, increpat, neque sinit quiescere, donec exeat peccator.* Homo namque cuidam herbæ nomine Acanthui rectè assimilari potest. Naturalistæ de hac referunt, eam inter cæteras proprietates illâ notatu dignâ gaudere, quod ipsa, quo gravius ei pondus supponis, eo altiùs in aërem sese extollat, magisque assurgat. Quod ansam præbuit peritissimo sculptori Colimacho in summitate columnæ Corinthiæ folia Acanthus effingendi cum hac inscriptione? *depressa resurgit.* Sic inquam, homo, quamvis videatur penitùs adversitatis pondere conteri; attamen, si patienter eam tolerer, altiùs assurgit, magisque glorificabitur, juxta illud Luciani:

D. Thomas à villa nova Dom. 4. Adventus.

- - - *Gaudet patientia duris*
Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

Hinc & cantat Poetâ ad prædictam alludens Acanthus proprietatem:

Fortis ab adversis animus præclarius extat.
Pondere sic pressus surgit Acanthus humo.

Cùm itaque Deus ô Christiagi! humeris nostris, grave, & ponderosum infelicitatis imponit onus, certò scitote, benignum salvatorem eò collimare, ut ad instar Acanthus altius ad eam assurgamus. Undè mihi imaginor, ipsum nos tractare, quemadmodum cives suos tractavit Lacedemoniorum legislator Lycurgus. Is, ut subditos suos bonis moribus indueret: binos jussit ejusdem canis educare catulos, quorum unus pretiosè satis & delicatè tractabatur, domique jacens, cunctis applaudentibus, caninam vitam traducebat deliciosam. Alterum verò Lycurgus venationi, defatigationi, labori, vepribus, spinisque percurrendis assuefêcit. Contigit, ut coram ambobus quodam tempore dè màndato Lycurgi, & cibi delicati, & spinæ apponerentur. Sed quid evênit, ecce vix odorem naribus acceperat canis domesticus, famelicus, & venandi methodi ignarus, paratam sibi arripuit prædam. Alter verò contemptis cibis, opiparam mensam præteriit, & non oblitus soliti in venando laboris, solummodò venatoriæ clangore ad prædam capiendam accurrit, nec quidem remora à Lycurgo injecta, ejus obsistere valuit impetui, quò minùs in campum prodiret. De quo obstupescentibus Lacedemoniensibus, subridens dixit Lycurgus: *An non videtis cives, duos catulos genere similes, ob diversam educationē dissimiles evasisse: & plus momenti habere ad virtutē institutionē, quàm nativitatem, quæ ab*

Aug. serm. 50. de tempore.

illa

illa corrigitur? Quales nascantur filii, nulli in manu est. Sed audite, & attendite, quid superaddat: *At ut rectâ institutione evadant meliores, nostræ est potestatis*

Haud dissimiliter inquam, cum suis sese gerit Deus. Binam hominum in hoc mundo educat speciem: hunc deliciis frui sinit amplissimis, illum verò in miseria, paupertate, indigentiâ, tribulatione, atque angustia totam vitam peragere permittit: nimirum, ut ipse, qui in ortu alteri par est, & omninò similis, hoc præclaræ virtutis, & laboris exercitio rectiorem vitæ institutionem amplectatur, atque præclarior, & eminentior evadat. Sed quid tandem duobus his accidit hominibus? Sanè idem, quod canibus Lycurgi. Ecce præponuntur ab ima parte arridentes perituri hujus mundi voluptates, & illecebræ: ab altera aequirenda statuitur labore, & sudore æterna cœli gloria. Sed heu? ille ad instar incrassati canis, deliciis, otio, omnique animi oblectamento assuetus, eas avidè arripit, & intimo amplectu constringit, cœlo prætermisso, beatitudine vilipensa. Alter verò defatigationem non detrectans, in eo misericorditer â Deo enutritus, atque educatus per spineta, vepres, difficilemque, quâ patet cœlum, viam, ad æternum felicitatis adipiscendum velociter accurrit bravium; & quod alter in cœlo deliciarum stertens miserè amittit, hic tribulationibus, miseriis, ac persecutionibus securè, & feliciter recipit. Ille stultè transitorium, & fluxum bonum amplectitur, hic prudenter æternum præmium assequitur, cujus memoriam, ut tribulatos ad patientiam adhortetur, indelebilem cordi hominum imprimere conatur Aug. divinis hisce verbis sententiam: *Præsentia mala sine dubio transitoria sunt, aut per nos transeunt, aut nos per illa transimus, aut transeunt nobis viventibus, ac dimittuntur nobis morientibus. Non est in tribulatione magnum, quod tempore breve est. Verùm tamen si curis tantis homines æstuant, ad evadendas temporales, & transcurrentes, vel potiùs transvolantes tribulationes: quid est cogitandum ut homo evadat manentes & sine fine durantes.* Imò infinitâ Dei sapientia hunc rerum statum constitutum fore asserit idem Doctor serm. 37. de SS. *Dei enim ineffabilis, & immensa bonitas hoc providit, ut laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret], aut æternum, sed breve, & ut ita dicam momentaneum, ut in hac brevi, & exigua vita agones essent & labores: in illa verò, quæ æterna est, corona, & præmia meritorum: ut labores cito finirentur, meritorum verò præmia sempiternè durarent.*

Aug. serm. 50. de tempore.

Fusè, & abundè satis, ô Auditores! ostensum est tribulationes fore utiles, necessarias, unicamque ad cœleste regnum semitam. Quare, nè nauseam forsitan benignis auribus vestris parerem, discursum finire arbitrabar; verùm duo insignia sacræ scripturæ loca mihi occurrentia (quæ apprimè totum meum institutum comprobant) meâ proposito disturbârunt, quibus coronidem præsenti ratiocinationi imponam Stupendam Propheta Job cap. 19. profert sententiam, quæ mihi primo intuitu intelligibilis, aut si explicetur, ut literaliter sonat, Catholicæ fidei directè videtur cōtraria. *Scio enim, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursùm circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum.* Huc usque rectè. At notate quid subjungat: *quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Sed quid hoc ô Propheta! tu te tantummodò Deum conspecturum jactitas? Omnemque alium à beatifica visione audacter excludis? O temerarie, ne dicam impiè judex! an ipsammet per essentiam veritatem Christum falsitatis incusare audes, qui bono latroni petenti: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*, respondit jurejurando: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*? An forsitan chara Christi mater, electa Spiritus S. sponsa Maria pergrato filii sui tùm secundùm carnem, tùm secundùm divinitatem carebit aspectu? An Petrus, Andreas, cæterique Apostoli, qui tamquàm fortissimi athletæ veri Christi sequaces per crucem, & ensem transiêrunt, & strenuissimè in hac vitæ militia militârunt, justâ visionis divinæ essentiæ mercede privabuntur? Hoc asserere omninò est blasphemum, ac per consequens tuum dictum maximè execrabile, *quem visurus sum ego: & non alius*, to namque *& non alius*, omnes Sanctos à Dei visione expresse excludit. Doctissimus Liranus difficilem hanc scripturam ingenii sui lumine dilucidat, & rectè quidem ad propositum hoc Jobi dictum comprobat. Hic enim ex hæbraico eruit in hoc tò *alius* neutiquam accipiendum fore *adjectivè, sed adverbialiter, & non aliter* Sicque quàm optimè, & veraciter locutus est Job in summa omnium tribulationum, atque miseriarum constitus pressura, ut patet ex sacro textu: *quem visurus sum ego, & non aliter.* Nimirùm, nisi mediante infelicitate, persecutione, filiorum privatione, bonorum temporalium jacturâ, & fœtido sterquilinio. Absque enim passione, miseriarum tolerantia, nullus unquàm ad æternam divinæ essentiæ pertingere poterit visionem, & *non aliter*

Job. c. 19. v. 25 26. & 27.

Quadragesimale P. H. Ttt

aliter. Lex namque inviolabilis sancita est, *qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur viam portæ Aquilonis*.

Nonne ad hoc annotâstis curiosi scripturæ lectores mirabilem Patriarchæ Jacob cum angelo luctam registratam Gen. cap. 32. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, quâ finitâ, & viriliter ex parte Jacob peractâ, ei benedictionem est impertitus, nomenque illius commutavit dicens: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, quod interpretatur videns Deum. Verùm cur antè luctam Patriarchæ hoc non præstitit beneficium? Profectò, non nisi, ut cunctis fidelibus indicaret, neminem æternam adepturum fore benedictionem, beatificâ fruiturum visione, quàm post luctam, legitimumque in hac vita certamen. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*.

Gen. c. 32. v. 24.

Vers. 28.

Hoc omnium clarissimè elucescit è cap. 48. Geneseos. Ubi narratur, Jacob antè proprios suos filios benedixisse ambobus filiis Joseph Manassi, & Ephraim, *adduc*, inquit, *eos*, *ut benedicam illis*: Cujus mandato promptissimè obtemperans Joseph, *posuit Ephraim ad dextram suam, id est ad sinistram Israel. Manassem verò ad sinistram suam, ad dextram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum*. Verùm notatu dignus est Israel benedicendi modus: *Qui extendens manum dextram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus*. Simulque utrique benedictionem impertivit. Verùm cognoscens Joseph patrem juniorem seniori velle præferre, vel forsitan judicans imbecillitate oculorum errare, *id graviter accepit*, inquit scriptura, & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. Et patrem indecentiæ commonens, dixit: *Non ita convenit pater: quia hic est primogenitus, pone dextram tuam suprà caput ejus*. Sed in suo Israel constans perstitit proposito: qui renuens ait: *Scio fili mi scio*. (Quod bis signanter addit, nè ignorantiæ mysteriosa hæc imputaretur benedictio) *& iste quidem erit in populos, sed frater ejus minor, major erit illo, & semen illius crescet in gentes*.

Gen. cap. 48. v. 10. 13. & 14.

Ibid. v. 15, 16. & 17.

Hic obstupescunt SS.PP. cunctique ferè sacræ Scripturæ interpretes, vix tàm altum, quod sub inconsulta hac Patriarchæ latitat benedictione capientes mysterium. Etenim, cur primogenito præponitur minor? Hoc sanè in unius delictum refundi nequit, aut illegitimitatem, cum ambo fuerint innocentes, ambo legitimi utriusque parentes filii. Cur itaque Manassi eripitur benedictio, & Ephraim tribuitur? Pro hoc intricatæ difficultatis dissolvendo nodo oportet retrogredi ad Cap. 41. Geneseos. Ubi dicitur vers. 51. Joseph primogenito sibi ex Aseneth nato indidisse nomen Manasses, quod interpretatur filium *oblivionis*; ideoque eum dixisse: *Nunc oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domum patris mei*. Id est, dum partum intueor, reminisci fraternæ invidiæ, sceleratæ venditionis, & injusti, & terri carceris, sicque Manasses patri erat internæ quietis filius. Sed secundo imposuit nomen Ephraim, quod interpretatur *paupertatem*, ideoque addit: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*. Erat itaque filius miseriæ, & tribulationis. Nunc capietis mysterium. Jacob filio oblivionis tribulationum, infelicitatis, benedictionem denegat, & primogenituram: Ephraim autem illam elargitur significans occulto hoc actu Propheta, nullum sempiternam benedictionem, & cælestis regni primogenituram, nisi per labores, & afflictiones adepturum. Et ut manifestius hujus prætentionis suæ signum ostentâret, manibus crucem efficit, & dextram supra sinistram collocans, cancellatis manibus, benedictionem donat. Ephraim paupertatis filio (ut innuat per crucem dumtaxat ad supernam perveniendum esse benedictionem) conformiter ad dictum Job *& non aliter*. Quoniam crux unica cæli portæ est clavis. Quapropter S. Thomas crucis, & tribulationis exaggerans virtutem, in hæc illius erumpit encomia. *O crucem amabilem! ô crucem jucundam! ô crucem desiderabilem! per quam patet ingressus ad regnum. O potentissima clavis David! quæ aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. Aperis cum ades, claudis cum abes. Quis ergo audeat de te conqueri, in qua omnis nostra salus, & vita consistit? Aut, quæ potest esse asperitas in te, quam non delineat tanta utilitas intellecta?* Et Christianum ad cruces viriliter portandas strenuè adhortans ait: *Quid fugis, ô Christiane! quid times à facie crucis. Non est serpens devorans, sed virga sustentans. O pusille! apprehende, & videbis: quàm diu enim eam non apprehenderis, experiri non poteris, serpens videbitur extrà manum, sed in manu virga est*.

Gen. c. 41. v. 51.

Vers. 52.

D. Thom. à Villa-nova Conc. de S. Mart.

Hoc cum ita sit, ô Christiani! ne vitetis obsecro, multò minùs detrecteris tribulationes, vias que hujus vitæ angustitias: sed eas benigno amplexu, ambobus brachiis amplectere. Has tibi in salutem mæstus ad mortem, sudorem è corpore distillans pius in horto promeruit Dominus. Pro his cælestem

ſtem patrem obnixè rogavit clamans. *Pater tranſeat à me Calix iſte.* Ac ſi diceret, ah pater! rogo nè bibam illum totum, ſed tranſeat ad meos, ad electos, ſpinæ, flagra, ſputa, clavi, crux, & omnia tormenta tranſeant ad meos. Ut, ſicut ego, per calicis amaritudinem ad cæleſtem perveniant thronum. Quid igitur, ô homo! Calicem à Chriſto propinatum bibere recuſas? Reſpiſce ſtulte, & clama cum Pſalmiſta: *Calicem Domini accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ut tandem hoc mediante diſpoſitum tibi adipiſci promerearis regnum, quod vobis omnibus, & mihi benignè concedat Pater, Filius, & Spiritus S. Amen. *Pſal. 115. v. 4.*

FERIA TERTIA

Paſchatis.

Stetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis Pax vobis.

CUm pacis & concordiæ, unitatis, atque charitatis eminentiam exaltaturus, in varias eam probandi aptas diſtrahebar vias: tandem ut ſecurior, & certior in hoc vaſto labyrintho procederem, rectiſſimum, quod mihi adinſtar alterius Ariadnæ Theſeo ſubminiſtravit D. Thom. à Villa Nova, avidè arripui filum. Docet namque hic S. Doctor nullâ menſurâ meliùs aliquem nobilitatem, & cujuſcumque rei excellentiam metire poſſe, quàm ipſomet infallibili primæ veritatis teſtimonio, & rationem allegat, dicens: *Cum ſolus creator creaturarum perfectam habeat notitiam in pondere, & menſura, quæ ſunt, eas undequaque penetrando, & comprehendendo; ipſe namque attingit à fine uſque ad finem fortiter, metiturque ſuâ ineffabili ſapientiâ gradus, perfectiones, & dignitates omnium, & ponderat infallibili ſtaterâ veritatis merita ſingulorum:* ex quo legitimam hanc deducit conſequentiam. *Vnumquodque ergò tantùm æſtimari debet, quantùm divino judicio, aut teſtimonio æſtimatur, aut judicatur eſſe Non enim, ut ait Apoſtolus, qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, & ſinè dubio ille laude digniſſimus habendus eſt, qui Dei præconio promeruit laudari.* *D. Th. à Villa nova conc. de S. Magdal.*

Reperimus autem in ſacra ſcriptura ſummam ſapientiam, & infallibilem veritatem varias virtutes in variis extuliſſe. v. g. Nathaelem laudavit de ſimplicitate, & veritate cordis dicens: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Centurionis curam & fidem quàm plurimùm encomiavit hiſce verbis: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Petri Apoſtoli ſtupendam abſconditi myſterii admiratus eſt cognitionem: *Beatus es Simon Bariona, &c.* Mulierem Chananæam de fidei conſtantia, atque perſeverantia maximè commendavit: *O mulier magna eſt fides tua.* Tolerantiam in perſecutionibus, & tribulationibus ad ſummum elevavit, *beati, qui perſecutionem patiuntur &c.* Item & munditiam cordis. & puritatem mgani æſtimavit: *Beati mundo corde &c.* Unde concludit D. Thomas à Villa nova: *In ea igitur virtute quilibet iſtorum credendus eſt habuiſſe excellentiam, & maximè claruiſſe, de qua dominico teſtimonio apud alios, & præ aliis commendatus eſt.* *Ioan. c. 1. v. 47.* *Matth. 8. v. 10.*

Verùm ad propoſitum meum interrogo vos auditores, quomodo extulit pacis, ac unitatis virtutem Chriſtus: dicat hoc Evangeliſta Matthæus, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce gemmam hanc lumine, & decore filiationis divinæ corruſcantem (ultrà quàm nil pretioſum donari poteſt) donat pacem colentibus. Quam eminentiam demirans Auguſtinus exclamat: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Meritum Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi unitatem non habet pacis. Nec pervenit ad vocabulum filii, niſi per nomen pacifici.* Ille itaque, qui pacem mundo allaturus è cœlis deſcenderat? & jam natus per cœleſtes miniſtros denuntiaverat *pax hominibus bonæ voluntatis*, eam & in vita, ultrà omnes virtutes commendavit. In teſtem revoco divum Thomam à Villa-Nova, dicentem: *In toto ſacro Evangelio non invenio, quid nobis Chriſtus Dominus noſter amplius commendarit, quàm charitatem. Hanc commendavit non ſolùm opere (quia cùm eſſet filius Dei ſemetipſum exinanivit pro ſalute noſtra) ſed etiam verbo in illo dulciſſimo ſermone poſt cœnam.* *D. Thom. à Villa-Nova conc. de fœdere.*

cœnam, cùm iret ad passionem, ultrò hanc sæpiùs iterumque commendans. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Et iterùm in hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli eritis, si charitatem habueritis ad invicem. Imò, ut hanc virtutem omnium virtutum reginam divinâ (sine qua humana nil potest fragilitas) animabus nostris infundat gratiâ, cœlestem orat Patrem dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Et eandem doctrinam etiam ante omnia documenta suis apparens discipulis post resurrectionem primò inculcavit, atque eminentem ac præclaram hanc virtutem impressit, ut prosequitur præcitatus Doctor. *Post resurrectionem quoque iterùm, atque iterùm ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Quem stupendum Christi Domini admirans zelum, tandem exclamat: *Dicite fratres, quibus verbis potuit amplius charitas nobis à Christo commendari?* Hanc eruditionem adeò tenaciter imbiberat Apostolus Paulus, ut audeat dicere idem Sanctus, enumeratis quamplurimis de pace & charitate ipsius monitis, *quid loquor? Hora non sufficeret, si omnia vobis Apostoli adducerem testimonia, de pace & charitate.*

Ioan c. 17. v. 11.

Quod si divus Thomas integram horam tantummodò Pauli de pace enarrandis encomiis sibi non suffecisse confiteatur: quid ego imbecillis, & eloquentiâ carens è tota sacra Scriptura pacis mihi præsumo vobis demonstrare elogia? Ah tantum onus spiritus detrectat, sed illud assumere Christus mandat dicens: *Pax vobis.* Et quidem stans *in medio* suorum discipulorum, ut quemadmodum à centro circuli ad circumferentiam æquales ducuntur lineæ, ita Christus significaret sese cunctis hominibus sinceram præcipere pacem. Spe itaque alitus ad tam necessariam pertractandam materiam, superni alicujus subsidii, discursum de eminentia, utilitate & nobilitate pacis aggredior. Quem quatenus utcumque perficere queam, ad te confugio, O piissima Virgo! pro tua per Spiritum S. assistentia salutans te angelicâ salutatione. Ave gratiâ plena.

Stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis.

QUantum apud Deum æstimata fuerit pax & unitas, facile probari potest ex mira, quam ipse in titulo pacis habet, complacentia. Cuilibet antiquas pervolventi historias cognitum est, quomodo hujus mundi militiæ duces & Imperatores juxtà veterem consuetudinem sibi à regnis devictis, & arduarum expeditionum felici successu gloriosos assumpserint titulos. Unde Scipio Africanus à devicta Africa. Scipio Asianus à superata Asia, & Vitellius Germanicus à subjugata Germania nuncupari voluerunt. Verùm quem honoris titulũ dux ducum, Imperator Imperatorum, & æternorum sæculorum pater sibi adscivit? Attendite Auditores, ecce ipse à pace, quam natus mundo (ut jam dixi) attulit, moriturus inculcavit, redivivus commendavit, gloriam & majestatem suam assumpturus teste Ecclesiâ, quæ de eo cantat: *Rex pacificus magnificatus est.* Et Isaiâ ipsum appellante *Principem pacis.* Imò ne eminentem hunc titulum forsitan quispiam ad humanam tantùm naturam detorqueret, etiam illum divinæ voluit ad scribi, *Deus pacis.* Imò & pax ipsa ab Apostolis vocari.

2. ad Cor. cap. 13.

Ex hac doctrina duo eruo. Nimirùm primò felices ultrà modum nos esse, quod benignus noster Deus divinitatis suæ viles homunciones reddat quasi participes, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quod beneficium suprà omnia alia exaltat Divus Thomas à Villa Nova hisce verbis: *Omnium bonorum Dei maximum est charitas. Vides, quàm opulenta, quàm dives, & omnibus bonis referta est sanctissima domus Dei: quot & quantis divitiis & charismatibus abundans. Ego dico tibi, si omnes thesauros, & pelagus omne divitiarum Dei scrutatus fueris, nihil invenies pretiosius, nihil splendidius, nihil desiderabilius.* Ex quibus verbis modò secundùm meum illucescit illatum, videlicet quanto cum zelo, quanta cum sedulitate nos milites pacificum Christianæ militiæ ducem strenè sequi debeamus, & quanto fervore tam magnificum largitorem tanti doni *pacis* venerari cogamur.

D. Thom. à Villa nova conc. de D. Magd.

Verùm, ut efficaciùs ad concordiam & pacem instigamur, maturè paulisper perscrutemur: quantum sibi Deus in ea complacuerit. Ast, unde media ad hunc scopum attingendum auspicabimur? Sane efficaciora elicienda vix posse autumo, quàm ex absconditis mysteriis, quæ ad pacem in mundo stabiliendam ostentavit Dominus. Ipsa namque verbum divinum è cœlesti patris sinu extraxit, & incarnationis primaria exstitit origo. Si mihi non credatis, credite Divo Thomæ à Villa Nova, dicenti: *Quàm bona sit pax, vel ex hoc apparet, quod hæc Deum de cœlis in terram traxit. Ad quid enim venit filius Dei in mundum, nisi ut dissolveret opera diabo-*

D. Tho. à Villa Nov. conc. de fœdere Princip.

diaboli? Id est, ut omnia, quæ diabolus per peccatum primorum parentum dissociaverat, reduceret in concordiam? Et sicut Apostolus ait pacificaret, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Vt Deum & hominem, Angelum & hominem, carnem & spiritum, peccato divisos concordaret. Quod opus ut perficeret, ne quidem suæ pepercit carni & sanguini, prout disertè prosequitur præfatus Doctor: *Optimus mediator, qui ut conciliaret inimicos, de proprio solvit injuriam, & satisfecit offenso, non auro, non argento, sed tormento, sanguine, cruce, morte.* Quam benignitatem Dei nostri nullatenus comprehendens, cogitur exclamare: *O immensum pondus Amoris! O ineffabilem charitatem! ac si ad patrem diceret, quid pater piissime adversus homines meditaris? Quid indignaris? Ecce ego homo sum, homines perire, fratres meos pati ferre non possum: in me exerce vindictam, in me expende omnem furorem tuum, vindica in me, & quiesce: ego feci, ego luam, ego curabo & sanabo.*

Credo, quod vobis O Auditores! vestræ nondum excidit memoriæ discursus, quem ad vos feci in cœna Domini, in quo latè fusèque demonstravi, quantum venerabilis Eucharistiæ institutio Dei ergà nos exstiterit, & etiamnum sit beneficium. Verùm forsitanne demiraremini, si pro moderno instituto sustinerem pacem & unitatem illius legitimam fore matrem? Profectò denuò id me docet Divus Thomas à Villa Nova, & innixus quidem irrefragabili S. P. sui Augustini authoritati: *Ideo Sacramentum hoc convivium dicitur, quia Sacramentum est unitatis & pacis, in concordia edentium institutum. Vnde sicut ait Augustinus. Propterea Dominus Iesus Christus, corpus & sanguinem suum in eis rebus consecravit, quæ ad unum aliquid rediguntur (ex multis namque granis, panis unus efficitur, & ex multis racemis vinum confluit) ut scilicet meminerimus sumentes unitatis & pacis.* Et ad eam hominem adhortans pergit: *Vides, quàm multa sunt, quæ nos ad hanc invitant charitatis fraternitatem. Quis contemnat Dominum commendantem præcipientem, & pro ea orantem? Apostolum commendantem, rationem suadentem.*

Ibidem.

Et quamvis hoc divinum beneficium (quo majus numquam humano generi collatum est, nec conferri potest) sufficiens sit ad pacis & concordiæ virtutem allectivum motivum; & abundè satis ipsius cuilibet eclarescat eminentia: nihilominus iniquum foret stupendas alias ejus prærogativas, quæ ex variis capitibus, diversis utilibus fructibus facillimè erui possunt, tacitè præterire, Quare animosè progrediamur pro viribus nostris hanc virtutum omnium reginam ad summum thronum evehere.

Ad hoc si gentilium & totius mundi quæram testimonia: ecce ultrò mihi in summa copia suppeditantur. Magnus namque Philosophus Teophantes ait: *Maximum civitatis bonum est concordia, sine qua neque civitas bene gubernari, neque domus rectè administrari potest.* Antisthenes solitus erat dicere: *Civium inter se concordia quovis muro firmius est munimentum.* Scipio Africanus, potentibus suis armis jam Romano imperio adjectâ Numatiâ, cujus incolæ tot tantasque præclaras de Romanis in transacto tempore reportârant victorias, rogavit Principem Tyrascum Numatiæ moderatorem, quomodò tam florens patria adeò brevi temporis spatio periisset, qui ipsi ingenuè respondit: *Pax & concordia civium eam victoriam, discordia tam præcox exitium produxit.* Unde cuilibet intelligenti luculenter apparet philosophorum doctrinam solidam & fundatam fore dicentium: *Omne quod est, tam diu est, quamdiu unum est. Ens enim & unum convertuntur.* Quam quoque approbat Boëtius dicens: *Nostine igitur, omne quod est, tamdiu manere atque persistere, quam diu sit unum: interire atque dissolvi pariter atque unum esse desierit.* Hinc & Plato dicit: *Nihil perniciosius civitati, quam divisio, & nihil melius quam unio.* De statuis quoque Dedali referunt historici, eas tam diu integras substitisse, ac cordulâ quâdam aureâ colligatas fuisse. Verùm ubi hæc disrupta est, illicò catuisse vaticinio dicitur. Sic tam diu à unitatis vinculo & charitasis nexu, regnum, status, communitas & familiæ conjunguntur, & unum corpus manent, immobiliter persistent. De lapide Tyrrheno scribit Plinius, quod in tempestuosum mare integer injectus, semper aquas supernatet, at divisus, confestim in profundum demergatur: ita homo Christianus pacis unione constrictus in procelloso hujus mundi mari omnes furentes illius undas irridet, sed eâ sublatâ, fluctibus obruitur.

Erasmus pro extollenda unitatis & pacis potentia atque efficacia de Scyluro Scytha commemorat, quod ipse octoginta liberos masculos habens, jam cernens commune omnis carnis imminere fatum, omnes ad se accersiri mandarit, & tenens in manu fasciculum jaculorum, eum singulis porrexerit, ut illum quisque rumpere tentaret. Verùm ipsi sese ad hoc viribus impotes fore asseruerunt. Arreptum itaque rursùs fasciculum dissolvit, & cuili-

cuilibet unum post aliud præbuit, sicque disiuncta facilè confregerunt. Tum eos paternè admonuit hisce verbis: *Si concordes eritis, validi invictique manebitis: contra, si dissidiis contrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magus scitè rem ob oculos ponere.*

Sed quid tempus nostrum in accumulandis veterum scriptorum de pacis & unitatis eminentia elogiis terimus? Ah illam ex infallibili sacra Scriptura, SS.PP & ipsâmet veritate Christi expiscemur. Et ne procul divagemus, propositum thema hujus discursus arripiamus. *Pax vobis.* in quo summa sanè meo judicio (salvo meliori) sublitescit illius nobilitas. Olim apud Romanos mos vigebat, quod imperatores, aut strenui militiæ Duces Romam post insignes de imperii hostibus comparatis victoriis cum solito triumpho ingredientes, pretiosa dona, uniones, rara monilia, aut margaritas in plateis spectanti & applaudenti populo, projicerent. Generosus ille Belli- Dux Christus Jesus in arduo & sanguinolento conflictu: (ut suprà audivistis) in monte Calvariæ inauditam contra cœlum (quod divina justitia ob Adæ crimen obseratum conservabat) diabolum, mortem & infernum (qui quoque prædam Patrum in limbo arreptam tenaciter captivam tenebat) victoriam adeptus est. Et ecce in hac Paschali festivitate triumphans, ostensis etiam vulneribus, quæ in hoc certamine receperat, discipulis suis, & mundo pretiosum elargitur unionem, inæstimabile donum pacis, *Pax vobis.* Verùm O Christe! an forsitan in toto cœlesti tuo thesauro nil pretiosius, nil digniùs pace possides?

Antiquitùs moris erat, quod in militaribus vexillis depingerentur, aut in annulis insculperentur signa, quæ in majori apud portantes erant æstimatione. Unde Romani aquilam elegerant in signum militare, quoniam eam tamquàm Reginam avium honorabant: Assyrii columbam, pacis hieroglyphicum, hoc innuentes sese avidiùs concordiam, quàm bellum desiderare. Regis Darii milites tres accipitres, significantibus eum rapacibus armorum unguibus aliis regibus monarchias erepturum. Plato refert regem Gigem solitum fuisse in pretioso annulo portare certum unionem, quem naturalistæ quandoque in bufonis capite reperiri asserunt. Ut etiam hoc, utpotè pacis Symbolo, quanti eam æstimaret, ostentaret. Alexander ab Alexandro commemorat de Pyrrho Epyrotarum Rege, eum tanto ardore Apollinem adamâsse, ut unioni annuli sui jusserit incidi propriam ipsius effigiem septem musis circumdatam: quo intendebat indicare, quantùm in arte poetica sibi complaceret. Cato quoque annulum portabat, cui impressum erat hoc dictum: *Amicus unus, inimicus nullus* Omnes itaque quæ chariora habebant, magisque diligebant, ostentabant.

Haud dissimiliter Christus Dominus volens toti mundo expresè manifestare, quantam in speciosa pacis virtute haberet complacentiam, ubique pacis vexillum, Christianæ militiæ signum exponit. Si incarnationis suæ motivum propalet, illud pacem extitisse asserit. *Visitavit nos oriens ex alto, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Si nascatur, eam per Angelos terræ denuntiat: in terra pax hominibus. Antequam ad mortem tendat, pacem unicè commendat, & charis suis Apostolis in testamentum legat. Idque in eum dumtaxat finem, ut evidentissimè ostendat, quanti concordiam, unitatem & pacem æstimet. *Quod cum relinqueret aliquid, melius non haberet, reliquit mutuam dilectionem* ait Ambr. & glossa addit: *Qui pacem dedit, uno verbo omnia bona dedit.* Ecce quàm eminens, quàm nobilis, quàm excellens sit in divinis oculis pax & concordia.

Luc. c. 1. v. 78. 79.

Ambros. præfat. 2. ad Missam

Verùm quandoquidem modò pacis testamentum attentè contempler, ejusque pretium intimè perscruter, curiosè indagare cogor, cur Christus Dominus tantam, etiam post resurrectionem illius habuerit curam, ut primum verbum de ea protulerit: *Pax vobis.* Cum enim pretiosum pacis monile Apostolis suis ante mortem per testamentum donâsset; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: quid opus erat, ut denuò illud reiteraretur *Pax vobis,* quoniam ab intestato ajunt juristæ, succedit in bona testata legatarius. Pro hujus quæsiti genuina dilucidatione in mentem curiosam, quam Julius Clarus (quantumvis casus illius quasi metaphysicus habendus sit) ratione resuscitationis Lazari tractat quæstionem, revocare lubet. Inquirit ipse, an rumpat testamentum resurrectio: Ac proinde bona Lazari sororibus Mariæ Magdalenæ, & Marthæ legata in jure defuncto & resuscitato debeant restitui, an verò illæ veram possessionem justè possint continuare? Et respondet: *Pulchra de rarò contingentibus quæstio: si tamen contingeret, sicut in Lazaro, quem Dominus à mortuis resuscitavit, tenendum est, quod Lazarus à mortuis resurgens hæreditatem de jure recuperavit, & ruperit testamentum, non enim videtur mortuus, qui tam citò revixit.* Ex hac Julii declaratione

modò

modò quæstionem propositam comprehendemus. Christus Dominus jam morti vicinus testamentum condiderat, & dilectis suis Apostolis charum & pretiosum pacis unionem legârat; verùm quandoquidem vi resurrectionis illud testamentum annihilaretur, post mortem denuò illud reiterat, & de novo confirmat, *Pax vobis*. Ac si vellet dicere; ne putetis, quod bona mea evanuerit testamenti dati voluntas: sed credite, illa accrevit: *Ego adhuc cogito cogitationes pacis*. Quare illud non retracto, sed repeto, *Pax vobis*, noverat namque quàm necessaria ad deambulandum per
Luc.c.1. v.78.79. intricatum hujus mundi labyrinthum sit pax, unitas & concordia.

Evidentem hujus (nimirùm quàm plurimùm semper Christum Dominum pacis æstimâsse virtutem) eruere facillimè possumus è duobus, quæ ab Evangelistis in sacra Scriptura registrata sunt locis confirmationem. Lucæ cap. 12. Quidam è turba, qui propter hæreditatem, & frivolum illud verbum *meum & tuum* (ut promiscuè contingit
Ambrosi. prefat. 2. ad Missam in hoc sæculo) discordiam cum fratre habebat, ad Jesum accurrit, populum docentem, ipsique hunc obtulit libellum supplicem: *Magister dic fratri meo,*
Lucæ c. 12 v.13.14. *ut dividat mecum hæreditatem*. Christus ob hanc petitionem acriter stomachatus, respondit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Sed quodnam mysterium hoc in se comprehendit responsum? Sane me illud obstupescere cogit summa super hoc divi Chrysologi admiratio, dicentis: *Et quis dividet justos ab injustis, sicut segregat pastor oves ab hœdis? Si tibi judicium debetur*
Chrysol. ser. 162. *hominum, & per te totius sæculi celebranda est divisio, quomodo dicis, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Et respondet hoc eum cunctis salutare dedisse documentum. Audite ipsius verba; *Præceps cupiditas & incauta mundanæ litis arbitrium credidit ipsum sæculi conditorem, & eum significare voluit divisionis authorem, qui ad restituendam humano generi venerat unitatem.* Non vult itaq; sese divisioni Christus immiscere, qui Deus pacis & unitatis semper desideravit nuncupari, inquit Simon à Cassia: *Quia videbat ex hac divisione lites futuras, ipse autē non venit dividere, sed unire: quoniam cogitat cogitationes pacis.* Secundus locus habetur Lucæ c. 9. v. 3. ubi refertur, quod Christus suis jam mandans divini verbi semen per uni-
Luc.9.v.3 versi mundi agrum disseminare, iis hanc inculcârit eruditionem, imò & præceptum, ne pecuniam secum deferrent. *Nihil tuleritis per viam, neque perā, neque pecuniam.* Cur enim in tantùm pecuniam aversatur, rem, ut videtur, ad itinerandum adeò necessariam? nec istius hic tantummodò mentis Vers.9.
est, sed Matthæi cap. 10. absolutè omne iis inhibet in pecuniam dominium *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam.* Rationem dat Paschasius: *Ne fortè viderentur Apostoli magis lucri gratiâ prædicare, quàm humanæ salutis.* Sed hujus farinæ homines Ecclesiastici, qui magis auri ratione, quam animarum lucro spiritualia munia obeunt, utinam in hoc sæculo non invenirentur! Aliam rationem & responsum donat Alexander ab Alexandro, cui ego adhæreo. Qui ait: pecuniam discordiarum & rixarum seminarium fore, ideoque Spartanos in moneta sua sculpsisse duos gallos pugnantes. Hinc & Oleaster notans obulum, quod in hæbræo est *garach*, quod est, *miscere lites*, dicit *propter pecuniam solent homines litigare.* Ne itaque inter Apostolos ansa & incitamentum dissensionum atque rixarum suppeditaretur, & sic pretiosus ille pacis unio deperiret, quem Christus tanto zelo bene conservandum commendârat, *Pax vobis*, expressè omnem nummorum possessionem inhibuit. Sic egregiè exponit S. Ambrosius: *Ob id discipulos suos sine sacco, sine pera proficisci voluit, ut instrumenta discordiarum, & incentiva litis eriperet.*

Hujus evidentes quàmplurimas in sacra scriptura habentur comprobationes: è quibus prolixitatis evitandæ gratiâ, quasdam duntaxat seligam. Gen. cap. 46. narratur Patriarchæ Jacob cum tota sua familia in Ægytum descensus & iter, in cujus media via ipsi apparuit Dominus, & quàmplurima pollicitus est bona, dicens: *Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego* Gen.46. v.3.
descendam tecum illuc. Sed hic curiosè animadvertendum est: quare in initio itineris Deus sese Jacob comitem non exibuerit, eumque in Ægyptum deduxerit: sicut Angelus Raphael juniorem Tobiam, sed tantummodò in via. Ad hoc dubium dissolvendum operæ pretium indagare, quonam in loco Dominus Jacob se præstiterit ducem & socium. Scriptura enim indicat versu 5. *Surrexit autem Iacob è puteo juramenti.* Quare autem tanti à Domino hic locus æstimetur, colligendum est ex cap. 21 Gen. Ubi refertur, quod in eo Rex Abimelech & Abraham, sempiternam inierint pacem & concordiam. *Percusserunt ambo fœdus, & inierunt* Gen. cap. 21.v.32.
fœdus pro puteo juramēti. Adjungit sese itinerâti Jacob; ergò Dominus in hoc loco scilicet pacis, quoniam ibi solūmodò Princeps pacis residet, ubi pax & con-

& concordia viget. Ita apposite explicat doctissimus Pontferrariensis, dicens; *Cur non id potius in domo sua factum est, antequàm viam arriperet?* Et respondet; *Causam indicat locus, nimirum puteus juramenti; ubi etiam æternam sibi pacem & concordiam jurârunt duo potentissimi, Abraham & Abimelech. Vbi igitur tanta sunt concordiæ & pacis signa, meritò Deus se alterius nepoti socium offert.*

Hoc satis evidenter videtur indicare Psalmista
Psal. 75. v. 3. & 4. David psal. 75 dicens: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen ejus: & factus est in pace locus ejus.* Ac si diceret, ibi Deus non agnoscitur, ibi non moratur, ubi discordia & inimicitia regnat. Dum enim locum gratum quietis sibi seligit, ex eo confestim omnia arma bellica dissensionis symbola removet, ut sequentibus verbis attestatur idem: *Ibi confregit potentias arcum, scutum, & gladium & bellum.* Ecce regi pacifico non sufficit potentias vindicandi confregisse, verùm etiam cunctæ vindictæ destruere necesse erat instrumenta, ne ulla prorsùs inimicitiæ superesset occasio. Juxtà itaque infallibile Dei decretum ille pacis supremum Principem in habitaculo animæ merebitur recipere, qui eam pacis virtute conservat ornatam. Testatur id Apostolus 2. ad Corinth. *Habete pacem, & Deus pacis erit vobiscum.* Evangelista Lucas volens nobis referre mirabilem Spiritus S. super Apostolos descensum Act. c. 2. enarrationem suam exorditur ab eo, quod ipsi omnes erant unanimiter in eodem cœtu conjuncti. *Dum complerentur Dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco.* Quæ verba sic interpretatur Glossa
Act. c. 4. v. 32. interlinearis: *Vnum cor & unam animam habentes.* Nec id semel atque iterùm insinuat sacer textus, sed sæpe sæpiùs reiterat, ut c. 4. *Multitudinis credentium erat cor unũ & anima una,* ut indicet Spiritus S non nisi in animabus pacificis suum capere domicilium.

De Ezechiele Propheta commemoratur cap. 37. quod Deus eum in quadam visione arripuerit, & posuerit in campo deserto, & mortuorum ossibus pleno: *Et facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* Quibus Prophetæ demonstratis, rogavit eum: *Puta, ne vivent ossa ista?* Ad quod ipse, reputans tantum miraculum omnem humanam prorsùs excedere potestatem: *Domine Deus tu nosti.* Imò replicat Dominus, vivent ossa ista. *Vaticinare de ossibus istis: & dices eis: ossa arida audite verbum Domini ecce ego intromittam in vos spiritum & vivetis.* Quod cum fecisset Propheta, quid contigit? Ecce ossa arida commota sunt, & ad invicem adducta atque con- *Ezech. c.*
juncta: *Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad* *37. v. 1. 3.*
juncturam suam. Quâ partium unione, & dispo- *4. 5. 7. 8.*
sitione producta, *ecce super ea nervi & carnes as-* *10*
cenderunt. Et tandem spiritus Domini super ea insufflavit, & mortui vitam receperunt. *Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt.* Videte Auditores tam diu ac ossa ista inter sese non erant debitè conjuncta, remanebant arida, putrida & sicca: verùm, ubi ad sese invicem accesserunt, confestim nervis & carne cooperta sunt, spiritus Domini descendit, & revixerunt. Quod de hisce ossibus aridis dicit Ezechiel, verissimè de nobis dici potest; anima nostra arida est & spiritualiter mortua, si unitatem & pacem cum proximo non habeat, in ea namque spiritus Domini vivificans non hospitabitur, quoniam *factus est in pace locus ejus.* Ut illa itaque reviviscat, opus est, ut in ipsa pacem & concordiam plantes. Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscũ, & per consequens spiritus vivificans.

Quamplurimi curiosi sacræ Scripturæ interpretes inquirunt, cur Dominus Deus inhibuerit Davidi (qui tamen vir erat secundùm cor ejus) templum Jerosolymitanum ædificare; non obstante, quod illud extruendi summo concitatus fuerit desiderio & zelo, ut patet ex sollicita in materialibus congregandis cura. Ait namque Scriptura Parell. c.
22. *Præcêpit ut congregarentur omnes proselyti de* *Parell. c.*
terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cedendos *22 v. 2. 3.*
lapides, & poliendos, ut ædificaretur domus Dei. *4. 7. & 8.*
Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, & ad commissuras, atque juncturas præparavit David: & æris pondus innumerabile. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari quæ Sidonii & Tyri deportaverant ad David. Hâc inquam diligentia & aviditate non obstante, Dominus Davidis opera & servitium recusavit, ut apertè testatur Scriptura ibidem versu 7. *Dixitque David ad Salomonem: fili mi voluntatis meæ fuit, ut ædificarem domum nomini Domini mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens: non poteris ædificare domum nomini meo.* Quodnam quæso in hoc divino decreto latet mysterium? Cur tam promptus Davidis animus à Deo tamquàm gratus non acceptatur, *non poteris, &c.*
Et quare pro mirifica hac structura filium ejus eligit Salomonem. Ut constat ex c. 29 *Salomonem fi-* *Parall. c.*
lium meum unum elegit Dominus puerum & tenel- *29. v. 1.*
lum, opus enim grande est. O David fundatam sanè videris Dei reddere rationem (si ironicè loquaris) quare ad tantum ædificiũ extruendũ assumpserit

puerum

puerum & delicatum, *opus enim grande est.* Nonnè, quia grande est, imbecillitas & teneritudo corporis obesse debet? Nonne, quia grande, homo & vir robustus, atque validis pollens viribus requirendus est? Quodnam itaque divinæ istius electionis potest adduci motivum? Audite quid subnectat Scriptura: *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Per tò enim *habitatio,* videtur ratio indicari. Verùm hâc mens non contentatur. Quorsùm namque David Deo habitationem erigere non potest? Ah templum suum & habitaculum super pacem, tamquam fundamentalem lapidem, & solidum fundamentum extruere desiderat, *factus est in pace locus ejus*; idcircò regem pacificum Regem Salomonem, qui nulla bella gesserat, nec per totam vitam gesturus erat, ad sibi sacras ædes ædificandas selegit; Davidem verò bellicosum, qui hostium sanguinem sæpè sæpiùs effuderat, rejecit. Et istam rationem ipsemet Spiritus S. allegat primo Parall. cap. 22 v. 28. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellâsti: non poteris ædificare domum nomini meo.* Ecce quanti æstimet pacem Deus, qui etiam pacificæ quietis suæ domus, pacificum quoque habere voluit ædificatorem.

Gen. cap. 28. narratur, quod Jacob à patre suo Isaac post impertitam ei benedictionem, ad evitandum fratris Esau odium, dimissus sit in Mesopotaniam: quo in itinere cum defatigatus aliquẽ quietis locum capere cogeretur, nec ulla domus ad hospitandum reperiretur, pulvinar pro capite suo lapides elegit: ait namque textus: *Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occasum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.* Hic ad propositum nostrum maximè annotandum est tò *tulit de lapidibus,* in plurali: quoniam post captam quietem mane non nisi unum lapidem in singulari assignat scriptura. *Surgens ergò Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.* Ast quomodò in veritate tò *lapides,* cùm tò *lapis* potest consistere? Sanè hæc quæstio difficilior est, quàm quidam forsitan arbitrantur. Doctissimus Abulensis sustinet vesperi plures exstitisse lapides, ideoque dici, *tulit de lapidibus.* Et manè in unum illos divinitùs fuisse redactos. Et sic veraciter dixisse scripturam, *Iacob manè tulit lapidem.* Sed quorsùm id efficere voluit Deus? ah! eapropter tantummodò, quia in locò isto famulo suo Jacob apparêre destinârat, in quo, cum divisionem lapidum & pluralitatem comperiret, unitatis amator & pacis, quia *est in pace locus*

Gen c. 28. v. 16. 18.

Versu 17.

ejus, è pluribus unum effecit. E quo facto illicò patriarcha Jacob collêgit in eo loco Deum suam accepisse residentiã. *Cumq; evigilasset Iacob de somno ait: verè Dominus est in loco isto: & ego nesciebam.* Ac si vellet dicere, hic unitatis est locus, ac proinde proprius divinæ majestati: *Non est hic aliud, nisi domus Dei.* Hic exponit glossa: *In loco pacis & concordiæ videtur Deus: quia ibi mandavit Deus benedictionem.* Princeps itaq; pacis non requiescit in domo illa, à qua discordia, divisio & dissentio non exulat. Hinc centurio, dum obnixè rogasset Christum, ut servum suum malè habentem sanaret, & ipse ultrò sese in propria persona venturum promisisset dicens: *Ego veniam & curabo eum.* Respondit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Domicilium meum tuæ non convenit majestati: illud pacis est, domi verò meæ arma ubiq; conspiciuntur, milites atrium obambulant, & non nisi belli evidentia apparent signa *Domine non sum dignus,* ut regem pacificum recipiam. *Miles sum gladio accinctus,* inquit Cyprianus, *sanguinem fundens, ad prælium exiens, & ob hoc non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Etenim factus est in pace locus tuus. Et ideò in Missa, & orationibus pro defunctis non dicitur requiescant in paradiso, sed in pace, quia paradisus & pax unum sunt.

Verùm antequàm leviter à jam prætacta scriptura deflectamus, operæ pretium est curiosè indagare, cur Patriarcha Jacob confestim hunc lapidem Deo obtulerit, eumque oleo unxerit: *Erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Pro hac enodanda difficultate animadvertendum est, mysteriosum Dei decretum filiis Israelitis latum per Moysen Exodi cap. 4. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluitur.* Et Deuter. cap. 27. *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* At cur similia præcipit Dominus; Isidorus respondet, asserens, hunc lapidem è pluribus unum effectum, potissimam esse numeri electorum figuram, qui ob unitatem Deo grati sunt, & benevolè in sinu Abrahæ reponuntur. Cui accinit appositè Origenes dicens: *Qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium non recipit, sed semper pacificus fuit, quietus & mitis.* E contrariò verò secti lapides reprobatos repræsentant, quos ad sacrificium suum admittere absolutè renuit, ut ait Isidorus: *& secti lapides hi sunt, qui unitatem scindunt, ac dividunt semetipsos à societate fraterna per odium vel schisma.* Hujus itaque non ignarus Patriarcha Jacob, suprà hunc lapidem verum unitatis prototypon odori-

Isiod. in c. 32. Exod.

Orig. hom. in Iosue.

odoriferum Deo suo obtulit sacrificium, in quo non nisi ol eum pro hostia immolavit, verissimum charitatis & pacis hieroplyphicum, ut nos apprimè erudiret, Deo gratius munus non posse offerri, quàm animam, quæ splendore virtutis pacis enitet. Concludamus itaque cum Augustino neminem absque pace atque unitate cœleste posse conscendere regnum. Audite quid dicat sermone 222. de diversis: *Unde videamus, Deum non habemus, si contemnendo in nobis ipsum oculum extinxerimus. Attende quid dicam, cum timens & tremens loquor: pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo poterit videre Deum. Contremiscite amatores, & non nisi amatores. Numquid dixit pacem sectamini cum omnibus & sanctificationē, quam qui non habuerit, in ignem mittetur: quia in æterno igne cremabitur, & infatigabilibus tortoribus dabitur.* Unde ait Psalmista: *Quis est homo, qui vult vitā? Inquire pacem & persequere eam.* Quod si illâm veritatem manifestius desideremus declarare, oportet, ut ad aliqua mysteriosa & difficilia satis sacræ Scripturæ loca transeamus examinanda, è quibus fortassis evidentiorem auspicabimur dilucidationem. Apoc. c. 21. commemoratur stupenda Joannis Evangelistæ in Pathmos relegati visio. In hac, ut ipsemet testatur, sanctam civitatem Jerusalem fuit contemplatus: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quæ civitas qualis fuerit structuræ, infra eodem cap. exactè describit dicens: *Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim.* Et versu 19. qualitatem exponit. *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.* Sed quod ad propositum nostrum maximè conducit, est id, quod adjungit sacer textus: *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas.* Et rursùs: *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Quî enim fieri potest, ut duodecim portæ, sint duodecim margaritæ, & quælibet porta, quælibet sit margarita? Hoc sane ab omni sensu & intellectu prorsùs videtur alienum. Hoc namque ut fiat, perfectissima inter duodecim margaritas, & inter singulas non tantùm deberet esse unio, sed vera & realis identificatio, Tali modo, ut quælibet porta in particulari unum quid foret cum duodecim margaritis, & quælibet margarita quid unum efficeretur cum duodecim portis, & sic eadem fieri cuncta inter se, Quia juxtà commune dialecticorum axioma, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Ut intricatæ hujus difficultatis nodum dissolvam, oportet à S. Paulo lumen mutuare. Hic Ephesiis sedulâ ad æternam capessendā gloriam loquens curâ: velocitatem currendi in via perfectionis, assimilat celeritati in studio pro decreto præmio decurrentium & ait: *Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Sed quid? Quodnam quæso lumen, ad prætactam quæstionem enodandam ex hoc loco expiscabor? Mehercle hic intellectū meum magis obnubilat. Quem ut exponam, methodum non invenio. Quoniam quomodo cum veritate Apostolus asserere potest, quod sicuti unus dumtaxat stadiū percurrendo accepturus est bravium: ita unus tantum ad cœleste beatitudinis bravium properantium illud sit adepturus. Quid ais Paule, unus tantùm? Ergò solus tantâ perfruetur gloriâ, ubi tu eris cum cæteris Apostolis? ubi Patriarchæ cum Prophetis morabuntur? Ubi sancti Martyres & Virgines hærebunt? An forsitan nos fefellit S. Joan. qui Apoc. c. 7. ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum & in conspectu agni.* An forsitan ipsamet veritas & infinita Sapientia erravit, cùm dixit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hoc asserere blasphemum est. Quid itaque clamitas, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Debuisses dixisse, omnes quidem currunt, sed pauci accipiunt bravium. Nisi doctissimus Liranus me filo doctrinæ suæ ex hoc labyrintho educeret, illum neutiquam evaderem. Hic pro hujus explicatione confugit ad textum Hæbraicum, secundùm quem non legit tò *unus* in concreto, sed tò *unitas* in abstracto. Dum itaque Paulus ait, *unus* accipit bravium, legi debet *unitas*, quia hæc sola regnum cœlorum adipiscitur: hæc namque est porta Domini, justi intrabunt per eam, & non per aliam. Quoniam audet asseveranter dicere Chrysost. *Ubi concordia non invenitur, nec oratio exauditur, nec oblatio suscipitur, quia nec ibi est Deus, ubi discordia nominatur.* Opinionem suam videtur Liranus eruere ex S. Anselmo super caput 1. Epist. ad Corinth. c. 9. qui etiam loco tò *unus*, *unitatem* legit, *omnes quidem, inquit, Christiani & boni, & mali, pro modo suo currunt ad bravium, sed unus qui legitimè currit, ista est unitas, electorum percipit illud.*

Apoc. c. 7. v. 9.

Ex hoc nunc capiemus, quare Scriptura dicat in cœlesti Jerusalem plura esse, quæ tamen unum sunt, & duodecim portæ, quæ sunt una margarita, & vice versâ: vult enim per hunc loquendi methodum indicare, neminem supernam posse intra-

re an-

[illegible] aulam, & æternâ frui quiete, nisi per unitatem & vinculum pacis. Hæc enim vestis nuptialis, absque qua nemini ad cœlestes nuptias epulatum ascendere licet. Et quid mirum? Cùm enim paradisus sit Dei locus, & per consequens pacis, nullus discors admittitur, ne pax cœlestis quasi interturbetur, à qua sancta hæc civitas à SS. PP. adeò commendatur. Audite unum pro multis divinum Thomam à Villa nova *O pax! ô unitas admirabilis illius sanctissimæ civitatis! ô prodigium! ô miraculum grande! ut in tanta multitudine, & tam varia differentium personarum, Angelorum & hominum nulla sit omninò discrepantia voluntatum, sed quod Deus vult, hoc omnes volunt.*

Brevitatis gratiâ desideratem huic discursui filum rescindere, & tractatum hunc Quadragesimalem claudere: verum me pacis & unitatis miræ prærogativæ & eminentiæ illum adhuc parumper protrahere compellunt, inter quas non minorem, ipsis pacificis præ aliis concessam, æstimo, quod ii titulo filiationis divinæ digni reperiantur. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce Domine pauperibus spiritu regnum cœlorum donas: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Magna sane & inæstimabilis merces. Mansuetis terra attribuitur, & quidem (ut intelligunt SS. PP. promissionis, sicque & hoc donum mercede pauperum spiritu non est vilius. Lugentibus consolatio promittitur, nimirùm æterna, & in idem reincidit. Esurientes justitiam in hoc mundo, à divina justitia in cœlo saturandi declarantur. Misericordibus justissimè misericordia Dei, id est, omnium peccatorum remissio conceditur, & mundis corde visio beatifica adjicitur. Tribulatis, & propter Christum patientibus, cœlestis quoque offertur paradisus. Verùm soli pacifici titulo filiorum Dei gaudent, quæ prærogativa cæteras longo intervallo antecellit.

Apoc. c. 7. v. 9.

Sed obsecro Domine interrogem te, nonne aliarum virtutum dona pacis virtutẽ & merita poterant adæquare? Ah neutiquàm inquit Bernardus: *Meritò filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint, ipse enim est, per quem reconciliati pacem habemus ad Deum.* Unde dicebat etiam Judæis Christus ipsisq; infamia improperabat de filiatione Abrahæ gloriantibus: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et juxtà hanc scripturam rectissimè Bern. ab opere patris operi conformi procedit filiationem, quoniam à præcipuo dominio & potentia quisque suam desumere debet gloriam. Quod & fecêre falsi Dii juxtâ Poetarum figmenta; etenim ex iis omnes sibi particularem quandam appropriabant jurisdictionem & præeminentiam. Apollo scientiarũ & sapientiæ cathedræ erat moderator: Mars bellicosos & strenuos milites gubernabat: Cupido sagittis amoris inflammata juvenũ corda ad suum imperium dirigebat: Jupiter cœlorum fulmini imperabat: Ceres terræ culturæ, & agrorum fertilitati invigilabat: Neptunus maris, Pluto inferni sibi assumebat gubernaculum. Hinc cùm Æolus ventorum suorum flatu extrà potestatis suæ limites progressus, Neptuni quietem, undas commovendo, & procellas excitando interturbâsset, Neptunus de tali temeritate summoperè fuit conquestus, ut attestatur Virgilius hisce verbis:

Bern. ser. 1 omnium Sanctorũ.

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum tenet ille immania saxa:
Vestras Eure domos, illa se jactet in aula
Æolus, & clauso Ventorum carcere regnet.

Virgilius Æneid. 1.

Videamus modò, in quo verissimus Deus absolutam suam jurisdictionem, supremamq; potestatem constituerit, & quodnam proprium sibi, suæque Majestati congruum elegerit opus? Ah! sane non ad instar Apollinis in falsa & afficta ipsi sapientia, non ad instar Martis in armis, Cupidinis in carnali amore, Jovis in chimerico fulmine, Ceteris in lutosa & sterili terra, Neptuni in undis, ac procellis maris, aut Plutonis instar in infernalis regni dominio: sed in pace totam suam statuit magnificentiam. Unde in sacra Scriptura continuò vult sibi elogium pacifici adscribi, ut cuilibet innotescat omne opus suum, non nisi ad pacificationem, tum quæ in cœlis, tùm quæ in terris sunt collimare. *Deus autem pacis,* inquit Apostolus, & ad Corinth. 1. *Non enim est Deus dissensionis, sed pacis.* Et epist. 2. ad Corinth *Deus pacis & dilectionis.* Unde sanctus Gregorius opus pacis propriissimè Deo attribui debere, asserit *Unde pacem nostram, passionem illius Isaias contemplatus ait: ut faciat opus suum;* Quod satis clarè quoque eruitur ex illis Joannis verbis: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* Signanter enim dicitur *sibi,* quo significatur illud opus quasi suum concernere officium, quoniam per hoc cœlum & terra, misericordia divina & justitia pacificantur: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt,* inquit Apostolus. Imò & idipsum evidenter Christus in passione sua demonstravit. Ecce enim summo cum divinæ suæ personæ opprobrio, veste illusoriâ voluit indui, & à Pilato, universo cachinnante populo, ad Herodem

Ad Rom. cap. 15.
1. ad Cor. cap. 10.
2. ad Cor. c. 13.
Gregor. hom. 17. in Ezechielem.
Ioan c 16.
Ad Coloss. c. 1. v. 10.

rodem mitti. Sed quorsùm? Ait: ut faceret opus suum, opus nimirùm pacis & concordiæ inter Pilatum & Herodem: *Erant enim inimici ad invicem.* Quam Christi exinanitionem considerans S. Cyrillus Jerosolymitanus ait: *Decebat enim eum, qui mundum erat pacificaturus, ut prius etiam ipsos judices suos pacificaret: & erat ipse Dominus componens corda Principum terræ.* Optimè ergò ait S. Bernardus: *Meritò filii nomine vocabuntur, qui filii Dei opus impleverint.*

Ex quo filiationis Dei titulo hanc quoque pacis eruit prærogativam Glossa ordinaria, pacificos solos fore filios & dominos. *Maximam ergò dignitatem habent pacifici, sicut qui filius regis dicitur, in domo regia summus est.* Ac per consequens ipsi sunt quasi viscera Dei. Filii namque propria patris viscera nuncupantur, ut attestatur Ovid. eleg. 2. loquens de filiabus sibi abortum procurantibus:

Vestra quid effoditis subjectis viscera telis.
Et nondum natis dira venena datis.

Id quoq; confirmat Apost. Paulus, qui volens Philemon Onesimum, quem spiritualiter Christo pepererat, sic scribit: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo. Tu au: ē illum, ut mea viscera suscipe.* (Epist. ad Philemon.) Dum itaq; desiderat cum emphasi declarare, quid respectu patris sit filius, nervosius vocabulum non invenit, quàm τὸ *viscera mea.* Hinc vera mater vivi filii, pro quo decertabant in tribunali Salomonis duæ meretrices, tortorem cum gladio evaginato paratum Regis exequi sententiam: *Dividite infantem,* cernens, exclamavit: *Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* (3. Reg. c. 3. v. 26.) Sed quare? *Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo.* Nec mirum, quoniam filii sunt viscera parentum. *Maximam ergò dignitatem habent pacifici.* Concludat Glossa, ipsi namq; soli sunt ipsiusmet Dei viscera: *quoniā filii Dei vocabuntur.*

Si ulterius pacis & unitatis prærogativas & eminentiam expiscari velimus, & ostendere quanti eam æstimet Deus: hoc unicum tantùm adducere oportet, quod ipse ob eam justitiæ fulmen cohibeat, & peccatoribus misericorditer pareat. E contrario verò pravos omnes divisionis authores infallibiliter juxtà rei gravitatem puniat. Primum patet ex cap. 1. Jonæ, ubi commemoratur Jonam Prophetam severas subversionis totius civitatis intentâsse minas: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Verùm ad effectum divina non pervênit severitas. Etenim versu 10. dicitur: *Misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* (Jona c. 1. v. 4.) Petit S. Ephraim, quodnam motivum Dei provocârit clementiam? Et respondet: omnium incolarum in pœnitentia peragenda fuisse unanimitatem & unitatem, mediante quâ, tota civitas una quasi anima efficiebatur: *Prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Audite citati Doctoris verba: *Effecta est tota civitas velut corpus unum, unusquisque enim observabat, ne quis laberetur inter ipsos. Nullus ibi precabatur, ut solus redimeretur: verùm, ut membra singuli pro se mutuò deprecabantur. Nam tota civitas sicut homo unus erat appellata, ut eversioni & interitui traderetur.* Quæ in tam perfecto opere unitas in tantum divinis placuit oculis, ut evaginatum vindictæ ensem vaginæ imposuerit. In quo hic obiter considerare debes homo, non omnem laudabilem esse unitatem: In malo namque multorum inter se conspiratio, ac unanimitas authores suos non filios Dei, sed filios generat diaboli. Audite quam pacem & concordiam à te ô Christiane exigat S. Leo divinis hisce verbis: *Beatitudo ista non cujuslibet consensionis, aut qualiscunque concordiæ est, sed illius, de qua dicit Apostolus: Pacem habete ad Deum, Hanc pacem enim arctissima amicitiarum vincula, & indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vendicant, si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem hujus pacis sunt improborum parilitates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum.* (S. Leo in festo omnium SS.) Et infrà ait: *Qui autem cum Deo semper sunt solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, hi sunt pacifici, hi bene unanimes, sanctèque concordes, vocandi æterno nomine filii Dei.*

Ad secundum probandum, nimirùm divisionis authores Deum severè castigare, in mentem incidit pulcherrima (quàm suprà ad diversa alia proposita attigi) quæstio: videlicet ob quam causam Deus erga hominem tàm benignus extiterit miserator, & tam severus in Angelicos spiritus ultor? Ille enim ad pœnitentiam reservatur & exspectatur, hi verò illicò rigoroso divinæ justitiæ fulmine quatiuntur, ut attestatur Apost. Petrus: *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* (2. Epist. c. 2. v. 4.) Nec tale judicium, in quo Dominus videtur exceptor personarum in majorem angelici delicti refundi potest gravitatem. Ostendi enim suprà, Adamum enormius, quàm Angelos peccâsse. Vide Concionem pro feria 3. Dominicæ primæ Quadragesimæ, & rem ita se habere comperies. In illa bonam, prout exigebat discursus materia, assignavi rationem, quam modo subticeo, & ad præsens propositum aliam suggero. Ecquid quæso

quæso Angelus superbiens prætenderat? Verba illius id clarè indicant: *Conscendam suprà astra Dei, exaltabo solium meum, similis ero altissimo.* Ecce sese intumescens spiritus Deum efficere præsumebat, sicque divinam essentiam, quæ in se una est & indivisa, dividere. Quæ iniquitas & malitia, quia plurimum Deo displicet, statim ipsius furorem in tantum concitavit, ut absque misericordia Angelos in æternum berathrum detruserit. Concludendum itaque est Deum nostrum in extremo discordiam & divisionem odisse, atque pacem ac amorem in summo adamâsse. Quoniam ipsemet fatetur illam fortissimum vinculum fore, quo suaviter ad hominem trahitur. Cant. cap. 4. sponsæ suæ dilectæ totus amore languidus, ejusque telis internè vulneratus, ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Sed quâ quæso, sagittâ? *In uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Ecce non dicit in oculis tuis, in crinibus tuis in *plurali*: verum in *singulari* in uno. Ratio est, quia numerus *pluralis* unitatem tollit, in qua solo sibi complacet Dominus. Unde loco *in uno oculorum*, legit Ægidius noster Romanus, *in unitate oculorum.*

Cant. c. 4. v. 9.

S. Leo in esto omnium SS.

Ego quoque debiles mentis meæ oculos in primam totius universi creationem conjiciens, summoperè obstupui, ob quam rationem secundus dies à divina benedictione fuerit exclusus. Ait namque Scriptura Genes. cap. 1. *Dixit Deus, fiat lux: & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona. Et factus est vespere & manè dies unus.* Die tertio Deus aquas congregavit in unum locum, quem vocavit maria, j ussitque, ut terra omnis generis produceret herbam virentem. Et rursùs dicitur: *Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factus vespere & mane dies tertius.* Et sic de cæteris. Verùm de secundo die non dicitur: & vidit Deus, quòd esset bonum, nimirùm quod in eo creverat. *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas ab aquis, & factus est vespere & manè dies secundus.* Secundò hic annotandum est, quòd dum singuli diei creata benedicuntur, tantùm dicatur: *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Verùm, dum omnes totius universi creaturæ benedicuntur, additur τὸ *valdè: Et vidit cuncta quæ fecerat, quòd essent valdè bona.* Rationem genuinam donat S. Cyprianus, dicens: *Ibi bonum tantùm, ubi creatura solitariè benedicitur, ibi valdè bona, ubi unio conjungitur.*

Gen. c. 1. v. 3.

Vers 10. & 12.

1. Epist. c. 2. v. 4.

Pro primo quæsito ingeniosè animadvertit S. Chrysologus, quid secundo die factum sit: *Divisitque aquas ab aquis.* Est dies itaque divisionis secundus, quapropter nullam laudem, nullamque benedictionem promeretur. *Non poterat, inquit, secundus dies, qui divisionem fecerat, divinâ sententiâ comprobari.* Aliam adhuc non minus subtilem reddit S. Bernardus, nimirùm, quia numerum duplicem ipse inducit, & unitatem, in qua sola perfectio consistit, tollit. *Vbi unitas, inquit, ibi perfectio, cæteri numeri perfectionem non habent.* Et idipsum illo longè clarius S. Hieronymus epist. ad Jovinianum asserit: *In die secundo non additum est, sicut in primo, & tertio, & reliquis: & vidit Deus, quod esset bonum, ut nobis intelligentiam relinqueret, non esse bonum duplicem numerum.* Quapropter idem annotat, cuncta animalia, quæ bina in Arcam Noe ingressa sunt, à Deo declarata fuisse immunda, *Vnde arca Noe omnia animalia, quæcumque bina ingrediuntur immunda sunt, impar numerus enim est mundus.* Et concludit: *Impar impari numero Deus gaudet.* Tertius dies & alii (solo secundo excluso) benedicuntur, quia ipse primum immediatum divisionis, & unitatis corruptionis existit principium. Hanc unitatem in tanto pretio & æstimatione habebat Christus, ut pro suorum unanimitate urgentes ad cœlestem Patrem preces effundat, dicens: *Pater sancte serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Ad quod optimè ait Gajetanus, Christum pro unitate orâsse. *Vt intelligamus extensionem fidei non tam fieri prædicatione, quàm virtute unitatis Christianorum.* Hinc quoque concludit Gregorius Nazianzenus supra illud Matth. cap. 5. *Beati pacifici &c.* hisce verbis: *Tantam beatitudinem pacificis reconditam esse, perspectum habemus, ut in eorum, qui salutem consequuntur, ordine, soli filii Dei vocentur.*

Gen. c. 1. v. 8.

Dixi suprà ex divi Bernardi doctrina, solam unitatem perfectione gaudere, cæteros verò numeros eâ carere: quæ mihi modò mirabilem & curiosum, quem (antequam discursui huic finem imponam operæ pretium est discutere) injicit scrupulum. Scholastici difficillimam in Theologia ventilant quæstionem: scilicet, an subsistentiæ relativæ in Deo dicant perfectionem simpliciter & formaliter. Ad quam varii variè respondent, Gabriel in 1. dist. 7. quæst. 3. quem sequitur Suarez 3. part. disp. 11. sect. 5. sustinet eas in se simpliciter comprehendere perfectionem. Nec inconveniens fore dicit, in una divina persona aliquam perfectionem reperiri relativam, & non in alia. Hæc communiter refellitur ab aliis, quia inde sequeretur, quod

filius v.g. non esset infinitè perfectus nimirum paternitatis perfectione relativâ carens, quod est contrâ essentiam entis infinitè perfecti. Alii asserunt, inter quos doctissimus Cajetanus, relationem divinam, ut relationem, nec perfectionem, nec imperfectionem dicere. Ratio primi: alioquin in Patre una esset perfectio, quæ non est in filio. Secundi verò, quia in Patre esset quædam imperfectio, quòd nullatenus admitti potest. Ego quid de hac difficultate sentiam, modò non aperio, quoniam illam hîc ventilare est inconveniens. Quare ad præsens institutum secundæ adhærens sententiæ, quod ad morale spectat, inquiro; cur illæ relativæ subsistentiæ nullam perfectionem dicant. Relictis Scholasticis aliis quàm plurimis rationibus, annotate curiosi quidnam in divinis personalitates efficiant. Ecce inquiunt Theologi, sunt principia distinctiva personarum, & inter sese realiter distinguuntur, & sic aliquo modo unitatem tollunt, *ubi unitas* autem dicit Bernardus, *ibi perfectio, cæteri numeri perfectionem non habent*, Concludamus ergò, omne perfectum in unitate consistere.

Percepistis Auditores pacis ac unitatis eminentes prærogativas & raros effectus: audivistis quantùm in oculis divinis resplendeat, eò quod Deus ipse honorifico omni modo velit gaudere titulo pacis, quòd ipse nec in corde discordi suum habitaculum sumat, quia *factus est in pace locus ejus*. Quod tantùm pacificis filiationis titulum tribuat, quòd iis dumtaxat benedicat. Quæ omnia secum efficacia satis adducunt motiva, ut etiam ferrea & ænea in dissentionibus, & discordiis obstinata corda emollire queant. Quare, ô Christiani! amplectamus arctissimo amplexu supremum illud donum, ultrà quod nil carius & charius nobis elargiri potuit Deus, dicens: *Pacem relinquo vobis*. Extrà dubium est, si tu paterfamilias interrogaris, an ad extremum non desideres, ut dominus in domo tua commoretur: respondebis ita. Quod ut fiat, te docui medium. Observa in familia tua pacem & concordiam Christiane, & esto securus, quod numero filiorum Dei adscriberis. Esto pacificus, & filius Dei vocabaris. O homo! tu sæpè sæpius cum proximo tuo pacem expostulas, & ei promiscuè injuriarum litem intentas. Hanc hominum dementiam, atque pacis suppressionem multum deplorans Chrysostomus ait: *nunc autem periclitatur Charitas, nomen illius reliquum est, opus minimè, sed divisi sumus inter nos.*

Quid igitur mirum est (de quo quàmplurimi mirantur) quod nos externâ, quæ fructus internæ est, non perfruamur pace, quid mirum, si ipsa Christianitas à tot tùm Catholicis, tùm hæreticis, tum infidelibus hostibus continuo, & cruento impugnetur bello: quod fertilissimi Ecclesiæ campi devastentur, ubi ab ea pax interna exulat? Ah clamamus: *Da pacem Domine*, & tamen de pace cordis minimè cogitamus, de qua Christus in prima Apostolis apparitione tàm sedulò tractat, *pax vobis*. Nisi itaque tu Ganda, Belgium, Christianitas, pacem animi restabilias, vindicativum belli gladium à divina justitia non depelles. Quoniam tàm diu, ac manet prava, & discors tua voluntas, tam diu perseverabit justa legibus suis concors divina severitas. Diviné hac de materia disserit S. Chrysostomus dicens: *perseverat in populum fames, malis perseverantibus populi, crescit malitia, & inopia rerum, sævit cunctorum impietas, sævit & in cunctis necessitas, universi deficiunt victu, & ab idolorum* (id est peccatorum,) *non deficiunt cultu. Et quasi diversitas ista invicem certaret: sic sese ista superare contendunt, ut putarent dementes sceleribus famem vincere, facinoribus necessitatem avertere, peccatis inopiam superare*

Ah Christiani! vos omnes contestor, & maximè Principes, Reges, & Imperatores: potestisnè oleo iniquitatis accensum divinæ justitiæ extinguere ardorem? Id nemo sanæ mentis confitebitur. Proinde, quia enormia hominum non desunt flagitia: sic & justa irati Dei non desinunt flagella. Hinc asserit S. Hieronymus Christianorum crimina valida infidelium fore arma. *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus*. Quam luctuosam stragem amarè deflens subjungit: *Infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius in nos ira desæviat*. Non desinit itaque esse Princeps pacis, quamvis nobis pacem (quam Christianitati in testamentum tradidit, dicens: *Pacem meam do vobis*) deneget, quia nos sceleribus nostris eam ambigimus, & depellimus. Pax namque promissa cum maculata neutiquam potest consistere conscientia. *Hieron. epist 3. ad Heliod.*

Stupentibus ergò hominibus, quod sponsa Christi tot, tantosque à variis inimicis patiatur insultus, egregiam, doctissimus Salvianus adducit sententiam, quâ, si benè animadvertant, genuinam omnis infortunii apertissimè declarat rationem;

rationem : *Nihil itaque mirum est, si deteriora quotidiè patimur, qui quotidiè deteriores sumus: nova enim quotidiè mala faciunt, & vetera non derelinquunt. Surgunt recentia, nec repudiantur antiqua. Quis ergò causationis locus? Qualibet aspera, & adversa patiamur, mitiora patimur, quàm meremur. Quid quarimur, quod durè nobiscum agat Deus? Multò nos cum Deo durius agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum. Cùmque ejus mens atque majestas sit, ut nullâ iracundiæ passione commoveatur, tanta tamen nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci, & vim, ut ita dicam facimus pietati suæ, aut manus quodammodo auferimus misericordiæ suæ. Cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.* Finaliter ergò concludendum est, quod si belligerantem Dei contrà nos manum devitare studeamus, ejusque pace quietè frui, pacem internam cordis conservemus, externamque cum proximis demonstremus, ut, tamquàm pacifici, filii Dei vocemur, simus, & æternam cælestis patris nostri promereamur hæreditatem, & percipiamus dulcem hanc vocem *pax æterna*, quam vobis, mihi & omnibus tribuat, Pater, Filius & Spiritus sanctus, Amen.

Salv. lib. 4. de gubernamine Dei.

FINIS.



INDEX

INDEX
CONCIONATORIUS
In quo pro cunctis totius Anni Dominicis curioso, & forsitan indigenti ampla exhibetur materia

PRO DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Erunt signa in Sole , Luna , & stellis, Luc.cap.21.

Proëmium. VEteres Romanorum Annales mirificè extollentes Imperatoris Vespasiani
stupendam ergà subditos suos clementiam, referunt, eum ob intolerabi-
lia delicta ad insolitum concitatum furorem, justas reis decrevisse infligere poenas. Plebs ab ipsius Aulicis percipiens clementem Imperatoris ani-
mum in furibundum fore commutatum, & præsagiens magnam immi-
nere quàmplurimorum stragem, ejulans, & ingemiscens per plateas cu-
currit, clamans : *Væ vobis , quia in indignationem conversa est pietas.* Cer-
tum est, & indubitatum ; Christum in primo suo adventu ad instar Mercutii missi à Jove ad sanandos
infirmos Cretenses, è cœlestis Patris sinu ad genus humanum, summoperè peccato Adæ sauciatum cu-
randum : *Magnus namque* ait Augustinus *è cœlo descendit medicus, quia in terra magnus jacebat ægro-
tus.*

Verùm in secundo adventu totus (præmissis contrà ipsam elementorum, & cœlestium syderum na-
turam horrendis signis) formidabilis, non hominem misericorditer salvaturus, sed rigorosè juxtà meri-
ta uniuscujusque dijudicaturus, in extremo Judicio comparebit, & ille, (de cujus misericordia sacra Scri-
ptura ait) *Misericors & miserator Dominus, patiens , & multùm misericors. Misericordia ejus super omnia
opera ejus.* Psal. 144. vers. 8.) totaliter justus ad veniet cunctorum hominum crimina ad malitiæ æqua-
litatem vindicaturus. Quem tremendum adventum mature considerans Propheta Malachias cap. 2. ex-
clamat : *Ecce venit, & quis sustinebit adventum ejus?* Quoniam *in indignationem conversa est pietas.* Et si
quis tremendi istius adventus terribilitatem, lynceis oculis desideret perscrutari , hoc unicum dumtaxat
consideret, non tantùm Conditorem cœli & terræ , & Jesum crucifixum benignam faciem immutâsse,
verùm etiam omnia præcipua creata contra miserum peccatorem strenue armâsse. *Erunt namque signa
in Sole & Luna,* non blanda, sed horribilia. *Sol obscurabitur : Luna convertetur in sanguinem , stellæ de cœlo
cadent.* Quandoquidem itaque præsens Evangelium nos de tremendi in fine mundi Judicii præmoneat
rigore, mens est in hodierno discursu de ejus horrore paulisper secundùm meam imbecillitatem (quo-
niam de hoc ad sufficientiam tractare homini est impossibile) differere, quod, ut aptius faciam, obtestor
vos, ut mecum Spiritus S. imploretis assistentiam, dicentes : *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cape auream S. Chrysostomi sententiam, qui de primo Christi Salvatoris in mun-
dum adventu, & de secundo eum dijudicaturi Judicis maximam perpendens inter utrumque differen-
tiam, sic ait. *Sicut tempus misericordiæ judicium non suscipit: sic & tempus judicii misericordiam non recipit.*
Quæ sane summo cum fundamento cuique ingentem incutere deberet timorem. Confirmationem hu-
hujus *vide à fol. 90. usque ad folium 98. ubi reperies discursus epilogum.*

Pro Dominica secunda Adventus.

Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi. Matth. cap. 15.

Procemium. OLim inter diversos doctissimos Academicos maximè ventilata fuit curiosa quæstio de veritatis potentia, & dominio. Pro qua enodanda varia subtilia adducta sunt emblemata hieroglyphica de illa diversimodè decertantia. In favorem veritatis eminentiæ, atque nobilitatis in candida tela quidam ingeniosè depingi curavit formosissimam quandam puellam, in dextra manu acutum gestantem gladium: in sinistra globum mundi sustinentem. Ad regalem & sublimem hæc elevata erat thronum, cui ipsa Majestate plena insidebat. Circumcirca magnus regum, ac principum cernebatur cœtus, qui illam tamquàm supremam Deam supplices venerabantur. Hoc emblema infrà scriptâ cohonestatum erat epigraphe: *Omnis terra veritatem colit.*

Hujus sententiæ illicò sese alter mordicus opposuit, & pro solido suæ opinionis fundamento aliud diametraliter primo contrarium, in medium protulit. In quo artificiosè delineata erat deformis, exesa, emacerata, & pallida virgo *veritatem* repræsentans. Illa à juratis suis hostibus odio, falsitate, dissimulatione &c. miserè in terram prostrata erat, pòst hanc ipsi illatam injuriam, confestim ad regium solium evehebatur, tamquàm regina *falsitas*, in cujus præsentia *veritas*, strictis catenis alligata in triumphum ducebatur. Emblemati impressa legebatur ingeniosa hæc epigraphe: *Falsitas regnat, veritas exulat.*

Si ego modò interrogarer, cui istorum duorum subscribere vellem sententiæ: responsum meum suspenderem: & ab illo magno Africano Doctore Augustino, quid ipse de hac materia sentiat, expostulatem. Audi divina ipsius verba secundùm mundanam politiam loquentis, *Noli quærere quid sit veritas, statim enim se opponunt caligines imaginum temporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu deluxit tibi, cùm diceretur veritas.*

Sed quid tùm ethnicorum, tum SS. PP. de hac materia investigamus judicia? In præsenti sistamus Evāgelio. Et ab ipso Joanne Baptista, quo nemo ex muliere natus sanctior est, petamus, quid ipse de veritate opinetur. O Joannes! dic obsecro, quis te in arctum carcerem, & stricta vincula conjêcit? Quis paulò pòst tibi caput eripuit? Ah! non nisi invisa Herodiadi veritas. Clamabat ipse: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*: ipsa verò insulsam filiam ad condignam de veritatis præcone sumendam instigabat vindictam: *pete in disco caput Ioannis Baptistæ.* Sic apposite ad modernum institutum explicat hoc Euthymius: *Ob nullam causam aliam missus est in carcerem, nisi quia veritatem tradicabat: & quia veritatem jugulare non potuit, præconem jugulat veritatis.* Quoniam ut rectè ait antiquissimus Doctor Tertullianus: *Veritas oppugnari potest, vinci non potest.* Ratione itaque jurati impiissimæ Hærodiadis in Joannem veridicum odii: in hodierno discursu demonstrabo, quam acriter in depravato hoc ævo ipsa impugnetur, & quàm obstinatè politicus hic mundus eam prosequatur. Quòd, antequam exordiar, rogemus divam Virginem Mariam pro Spiritus S. adjutorio, eam salutantes angelicis verbis *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione incipe Ut intimiùs penetremus, quàm sævas misera veritas à multis ante actis sæculis perpessa sit persecutiones, ad sacram Scripturam recurramus. *Vide folium 184. usque ad folium 196. ubi quoque epilogus ad manum est.*

Pro Dominica tertia Adventus.

Tu quis es? confessus est, & non negavit, quia non sum ego Christus.
Joan. cap. 1.

Prooemium. QUantumvis à veteribus scriptoribus in hoc mundo sublimitas, & præ cæteris hominibus eminentia magni semper æstimata fuerit, ut nobis attestatur doctissimus Histori-

ftorio-graphus Titus Livius: *Regnum res est inter Deos, hominesque pulcherrima*; imò juxta Salustium prava honorum, & dignitatum cupiditas, homini quasi à natura est indita, ac proinde tàmquàm ad suum centrum ad dominium instigata: *Natura mortalium avida est imperii.* Cui quoque *lib. 4. historiarum annal.* adstipulatur Tacitus dicens: *Optimi mortalium altissima cupiunt.*

At tamen majori cum fundamento quàm plurimos prudentes politicos, vanitatem, & summum onus fore dignitates indicâsse autumo. *Regiminis gloria non est levamen, sed gravamen.* Quapropter Rex Antigonus magnificam filio relinquens hæreditatem, & firmiter stabilitam monarchiam, regna, ut fucum, & evanescentem fumum considerans, ei sedulò hanc inculcabat instructionem: *Scias regnum nostrum non esse aliud, nisi splendidam servitutem.* Maximus jam ad imperium (Valeriano fœdifragè occiso) evectus, maturè perpendens ambitionis & honoris subdolas fraudes, prudenter dixit: *Felix est, qui non nisi unico momento gubernavit.* Adrianus sextus invicti Cæsaris Caroli V. Minister in Hispania existens, nuntio accepto, sese ad pontificiam electum esse sublimitatem, ingemiscens in hæc prorupit verba: *Ah! si vera sunt, quæ nuntiantur, mihi profectò maximè dolendum est.* Cui opinioni adeò tenaciter inhæsit, ut vivus sibi Romæ in Germanorum Ecclesia ædificari jusserit epitaphium, cui insculpta usque ad præsens tempus leguntur hæc verba: *Adrianus VI. hìc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quàm quod imperâsset.* Alexander magnus, subjugatâ totâ Persiâ, cernens Abdolaminum regali stemmate ortum & ad tantam egestatem redactum, ut manuum labore & industriâ victum sibi comparare cogeretur, compassione, & misericordiâ motus, ipsi integrum regnum donavit. Paulò post ab eo jam pacificâ doni fruente possessione, petiit: *Libet scire, inopiam quâ patientia tuleris.* Cui ingenuè respondit: *utinam eodem animo regnum pati possem.*

Hanc veritatem, statuum nempè, & honorum mundi fore vanitatem & miseriam, luculenter nos docuit Joannes Baptista in occurrente Evangelio. Ecce ipsi suprema à Scribis & Pharisæis ultrò offertur dignitas: *Tu quis es? Messias es tu?* Vocatur, ut tamquam Rex, genti Judaicæ prædominetur: nihilominùs cunctos mundi fastus fastidiens, omnem conculcans sublimitatem, ingenuè confitetur sese nec esse Messiam, nec Prophetam, &c. *confessus est & non negavit: erudiens nos*, ait Chrysostomus, *mundanas contemnere dignitates.* Quæ insignis eruditio, ut cordis nostri penetralibus firmiter imprimatur: resolvi hodierno die de pernicioso ambitionis vitio disserere. Verùm, ut desideratum attingere queam scopum, pro fulcro imbecillitatis meæ assistentiam Spir. S. mecum per Mariæ patrocinium flagitate, dicentes Ave gratiâ plena.

Pro introductione cape: *Naturalista stupendam &c.* vide fol. 344 usque ad *nonne &c.* & perge. Ah! quàm benè possum venenosam hanc dipsadem inordinatæ statuum, & dignitatum ambitioni comparare? Sanè mihi egregiè suffragatur divus Bernard. aureum illud de ambitione proferens judicium: *Fallax suavitas, mala servitus, periculosa jucunditas, continuum martyrium.* Cujus sententiæ claram deductionem, & amplam confirmationem, vide à fol. 344. usque ad fol. 359. & conclude *sed ex hoc &c.* ibidem.

Pro Dominica quarta Adventus.

Venit Ioannes in omnes regionem, prædicans baptismum pœnitentiæ. Luc. cap. 3.

Prooemium. INconcussa, & ut certa apud cunctos tenetur Aristotelis doctrina, quod ex effectibus alicujus causæ sivè bonis, sivè malis ipsius sit desumenda malitia, aut bonitas, quapropter, quandoquidem mens mihi sit modò de efficacia, potentia atque eminentia sacramenti pœnitentiæ adeò relapsis necessarii, ut asseveranter dicat Dionysius Carthusianus: *Impossibile est, ut anima post peccatum ad thronum gloriæ perveniat, nisi mare pœnitentiæ navigando pervaserit*: paulisper ratiocinari omninò oportet, ut illius excellentiam effectibus eliciam.

Sed quis nobis stupendos sacramentalis pœnitentiæ pandet effectus, & miras illius in lucem deducet prærogativas, atque operationes? Nemo certè meliùs, quàm insignis sinceræ veritatis præco Joannes. Is de adventu Christi, tamquam præcursor loquens, ait: *Erunt prava in directa*, id est malitia,

virtute

virtute Christi incarnati in meliorem convertetur genium, & id, quod ex humana devium fuit à recta ratione fragilitate, ipsius ad rectam normam deducetur potentiâ.

Beatus Ægidius Romanus tria formidanda à scelere Adami naturæ humanæ inflicta fuisse commemorat vulnera: *Peccatum debilitat, quia facit nos languides.* Nimirum ad opera bona vi naturali, & virtute liberi nostri arbitrii, gratiâ, & adjutorio Adæ, & status innocentiæ adjuti exercenda. *Debilitatem leprosos efficiendo, ac mortuos gratiam, & charitatem, per quam vivimus tollendo.* Videamus modò, an peccatorum sacramentalis confessio illas animæ plagas non curet? Quid ego imbecillis ingenii hac de re dicam, ubi divinè de eadem audio disserentem magnum Patrem meum Augustinum Tom. 4. cap. 1. disertis hisce verbis: *Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos resuscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, & roborat, omnia curat, & sanat, omnia redintegrat, omnia vivificat, salutem auget, claudis gressum, cæcis restituit visum.* Unde admirabile, & in excessu efficax contrà cujuscumque peccati venena antidotum considerans pœnitentiæ Sacramentum S. Chrysost. exclamat: *Peccatum vulnus est, pœnitentia impacti vulneris medicina.* Hinc & judico de ipso propriissimè posse dici: *Annuntiate inter gentes studia ejus.* Theodoretus legit *annuntiate mutationes ejus* Psal. v. 12. Videlicet, quia immutabilis Deus in essentia, & in effectibus olim maximè severus, adeò immutatus est, & pius factus, ut pro *uno peccavi* debitè pronuntiato, id est, ex contrito corde cuncta condonet delicta.

Ex hoc summus ecclesiæ Doctor Augustinus evidentissimnm divinæ misericordiæ institutionem hujus sacramenti (quod secunda pòst peccatum à Theologis nuncupatur tabula) exstitisse, eruit testimonium. Videns namque humanam fragilitatem benignus Deus, & animarum nostrarum inhians saluti, pòst baptismalem gratiam aliud confert pharmacum, quo à relapsus vulnere risanemur. De hoc vaticinatus fuit Jeremias: cap. 8. v. 5. *Quare ergò aversus est populus à te in Ierusalem aversione contentiosâ? Attendi, & auscultavi: nemo quod bonum est loquitur: nemo est, qui agat pœnitentiam suprà peccata sua, dicens: quid feci?* Si itaque Auditores quispiam vestrûm surdus in audienda confessionis sacramentalis efficacia hactenùs exstiterit: modò aures porrigat, rogo. Quoniam eam cunctis hodiè cum divo Joanne Baptista pro viribus meis inculcare conabor. Supplicemus antè divæ Virgini, ut precibus suis mihi necessarium à dilecto suo sponso Spir. S. dignetur impetrare gratiæ auxilium, eam elogio salutantes Angelico. *Ave gratia plena.*

Pro introductione arripe sententiam divi Thomæ à Villa Nova & Isiodori fol. 154. & perge ab eodem loco probare illius potentiam, & efficaciam è sacra Scriptura usque ad fol. 162. & fini ibidem, & si lubet, cum sententia S. Thomæ à Villa Nova.

Pro Dominica infrà octavam Nativitatis Christi.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. cap. 2.

Prooemium. CElebertrimus historiographus Plutarchus de invictissimo Macedonum rege Philippo Alexandri Magni patre, commemorat, quòd ipse quâdam vice simul tria diversa felicia receperit nuntia, primum erat dilectam uxorem Olimpiam Alexandrum unicum universæ suæ Monarchiæ hæredem peperisse. Secundum, exercitum suum gloriosissimam contrà juratos hostes reportâsse victoriam. Tertium, equum regium in civitate Olimpia propositum celeriori præ cæteris decurrentibus cursu bravium acquisisse. Quibus perceptis, Philippus, loco, quòd ignes triumphales ob unius Alexandri nativitatem, & inimicum debellatum, strui, tympana sonare, tormenta bellica explodi, & quæcumque imaginabilia lætitiæ indicia exhiberi juberet: adblandientis nimium fortunæ cognoscens inconstantiam, & felicitatem tantam lugubri quâdam catastrophe forsitan finiendam veritus? sese in terram prostravit, humiliter Diis suis supplicans, quatenus dignarentur tàm prosperam fortunam infausto aliquo successu interturbare. Audite pulcherrima ipsius verba: *O fortuna! pro tot, tantisque bonis exiguo me aliquo malo afflige.*

Indubitatum est, & in confesso apud omnes, Mariam Virginem in Verbi incarnati conceptione summo gaudio fuisse perfusam, utpotè jàm excellenti dono ditatam, quo eminentiùs & nobilius

 concipi,

concipi, neque comprehendi potest, nec minori oblectamento perfruitam esse, dum unigenitum suum mater fœcunda, & Virgo intemerata peperit, & eum pòst dierum purificationis completionem æterno Patri in generis humani salutem in templo obtulit. Sed ecce Simeon Prophetico spiritu mutabilitatem præsagiens fortunæ, ut alter Philippus, & prævidens inexplicabile illud Mariæ gaudium convertendum esse in incomprehensibilem luctum, ipsi dura prognosticat nuntia dicens : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sed de quo Simeon vaticinatur gladio ? Ah ! non nisi de gladio cruentæ Passionis dilecti sui filii, qui acerbissimè pium ipsius animum lancinavit, teste Bonaventurâ in Spec. Virg. *Hoc solum restat, quod ipse in corpore, Maria verò in corde passa est, nec non singula vulnera per corpus ejus dispersa, in corde ipsius generaliter sunt unita. Quia nempè gladius animam pertransivit. Tu Domina in corde es lancinata, tu amoris clavis inclavata, tu illusa, & exprobrata: tu contumeliis, & maledictis affecta, etiam felle, & aceto potata.*

Sed ad quem finem benignus filius Christus charam suam matrem tàm severè tractari permisit ? Ex parvula, sed aurea Augustini sententiola rationem eruemus : *Tribulatio est gloriæ procurativa.* Ergò infero ego : quò major est tribulatio, eò majoris gratiæ est procurativa. Cùm itaque diva Virgo, tamquàm omnium Sanctorum regina, in cæteris deberet præeminere, necesse omninò erat, ut præ omnibus magis tribularetur. Mihi adstipulatur Richardus dicens : *Voluit siquidem filius, ut omnium Sanctorum pulchritudinem excederet : & sicut appellatur Virgo Virginum, ita Martyr Martyrum appellari debet.* Quod cum ita sit Auditores, in afflictorum solatium vobis hodierno die ut (ambobus brachiis adversam fortunam amplectamini) demonstrabo tribulationem cœli esse portam, & gloriæ æternæ, ut Augustinus ait procurativam. Quod, ut possim congruè efficere, rogate mecum Virginem Mariam, ut mihi cœlestem à Spiritu S. impetret gratiam. *Ave gratiâ plena.*

Introductionem incipe *maximè mirabile &c.* vide fol. 501. usque ad finem discursus.

Pro Dominica prima post Epiphaniam.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. cap. 2.

Proœmium. DUm verba thematis pro hodiernâ discurrendi materia ex præsenti Evangelio desumpta, attentâ mente perponderabam, ad summum angebat stuporem, quòd eò usque suprema illa increata majestas adeò sese exinaniverit, ut creaturis subjici voluerit. Verùm reperi, ipso negotio intimiùs penetrato, ipsum ad hoc non tantùm ex jure naturali, & ut authorem naturæ obstringi : verùm etiam in quantum, à quo pia & sancta hæc promanavit lex : *Honora patrem & matrem* Et quidem amplâ adjectâ promissione, *ut sis longævus super terram.* Tantam hanc filiorum ergà parentes obligationem divinus non ignoravit Plato : *Parentes negligere, nec Deus, nec homo mentis compos ulli consulet.* Executus est itaque à pueritia Christus, quam grandævus factus filiis denunciaturus erat legem, ut pro suo exemplo rebelles in parentes deterreret, & piis debitam ergà illos reverentiam inculcaret. Ratione humilis Christi subjectionis, de illa hodiè paucis tractabo, & ostendam quantùm divinis oculis contumacia natorum Deo displiceat, è contrà eorum reverentialis cultus arrideat. Rogemus tamen anteà Spir. S. assistentiam per Mariæ Virginis intercessionem, dicentes : *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione incipe. Quantùm obligentur parentibus filii, evidenter patet ex ethnicorum exemplis, Amphionus &c. vide fol. 188. in fin. usque ad fol. 194. Epilogum accipe *quid ad hæc &c.* ibid.

Pro Dominica secunda post Epiphaniam.

Dicit mater ejus ministris, quodcumque dixerit vobis, facite. Joan. cap. 2.

Prooemium. ACriter inter doctiores sacræ Scripturæ Interpretes controvertitur, quid diva Virgo hisce verbis in convivarum gratiam prolatis, ministris voluerit indicare. Quidam eorum ad nudum litterarum sensum sese convertentes, autumant eam de hydriarum aquæ repletione fuisse locutam. Nituntur non debili sanè fundamento, sed ipsiusmet (ut apparet) Christi verbis, qui immediatè pòst eas aquâ impleri curavit. Attamen, salvâ eorum authoritate, aliis pro modo adhæreo asserentibus, Mariam non tantùm insinuare, quàm necessaria sit conjugatorum inter se voluntatum, & consensus concordia, & unio: verùm etiam cunctis Christianis humanæ cum divina voluntate summoperè inculcâsse conformitatem. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Homo, quodcumque externè tacens, operando loquens, tibi Christus dixerit, facito, quæcumque tibi sive dura, sive prospera immiserit, lubenti animo tolera, & clama cum Propheta Davide: *Ante te est omne desiderium meum*, id est, Deus, si me affligere divina tua providentia statueris, *ante te est omne desiderium meum.* Si quoque prosperam fortunam elargiri dignatus fueris, *ante te &c.*

Et verè, ô Christiane! quanto cum tuo emolumento, similem non facies Dei voluntati resignationem? *Politici ad rectum &c. vide fol. 65. usque 66.* & perge. Ratione tam salutatis Mariæ convivis, aliisque inculcatæ eruditionis, summoperè allaborabo, ut tum ex profanis historiis, tum sacris scriptis, tum SS PP. necessitatem humanæ voluntatis cum divina conformationis, illiusque virtutis eminentiam, atque nobilitatem evidenter demonstrem. Verùm, cùm arduum sit propriis inclinationibus deditis, & arbitrii sui pertinaciter tenacibus hoc imprimere, opus est, ad dura corda emolliendа, ut det mihi Spiritus S. in ore meo verbum efficax. Pro quo rogitemus divæ Virginis patrocinium, salutantes illam, *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione incipe: *Plinius sedulus &c. vide fol. 66. lin. prima usque ad fol. 73.* & concludе discursum, *Veteres narrant historia &c. Ibidem.*

Pro Dominica tertia post Epiphaniam.

Vade, ostende te Sacerdoti. Matth. cap. 8.

Prooemium. FIdelissimus antiquitatum Judaicarum descriptor Josephus lib. 11. commemorat de Alexandro Magno, totius mundi dominatore, quòd ipse devicto, & ad internecionem deleto potentissimi Darii copiosissimo exercitu, in sanguinolento circa Siliciam certamine, victoriam adeptam prosequi cupiens, gloriosas militum copias ad fortissimam, ac munitissimam civitatem Gazam arctissimè obsidendam, moverit. Quam, cùm tam citò expugnare non posset, penuriâ annonæ laborans, Jerusalem ad Jaddum summum gentis Judaicæ Pontificem tubicinem destinavit, ut nomine Domini sui à Jaddo exigeret, quatenus annonam pro exercitu in obsidione sustentando pecuniâ emptam è Judæâ transvehi permitteret. Ad quod Alexandri requisitum Jaddus respondit: *Se Sacramenta Dario dedisse, ut nequaquam contra eum arma portaret. Ac proinde sese sacro fœdere obstrictum ipsius desiderio non posse annuere.*

Alexander è reverso tubicine obstinatam intelligens resolutionem, veritus, ne præ inediâ, & egestate ante Gazam Herculeas cogeretur erigere columnas, cum inscriptione: *Non plus ultrà*: summo accensus furore, obsidionem solvere deliberavit, ut sic (copiis suis in Judæam transmissis, & eam undequaque depopulantibus) quantò citiùs posset, Jaddum edoceret, cujus mandato, an Darii cæsi, an Alexandri victoriosi obtemperare deberet. Verùm animo tum parumper sedato, Gazam vi, & impetu

impetu expugnare statuit, quod ipsi ad nutum & desiderium successit. Interceptâ itaque Gazâ, & subjugatâ totâ Asiâ, cum florentissimo exercitu injurias illatas vindicaturus, Jerusalem perrexit. Jaddus tam inopinato casu perculsus, *moliebatur*, inquit, *quemadmodum Macedonorum Regi occurreret*. Et cernens gentis Judaicæ vires impares fore, & furibundis Alexandri militibus, & ob tot victorias superbientibus, neutiquam posse resistere, tandem hoc arripuit stratagema: Cunctis Sacerdotibus mandavit, ut sese vestibus sacris exornarent, quibus ipse se comitem, pontificalibus indutum, adjungere spondebat, ut sic ad deliniendam Alexandri iram, ei unanimiter obviam procederent. Contigit autem, quòd Jaddus illi obvius venerit circà *Saphim*.

Nullus Aulicorum in hoc occursu aliud sibi imaginabatur, quàm cædem & stragem. Verumtamen præter omnium opinionem aliter successit. Quoniam Alexander Sacerdotes juxta ritum Judaicum sacerdotalibus vestibus ornatos, præcedentemque Summum Pontificem in pontificalibus, Jaddum conspiciens, ex equo exiliit, & ut verbis utar Josephi: *Adiit eum solus, & Numen adoravit, & Principem Sacerdotum primus veneratus est.* De qua reverentia & humilitate Primas aulæ Parmenio obstupefactus, eum interrogavit: *Cur ipse adorasset principem Sacerdotum gentis Iudaicæ?* Cui respondet Alexander: *Non hunc adoravi, sed Deum, cujus principatu sacerdotii functus est.* O pulcherrimum unius Ethnici responsum, è quo nos Christiani pulcherrimam quoque deducere possumus, & quàm maximè necessariam eruditionem. Videlicet, quantâ reverentiâ debeamus venerari Sacerdotes Christi. Etenim, si unus Alexander Magnus omnem iram deponens, veteris testamenti ministro, umbræ dumtaxat, & figuræ, in quo non nisi animalia irrationabilia Deo immolabantur, tantum detulerit respectum, quantum nos non deferemus ministro novi testamenti, qui quotidie pro vivis, & defunctis realem, & immaculatam Christi Domini carnem offert?

Hanc doctrinam nobis inculcare prætendit Christus Dominus in hodierno Evangelio, imperans leproso sanato, *Vade, ostende te Sacerdoti.* Quandoquidem enim juxta legem Mosaicam nemo à lepra purgatus deberet dijudicari, nisi à Sacerdote: vult Christus jam jam vetus testamentum etiam abrogaturus, leprosum ad Sacerdotem mittere, ad solitam ei deferendam reverentiam, ut doceat Christianos, quantum honorem exhibere teneantur novi testamenti Sacerdotibus. *Illis enim*, inquit Chrysostomus lib. 3. de dignitate sacerdotali, *legis veteris Sacerdotibus corporis lepram purgare, seu, ut verius dicam, haud purgare, sed purgatos probare, datum fuit; at nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animi sordes, non dico purgatas probare, sed prorsus purgare, concessum est.* Egregiam itaque nactus Evangelii hodierni opportunitatem, in detestandam irreverentis populi Christiani erga Sacerdotes, & Ecclesiasticos insurgere decrevi non tantùm irreverentiam, verùm & intolerabilem contemptum, quod odiosum in oculis divinis vitium, ut è corde humano evellam, proferam varia motiva, fundatasque tum in gentilium moribus, tum in sanctorum PP. dictis, tum in infallibili sacra Scriptura repertas rationes, quibus ad oculum cuilibet, sanæ utcumque mentis, evidentissimè ostendam, quantum sæcularis Sacerdotibus debeat deferre respectum, & quantum peccet, qui iis detrahit. Quod, ut ipsis (& confido) efficaciter persuadere valeam, pro viribus acquirendis ad Matrem misericordiæ confugio, clamans: *Ave gratiâ plenâ.* Vos precibus preces adjungite.

Pro introductione cape. Modò mens non est de detractionis in communi malitia tractare: sed eâ ut certâ præsuppositâ (de qua suo loco) hanc deducam argumentationem. Si magnum scelus sit plebeio, vili, abjecto, & in nulla dignitate constituto detrahere, ejusque honorem adimere: ergo majus est Sacerdotibus detrahere. *Legitima hujus consequentiæ deductio &c. vide fol. 125. col. 2. usque ad fol. 132.* Et epilogum cape: *Augustinus in similes ingratos sæculares, &c. ibidem.*

Pro Dominica quarta post Epiphaniam.

Domine, salva nos, perimus. Matth. cap. 8.

Proëmium. INsigne illud patientiæ exemplar Job, anatomizatâ ad amussim miserâ naturâ humanâ, compendiosè illam describit, dicens: *Militia est vita hominis supra terram.* Job. c. 7. v. 1.

Et rectè, *Quoniam in hoc positi sumus*, inquit Apostolus ad Thess. c. 3. v. 3. *ut sub Christi vexillo in hoc mundo strenuè militemus*. Duo belligerandi apud militares differentia reperiuntur tempora. Unum de die, & splendente Sole, alterum de nocte, & cælo tenebris obvelato. Olim graviter decertabatur inter militum duces, quodnam tempus ad præliandum contra inimicos magis congruum foret. Quidam tenebrosum lucido præferebant; quoniam illud maximè aptum est ad eos astu & dolo circumveniendos. Unde, ut narrat Valerius Maximus l. 3. quidam Persarum Rex hostem deterriturus, dixit: *Cras sagittis nostris Solem obscurabimus*. Ad quod adversarius intrepidè respondit: *Benè narras, in umbra enim meliùs præliabimur*. Illud verò belli fulmen, & mundi terror Alexander Magnus ad certandum cum hoste tempus lucidum eligendum esse, mordicùs sustinebat, dicens: Gloriosum fore splendente Sole, tamquam victoriæ teste, inimicum devincere.

Ego conflictus militares mundanos pertransiens, & eos ad spiritualem nostram militiam transferens, si rogat, quodnam tempus Christiano certamini, nubilum aut splendidum sit convenientius, ad gloriosam in hostem nostrum reportandam victoriam, nubilum dicam, *Quoniam in umbra meliùs præliabimur*. Sed quodnam est tempus nubilum, & quodnam lucidum? Ah, lucidum non est, nisi tempus felicitatibus, & mundanis deliciis affluens: tenebrosum verò, infortuniis, persecutionibus, & tentationibus abundans. Ratio dicti mei fundamentalis est, quia prosperitas hujus sæculi hominem Dei sui oblivisci, & ab eo recedere facit: infelicitas autem, atque miseria ei oculos aperit, & à recta via devium, ad Deum reducit. Patet in filio prodigo, in Manasse, Nabuchodonosore, &c vide fol. 149.

Sed quorsum in vanum asserti mei veritatem tot exemplis è sacra Scriptura erutis comprobando me fatigo? Neutiquam pro hoc deviandum est à præsenti Evangelio, ecce ascendente Jesu in naviculam, motus factus est in mari. Et quid inde subsecutum est? Ah, statim turbati nautæ, discipuli tremefacti, viatores conturbati, ad preces, ad vigilias, ad Christum sese converterunt, & clamarunt, *Domine, salva nos, perimus*. O benedicti discipuli! quid vos somno torpentes, & desides tam efficaciter ad orationem, & Christum deduxit? Profectò maris tempestas, furiosi venti, inundantes fluctus, naufragii periculum vos vigiles, & Dei memores reddiderunt. Ratione itaque jam tactæ materiæ scopum hujus discursus statui ostendere, angustias & tentationes hominem, (quem prosperitates, & mundanæ voluptates deviare faciunt,) ad Deum revocare. Quod egregiis verbis Aureum Os confirmat lib. 1. de providentia: *Quando malignus ille perterret nos, atque probat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipsos cognoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus*. Unde concludam, tentationes, & infortunia fortissima esse bellandi arma, & per consequens, cùm Deus ad nos clamat: *Cras sagittis meis Solem obscurabo*, id est, felicitatem tuam, commoda tua frugaliter, & voluptuosè vivendi tollam, & densissimam immittam tribulationum noctem: replicandum est: *Bene narras, in umbra enim meliùs præliabimur*. Ecce, cuncta è manu tua, & à divina providentia ultrà acceptamus, & amplectimur. Quod, priusquam exordiar, pro juvamine rogemus Spiritus S. gratiam, per Mariæ intercessionem, eam encomiantes Angelico præconio, Ave gratiâ plena.

Incipe introductionem. Ut intentum meum assequar, & clarissime demonstrem, pulchriori, quàm illâ, quæ mihi in mentem incidit, uti non possum Augustini sententiâ, appositè dicentis: *Intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationem esse medicamentum ad salutem, non pœnam ad damnationem*. Quod egregiè probat experientiâ David: *Quando David sanctus Saulem fugiebat; inimicum patiebatur, quando illis passionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat loca, ne in manus ejus incideret, non concupiscebat alienam, non adulteratâ uxore, occidebat virum, erat in infirmitate. Utile quoddam est tribulatio, utile medici ferramentum*. Exemplo totum negotium conficit Laurentius Justinianus: *Sicut caro, quæ sale non aspergitur, quantummodò magna & præcipua corrumpitur: ita & anima, nisi tentationibus assiduè saliatur, continuò resolvitur, & relaxatur: per ipsa namque tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, & in spiritus vivacitate conservatur*. Et rationem genuinam dat Gregorius lib. 2. mor. cap. 37. *Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullam unquam earundem defectum intrà mentis arcana sentiret. Sed cùm tentatione irruente, quatitur, & quasi ultrà quàm sufficit, fatigatur, & contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur.*

Modò

Modò perge, *tribulationes ergò, &c.* vide fol. 250. col. 1. in initio, usque ad fol. 257. conclude, *eja agedum, &c.* & maturè considera auream Bernardi sententiam: *Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus: imò, quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* Committite vos divinæ providentiæ, quia, ut ait S. Anton. de Padua: *Si semper Dei manibus omnia commiserimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere.* Et si vobis appareat, persecutionem & tribulationem ultrà vires vestras ingruere, clamate cum Apostolis: *Domine, salva nos, perimus.* Et illicò auxiliator benignus vobis succurret; quoniam ait David: *Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Sed vos tandem omnibus tribulationum undis eripiet, & ad cæleste suum regnum recipiet, quod mihi & vobis donet Pater, &c.

Pro Dominica quinta post Epiphaniam.

Inimicus homo fecit. Matth. cap. 13.

Proëmium. NOn minùs subtiliter, quàm curiosè indagant SS PP. sacræque Scripturæ Interpretes, quo motivo, quo calcari infernalis inimicus instigetur, ut indefatigatus æternæ animarum nostrarum insidietur saluti, omnique conatu sempiternam evigilet iis causare damnationem. Quidam innixi vulgari axiomati: *Dulce est habere socios in pœna.* Opinantur malignos spiritus ex aliorum consortio, aliquale quasi in pœnis sublevamen sentire. Sed hæc doctrina nullatenus mihi apparet fundata; quoniam nobis apertissimè è sacro codice constat, divitem epulonem jam æternis flammis adjudicatum, à Deo instantissimè petiisse, quatenus sibi liceret, dumtaxat earum acerbitatem fratribus suis denuntiare, ne in eas per similia (ut ipse) peccata inciderent; itaque ipse ex consortio damnatorum fratrum nullum futurum solatium exspectabat.

Alii autumantes, multos malignos spiritus (quos aëreos, qui aëri prædominantur,) vocitant, in aëre detineri, qui peracto extremo severi judicii die, secundùm justam sententiam in sempiternos ignes detrudentur graviùs puniendi: asserunt ipsos apprime cognoscentes, Christum judicem ad universale judicium non venturum, nisi tot homines per gratiâm ad cælum ascenderint, quot Angeli apostatæ ob superbiam è cælo in infernum ceciderint, quia illi horum sedes sunt occupaturi, omni astu, & dolo eos à tam felici ascensu conari impedire, ut diutiùs judicium differatur, sicque illi quoque diutiùs in aëre permaneant. Hæc opinio majoris est, quàm prima probabilitatis. Attamen eâ non contemptâ, pro modo sententiæ divi Chrysologi adhæreo, dicentis serm. 96. ipsos id agere ex invidia: *Diabolus non vult hominem habere, sed perdere, quare? Quia ad cælum, unde ille excidit, non vult, non fert, non patitur hominem pervenire ex invidia.* Hanc opinionem ipse confirmat verbis hodierni Evangelii: *Inimicus homo hoc fecit.* Diabolus invidiâ crepans, eò quòd pater-familias Christus Jesus in agro Ecclesiæ bonum semen seminasset, veritus eum opulentam acquisiturum messem, id est, quamplurimos homines salutari suâ doctrinâ ad se attracturum, adhibet omne imaginabile studium, ut illam prædam ei eripiat; quare in agro mundi zizania disseminavit, id est, pravas suggestiones ad delicias, dulcia incitamenta, ad carnales concupiscentias, allectivas invitationes, in summa, omnium generum scelera dispersit in cordibus hominum, ut per ea cunctas sanctas & pias suffocet inclinationes. Audite præfati Doctoris verba: *Venit autem inimicus homo:* sed ad quid? Et respondet: *Ut periret Dominus messis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? nisi, quòd invidiæ spiritus hominum damnum, suum computet lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimet acquisivisse:* E quo eruit Chrysologus, invidiam perniciosissimum fore venenum, & quamplurimorum malorum scaturiginem. Ipsi concinnè adstipulatur maximus Doctor Augustinus, serm. 28. de tempore, invidiam laudabili hoc elogio encomians: O *invidia, quantum malum! hæc est, quæ Angelum de cælo projecit, hominem de paradiso exulare fecit, Abelem occidit, contra Ioseph fratres armavit, Danielem in lacum leonum misit, caput nostrum crucifixit, & Iudam suspendio sustulit.* Quod malum quandoquidem per cunctos mundi serpat angulos, & ejus author illud venenum firmiter in agro cordis humani radicârit, hodie

pro

pro viribus conabor ad illud eradicandum, ipsius perniciem, & malitiam detegere, eique omnem speciositatis, & plausibilitatis larvam detrahere. Quod ut assequar, divinam pariter efflagitemus gratiam per Mariæ Virginis intercessionem, in honorem illius cantantes canticum Angelicum, *Ave gratiâ plena.*

Introductionem incipe: *Fulgentissimum illud &c. vide fol.* 170. *usque ad fol.* 177. Epilogum cape, *audivistis &c. ibidem.*

Pro Dominica sexta post Epiphaniam.

Simile est regnum grano synapis. Matth. cap. 13.

Proëmium. IN veteribus Atheniensis Reipublicæ annalibus reperimus, quodam tempore inter tres Academicos subtilem agitatam fuisse quæstionem: nimirum quænam mundi res foret dicenda maxima & minima. Primus dicebat illam fore pupillam oculi, quæ ob suam parvitatem vix oculis percipitur: Attamen tantæ est virtutis, ac efficaciæ, ut recipiens visibiles materialium objectorum species impressas, cuncta sagaciter intueatur, & etiam à terra usque ad cælum potentiam suam extendat. Alter asserebat, rem maximam & minimam fore animam, quæ utpote indivisibilis, infinitè pupillâ oculi minor, ingenio tamen suo, non tantùm res corporales, sed etiam spirituales comprehendit; ita ut meritò de ea dicat princeps Philosophorum Aristoteles, lib. 3. de anima: *Animam esse quodammodò omnia, quæ sunt, sive sensibilia, sive intelligibilia.* Tertius opinatus est, tum pupillam, tum animam longè debere cedere cuidam ovo, in quo certus artifex (ut narrat Pierius) concluserat viginti quatuor Deos. Si modò mihi hæc proponeretur, sanè ei satisfacere non adeò foret difficile. Quoniam Evangelista Matthæus in moderno Evangelio apertè declarat, rem minimam & maximam esse granum sinapis, quod quidem minimum est omnibus seminibus; verùm ubi excreverit, & radices jecerit, *majus est omnibus oleribus.* Nihilominus, quantumvis id videatur satis manifestum, tamen obscurum remanet, quid hic per granum sinapis (eò quòd Doctores Ecclesiæ, & sacræ Scripturæ Interpretes de hoc inter sese non conveniant) intelligatur. Quidam per illud interpretantur Verbum divinum, quod in se videtur minimum: quoniam, ut sonus in aëre facilè dissolvitur, & perit, verumtamen in cor hominis benè dispositum cadens, uberes profert fructus, & adeò in altum erigitur, ut in simili animo volucres cæli, id est, cælestes virtutes nidificare queant. Alii per illud Ecclesiam repræsentari affirmant, quæ in humili fundata, ad sublime fastigium elevatur. Quidam quoque sustinent, illud Mariam Virginem significare, quæ propriis oculis minima judicatur: Luc. cap. 1. v. 48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Vatablus cum S. Bernardo legit: *Annihilationem ancillæ suæ.* Nihilominùs ad tantam dignitatem evecta est, ut cunctos Angelorum choros transcenderit, & Joan. clamet Apoc. c. 12. v. 1. *Signum magnum apparuit in cælo,* atque de ea cantet Ecclesia: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Tandem Laurentius Justinianus, cujus sententiæ pro nunc adhæreo, sentit, per granum sinapis intelligi Christum incarnatum. Ipse enim quoad Divinitatem omnium est supremus, & quoad humanitatem creaturarum rationabilium infimus. Quia sese in tantum abjecit, & exinanivit, ut de seipso testetur Ps. 21. v. 1. *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Audite Justiniani verba: *Quid est maximum, nisi Deus? Quid minimum, nisi creatura? Solus igitur Christus maximus, & minimus: Dominus & servus, Verbum, & caro, Deus & homo.* Sed quis in tantum exinanivit Deum, ut unus fieret, quis allexit, & attraxit Creatorem, ut creaturam assumeret? Respondet ad quæsitum Psal. 21. v. 1. S. Bern. *Hoc fecit amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor, ut etiam sciamus amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.* Dum hunc infinitum, & incomprehensibilem amoris excessum debilibus mentis oculis à longè tantùm contemplor, de eo, & mirabili hoc grano sinapis Christo exinanito, & amoroso cogor disserere, ut etiam in cordibus Christianorum reciprocum suscitem amorem. Verùm cùm iste amor (ut dixi) incomprehensibilis sit, opus est, ut ad divam Virginem pro obtinenda scin-

illa saltem adjutorii Spiritus S. non denegandam à Spiritu S. per dilectam ejus sponsam Mariam rogemus, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione dic: Ut de infinito Christi Domini erga humanum genus amore incipiamus disserere, examinemus amorem ipsius per totam ejus vitam, & ab ipsius primordiis, atque ejus in virginali claustri conceptione exordiamur, in qua *nonne* &c. *Vide fol.* 200. *usque ad fol.* 210. & concludε: *Verùm quomodo*, &c. *ibidem.*

Pro Dominica Septuagesimæ.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. cap. 20.

Proëmium. C*Uriosi rerum naturalium, &c. vide fol.* 320. *usque col.* 2.

Ex hoc Augustini loco evidenter constat, Deo animarum nostrarum salutem maximè cordi fore, eumque nil ita desiderare, quàm cunctas salvare. Quod autem non ita fiat, culpa nostra est, & maxima in spiritualibus incuria. Quare meritò cuilibet in particulari illud improperari potest: *Perditio tua ex te.* Quod sufficienter, & satis clarè innuit propriis verbis ipsemet Christus, dicens: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*: si illa combinare velimus cum aliis, Joan. c. 4. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, sed rogo ego ad quid, si pauci sint electi, plures decretæ sunt mansiones?

Hoc ex parvula quadam historiola capiemus: *Narrat doctissimus Maldonatus, quòd Imperator Antoninus desiderans, &c* vide fol 327. col. 1. in fine, usque ad, *ad hoc institutum, &c.* quòd si ergo quispiam æternam animæ damnationem incurrat, sibi, non Deo imputet; ipse enim omni methodo, omni industriâ utitur, ut te ad se alliceat. Ad quem finem nunc blanditiis, nunc beneficiis, nunc rigore, nunc amore, hominem ad se attrahere conatur, ut egregiè ostendit Divus Thomas à Villa-Nova: ut habes fol. 330. col. 1. Quod & ego in hodierna exhortatione vobis ad oculum conabor demonstrare, ubi à Diva Virgine auxilium imploravero Spiritus S. salutans eam Angelicis verbis: *Ave gratiâ plena.*

Introductionem incipe, *quamvis stupendam, &c. vide fol* 321. usque fol. 331. Epilogum cape, *audivistis auditores*, &c. ibidem.

Pro Dominica Sexagesimæ.

Qui habet aures audiendi, audiat. Joan. cap. 8.

Proœmium. D*UO celebres, &c. vide fol.* 296. *in fine, usque ad fol.* 298. *in initio*, & perge. Sed quid tam longum in accumulandis, tum ex SS. PP. tum Scripturæ variis locis pro hac veritate comprobanda, testimoniis tempus insumo? Admirabilem namque divini verbi efficaciam luculenter satis demonstrant ipsiusmet Veritatis Christi verba in hoc Evangelio contenta: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ad quid enim tam sedulò benignus vociferatur Dominus, nisi, ut homines attentos reddat ad negotium summi momenti percipiendum? Sic Propheta Isaias, cùm nomine Dei populo Israëlitico legem concernentem mandatorum divinorum observationem vellet promulgare, insolito suo clamore illius animum ad attentionem præparare conatur: *Attendite ad me populus meus, & tribus mea audite, quia lex à me exiet.* Isai. c. 51. v. 4. Indicat itaque hisce verbis Christus, hominem aures debere erigere, & animum internum (ut agricola agrum) aptè colere, & debitè præparare, ut semen verbi divini cadens in terram bonam, id est, agrum conscientiæ benè excultum, à sæcularibus negotiis, & mundanis occupationibus abstractum, centuplum producat fructum, ac suæ potentiæ, & virtutis mirificos sortiatur effectus, quæ, quanta sit, & quàm potens, atque efficax, hodierno die pro imbecillitate mea demonstrabo. Quæ ut adjuvetur, potenti Spiritûs S. gratiâ, sollicitemus cuncti precibus nostris gratiæ thesaurariam Mariam Virginem, eam honorantes Angelica salutatione: *Ave gratiâ plena.*

Pro-

Pro introductione cape. *Pro demonstrando eo &c. vide fol.* 298. usque ad fol. 309. & concludecum fabula de peregrino, ibidem.

Potes etiam hic, si lubet, tractare de admirabili auri potentia supra hoc thema: *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audiunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur.* Luc. c. 8.

Proëmium. S. Chrysologus &c. vide fol. 39. col. 2. usque fol. 40. *quia pecuniæ obediunt omnia.* Hoc egregiè probat Scoonhovius emblem. 36. ubi ait: *Nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non exonerari, nihil tam providum, quod non decipi à pecunia possit.* Sic ab oraculo edoctus Philippus Macedo, non ferreis, sed argentatis hastis Græciam subegit, ut testantur historiæ. Nimirum (ut Ennius loquitur) *iis corrumpendis, locupletandis, qui in singulis urbibus summæ rei præerant.* Hoc & comprobârunt Lacedæmonii, de quibus refertur, quòd primi omnium hosti munera dare cœperint, bellique victoriam auro venalem effecerint. Cicero lib. 2. off. dicit: *Cajum Pontium Somnitem optare solitum, ut ad illa se fortuna servasset, & tunc natus esset, quando Romani dona accipere cœpissent, non fuisse passurum eos diutiùs imperare. Et sanè resistit quis, ac obloquitur,* inquit Schoonhovius, *ab argento obstruetur, & lucripetam istum, legi rupam efficies.* Unde canit Petronius:

Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam, strepitumque lucri suffragia vertunt.

Sed quid in his exemplis diutiùs immoramur? Nonne auri potentia luculenter apparet ex hoc Evangelio? Ecce verbum Dei tam efficax (ut suprà ostendi) in cor spinis refertum, id est, divitiis deditum cadens, omnem efficaciam perdit, & nullum fructum, iis suffocatum profert, ut ipsamet testatur Veritas. Ratione itaque hujus rogitemus per Deiparam Spiritus S. gratiam, dicentes: Ave gratiâ plena.

Introductionem incipe fol. 40. *Verùm antequam &c.* & prosequere usque ad fol. 49. ubi epilogum reperies.

Pro Dominica Quinquagesimæ.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & occident eum. Lucæ cap. 18.

Proëmium. VEteres Atheniensium historiæ inauditam Regis Atheniensis Codri ergà subditos commemorant amorem, & mirificam simul incolarum in eum gratitudinem. Et ut ab amore exordiar, attendite generosum ipsius factum: *Is potenti hostium, &c. vide fol.* 206. col. 2. usque ad verba. Ob quod, ut gratitudinem, quam vivo ostendere non poterant, mortuo exhiberent Athenienses, publico decreto (ut memoria tanti ab eo accepti beneficii cordibus etiam posterorum imprimeretur, majorque in eam amor accenderetur) statuerunt, ut quotannis è domo civica sanguinolenta Codri coram plebe spectanda extenderetur tunica, & publicus præco hæc verba declamaret: *En tunica Codri Regis vestri: memor esto popule Atheniensis Codri victoriæ contra hostes suos proprii sanguinis dispendio partæ: Codre tu vitam dedisti, ut nos viveremus. Heu! utinam morte nostrâ tibi vitam comparare possemus.*

Haud dissimiliter hodierno die agere videtur S. Mater nostra Ecclesia; hæc cernens dissoluto hoc Bacchanalium tempore tot enormibus peccatis mundanos, tum juvenes, tum senes abominabilem Codro nostro Christo ostendere ingratitudinem, eos beneficii Passionis & Crucis Christi in hodierno Evangelio reddit memores, *Ecce ascendimus Ierosolymam, &c.* Et meritò sanè prudens Mater proponit per Evangelistam Lucam tunicam sanguinolentam humanitatis ejus flagris dilaceratam (ut nos à tanta ingratitudine divellat, & amorem illius inflammet) per hanc quasi per tubam ad Christianos intonans: *En tunica Christi Regis vestri: memor esto Christiane victoriæ contra hostes tuos,* (nimirum

rum mortem, peccatum, infernum, & diabolum) *proprii sanguinis dispendio parta.* Nec Ecclesia ab intento ullatenùs ipsiusmet deflectit Christi. Quoniam is propriis verbis mortis suæ luctuosam prognosticat catastrophen, dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Vis scire Christiane, quare toties mortis & crucis suæ reminiscatur? Respondeo, quia illa ipsius gloria est, illa triumphi ejus, (de quo favente Deo præsentem instituam discursum,) honorificum est trophæum. Et quod amplius est, quia memoria Passionis efficacissimus est charitatis funiculus, quo etiam desperati, indurati, & derelicti quasi peccatores ad Deum suaviter attrahuntur. Quod modò breviter exordior demonstrare, rogatâ priùs Spiritus S. assistentiâ per imploratum divæ Virginis patrocinium, & dicto *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cape, *Apud veteres nobilitate &c. vide fol. 306 col. 2. usque ad 366.* ubi amplam asserti mei reperies confirmationem. Pro epilogo assume, *eja itaque Christiane*, ibidem.

Pro Dominica prima post Pascha.

Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Joan. c. 20.

Proëmium. Dudum obstupefactus hæsi, dum binas, & quidem primas benigni Christi Domini nostri immediatè post resurrectionem mente pervolvi Apostolis apparitiones. Prima fuit tertio die Paschatis, secundùm Evangelistam Lucam c. 24. *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit, pax vobis.* Secunda post, de qua dicit Joannes, *Pax vobis:* stuporis mei motivum non tantùm est, quòd bis consequenter Jesus pacem commendârit, (quoniam istius ex Concione Quadragesimæ secunda genuinas facilè hauriri est rationes) sed quàm maximè in duabus istis apparitionibus signanter uterque de ostentatione vulnerum loquitur: *Cùm hoc dixisset, ostendit ei manus & latus.* In secunda dum apparuit, inquit Joannes, videns Jesus discipulos tremefactos ex hac visione, ipsos confortatus est, Joan. c. 20. v. 20. Luc. c. 21. v 38, 39. *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra. Videte manus meas, & pedes.* Modò curiosè quæritur, cur Christus bis pacem commendans, bis vulnera ostendat? Christiane, vis scire Christi prægnans motivum, respondeo ego, ut ipse, qui suis vulneribus pacificârat cælum & terram, Deum & hominem, ostenderet Christiano, quanti emisset pacem, firmiter sibi persuadens, quemlibet maturè illud pretium considerantem, ad laudabilem pacis ac unitatis virtutem alliciendum. Eja itaque Christiani, si primum vexillum, quod pro Christiana militia in mundo erexit Christus, pax sit, eam arripite, quoniam pacificis merces filiorum à Deo destinata est: ad cujus desiderium, ut in hodierna exhortatione cunctos efficaciùs instigem, ostendam pacis essentiam, proprietates, eminentiam, prærogativas. Quod, ut assequi valeam, vos omnes obtestor, ut mecum imploretis Spiritus S. succursum per Deiparæ intercessionem, pro qua salutemus eam, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Introductionem cape, *Cum pacis & concordia*, vide fol. 513 usque ad fol. 524. pro epilogo utere, *percepistis Auditores.*

Pro Dominica secunda post Pascha.

Ego sum Pastor bonus. Joan. c. 10.

Proëmium. Deus cùm ex cunctis tribubus Israël summum Sacerdotem, & populi sui electi spiritualem directorem Aaronem destinâsset, mandavit, ut ipse nomina duodecim tribuum, tum in humeris, tum in pectore portaret, Exod. c. 28. v. 12. *Portabitq; Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem.* Quoad pectus etiam dicitur v. 29. *Portabitq; Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum, memoriale coram Domino.* Ubi notandum, ambobus versibus luculenter indicare Spiritum S. adjungentem, *ob recordationem, & memoriale* hoc fuisse constitutum, ut recordaretur muneris sui Aaron.

Quid

Quid autem ipsius memoriæ imprimi velit Deus, diversimodè à diversis sacræ Scripturæ Interpretibus ventilatur. Ego pro modo adhæreo iis, qui sentiunt, ipsum Aaroni insinuâsse, ut memor foret, quale onus humeris suis impositum sustentaret. Quod tò humeri innuit: & sic cognosceret, quantâ curâ gregi sibi commisso teneretur invigilare. Quod maturè considerans S. Bern. clamat: *Quid ego infelix! quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretioso acquisivit, contigerit negligentiùs custodire.* Quod autem pectori quoque imponi imperetur, est, ut præ oculis semper habebat sese strictissimam habere obligationem subditos suos bono exemplo præeundi. Hæ autem duæ præcipuæ sunt boni pastoris qualitates. Hinc ait optimus ille Pastor Christus (de quo dicit Evangelista Joannes cap. 11. v. 14. *Ego sum Pastor bonus*) negligentem, & dormientem, in Petro arguens superiorem. Marc. cap. 14. v. 37. *Simon dormis?* Et scandalum in opere suo inferioribus præbentem severè condemnat Matth. c. 18. v. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui credunt in me, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Rationem tàm sævæ sententiæ Christi eruit Eusebius ex eo, quod pastor, Prælatus, & Ecclesiasticus, superior &c. ex officio cum Christo dicant populo *sequere nos*? Si itaque viam quis eorum intret peccati, & nequitiæ, quid aliud dicit, quàm, tu subdite eandem arripe. Ad quod quoque indocta plebs facillime inducitur, credens Pastores, & superiores non aliam quam bonam æternæ vitæ semitam demonstrare, aut saltem enormia scelera levia tantùm sibi persuadet ex eorum exemplo fore peccata. Et sic inquit citatus Doctor: *Fune peccatorum, & vitiorum suorum veluti cæcos ad foveam simplices deducunt, & usque ad animæ viscera crudeles efficiuntur.* Et possuntne hujuscemodi Pastores, Prælati, & superiores dicere, in particulari: *Ego sum pastor bonus?* Ah! minimè, sed ego sum pastor nequam. Ratione itaque hujus Evangelii in moderno discursu summoperè allaborabo, ut pastori, superiori, ac in sublimitate constituto, debitam pro grege sibi à Deo commendato, imprimam vigilantiam, & bonum vitæ inculcem exemplum, ad quod eum allicere facile crediderim, ubi ostendero, quantam ruinam, quantum malum in plebe superiorum prava inducat vita. Quod, ut exordiar, cum necessarium mihi sentiam Spiritus S. auxilium, pro eo unanimiter invocemus divam Virginem Mariam, salutantes eam angelico encomio *Ave gratia plena.*

Pro introductione dic. S Gregorius desiderans exaggerare quanta cura, & vigilantia pro animabus alicui commissis sit necessaria, efficacissimum à minori, scilicet à cura Jacob ovium avunculi sui Laban, ad majus conficit argumentum, nimirùm ad custodiam ovium Christi Gen. cap. 31. v. 38. dicit Jacob: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quod ipse considerans, jam tantùm recenter ad pontificalem dignitatem evectus, sic urget: *Si igitur sic laborat, & vigilat, qui pascit oves Laban, quo labore, quantis vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei?* Ah! quicumque sis superior accede, & hanc sententiam rumina, atque perpende, an exactè gregi tuo invigiles. Dic mihi paterfamilias, tune vigilas ad opera & vitam prolis tuæ: Tu vides filium tuum luxuriantem, filiam cum insulsis, & immorigeris juvenibus nimium familiariter conversantem, & taces. Familiam tuam pessimè cernis reguiatam, uxorem exorbitantem, famulos, & ancillas vitam pravam ducentes, nec remedium adhibes. Hoccine est invigilare? Non, non, sed verè tu dormis. Ast quid de tua fiet incuria? Ipsemet ait Deus Gen. c. 9. v. 1. *Sanguinem eorum de manibus tuis requiram* & Ezech. cap. 34. v. 10. *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Dic mihi pastor, tu oves Christi aberrantes intueris, concubinarios subditos apprimè cognoscis &c. & eos vix sceleris tanti admonere audes. *Ah! Simon dormis.* Tu magistratus leges sursum, deorsùm volvi, & revolvi, monopolia in Republica tacitè vigere, cives opprimi, viduas pessumdari, pupillos defraudari cernis, & non est, qui de justi perditione recogitet corde. Sed quilibet humeros subtrahit, nec pro communi bono os suum quis aperit, omnesque, prôh dolor! donis, & muneribus canes ex latrantibus facti sunt muti. Ah! horum nullus dicere veraciter potest: *Ego sum pastor bonus.* Non enim illi vigilant, quod est boni pastoris, cui protsùs necessaria est vigilantia, & sedula ovium suarum cura.

Hoc etiam egregiè indicat Ecclesia, quæ hâc utitur cæremoniâ: quòd sacerdotes sepeliantur capite contrà altare, & versùs populum: sic autem non de sæcularibus, quorum caput versùs altare exponitur. Sed quænam quæso, hujus differentiæ ratio? Illam nobis aperit, S. Antiochus, qui dicit, hoc ideò practicari, eò quòd sacerdotis sit & pastoris, salutis plebis satageret, mores ejus respicere, & si

 quid

quid correctione dignum sit, charitativè & authoritativè admonere. *Debet*, inquit, *sacerdos esse totus mens, & oculus*. Et benè ait Basilius: *Ille oculus esse debet, quia cùm oculi cætera vident, se non vident*. Sic superior tàm sæcularis, quàm ecclesiasticus propriæ suæ non potest studère commoditati, utilitati, sed subditorum suorum saluti.

Quàm exemplariter autem ipsi teneantur vivere, & omnem scandalosam actionem vi status sui evitare, quantaque mala ex pravo ipsorum exemplo proveniant, vide fol. 117. in fin. usque ad 121. epilogum cape: *ad hanc &c.* Ibidem.

Pro Dominica tertia pòst Pascha.

Modicum, & non videbitis me. Joan. cap. 16.

Proemium. QUanti momenti sit divinus Christi Domini intuitus, vix quispiam explicare potest; quoniam, si ipsius præsentiæ, & visionis ingens consideremus emolumentum, & è contrà à nobis aversionis notabile detrimentum: primum ingenuè confitebimur animæ nostræ fore ad sanitatem antidotum: secundum perditionis misericordiæ divinæ indicium. Deus, ut narratur Exodi cap. 33. vers. 3. & 5. populo hebraico propter erectum idololatricè aureum vitulum summoperè stomachatus, pro tanti sceleris pœna divinæ suæ præsentiæ constituit abstractionem. *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Verùm hæ minæ ad quid conducunt? Quid obstinatus populus ad hanc fecit comminationem? Audite sequentia textus verba: *Audiens autem populus sermonem pessimum, luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo. Exitus Domini, exitus mortis,* ait Psalmista. Quod horrendum volens Christianis pius inculcare Dominus damnum per Joannem, sese à nobis recessurum minatur cap. 8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccatis vestris moriemini.* Hoc paucissimi mundi considerant sequaces, qui Christi absentiam vilipendunt (è qua æternus animæ oritur interitus) & solummodò terreni amabilis cujuspiam objecti carentiam ad instar Pantheæ Abredatis uxoris exilium acerbissimè deplorant, nec vocem Domini capiunt: *Modicum, & non videbitis me.* præsumentes nimirùm de divina misericordia, sibique temerariè persuadentes omni tempore, omni momento Deum gratiâ suâ peccatoribus adfuturum. Ah Christiane! non parcit Deus, ut continuè peccata committas, sed, ut ab illis illicò resipiscas. Si mihi fidem non adhibeas, temeritatem tuam in tanti negotii causa accusanti illam ad minimum præsta magno illi Doctori Augustino in Psal. 100. & seriò te ad emendationem vitæ adhortanti. Qui non capientibus *τὸ modicum, & non videbitis me* (scilicet per gratiam & specialem divinam cooperationem) dicit ex ipsorum ore: *Semper parcit Deus: Ecce feci heri, & pepercit, faciam & cras, & parcet Deus.* Hoc quàm temerarium, quàm periculosum, & nocivum sit, hodierno die vobis ostendam, præsalutatâ divâ Virgine salutatione Angelicâ: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cape: Alexander, ut inimicos ad deditionem obsessæ civitatis obstinatos, mansuetudinis suæ memor, tacitè & benevolè de communi strage evitanda præmoneret, certa præmisit signa vide fol. 105. col. 1. initio usque ad fol. 112. Epilogum usurpa, *Eja itaque ô Christiane! &c.* Ibidem.

Pro Dominica quarta pòst Pascha.

Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Joan. cap. 16.

Proemium. ALigera illa aquila, ac fulgentissimum Ecclesiæ Romanæ lumen Augustinus dudum perpensâ ethnicorum in tot diversorum Deorum cultu dementiâ, tandem perspicaci

caci suo ingenio duas reperiit non contemnendas istius rationes. Motivum itaque primum illorum erat, inquit ipse lib. 4. de civit. Dei cap. 4. & aliis, quòd sibi cæcè & stultè firmiter persuaderent absque Deo nil in mundo posse persistere stabile, atque permaneus, nec quidquàm vivere, & moveri, ac per consequens ipsi indubiè dictum Pauli admisissent Act. c. 27, v. 25. *Ipse dat vitam, inspirationem, & omnia.* Et hoc erat verum, & fundatum. Secundum motivum quod eos urgebat, illud erat, quòd certò crederent, Dei potentiam esse finitam, & limitatam, pro ut est humana, & omnium rerum creatarum virtus, & natura: nam dicebant, impossibile esse illum in campo contrà hostes præliari, & domi suorum negotiorum satagere, atque res familiares administrare.

Gentiles itaque stulte asserebant Deum, in supernis non posse regnare, & terræ universæ curam gerere: tantum enim onus limites ipsius potentiæ excedere autumabant. Quam ob rem diversis creaturis, diversos quoque Deos, aut Deas iis prædominantes attribuebant. Campis, & agris perficiebant Deam *Rustinam*, montibus *Collinam*, vallibus *Vallinam* &c. & ne forsitan sibi quandoque eriperentur, vel etiam forsitan peccatis provocati, aufugerent, illos (ut Plutarchus, & Alexander ab Alexandro referunt) & præcipue Lacedemonienses, sic à famoso legislatore Lycurgo instructi, ferreis catenis alligabant. De qua hominum cæcitate etiam videtur loqui Jerem. c. 10. v. 4. *Argento, & auro decoravit illud: clavis, & malleis compegit, ut non dissolvatur.*

Magnus ille Doctor Augustinus inauditam hanc gentilium execratur dementiam: at S. Hieronymus summopere tantam illorum extollit curam, quam habebant, ut aliquem Deum sibi præsentem tenerent. Fateor cum sancto Patre meo Augustino magnam hanc extitisse insaniam, & infundatam opinionem; attamen cum S. Hieronymo ex hac pulcherrimam in salutarem animarum nostrarum eliciam eruditionem. Scitis Christiani, quòd unus tantùm sit Deus, teste Scripturâ: *Deus noster, Deus unus est.* De quo dicit Psalmista regius, Psal. 72 v. 28. *Mihi autem Deo adhærere bonum est.* Psal. 70. v. 12. *Deus ne elongeris à me.* Quare loco ipsius nullus omninò substitui potest, ac per consequens, qui eum perdit, omnia perdit. Verùm pauci hoc attente considerant, quàm tepidi enim sunt omnes, ut Deum suum sibi præsentem servare satagant, imò, quod pejus est, maxime proclives, & proni, ut illum peccatis suis à se abigant, non attendentes ad horrendas ipsius minas per Oseam Prophetam. cap. 9. *Væ eis, cum recessero ab eis.* v. 12. O insulsi, & insensati homines! ab animabus vestris recedit Deus, & nemo anxie quærit: quo vadis? ô incuria! ô socordia! cave tibi Christiane discessum Christi permittere, quoniam *exitus domini*, *exitus mortis.* Psal. 67. v. 11. Ut hanc cæcitatem ab oculis cæcutientium mundanorum removeam, ostendam, quantum damnum Christi Domini ab anima conferat recessus. Ad quem scopum ut pertingam, mecum auditores unanimiter subsidium Mariæ Virginis implorate, eam salutantes angelicis verbis. *Ave gratia plena.*

Pro introductione cape *celeberrimus historiographus* &c. vide fol. 98. usque ad ô Christiani & perge: Ah! quàm bene potest clamare anima Christiana (cui non tantum Deus præsens est, ut cæteris creaturis per immensitatem, potentiam & sapientiam &c. sed etiam per gratiam sanctificantem) *tecum mea vita viret.* Dum verò ab ea recedit: *Heu me, quanta mala ô Deus! me expectant ex absentia tua.* Qui id agnoscere desiderat, vel has dumtaxat Dei Deuteronomii 3. cap. attentè recogitet minas: *irascetur furor meus in die illo, & abscondam faciem meam ab ea.* Verùm quodnam indè detrimentum? *Et invenient eum omnia mala, & afflictiones,* subjungit textus. Hinc lugens clamat Propheta David Psal. 29: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Imò pro tanta Dei avertenda indignatione instantissimè supplicat. Psal. 66. v. 17. *Secundùm multitudinem miseratinonum tuarum respice in me.* Et Psal. 70. ait: *Deus ne elongeris à me, ne derelinquas me.*

Hic obstupescunt &c. vide fol. 103. col. 2. usque ad 104. pro intuitus divini mira efficacia ampliorem quære materiam paragrapho 12 passionis, qui incipit *Aquila ecclesia* fol. 448. usque ad finem.

Pro

Pro Dominica quinta pòst Paſcha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan.16.

Prooemium. S*Vbtilem & curioſam* &c. vide fol.73 uſque ad fol.74.col.2.&perge. Verùm, quid in hac comprobanda veritate tempus inaniter conſumimus. Nonne enim ipſamet eſſentialis veritas mirificam orationis apertiſſimè indicat potentiam Chriſtus, dum ait: *ſi quid petieritis* &c. ecce, nil excipit, ſed univerſaliter ipſi tamquàm totius cæleſtis theſauri diſpenſatrici omnia concedit, *ſi quis* &c. Hoc tantummodo adjungens *in nomine meo.* Significans, non mundana, non vana, non nociva ſed animæ noſtræ ſalutaria à divina benignitate eſſe expoſtulanda. Occaſione ergò hodiernæ Chriſti amplæ promiſſionis conabor pauliſper de orationis potentia diſſerere, ſimulque demonſtrare, quare ſæpè ſæpiùs à Deo preces noſtræ non exaudiantur. Quod mox incipiam, ubi mecum Spir. S. auxilium expoſtulaveritis, per ſecurum Mariæ Virginis patrocinium, pro quo illam deprecemur, dicentes *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione incipe. *Duo præcipuè* &c. vide fol.74. uſque ad fol.81.& conclude: *ſi itaque* &c. Ibidem.

Pro Dominica ſexta pòst Paſcha.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Joan.cap.16.

Prooemium. RAbidus, & famelicus canis non tanta torquetur ad teneri agnelli ſanguinem lambendum ſiti, Nulla tygris adeò ſæva & furibunda ad prædam obviam devorandam anhelat, quemadmodum impius inflammatur, ut indomitum odium in juſtum exerceat. Hæc verba ſunt S. Chryſoſtomi dicentis: *Vt neque lupus agnum, aut hadum tygris: ita nec peccator fert juſtum.* Juſtus erat Abel, impius verò Cain, & ecce *conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum.* Inquit ſcriptura Gen.c.4. Jacob candidus & ſincerus: Eſau autem perverſus, atque ei maximè invidus: *Oderat ſemper Eſau Iacob* Gen.c.37. Joſeph Patri Jacob ob pietatem, & modeſtiam charus, fratribus vero ſuis impiis erat exoſus: *Oderant eum, nec poterant ei quidquàm pacificè loqui.* Ex quibus exemplis à principio mundi deductis pulchram hanc S. Chryſoſt. hom.23. in Gen. ſententiam eruit, *ſemper enim contrà virtutem inſanivit malitia.* Spir. S. idipſum dilucidè confirmat per Sapientem: Eccleſ.cap.33. *Contrà malum bonum eſt, & contrà mortem vita: ſic & contrà virum juſtum peccator.* Neque mirum eſt, inquit Leo, æquitatem tantam ab impiis pati perſecutionem, quoniam *iniquitas cum juſtitia pacem non habet: temperantiam odit ebrietas, falſitati nulla cum veritate concordia eſt.* Et illud peſſimum malum videtur fore radicatum in diſſimilitudine animarum & morum; bonos namque actus odio habent perverſi, quia illi tacitè impiam eorum arguunt vitam. Inde ait Tacitus, crudelem Imperatorem Neronem non ferentem morigerum, & exemplarem Thraſeam Senatorem, eum perfidè occidiſſe commemorat. Varii quoque ſcriptores execrandam cujuſdam pictoris referunt invidiam, inter quos Hector Pintus in Ezechielis cap.32. *Memoria proditum eſt* inquit, *pictorem quemdam, qui malè pinxerat gallos gallinaceos, juſiſſe famulo, ut veros gallinaceos longè propelleret à tabula, ne facta comparatione ejus deprehenderetur ignavia: ſic, qui ſpecie honeſtatis vitia cooperit, qui virtutis imaginem malè depingit: viros virtutibus inſignes procul abigere conatur, ne ex illius collatione ficta virtutes apertè cognoſcantur.* Aliam rationem, & optimè fundatam hujus reddit Auguſtinus hiſce verbis: ſerm.78. de tempore. *Boni enim lucrari volunt malos: mali verò extinguere cupiunt bonos. Bonorum deſiderium eſt, ut qui mali ſunt corrigantur: malorum ſtudium eſt, ut, qui boni ſunt, conſummantur.*

Hoc

Hoc pestiferum & exitiale venenum ab initio mundi usque ad Judaica serpserat tempora, ut rectè præmonet Christus suos Apostolos: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ipse quoque in propria persona egregiè illius expertus est efficaciam. Quid enim illum cruci affixit, nisi execrandum hoc vitium? Quemadmodum apertissimè constat ex pravo Pharisæorum & Scribarum contra eum inito consilio, de quo Sapiens cap. 2 *Circumveniamus justum: quoniam inutilis est nobis & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Imò nec illud odium tempore sopitum est, sed usque ad hoc modernum sæculum pervenit. Inde etiam piæ admonitiones impiis sunt exosæ, Concionatorum reprehensiones vilipensæ, veritas exul è consiliis, & è magistratibus boni & ingenui exclusi videntur propter maledictum hoc scelus. Hoc, ut è cordibus impiorum evellatur, hodie illius nequitia exactè examinanda atque exaggeranda est. Quod facere aggredior, præmissâ solitâ ad divam Virginem pro assistentia Spiritus S. Angelicâ oratione. *Ave gratiâ plena.*

Nemini mirum apparere debet impios, bonos adeò insectari; Quoniam hi non sunt de hoc mundo, sed quasi extrà mundum & peregrini, ut ait Christus: *Ego vos elegi de mundo, propterea odit vos mundus.* Et ideo, sicuti canes domesticos & familiares non mordent, sic bene advenas & peregrinos: ita nec impii impios insectantur, sed pios & probos tamquàm extraneos. Hinc Christianæ militiæ antesignanus Christus, quia de hoc mundo sese non fore asserebat, hanc persecutionem à Judæis passus est, vide fol 452. usque ad finem paragrah. 13. Passionis. Vide quoque, si lubet, de veritatis suppressione fol. 284. usque ad fol. 297.

Pro Dominica Pentecostes.

Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joan. cap. 14.

Prooemium. INter Sanctos Patres ac quamplurimos Sacræ Scripturæ Interpretes non minus difficilis, quàm curiosa exorta est quæstio; nimirùm quodnam motivum urserit Christum mundum relinquere, & ad Patrem cœlestem, resumpto & reunito cum anima corpore, & quidem quinque vulnerum stigmatibus insignito ascendere. Nec sanè absque fundamento hæc ab iis ventilata est difficultas. Verùm enimverò in antiquis Romanorum historiis comperimus, quod Cæsares, strenuique belliduces, triumphalem suum ingressum in urbem Romanam faciente, peractâ laudabiliter arduâ quâdam expeditione, aut devictis in gloriosis præliis infestis Romani Imperii hostibus, aut munitissimâ ipsis civitate erepta, omnia signa & indicia triumphi atque gloriæ exhiberent. Ad quem finem ante currum triumphalem quamplurimi captivi deducebantur, & varia capta militaria signa, atque pretiosiora inimici deprædata trophæa ostentabantur, ad majus gloriæ & triumphi augmentum. Hoc autem inauditum est & nunquam practicatum, quod quispiam vulnera sua (si fortè aliqua in præliis istis ab hoste recepisset) publicè demonstrans triumphârit. Quoniam adagium habebant: *Non decet in luctu musica.*

Nullus planè sanæ mentis denegabit, Christum stupendam in mortem, diabolum & infernum, (ut fusè demonstratum est in Concione Dominicæ Resurrectionis Domini) reportasse victoriam; attamen ad patrem in æternum triumphaturus, latus, manus & pedes ostendens, (ut constat apertissimè ex sacro textu) ascendit. Ah Christe! quorsùm vulnera? Ad quid obsecro, conducent cicatrices & rubicundæ plagæ, de quibus stupent ipsi Angeli, clamantque trementes? *Quid sunt hæ plagæ in medio manuum tuarum?* Zach. cap. 13. v. 6. An forsitan tàm horrendo hoc spectaculo pia patris viscera commovebuntur, ut nobis ab eo promissum dimittat Spiritum S. Ah domine! hæc, hæc vulnera illi ad summum rigorem concitandum deservient. Quis namque Pater, discerpto, dilacerato, innocente proprio filio, perfido Deicidæ homini consolatorem destinabit? Ah! nullus. Tege itaque obsecro, vulnera, vel clarifica corpus tuum dotibus gloriosis illi debitis, ne cicatrices & plagæ appareant.

SS. PP. quidam inter quos Theophylactus & alii, Christum vulnera in sacrato suo corpore reservâsse asserunt ad sceleratorum Judæorum publicam in ultimo extremi judicii die confusionem. Innituntur Scripturæ: *Et videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt.* 1. Apoc. cap. 1. versu 1. Alii verò sentiunt id factum, ut exectandam Christianis improperaret ingratitudinem. Eutherius verò audacter asseverat in hoc actu Christum summum humano generi demonstrasse amorem. Verba ejus sunt: *Numquàm tale amoris dedit testamentum Christus, quàm dum elevatis manibus pro iis precaturus ascendit.* Unde mihi imaginor, Christum imitatum fuisse Marcum Antonium, de quo refert Cicero, eum quodam tempore in foro causam alicujus militis rei perorasse, sed suâ jam fermè finitâ oratione, cum cerneret judices ad pietatem permanere inflexibiles, & in dato judicio pertinaces, è rostro exiliit: & disruptis Aquilii (hoc nomen reo erat) vestibus & thorace, iis cicatrices vulnerum, quæ condemnatus pro Imperii Romani, & patriæ salute strenuè dimicando receperat, indigitavit, clamans altâ voce hisce verbis: *Si mea vos hactenùs verba flectere non potuerint, ut Aquilii causa patrocinarer: moveant saltem hæc vulnera, quæ ob rempublicam accepit, quorum hic cicatrices plurimas videtis.* Quibus commoti suam sententiam retractârunt, & reum indemnem dimiserunt.

Haud dissimiliter egit inquam Christus; ipse adhuc ferventi amoris igne ergà hominem flagrans, volensque adhuc in eo habitare, & per sacramentalem quasi cum eo uniri Eucharistiæ unionem, non ignorans Spiritum Sanctum ad hoc tabernaculum sanctificandum & debitè præparandum esse necessarium: Patrem interpellat, ut eum è cœlo dimittat. Sed sciens decretum divinum fore, eum non nisi post ascensum suum, *Nisi ego abiero Paraclitus non veniet,* venturum: ipse velociter ascendit pro tanto dono impetrando, efficacia assumens arma, videlicet vulnera, quibus Patri ostensis, sic illum affatus est: si mea verba benignam tuam non moverint pietatem, moveant saltem hæc vulnera, è quibus pro homine sanguinem effudi. Et hoc considerans Augustinus serm. Pentecostes, ait: *Quàm ineffabilis pietas redemptoris! hominem portavit ad cœlum, & Deum misit ad terram. Quanta est authori cura pro instauratione facturæ suæ.* Et quid ad hoc spectaculum? *Non potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia. Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur: Ecce iterùm humana divinis miscentur, ut beneficia, quæ Salvator inchoavit, Spiritus S. consummet. Et quod ille redemit, ipse sanctificet, quod ille acquisivit, iste custodiat.*

Ah! cedat tanto amori Sisinnæ amor, de qua commemorant Historici, quod ipsa puero suo, qui dextram mammillam unguibus discerpserat, dolore plenâ simul, & materno affectu ipsius miserta, aliam detexerit, eique sugendam porrexerit. Ecce Pater cœlestis dexteram sanctissimæ Trinitatis (ut secundùm humanum captum loquar) nobis indigentibus & languidis unigenitum filium misit: verùm perfidi & ingrati Judæi eum prorsùs flagris dilacerârunt, & totum corpus ejus comminuerunt. Non obstante tamen tam enormi abominatione, adhuc amore plenus secundam mamillam, videlicet Spiritum Sanctum nobis ingratis præbet & magnum illum consolatorem, ut nos jacentes potenti divinæ gratiæ manu elevet, claudos consolidet, languidos sanet, & mortuos resuscitet, mittit.

Sed Spiritui S. sæpe sæpiùs accidit, quod columbæ, tempore diluvii ex Arca Noë missæ: illa enim videns, quod non haberet, ubi pedem figeret, ad eam reversa est: sic Spiritus S. desiderans corda hominum gratiâ suâ inhabitare, & non cernens, in quo propter peccatorum fœcem, & conscientiæ immunditiam pedem ponat, sine fructu revertitur: imò quandoque receptus illicò expellitur. Quapropter in præsenti discursu proposui vobis ostendere, in quo corde habitaculum capiat Spiritus S. ut inde addiscatis illud debitè tanto Domino & hospiti præparare, quod antequàm faciam, recurramus pro gratia ad ejus sponsam Mariam, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Introductionem cape. *Obstupesco, dum maturè, &c.* vide fol. 234. usque ad fol. 241. & fini, *Ab se mulier &c.* Ibidem.

Pro Dominica prima post Pentecosten.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Luc. cap. 6.

Procemium. Dum attentâ mente hæc Christi Domini verba: *Estote misericordes*, salutarem & necessariam cunctis Christianis inculcantia doctrinam, pervolvebam, sub iis ingentem diversorum discurrendi objectorum comperi copiam sublitescere. *Tò* namque *estote misericordes* ad duplex misericordiæ genus erga proximum, nimirùm corporale & spirituale meritò extendi potest, quorum denique utrumque ad septem diversas species distrahitur: quarum quoque quælibet particulari digna est discursu. Ita ut modò vix sciverim, quid salubriùs tractarem. Unde veraciter possum dicere, *inopem me copia fecit*. Tandem, ubi ex S. Matthæo dicente, corporalem esse æternæ gloriæ præmii unicam quasi meritoriam causam: *Venite benedicti patris mei*, cognovi: mihi in moderno discursu pro objecto assumpsi demonstrare, nullum charitatis actum misericordiæ corporalis Deo magis placere, magis fore utilem imò & necessarium, eleemosynâ & proximi indigentis assistentiâ: quod facilè dignosci potest ex eo, quod ipsi mercedis cœlestis retributio adscribatur: *Venite, &c. quia esurivi, &c.* quod considerans Chrysostomus ad Christianum clamat: *Da panem & suscipe paradisum. Parva da, & maxima suscipe.* Imò hæc tantæ est eminentiæ ac nobilitatis, ut in tremendo extremo judicio misero peccatori suffragetur & patrocinetur, ut attestatur Propheta David Psalmo 40. v. 2. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Tobias ulteriùs progressus, ipsi infernales portas obserandi potentiam attribuit cap. 4. v. 11. *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras.* Quas omnes eleemosynæ prærogativas ita frequenter decantatas à Spiritu S. ut cunctos Christianos tantæ hujus virtutis præmio ad benignitatem alliciam, ostendam: è contrà, ut alto avaritiæ somno stertentes ab immisericordia avellam, demonstrabo quantum durities divitum erga pauperes damnum ac detrimentum animabus adferat, & Deum ad immisericordiam concitet. Dicamus ante pro Spiritus S. obtinendo gratiæ auxilio, Angelicam in honorem Deiparæ orationem. *Ave gratiâ plena.*

Exordire. S. *Thomas à Villa Nova* vide fol. 50. usque ad fol. 57. & conclude *expergiscere ergo &c.* Ibidem.

Pro Dominica infrà octavam venerabilis Sacramenti, quæ est secunda Pentecostes.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. cap. 14.

Procemium. Convocamur hodie ô Christiani! ad stupendam cœnam, ad summoperè splendidum & magnificum convivium, non ad illud, de quo cœci loquuti sunt gentiles: sed ad reale & excellens. Ut autem mens mea omnimodè patefiat: narrabo execrandam gentilium dementiam.

Inter cuncta, &c. vide fol. 394. Veræ, vanæ, & stultæ hæ ad ad convivium solis hujus gentilium sunt ceremoniæ; tamen si ad veram deducantur Eucharisticam mensam, veræ reperientur. Attamen ethnicorum insaniam & falsitatem, sicuti & nudam umbram Judaicæ legis sæpè sæpius Deus voluit Eucharisticam proprii sanguinis & carnis mirificè præfigurare veritatem. Quod sufficienter ex solis convivio gentilitatis capietis, loco citato usque ad *nullum nobis*. Et applicationem prosequere, nimirùm dumtaxat velle ostendere, ad hanc cœnam, ad hoc Solis convivium, quanto zelo, quantâ reverentiâ sit accedendum, non, ut de apposito ethnicis fictitio convescaris esculo, verùm de propria Christi carne saturreris. Lege gentilium sancitum erat, ut eò nemo epulatum veniret, nisi Sol eluxisset: pariformiter ita & nobis ad tam sanctum, tam admirabile accedere nefas est Sacramentum, nisi Sol gratiæ peccatorum tenebras depulerit. Propter cœnæ itaque mutæ, tam eminentis, tam incomprehensibilis æstimationis magnitudinem hâc summâ solemnitate operæ

operæ pretium est ostendere, quomodò ad hanc Solis mensam properandum sit, quanta namque indignè sumentibus restet pœna & afflictio, ex dicendis sacrilegi cognoscent. Pro quo adimplendo rogemûs patronam nostram Virginem Mariam, ut nobis necessariam impetret Spiritus S. gratiam dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Introductionem incipe. *Propositum intentum* vide fol. 395. usque ad folium 401. & conclude *Audivistis, & quidem prolixè Auditores &c.*

Pro Dominica tertia post Pentecosten.

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Lucæ 15.

Proœmium. DUo emblemata inter Lacedemonienses academicos tempore Lycurgi de linguæ malignitate duo decertantes pro palma & gloria produxêre, hoc ævo sanè non indigna. Primus curiosè depingi curârat nudam linguam, cui musca insidebat, cum epigraphe *Musca nocet.* Secundus supra linguam Aspidem delineari fecerat, adjuncto hoc dicto, *tres pungit.* Nullam modò de emblematis unius vel alterius excellentia quæstionem volo instituere: hoc unicum asseverare audeo, non meæ, sed SS. PP. & scripturæ innixus opinioni, moraliter loquendo, utrumque egregiè venenosam emblematice descripsisse linguam. Etenim musca (ut ex dicendis patefiet) quid aliud significat; nisi quod sicuti ipsa, non nisi ad putrida, pura ac nitida transiens, tendat: sic etiam lingua iniqua, non ad virtutes hominum, sed ad vitia sese convertat, ut apertissimè patet in hodierno Evangelio. Ecce lingua Judæorum musca ornata in opera Christi impingit, ut scandalosa, eumque cum peccatoribus edere accusant, non cogitantes illum è cœlo in terram descendisse, non ut justos, sed peccatores salvos faceret. *Et murmurabant, &c.*

Alter verò nec à justo deviârat scopo: quemadmodum enim serpens trisulcam habens linguam, tria morsu suo infligit vulnera; sic quoque lingua venenosa hominis, tribus lethaliter nocet Nimirùm detrahenti alteri, cui detrahit, & audientibus: Itaque ratione Pharisaici hujus vitii in moderna adhortatione conabor linguæ non tantùm exorbitantiam demonstrare, verùm etiam interni animi temerarii judicii iniquitatem: *hic peccatores recipit.* Quod antequàm aggrediar, Divæ Virgini unanimiter supplicemus pro necessario à Spiritu S. auxilio, dicentes: *Ave gratia plena.*

Introductionem cape. *Vt exordiar &c.* vide fol. 243. usque ad fol. 248. Eilopus Ibidem *eja igitur.*

Pro Dominica quarta post Pentecosten.

Et subductis navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. Lucæ cap. 5.

Proœmium. C*Eleberrimi non tantum &c.* vide fol. 81. usque ad fol. 82. col. 2. & perge hanc viam, hanc methodum paucissimis verbis, miseris & defatigatis piscatoribus, dicens: eos in posterum, non pisces, sed homines piscaturos fore, adeò intimè vocantem. Verùm & hoc maximè notandum, quod etiam naviculam, retia & quæcumque penes sese habebant Petrus & Andreas alacriter deseruerint. Sed quorsùm cuncta ad piscandum instrumenta, ô piscatores! domum non remittitis? An forsitan ad nihil valent ultrà? Ah; nonnulli Christianæ militiæ tyrones, internâ ducem Christum sequendi compuncti gratia, serpentis induêre naturam simul & astutiam, quam post idem magister ipsis tam sedulò inculcavit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes,* Matth. cap. 10. versu 16. Relinquunt itaque prudentissimè hi duo recenter vocati discipuli naviculam & retia sua, ne forsitan ex eorum recordatione ad pristinam sæcularem, atque mechanicam vitam revertantur, docentes nos Christianos, omnem peccandi occasionem fore ore evitandum. Opportunitate igitur moderni Evangelii vobis proponam, quàm periculosum sit, & reincidivæ in peccatum suspectum. Etenim, *qui*

amat periculum, in illo peribit. Eccl. cap. 3. verſ. 27. Idque adeò lubentiùs aggredior: quia argumentis adducendis peccatorem à proxima peccandi occaſione, ut concubinarios, uſurarios, &c. deterrere, & avertere ſpero. Ne tamen ſpes mea vana ſit, ut diſertè utcumque objectum hujus diſcurſus valeam attingere, rogo Auditores, quatenus mecum Deiparam imploremus pro Spiritus S. gratia, eam ſalutantes Angelicâ oratione: *Ave gratia plena.*

Incipe introductionem *Doctiſſimus & antiquiſſimus* &c. vide fol. 82. uſque ad fol. 88. & conclude ibidem *Ecce ô Chriſtiani.*

Pro Dominica quinta pòſt Pentecoſten.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Iudicio. Matth. cap. 5.

Proemium. CErtiſſimum eſt, & in confeſſo apud omnes, duas pro inſtruendis animabus noſtris reperiri academias. Prima eſt Chriſti Domini: altera diaboli, & mundi; & ſicuti profeſſorum diverſi ſunt genii, ita & quàm plurima diverſa eorum ſunt documenta. Ecce diabolus animos hominum urget, & inſtigat de injuriis acceptis vindictam ſumere, omnia iræ indulgere, omni aſtu, atque labore conatur teneris Juvenum cordibus tenaciter imprimere Stoicorum & Epicureorum pernicioſam hanc regulam: *Amare amicum, & inimicum exhorreſcere, natura eſt conveniens.* Chriſtus autem è contrà benignitatis, & manſuetudinis author omni ſtratagemate vindictam ex animo noſtro evellere ſtudet, etiam ſævas duri, ac ſtricti judicii legi Charitatis contravenienti, intentans minas, *omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.*

Verumtamen quàm plurimi &c. vide fol. 23. & 24. proſequere uſque ad finem proëmii. Pro intento hujus diſcurſus, nimirùm homini Chriſtiano fore omninò neceſſariam condonationem, ſi judicium evadere cupiat, probando: quatuor efficaciſſima producam argumenta, quibus huic legi obedire cogimur. Quod, ut aſſequi valeam, implorate mecum Deiparæ pro obtinenda Spiritus S. aſſiſtentia patrocinium, eam honorantes Angelico encomio *Ave gratia plena.*

Introductionem incipe *quandoquidem* &c. vide fol. 24. uſque ad fol. 38. epilogum cape. *Fratres Ioſeph* ibidem.

Pro Dominica ſexta pòſt Pentecoſten.

Miſereor ſuprà turbam. Marci cap. 8.

Proemium. INter infinita enormia gentilium poetarum figmenta, quæ ipſi obcæcato ſuo ævo, & ſtupenti tantam inſaniam illuminatæ poſteritati reliquêre: non adinvenêrè noſtri aliquod magis fundatum, & plauſibile, quàm, quod quilibet ſecundùm ſuum genium, & ſtatus profeſſionem Deum colerent. Videbant cuncti unumquemque Deum ſibi aliquam particularem juriſdictionem & auctoritatem adſcribere in ſua potentia fundatam. Hinc Apollo ſcientiæ voluit præeſſe, Mars militiam dirigere, Eolus aeris ventos refrænare, Neptunus furentibus indomiti maris procellis imperare. Jupiter verò ſupremus omnium Deus cælesti regno præſidebat: ita ut quilibet à potiori ſua potentia ſibi ſpecialem eminentiam, & imperium arrogaret. Et inde factum eſt ut bello, & ſanguinis effuſioni dediti Martem, litterati Apollinem, nautæ Æolum & Neptunum, Magnates Jovem venerarentur.

Fateor hoc verum, tùm gentilium, tum falſorum Deorum exſtitiſſe deliramentum, verùm, ut antè dixi, illud non adeò mihi videtur abſonum, quandoquidem Deum verum, Dominum dominantium (quem nos cuncti colimus) in hoc facto eos quaſi imitati conſpiciamus. Ecce ipſe infinitè perfectus, totius univerſi moderator, non aeris deſiderat prædominium, non maris. (Quamvis venti, & mare obediant.) Non de cœli, & terræ principatu ſeſe jactitat, nec de ſua omnipotentia, ſed dumtaxat de ſua mi-

 ſericordia;

ſericordia, tamquam inter omnia ſua attributa eminentiori (ſecundùm modum dicendi loquor) ſummoperè gloriatur, Nonne id perſpicuè liquet ex hodierno Evangelio? Ecce admirabile perpetrat mira- oulum multiplicando pro tot millibus ſuſtentandis pane, verùm omnipotentiæ opus: attamen de ea ta- cet, & ſolam ſuam miſericordiam manifeſtat, utpotè facti miraculi præcipuum quaſi motivum, Miſe- reor ſuprà turbam. Unde, ſi eſcam etiam ſpiritualem, id eſt corpus ſuum reale, & ſanguinem pretioſum nobis donet, miſericordiam vult dominari: *Miſericors & miſereator dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Pſal.114. v.5. Et ſi juſtitia debeat nominari, eam mandat miſericordiâ circumcingi: *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.* Imò eccleſia ſponſi ſui ſatagens ſublimare magnificentiam, & glo- riam, eam abſolutè in miſericordia conſtituit: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Id eſt miſericordiam tuam. Et dum omnipotentiam quoque vult exaltare, illam maximè per miſericordiam aſſerit demonſtrari cantans: *omnipotens* &c. *qui potentiam tuam parcendo maximè manifeſtas* &c. ratione itaq; hujus Evangelii de divinæ miſericordiæ magnitudine, excellentia, & immenſitate hodiè parumper diſſeram, favente Spiritus S. gratia, pro qua unicè rogitemus ejus ſponſam Mariàm, dicens: *Ave gra- tia plena.*

Introductionem arripe. *Cum dudum* &c. vide fol. 220. uſque ad 233. Epilogum cape *Audiviſtis* &c. ibidem.

Pro Dominica ſeptima pòſt Pentecoſten.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. cap. 7.

Proëmium. NAtare in aqua, & non madefieri, in luto ſeſe volvere, & revolvere, & non conſpurcari, pi- cem attingere, & non coinquinari, in mediis ignis flammis conſiſtere, & non comburi per ſe videtur impoſſibile, & ipſi naturæ repugnans. Sic etiam cum impiis familiariter converſari, prava frequentare conſortia, & non perverti, opus quoddam eſt quaſi divinum inquit Bernardus: *Non eſt hu- manæ infirmitatis ſed virtutis divinæ, probum inter improbos commorari.* Quoniam perverſorum converſa- tio apprimè comparari cuidam animalculo nominato Torpedini, cujus venenum, ut ſuſtinent Natura- liſtæ, & experientia comprobat adeò efficax eſt, ut aſcendendo per filum piſcatorium, ipſius piſcatoris manum paralyticam reddat. Ita indubiè pravi impiorum mores teneros juventutis animos graviter læ- dunt, & inficiunt, ſic egregiè explicat Plinius dicens: *ſumuntur à converſatione mores, & ut quædam in tactis corporibus vitia tranſiliunt, ſic animus perverſus proximo ſuo mala tradit.*

Hinc Plutarchus conſiderans tam longum tempus, quo Romana reſpublica ab omni gentilium, & exterorum idololatria extitit immunis. *Roma ſexaginta annis ſine cultu*, quod quoque teſtatur Valerius Maximus, qui ait. Romam adeò tenacem ſuorum idolorum cultus fuiſſe (*ut nullam Roma gentium reſpi- ceret religionem*) curioſe indagat, undè tam brevi temporis ſpatio tot diverſæ idololatriæ ſpecies Romam ſint introductæ, ut ipſa cunctas gentes procul antecelleret. Et reſpondet: *Vicinitate, & commixtione ſubi- tò talis cultus introductus eſt, ita ut Roma omnes ſuperaret.*

Tantum in converſando cum perverſis periculum etiam manifeſtè ſatis indicat Propheta David, di- cens: *Et commixti ſunt inter gentes, & ſervierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.* Sed quid tempus hoc oſtendendo inaniter conſumimus? Ecce id ipſum apertiſſimè per Evangeliſtam Mat- thæum docet Chriſtus ſuos admonens. *Attendite à falſis Prophetis.* Non ignoro per illas præcipuè intel- ligi hæreticos, verùm & quàm optimè hic SS. PP. etiam comprehendunt impios homines, à quibus cuncti tamquam à peſtifero morbo abhorrere debemus. Quod modò oſtendere omninò concepi, quod ut opere pariam, præcamini mecum divam Virginem pro Spiritus S. adjutorio, eam collaudantes Ange- licâ oratione Ave gratia plena.

Introductionem ſume *Graviſſima quandoque* &c. vide fol. 310. uſque ad 319. & conclude *Audiviſtis ſatis* &c. ibidem.

Pro Dominica octava pòst Pentecosten.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. cap. 17.

Proëmium. SI protoplastes Adam vocatus à benigno Deo *Adam ubi es?* Obstupuerit & summoperè tremuerit reus solummodò prævaricationis esus ligni boni & mali: *Audivi vocem tuam, & timui.* ah! quis non obstupescet (quandoquidem vox illa Domini ad Adam secundùm S. Augustinum *non fuerit ignorantis, sed ad pœnitentiam provocantis*) ad hanc vocem non contremiscet, quando Deus non benignus ad misericordiam provocans, verùm severus judex ad justitiam properans, & exactum de cunctis actionibus humanis exigens computum, intonabit. *Redde rationem villicationis tuæ!* O impiè! ô scelerate Christiane! Veni, veni, siste, siste te veraci infallibilis judicis judicio: compare, & redde rationem omnis temporis vitæ tuæ. Propera dives, & opulente, ac divitiis tuis meæ justitiæ rationem redde, Perscrutare maturè, an non ad instar divitis epulonis pauperem ab ædibus tuis depuleris? Cujus vitii enormem iniquitatem vide Concione 14. fol. 137. Accede Prælate & redde rationem beneficiorum tuorum (& ad omnes modò loquor beneficiatos) an superflua ex iis proventuum ad manus pauperum devenerint: an vero propter luxum, delicias, aulæa, suppellectilem nimium abundantem etiam iis contra amorem (quod certum est) imo & contrà justitiam, (quod non adeo incertum) abusi fueritis. De quo vide Concionem 5. per totum fol. 49.

Prudenti jam relinquo judicio omnis hominum status convocare ad judicium. Consiliarii namque, causidici, Reges Principes, & Magnates &c. filo vitæ rescisso, ad exactum hoc deducentur tribunal: ut quilibet reddat rationem villicationis suæ, id est muneris, status, conditionis, talentorum, judiciorum, socordiæ in administranda justitia rationem supremo judici donet. Quam autem exacta futura sit omnium hominis actuum anatomia, collige ex fol. 95. ubi tractatur de miro Prophetæ Job de extremo judicio tremore. Ex quo etiam ostendam, quanto pavore nos miseri peccatores percuti debeamus, si justificatus ab ipso Deo tantùm hunc formidabilem diem formidarit. Aggredior itaque villicationis nostræ reddendæ ascendere tribunal, quod quandoquidem tam horrendum sit, quam instantissimè possum vos obtestor, ut mihi trepidanti precibus vestris Spiritus S. impetretis gratiam per Deiparæ Virginis intercessionem dicentes: Ave gratia plena.

Pro introductione cape (cæteris ibidem non contentis) de generoso Duce Manilio vide fol. 93. usque ad fol. 97. & conclude, *quod si.* Vide quoque (si lubet) anatonomiam Job fol. 95. quæ optimè ad cuncta quadrat, *redde rationem villicationis tuæ.*

Pro Dominica nona post Pentecosten.

Videns Iesus civitatem, flevit super eam. Luc. cap. 19.

Proemium. INter ingeniosos Sacræ Scripturæ Interpretes, quàm plurimi laborant, ut lachrymarum Christi Domini genuinam expiscari possint rationem, solidumque fundamentum. Verùm cuncti eundem non attingunt scopum Præsupponunt quidem eum infinita sua præscientia præsagiisse totalem Jerosolymæ ruinam, & populi electi dispersionem tempore Titi, & Vespasiani futuram, ut luculenter constat ex ipsiusmet testimonio: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & non relinquent in te lapidem suprà lapidem, eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Sicque ipsum commiseratione commotum asserunt lachrymas effudisse. At radicale tantæ, tamque severæ justitiæ Dei ad clementiam proni motivum non omnes assequuntur. Quidam namque sustinent obstinatum Judæorum animum in peccatis Deum, ut faceret opus non suum (id est non benignitatis, sed severitatis, coegisse. quia à pravis suis moribus resipiscere noluerunt. Innituntur non debili scripturæ fundamento, *eò quod non cognoveris &c.* non obstante, quod tot, ut commemorat

historiæ,

historiæ imminentis cladis horrenda præcesserint portenta. Etenim Cometes teste Josepho lib. 7. antiquitatum Judaicarum cap. 12. integri anni spatio Jerosolymis in figura sanguinolenti gladii tremendas intentavit minas Paschalis solemnis die ritus, lux in densas tenebras conversa est, & solemnitate peractâ, militares acies acriter dimicantes in aere conspectæ sunt, voxque de cœlo dilapsa audita est Angelorum civitatis S. tutelarium *Migremus hinc.* Sed ut ait Jeremias. 1.cap.1. v. 9. de Jerusalem: *Jordes ejus in pedibus ejus, nec est recordata finis sui.*

Alii non infirmiori sane innixi rationi, autumant Deum volentem verificare illud dictum infallibile *per quæ quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Hæbræos punivisse, & tractasse, eademque mensurâ mensum fuisse, qua ipsi unigenitum Dei filium tractarant, & mensi fuerant. Primò enim diebus paschalibus 14. Aprilis obsidio antè Jerusalem posita, & urbs strictè circumcincta, quo die ipsi innocuum agnum Christum tamquàm tauri pingues obsederunt, crucique tradiderunt. Secundò ii Christum omni totius mundi thesauro eminentiorem 30. argenteis emerant, ideòque etiam triginta Judæi pro uno denario venditi sunt. Juxta illud Joannis vaticinium *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordeis denario.* Apoc. cap.6. Judæi insuper Christum vinculis constrinxerant: ipsi autē à Tito capti sunt in numero 970000. ut refert Josephus lib. 7.cap.17. Præterea illi veste spoliaverunt Christum, & lanceâ latus ejus aperuerant, vicissim quoque ipsi deprehensi & accusati, quod aurum deglutiissent, medio corpore secti sunt, ut eo spoliarentur. Denique in Crucem egerant Christum, quapropter quàmplurimi, imò spectante, & mandante Tito tot crucifixi sunt Judæi, *ut spatium crucibus deesset, & corporibus cruces.* Inquit ipse lib.6. cap.15. imò mirum quid addit. S.Hieronym. in Sophon. cap.1. dicens? *Vt ruinam suæ civitatis eis flere liceat, Iudæi pretio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas, & ne fletus quidem eis gratuitus sit.* Venit itaque Titus inquiunt, ut tam supremi judicis necis Christi ultor, justam delicto infligeret pœnam, quod amarè pius deflevit Dominus.

Aliæ adhuc multæ à multis adferuntur rationes, quas non rejicio, sed ut pias, quemadmodum etiam commemoratas summoperè veneror. Verùm tamen, iis prætermissis, aliam adduco, dicoque Christum lachrymis ruinæ Jerosolymitanæ causam indicasse, quia Judæis sanctuarium Dei, templumque sibi dedicatum profanabant: Hoc insinuârat Jeremias cap 15. v. 1. in persona Christi dicens: *Ejice illos à facie mea, & egrediantur.* Nimirùm è loco sancto meo. Idipsum aliunde investigare opus non est. Apertè namque patet ex hodierno Evangelio. Deflens enim non ignarus Christus abominationem, quæ in templo faciebant, illud intravit: *Et cœpit ejicere,* inquit Lucas, *ementes, dicens illis: scriptum est : quia domus orationis vocabitur.* Occasione itaque lachrymarum Christi, earumque originis breviter in moderno discursu conabor demonstrâre, quàm zelosus sit Deus domus suæ, quam grave sit crimen illam profanare, & quàm difficile sit illius à Deo remissionem impetrare. idque eo fine faciam, ut in immorigeris multis Christianis, & præcipuè in insolenti juventute debitam ergà Ecclesias nostras (quas probabo templo Jerosolymitano infinitè eminentiores) radicitus plantem. Quod ut efficiam, opus mihi est Spiritus S. adjuvamine, pro quo implorate Deiparam, eam salutantes ; *Ave gratia plena.*

Introductionem incipe. *S.Chrysostomus.* Vide fol.57. usque fol.65. & conclude *audivistis ô audiores* ibidem.

Pro Dominica decima pòst Pentecosten.

Omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Lucæ cap.18.

Proëmium. E*Xperientia nos docet* &c. vide fol.332. usque ad verba. *Hoc apprimè* & perge. Hoc apertissimè in hodierno Evangelio demonstrat per Evangelistam Lucam Spiritus S. Ecce duos statuit peccatores Pharisæum, sese de bonis operibus gloriantem, & Publicanum contrito corde delicta sua confitentem. Sed attende Christiane, quàm diversum finem hic, & ille sortiti sint? Ait textus de humili Publicano; *descendit hic justificatus in domum suam.* Alter verò superbia tumidus in peccatis suis remansit. Nec mirum; *Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

Nactus

Nactus itaque hodiè opportunitatem ad disserendum paulisper de humilitate, eam nullatenus præterire decrevi. Quocircà in præsenti discursu aggredior ostendere, quantæ efficaciæ sit humilitatis virtus, ut hominem in oculis divinis extollat, & quàm sedulò eam nobis Deus semper inculcarit. Rogemus tamen priùs Mariæ patrocinium pro Spiritûs S. gratia, dicentes. *Ave gratia plena.*

Introductionem cape. *ut propositum* vide fol. 333. usque ad fol. 340. col. 2. *stupendam* &c. & concludе fol. 343. *Finio auditores* &c. usque ad lin. 24. ut experientiâ ejus effectum addiscere possis, *qui se humiliat, exaltabitur*, nimirum ad elevatum in cœlesti gloria thronum, quem mihi, & vobis concedat &c.

Pro Dominica undecima post Pentecosten.

Et suscipiens Iesus in cœlum ingemuit. Marci cap. 7.

Proemium. Velocissima illa doctorum Aquila. S. P. meus Augustinus pro infallibi Christianæ, ac spiritualis politiæ regula, & indubitato documento, omnia supernaturalia opera, mira portenta, atque stupenda miracula aliquod semper in sese comprehendisse innuit, ad nostram instructionem mysterium. Docebat namque ipse, ut patet ex tractatu. 44. in Joannem. Omnes imbecilles, & infirmos corpore vera extitisse secundùm animam defectuosorum symbola. Claudus tardum repræsentabat ad divinum servitium, surdus ad verbum Dei audiendum socordem, cæcus ad bona spiritualia acquirenda, negligentem, & sic de cæteris. Ita ut miracula tamquam facta hominum oculos perstringerent, & ut verba internam eorum mentem commoverent. *Ea quæ fecit Dominus*, inquit, *noster Iesus Christus stupenda, atque miranda, & operâ, & verba, sunt opera quia facta sunt, facta quia signa sunt mira videntibus, vera intelligentibus*, Et rationem tantæ operum Christi virtutis subtilem subnectit, prosequens: *Miracula Christi habent, si intelligantur linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi Verbum nobis est.*

Alii SS. PP. Augustinum subsecuti, irrefragabili hujus doctrinæ insistentes veritati, curiosè inquirunt, quisnam spiritualiter infirmus per hunc surdum, & mutum repræsentetur. Quod ut indagent, eò efficacius instigantur, quòd particularis Christi Domini commotio ipsis major & per consequens mysteriosior apparet. Etenim cur ingemiscit Christus? Ipsi, ut textus patefacit, adducunt surdum & mutum: & hoc, quid quæso, Christi animum potuit commovere spectaculum; Ah Christe! deestnè forsitan tibi auditum surdo, & muto loquelam donandi potestas, qui cæco nato visum restituere, & mortuos è sepulchris revocare valuisti? O mysterium clamat Bernardus lib. 1. de consideratione ad Eugenium. Per hunc intelligitur, inquit induratus peccator, qui cor possidet, quod ipse sic describit: *Cor durum ipsum est, quod nec compassione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis obduratur, flagellis non eruditur: & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar: ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

De perverso hoc malo, & exitiali veneno lamentatur Deus per Ezechielem c. 14. v. 12. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo, neque per ignem.* Dominus internè divinâ suâ gratiâ cor hujusmodi peccatorum concutit, & ut durissima rupes immotum manet: *Mundare volui, & non es mundata à sordibus.* Quæcumque media adhibui, ut te ovem deviam à recta via ad verum reducerem ovile, at in vanum. Quid itaque ut te sanem, expostulare potes? *In quo mundabo cor tuum?* Occasione itaque Christi Domini nostri gemitus deplorantis miseram muti, & surdi, id est obstinati in sceleribus hominis infirmitatem, conabor ostendere, quàm difficile sit talem peccatorem convertere. Sed quandoquidem hoc etiam difficile sit, precor vos auditores, ut mecum sollicitetis Spiritus S. gratiam per Mariæ adjuvamen ipsi congratulantes angeli Gabrielis verbis *Ave gratia plena.*

Ad universaliter etiam contra Stoicos, politicos, & Atheistas meum probandum intentum, ipsa quoque (quàm nec ii denegant) quàm optimè famulatur philosophia. Hæc enim, ut indubitatam statuit regulam, *ex frequentatis actibus fit habitus.* E qua hæc infallibilis deducitur consequentia: ergò, qui continuò eundem specie producit actum peccaminosum, acquirit ejusdem habitum. Cùm itaque dicat philosophus allegans habitus definitionem, sive descriptionem, *habitus est qualitas difficulter à subjecto mobilis,* Rursus justa sequitur ex hac elatio, ergò talis habitus peccaminosus difficulter à peccatore

est amobilis. Aristoteles insuper dicit, actus alicujus habitus sæpius frequentatos inducere consuetudinem, de qua ait, *consuetudo est altera natura*, & Augustinus, *consuetudo est fabricata natura.* Unde refert Theodoretus, utriusque subscribens sententiæ. *Verus profectò sermo: consuetudo est altera natura, omnia enim, quæ longa consuetudine animus comparavit, paria censentur cum naturalibus.* Modò fundamentaliter concludo: cùm itaque natura sit immutabilis, potest in certo sensu sale condito dici, peccatorem in aliquo peccato obduratum, fore quasi immutabilem. Peccata namque ex consuetudine facta ex se detestanda, applaudente populo, jam induunt virtutum ornamenta. Hoc egregiè in Sodomitis annotavit S. Augustinus, qui eò usque progressi erant cæcitatis, ut nec in tam enormi scelere socios adhibere erubescerent, & testes. Cujus execrandæ insolentiæ donat rationem: August. serm. 44. de verbis domini. *Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius quàm factor vituperaretur, & effera luxuries illis inimica pudoris major erat,* hoc Augustinus in multis locis reiterat, ut lib. 8. conf. cap. 5. lib. 6. contrà Julianum cap. 7. lib. hom. homilia 28. lib. quæstionum veteris testamenti. quæst 14. vide fol. 100.

Pro verificanda S. Augustini ulteriùs doctrina vide fol 100. usque ad *secundùm non minùs* &c. fol. 103. usque ad lin. 8.

Pulchram quoque dicti nostri huic proposito lubet annectere confirmationem, ex qua quoque liquidò constabit, quantum divinæ majestati peccatum inveteratum displiceat. Deus Ezechieli volens revelare mirabiles abominationes, ut majores ostendat, ducit prophetam ad locum, in quo reperiit fæminas sedentes deplorantes Adonidem. Sed hoccine tam grave scelus; Imò imò. Et quare? ah! non nisi, quia idololatriam istam sedentes, & isti quasi vitio assuefactæ committebant. Quam impietatem videtur attingere David psal. 1. v. 1 *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Humanum enim est in peccatum incidere, *& in via peccatorum non stetit*, quod iniquius est, *& in Cathedra pestilentiæ non sedit*, quod pessimum est, quia continuis suis peccatis quasi (ut dixi) impietatem in justitiam commutat.

Et quid mirum? Sanè difficulter ille surgit, quem tanta peccatorum moles aggravat. Quoniam ut ait Cæsarius: *de multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione absque ulla reverentia peccatorum fræna laxantur, & impletur illud, quod scriptum est: impius cum in profundum venerit, contemnit.* Ad quod Liranus: *contemnit supplicia, contemnit correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam.* Hinc propriissimè de simili ait Job: cap. 15. v. 16. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Dixi propriissimè, quia id indicat tò *aqua.* Sicuti enim, qui vinum bibit inebriatur, & tandem illud fastidit, è contra verò, qui aquam potitat, non alteratur, ita peccator vitiis assuetus ea deglutit, nec commovetur aliquo conscientiæ morsu. Audite Liranum: in hunc locum. *Iniquitatem, sicut aquam bibit, qui committit peccata sine fræno timoris, ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè, Sed bibens aquam hoc non timet.* Cui adstipulatur Gregorius dicens: *culpâ ergò quia à stulto homine sine ulla retractione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Qui enim illicitè sine timore facit, quasi potum injustitiæ sine obstaculo bibit* Greg. 12 moral. cap. 18.

Denuntiare itaque hujuscemodi impiis salutaria monita, eos increpare, suaviter corrigere &c. nil juvat. Quoniam ut ait Sapiens ecclef. cap. 21. *Cor fatui, quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit.* Nec id mirum est: concionator enim sali à Domino comparatur, *vos estis sal terræ*, Matth. cap. 5. v. 13. & meritò, sicuti enim natura & virtus salis est carnem recentem, aut saltem nondum fœtentem à putrefactione conservare, non verò putrefactam ad pristinum vigorem reducere: ita nec concionator peccatorem corruptum & fœtidum purificare valet. Quoniam, ut ait Job cap. 20. v. 11. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cùm ipsis in pulvere dormient.* Insuper experientiâ agnovimus, si sal in exiguum ignem projiciatur, flamma subitò suffocatur: si verò vehemens sit flamma (ut quandoque in caminis accensis videmus) sal inaniter injicitur, & sclopeto, aut bombardâ opus est: Sic quoque ô impie peccator! si flamma libidinis, vindictæ, avaritiæ &c parva sit, sale verbi divini, & bonâ admonitione facilè restringi potest: sin verò nimium excreverit, vix spes emendationis superest, teste Augustino dicente: *vos estis sal terræ, quid igitur ipsi ne putrefacta medicati sunt? Nequaquàm. Imò nec fieri potest, ut eà, quæ putrefacta sunt, salis purificatione reparentur. Liberare quippe à putredine. solius virtus Christi est.*

Ad hoc periculum, quod evidentissimum est, & æternæ ruinæ maximè obnoxium attendite indurati peccatores.

peccatores. Dormire namque cum peccatis in pulvere, ut dicit Job, est damnari juxta Chrysostomum: *Vitia impi cum eo dormire in pulvere, est usque ad vitæ finem ab iniquitate minimè cessare. Tenent igitur prava consuetudines, & cum pulvere dormient, quia non nisi cum vita finiuntur.* Unde benè talis peccator echino comparatur. Qui hujus naturæ est, quod partum semper differat, & sic spinis suorum indies magis & magis crescentibus, summos in pariendo patitur dolores, imò quandoque & mortem. Hinc de eo dicit Schoonhovius:

Natura ethini talis est, ut indies
Differri tentet horridum partus diem,
Tandemque spinis prolis excrescentibus
Magno gravique cum dolore parturit:

Et homini applicans pergit:

Ignava mens mortalium, & cœli sui
Oblita: differt indiès vitam suam,
Sibique semper blandiens, malis mala
Coacervat, & sic pressa diffidit sibi
Aut cum labore maximo se explicat.

Rationem hujus genuinam dat Aug. dicens: *Ex voluntate perversa est libido, & dum servimus libidinis fit consuetudo: consuetudo autē, cui non resistitur, fit necessitas, quibus quasi annislus sibimet connexis instar tenet nos dura servitus,* Hoc denuò repeto formidate periculum, timete Christiani emendationem vitæ continuò differre, ne tibi in extremis veniam petenti Deus respondeat ad instar Joab ad Abner.

De hoc narratur 2. Regum cap. 2. v. 26. 27. quod ipse jam prælio defatigatus (ad quod ipse Joab convocârat) clamarit pacem rogans. *Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet?* Ad quod Joab: *Vivit Dominus: si locutus manè fuisset, recessisset populus persequens fratrem suum,* ac si diceret, usque modò cunctas vires exeruisti, ut me prosterneres: arma cœpisti, sanguinem sitisti, nunc in angustia constitutus palinodiam canis. Ah miser! serius est. Cavete inquam, ne idem vobis improperet Christus, dicatque, ecce, quid aliud egistis, quàm iniquitatibus vestris contra me belligerare, ut ait Propheta meus Job cap. 15. v 26. *Tetendit adversus Deum manum suam, & contrà omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Et modò languescens, mortique vicinus clamitas: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Ah! *si locutus fuisses mane &c.* Dum sanus eras, & vegetus, utique à te severa mea recessisset justitia. At modò seriùs est, nec ulterioris misericordiæ locus: ejus clamorem inquit Gregorius: *Deus tempore angustiæ non audit, qui tranquillitatis tempore clamantem non audivit.* Sequimini itaque salutare Psalmistæ consilium dicentis: *Allidite parvulos vestros ad petram.* Id est peccata vestra contrà confessionis rupem rumpite, & sincerâ pœnitentia conterite, ut iis contritis mediante tàm salutari sacramento, ad æternam avolare mereamini beatitudinem, quam mihi & vobis omnibus concedat Pater, & Filiu, & Spiritus sanctus

Pro Dominica duodecima pòst Pentecosten,

Coram illius habe. Luc. cap. 10.

Proëmium. Celeberrimus, & famosissimus, &c. vide fol. 177. usque ad fol, 178. ex hac insana ethnicorum confidentia, & tantæ mercedis desiderio, eruo ego juxta præsens Evangelium nil præclarius esse, nil magis in oculiis divinis nobile, quam animam à recta via aberrantem, ovem deperditam ad verum pastorem suum reducere. Hinc non tantùm rectoribus, sacerdotibus, &c (mandatum de proximo, non de frivola corporis sanitate, sed de spirituali animæ conservatione) curam sedulam

jam mandat Spiritus S. sed etiam transeunti Samaritano, id est cuilibet videnti proximi sui spiritualem ruinam. Ac per consequens universale dictum est *curam illius habe.* Opportunitate itaq; hodierni Evangelii ostendam, quam necessaria sit fraterna correctio, quàm utilis, & fructuosa. Pro hoc utcumque deducendo postulemus Deiparam, ut adjuvantem nobis impetret à sponso suo Spiritu S. gratiam, salutantes illam consueta oratione: *Ave gratiâ plenâ.*

Introductionem incipe, *priusquam de proposita, &c.* vide fol. 178. usque ad fol. 187. & epilogum sume *nonnè annotastis, &c.* ibidem,

Pro Dominica decima tertia pòst Pentecosten.

Non est inventus, qui rediret, daret gloriam Deo. Luc. cap. 17.

Proemium. INter cunctas, quibus humana natura Adæ sceleris telo sauciata obnoxia est, iniquitates, nulla in tantùm displicet Deo, imò & hominibus, quàm ingratitudo. Seneca in parte dicti mei testis erit, qui disertè: *Per se fugienda res ingratum esse, quoniam nihil æquè concordiam humani generis dissociat, ac distrahit, quàm hoc vitium.* Aliud membrum verificat mellifluus Doctor Bern. serm. 1. de misericor. Dei dicens: *Ingratitudo est gratiæ hostis, inimica salutis, quoniam nihil ita Deo displicet, quemadmodum ingratitudo.* Cui egregiè adstipulatur Chrysologus hisce verbis: *Nihil est, quod indignationem adeò provocet altissimi, sicuti ingratitudo. Ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, & malorum exterminatio.*

Illud ipsum apertissimè insinuat Christus in moderno Evangelio, conquerens de abominanda novem leprosorum ingratitudine: *Nonnè decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Ecce tantum decem à Christo receperunt beneficium, *& non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo nisi hic alienigena.* Quid mirùm, si in tam enorme benignus benefactor stomachetur scelus? Ipse namque omnem sibi cujuscumque boni expresè attribui mandat gloriam, dicens per Prophetam Isaiam cap. 42. v. 8. *Gloriam meam alteri non dabo,* Ac per consequens quilibet concludere debet juxta Apostolum: *Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum.*

Per hunc gratum leprosum intelligit S. Augustinus peccatorem, qui sordidâ peccati leprâ percussus, divina eget ad emundationem misericordiâ. Hac ipse graviter tactus miserrimè clamabat: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates.* Et tam arctam vanitatibus mundi constrictam deplorans animam, dicebat: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Aug. lib. 6. Conf. cap. 6. Pro horum vinculorum dissolutione ingemiscens pro necessario divinæ misericordiæ leprosus clamabat Augustinus: *Iactabam voces miserabiles, quàm diu? Cras, cras: quare non modò? Quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ.* Sed audite ingrati peccatores, quàm insignem vobis post similia recepta beneficia inculcet doctrinam, & quàm gratum benefactori suo pro gratia demonstrarit animum. *Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem solvisti: gratiæ tuæ debeo, & quæcumque mala non feci.* Aug. lib. 9. Conf. cap. 13. Et lætabundus ob hanc quoque recognitionis divinorum beneficiorum gratiam exclamat: *Nihil me tam multum dicere delectat, quàm ubi mihi plurimum suffragatur ut in omnibus gratias agamus Deo nostro sursum corda habentes: undè à patre luminum omne datum optimum, & omne donum perfectum est.* Imirabatur leprosum, de quo hodie Evangelista, Augustinus, & dabat gloriam Deo. Quod quàm necessarium sit & utile, ratione occurrentis Evangelii paulisper ostendere conabor, ut subdolam quàm plurimis Christianis sibi de bonis operibus congratulantibus, & libero arbitrio gloriam eorum adscribentibus, detraham larvam, quomodo omnia opera bona ad Deum omnis gratiæ principium sint referenda, quam ut dextrè eripere queam, lumen à Spiritu S. requiramus auditores per efficacem Mariæ Virginis intercessionem, eam salutantes Gabrielis verbis: *Ave gratia plena.*

Ut argumentum solidum discursus mei jaciam, firmiorem lapidem fundamentalem eligere non valui, quàm magni illius Doctoris Augustini doctrinam, è qua clarissimè eruemus, quantam injuriam Deo nostro faciamus, dum temerariè non ipsi, sed nobis ipsis aliquid operis boni attribuimus.

Docet

Docet pro irrefragabili & catholica veritate (contradicentes hæreseos accusans) arbitrium humanum in statu naturæ lapsæ, utpotè per Adæ delictum graviter sauciatum, nullum planè bonum, nisi per gratiam Dei posse producere. Estote attenti & audite quid dicat: *Numquid per liberum arbitrium potest homo operari benè?* Et respondet *absit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum, Sicut cum quis se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, dum occiderit: ita cum liberum arbitrium, victore peccato amissum est.* Videlicet ad benè operandum. Et constanter concludit, lib. 14 de civitate Dei cap. 11. *Non debemus superbire, quia totum bonum quod habemus, ab ipso artifice nostro habemus. Quod enim nos facimus (id est absque adjutrice Dei gratia) inde damnamur. Quod in nobis ille facit, inde coronamur.* Et sermone 94. de tempore idem asserit: *Nihil placet Deo, nisi quod habes ex Deo, quod autem habes ex te, displicet Deo.* Et ad hoc adhortans Christianum lib. 6. de dono perseverantiæ cap. 6. ait: *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iste venerabilis martyr* (de S. Cypriano loquitur exponente illum locum orationis dominicæ: *Ne nos inducas in tentationem*) *quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ: dum sic rogamus, ne quis insolenter se extollat, ne quis sibi superbè arroganterque aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat: cum Dominus ipse humilitatem docens, dixerit: vigilate & orate, ne veniatis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei patitur, ipsius pietate præstetur.* Vide de hac materia fol. 341. usque ad fol. 343.

S. Bernard. ut tantæ ingratitudinis efficaciùs iniquitatem exaggeret, & hominem ad debitas pro gratia, quam ad opera bona exercenda omninò necessariam recipit, agendas gratias excitet, ostendit stultum esse de operibus suis gloriari, assumptâ illâ similitudine Isaiæ cap. 10 v. 15. *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur contra eum, quomodo si elevetur virga contra levantem se, & exaltatur baculus, qui utique lignum est?* Non quod velit dicere præfatus Doctor, sicuti nec Isaias, quod non aliter ad opus bonum liberum hominis concurrat arbitrium, sed tantùm paritatem in eo uterque collocat: quod sicuti secans sine ferro secare non potest, & tamen ferrum sibi non potest opus adscribere: ita voluntas, quamvis cum gratia nihil boni agere possit, tamen ea adjuta opus factum sibi arrogare nequit.

Nunquam annotâstis curiosi sacræ Scripturæ lectores mirabile dictum Sapientis c. 2. v. 14. Ecclesiast. *Oculi sapientis in capite.* Ubi quæso stultorum collocantur oculi? An forsitan in dorso, manu, aut pede? Hoc sanè evidenter cognoscitur falsum. Profectò sub hac scriptura insignis pro cunctis Christianis comprehenditur eruditio. Vult dicere Spiritus S. quod homo, gratia Dei movente, sapienter oculos mentis ad caput Deum convertat, atque eum glorificet. *Quid enim*, inquit Apostolus, homo *habes, quod non accepisti? Si acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis* 1. Cor. c. 4. v. 1. Et hoc quam optimè noverat Propheta David dicens: psal. 24. v. 12. *Oculi mei semper ad Dominum* & Augustini sententiam pulcherrimam super hoc adducere non piget, *quid enim debet esse jucundiùs, vel infirmis gratiâ, quâ sanantur, vel pigris gratiâ qua excitantur, vel nolentibus gratiâ, qua adjuvantur.*

Sed nec dumtaxat homo pro gratia recepta tenetur referre gratias, verùm etiam pro omnibus beneficiis; ubique namque gentium ingratitudo pro enormi æstimatur vitio. Unde Plato rogatus, ut ingrati genuinè pravum describeret genium, dixit: *Ingrati sunt canes, & pejores canibus.* Socrates rogatus, quisnam foret verus amicus dixit. *Domi meæ hirundinem non habeo.* Sed cur ingratum hirundini assimilat? Rectè sanè. Quia hirundo hujus est naturæ, ut ædes in quibus hospitata est totâ æstate, hieme adveniente deserat. Sic faciunt ingrati, qui in prosperitate adulantur, & beneficiis quamplurimis acceptis, interesse mundano jam cessante, benefactorem suum fugiunt, imò quod pejus est, sæpe sed sæpiùs aversantur, quod ipsimet ethnici adeò abominantur. Nonne nos Christianorum meritò obstupescere deberemus ingratitudinem, quia indies beneficia à Deo recipiunt, & iis etiam coram Deum ipsum insurgunt. Dic mihi avare, Deus amplas tibi suppeditavit divitias, sed quomodò gratus es. Nutrisne & foves chara ipsius membra. Eleemosynasne indigentibus elargiris? Ah proh dolor! luxui, vanitati, illecebris & mundanis voluptatibus dedicas. Dic juvenis, vegeto frueris corpore, & quomodo illud impendis? An Dei servitio? Ah! luxuriæ, carnalitatibus, &c. moralisa ad singula.

Finio itaque Auditores, vobisque commendo pro beneficio tum spirituali, tum corporali debitas Deo referre gratias, ne misericordiæ obturetur fons, sed indeficienter fluat in vitam æternam.

Pro Dominica decima quarta post Pentecosten.

Non potestis servire Deo & Mammonæ. Matth. cap. 6.

Prooemium. CUilibet, qui vel leviter tantùm sacram Scripturam pervolvit, evidentissimum apparet, Spiritum S. Christum Dominum ob varia divinæ essentiæ attributa atque proprietates, diversis animantibus assimilasse. Nuncupatur namque quandoque taurus ob severam suam justitiam, qua tamquam supremus judex, tandem in extremo die judicii vindictæ cornibus ventilabit peccatores usque ad extremum terræ, imò usque ad inferni abyssum; intitulatur Leo ob mitificam potentiam & fortitudinem, qua infernales prostravit potestates, & cœlestes reseravit januas. Appellatur quoque agnus ob stupendum suum amorem ergà genus humanum, pro quo in cruenta passione tamquam ovis ad occisionem ductus, non aperuit os suum. Verùm, dum eum quoque à Propheta Davide nominari intelligebam unicornem: *ædificavit sicut unicornis sanctificium suum,* nimirùm in nitidissimo per incarnationem intemeratæ Mariæ Virginis utero, explicari hujus conabar rationem, sed in vanum. Ast tandem feliciter mihi in memoriam incidit id, quod de eo commemorant naturalistæ. Asserunt hi, illud animal hujus esse naturæ & essentiæ, ut quantumcunque ferox & furiosum, in sinu Virginis mansuescat, & omnem iram deponat. Quod quàm egregiè & veraciter Deo nostro, in visceribus Mariæ homini facto, appropriari possit, nullus inficias ibit. Insuper mira & rara hac gaudet proprietate teste Plinio, quod nullum animal ad nidum suum admittat. Quam nec aliquis sanæ mentis Christo denegabit. Ipse namque hominem integrum quærit, & non divisum, atque cor ab alio amoris objecto penitus abstractum, ut apertè insinuat Apostolus: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Nec mirum id est, inquit Bernard. *Quia durum est amanti cor dividere.* Non recipit itaque ad suum tabernaculum cor, quod amore terreno & desiderio mundanarum rerum infectum est. Ast ad hominem clamat: *Si me quæritis, sinite hos abire,* id est: idola ista, quia cum iis neutiquàm hospitari volo. Sed quid ulteriùs divagamur? Nonne in hodierno Evangelio hoc luculenter nos docet ipsemet Christus? Ecce testatur dimidiatum servitium sese abominari, non potestis servire Deo & mammonæ, & impossibile fore adstruit, ut homo bene Deo serviat & mundo, & nominatim mammonæ, hoc est divitiis, quia summâ à Deo abstrahendi pollent potentiâ. Et quoniam animum numquàm satiant, idcircò eum semper inquietant. Opportunitate itaque hujus magistri nostri eruditionis, satagam pro viribus vobis demonstrare, divitias hujus mundi damnosas & nocivas, vanas & nullas fore. Rogitemus ante Spiritus S. subsidium per Mariæ Virginis patrocinium dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cap. *Ut hominum nimia &c.* vide fol. 133. usque ad fol. 143. in fine pro epilogo sume, *Fateor pulchra, &c.* ibidem.

Pro Dominica decima quinta post Pentecosten.

Mulier noli flere. Lucæ. cap. 7.

Prooemium. HOc thema Auditores ad præsens Evangelium adducere, esset in axioma Philosophicum impingere: frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Et non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Quoniam idem Evangelium habetis feriâ 5. dominicæ 5. quadragesimæ, fol. 257. ubi invenietis proëmium, & cuncta ad integrum discursum necessaria usque ad fol. 272.

Pro Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten.

Cùm intraret Ieſus in domum cujuſdam principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem, & ipſi obſervabant eum.

Prœmium. MIrantes quamplurimi curioſi myſterioſiorum actuum exemplaris Chriſti vitæ ſcrutatores, inquirunt, ob quod motivum toties Chriſtus pravorum ſeſe intermiſcuerit conſortio, quod tamen nobis frequentiſſimè docet eſſe fugiendum. In promptu omnes fermè (quibuſdam exceptis aliis ſpeculationibus inſiſtentibus) ad hoc habent reſponſum ipſiuſmet Chriſti obmurmurantibus Phariſæis, quòd cum peccatoribus manducaret, reſpondentis: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Verùm, quænam Chriſti præcipua methodus eos ad ſe attrahendi exiſtit? illam evidenter pandit Lucas in moderno Evangelio. Ecce Chriſtus intrat domum principis Phariſæorum, quamvis divinâ ſuâ præſcientiâ ad eam adventuros plurimos ſceleratos cognoſcat, non ad inſtar apum ex dulciſſimo illius ore ſuaviſſimum mel, ſed ad inſtar aranearum fatale venenum extracturos, ut ipſe ſubitò eos dulci & fraternâ correctione è tenebris ad lumen deducat, oſtendens falſas eorum imaginationes de ſanctificando Sabbatho fore: *Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbatho?* Ad quod confuſi & mutui reſtiterunt. Eandem doctrinam exercuit in domo Simonis præſente Mariâ Magdalenâ, & in pluribus aliis locis cum proprio quoque damno & obmurmuratione. Voluit tamen illud exemplum anteſignanus Chriſtus nobis Chriſtianis demonſtrare, ut ſuos ſequaces erudiret omnem prætextum, larvam, imaginabilem excuſationem correctionis fraternæ, vel quia incorrigiles ipſi percipiuntur, vel quia eorum indignationem verentur, &c. faciendæ præſcinderet. Et ſane noverat ipſe, qui venerat ſalvare, non condemnare, quàm neceſſarius, quàm utilis, quàm divinæ majeſtati gratus foret hic ſummæ erga proximum charitatis actus. Quapropter eum non ſemel, ſed ſæpius commendat, etiam modum illum exercendi exprimens per Evangeliſtam Matth. cap. 18. *Si peccaverit in te* (id eſt, coràm vel ſciente te) *frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Hujus actus occaſione & ſedulæ Chriſti curæ, eximias attentabo fraternæ correctionis declarare prærogativas, fretus communibus veſtris precibus, quibus vos ſpero mihi vires expoſtulaturos à Spiritu S. per interceſſionis Mariæ concurſum dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cape. *Celeberrimus ac famoſiſſimus, &c.* fol. 177. uſque ad fol. 187. ubi epilogum reperies.

Pro Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum verò ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Matth. cap. 22.

Prœmium. QUantum ab antiquis hiſtoriographis in altum elevetur, ac ſummopere celebretur veterum Philoſophorum induſtria, & rara ingenii vivacitas, eò quod in cognoſcendis rerum eſſentiis atque proprietatibus excelluerint: reperio tamen adeò ſplendorem eorum ſubtilitatis, denſis idololatriæ tenebris fuiſſe obfuſcatum, ut ipſi præcipuum & maximè neceſſarium, nimirùm in quo beatitudo creaturæ rationalis eſſentialiter conſiſteret, ignoraverint. S. Auguſtinus atteſtatur pro hujus deciſione 280, latas diverſorum eſſe opiniones. Pythagoras dicebat: *beatitudinem perfectam numerorum ſcientiam.* Anaxagoras ſuſtinebat eam nil in ſe comprehendere, niſi nudam *ſpeculationem vitæ.* Ariſtoteles autumabat illam fore *ampliſſimam rerum contemplationem, accedente vegetâ corporis conſtitutione.* Herillus eam ſtatuebat *in ſcientia.* Antiſthenes *in alacritate.* Hecathus *in fortitudine.*

Timon

Timon *in tranquillitate.* Simonides *in pulchritudine, divitiis, sanitate.* Epicurus *in voluptate* illam consistere asseverabant. At omnium optimum de ea dedere judicium Stoici, qui beatitudinem *in summa virtute* collocabant. Cicero ajebat: *Beati sunt, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines cruciant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus.* Origo omnium eorum cœcitatis fuit, quod ultimam rationalis creaturæ in re terrena ac peritura beatitudinem statuerent.

At nos Christiani lucido verissimæ fidei lumine illustrati, si conemur penetrare, in quo beatitudo nostra præcisè consistat (non loquor de beatitudine formali, quæ in ipsa actuali divinæ essentiæ visione, quomodocumque illa fiat, quod Theologis disputandum relinquo) verùm de causali, & illa, quæ nobis ad formalem rectam sternit semitam. Audite quàm egregiè illam nos doceat Propheta David Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Sed quænam lex Domini? Attendite, eam ipsa veritas Pharisæo petenti, quodnam est mandatum primum in lege? Christus suo responso indicat: *Diliges Dominum Deum tuum,* &c. subjungens, *in his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.*

Verùm quandoquidem amor & beatitudo nostra causalis duplex sit, unus erga Deum, *Diliges Dominum Deum tuum,* alterum circa proximum versans, & primus secundum infinitè antecellat: non dubito tamen, quin Auditores mihi permissuri sint de secundo in moderno breviter disserere. Confidentia mea in eo roboratur, quod vobis demonstrârim fusè satis in solemnitate Pentecostes, quantus Deo nostro debeatur amor, & quomodo sit amandus. Intentum igitur aggredior vosque conjuro, ut pro assistentia mecum Mariæ Virgini supplicemini à sponso suo procuranda, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione incipe, *Quanta virtutis, dignitatis, eminentia, &c.* vide fol. 17. usque ad fol. 23. & fini cum historia Abiathar & Adoniæ ibid. in fine.

Pro Dominica Decima octava post Pentecosten.

Ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Matth. cap. 9.

Prooemium. Dixi suprà Concione 11. post Pentecosten, cunctos juxtà mentem Augustini corporaliter infirmos, spiritualiter in anima præfigurâsse sauciatos. Hos benignus sanans Dominus, prius corporalem auferebat ægritudinem, deinde spiritualem, quod manifestum est, ut ostenditur ibidem de muto, & in præsenti constat: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quare insistendo isti doctrinæ, asserere oportet paralyticum quoque spiritualem secundùm animam significare debilem. Spiritualiter paralytici verè ii dicendi sunt, qui in lecto jacent iniquitatis, & in malitia quasi stertunt, ita ut sicuti paralytici corpore membra sua ad ordinatum uniuscujusque usum movere non valent, ita anima paralytici nec sensus suos longâ consuetudine peccati debilitatos, nec intellectum vanitate mundi obnubilatum, nec voluntatem assuetâ & radicatâ concupiscentiâ infectam & ad malum proclivem, ad rectum rationis usum dirigere nequeunt, nec in bona opera prorumpere. De hoc lamentabatur David dicens: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam: infixus sum limo profundi, & non est substantia.* Illud ipsemet agnovit Aristoteles lib. 1. Ethicorum: *Planè quemadmodum resoluta corporis membra, si ad dextram movere volueris, à contrario in sinistram deferuntur: sic quoque in anima contingit. In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur.* Unde similes rectè cum Apostolo ad Romanos cap 7. v. 15. *Conqueri possunt: non quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum, illud ago.* Ut ab hac pestifera & exitiali paralysi curemur, quid opus est? Ah Christiani! diligentia portantium & offerentium paralyticum ante Christi pedes requiritur. Oportet inquam, ut animæ nostræ paralysim ante vicarii Christi pedes sistamus, id est, peccatum nostrum & omnem iniquitatem clavibus Ecclesiæ sacramentaliter subjiciamus. Nullus namque post lapsum ab illa venenosa paralysi liberari potest, nisi mediante theriacâ veræ & sinceræ sacramentalis Confessionis, ut ostendi Concione pro Dominica quarta Adventus. At cum ibidem non docuerim, quomodò illa sit facienda, & quænam ad illam sint necessaria: decrevi modò de hoc objecto paulisper ratiocinari, ubi invocaverimus Mariam Virginem, per eam implorantes S. Spiritus assistentiam Angelicâ oratione: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione cape mysteriosam Prophetæ Davidis querimoniam: *Inveteraverunt omnia ossa mea, quoniam tacui, dum clamarem tota die.* Psal. 31. v. 3 Et exaggera, quomodo stare simul possit tò *clamare*, cum tò *tacere*. Et ostende, ut omnis benè clamet, & mutus non maneat, & tandem gravi & perniciosâ peccati patalysi obruatur, præmittendum esse *Iudam*, vide fol. 161. usque ad fol. 170. & conclude, *audivistis auditores, quomodo sacramentalis facienda sit confessio, &c.*

Pro Dominica decima nona post Pentecosten.

Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias. Matth. c. 22.

Proëmium. SCio, me Concione pro Dominica octavæ Venerabilis Sacramenti promisisse, vos à convivio *Solis*, ad convivium *amoris* deducere. Quod ut efficiam, melior mihi non occurrit locus, quàm præsentis Evangelii *Venite ad nuptias*, nimirum amoris. Verùm, si Gentiles etiam convivium Deorum suorum falsorum Soli attribuebant, nonne ego nostrum Catholicum, & Christianum convivium amori quoque poteto adscribere? Sic opinabar. Sed attentiùs cunctis perponderatis, in summam incidi difficultatem, sapientiâ & omnipotentiâ præ amore palmam Eucharistici doni prætendentibus. Quam litem, sicuti meum non est, inauditis ipsis, dirimere, oportet omnium rationes & fundamenta diligenter perscrutari. Quare tamquam advocatus omnium in medium proferam allegationes.

Prodit infinita auditores divinæ essentiæ sapientia, & sic præeminentiæ suæ lapidem jacit fundamentalem: *Sapientia ædificavit, &c.* Proverb. cap. 9. v. 1. vide fol. 407. col. 2. in fine, usque ad fol. 408. col. 1. in initio, ubi omnipotentia non contemnendas pro palma adfert prærogativas & amoris, & conclude pro amore ex Concilio Tridentino, fol. 409. Ecquis itaque ad tam solemne non accurrit amoris divini convivium? Ah, non nisi Eucharisticæ mensæ osores, & ii, qui tantum beneficium non recognoscunt; at si hos gustus spiritualis illius escæ non attrahat, conabor in præsenti discursu eos funiculo charitatis Christi allicere. Quod ut efficere queam, integerrimè rogo vos auditores, ut rogetis divam Virginem pro Spiritus S. gratia, salutantes eam Angelicâ oratione: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione inchoa: *Non est ullum dubium, &c.* vide fol. 409. in fin. usque ad fol. 420. ibidem epilogum cape, *arbitror auditores.*

Pro Dominica vigesima post Pentecosten.

Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Joan. cap. 4.

Proëmium. MIrantur quamplurimi SS. PP. ac sacræ Scripturæ Interpretes, quid infidelem regulum commoverit, ut ad Christum pro sanitate filii jam jam morituri supplex accurrerit? Et tam subitaneæ cæci conversionis indagant lumen. De quo ait textus, *credidit ipse, & domus ejus tota.* Sanè quid illud aliud fuit, nisi imminens ipsa filii mors, ut patet ex postulantis verbis: *Descende, priusquam moriatur filius meus.* Unde possum veraciter dicere divinam gratiam regulum istum cum tota familia devicisse, & ad fidem deduxisse, sicuti Sertorius rebellem populum Characitanum debellavit, & Romano Imperio subjugavit. *Hic* (ut commemorat Plutarchus in vita ipsius) *cùm suffultus Hispanicis armis*, vide fol. 1. usque ad Valerius Maximus ait: *Sertorius, quos armis vincere non poterat, cinere devicit.*

Haud dissimiliter dico cum suis devictus, & ad veram fidem deductus domesticis est regulus. Etenim dubium non est, quin varia illum convertendi Dei benignitas adhibuerit media, immittendo

tendo infirmitates & infortunia. Verùm cognoscens hæc tela aërem tantùm transvolare, cor verò minimè transfigere, ultimo ad instar Sertorii utitur stratagemate, eique à longè mortem filii ob oculos ponit: cujus formidabili spectro deterritus, & commotus regulus, illicò Salvatorem accedit, & credit, ut apertè attestatur sacra Scriptura, *credidit ipse &c.* Nonne itaque cum summo fundamento asserere possum, *Christus, quem aliis armis devincere non potuit, cinere devicit.* Occasione itaque stupendæ hujus reguli conversionis, ex terrore mortis provenientis, summam illius memoriæ cunctis Christianis hodie proponere decrevi utilitatem & efficaciam, quam ostendam verbi divini & etiam cruentæ Dominicæ Passionis Christi memoriæ virtutem longè superare. Ad quod exequendum rogo vos, ut mihi precibus vestris apud divam Virginem necessarium à Spiritu S. imploretis auxilium, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Dum quandoque attentè perpendi varios, miros, maximèque stupendos mortis reminiscentiæ effectus, in dubium quasi revocavi, an mors ipsa nuda & pura sit peccati pœnalitas, an verò nihil sibi annexum habeat misericordiæ & pietatis. Verùm hoc mihi ademit magnus meus Pater Augustinus, qui illud egregiè explicat, discurrens supra hunc Scripturæ locum, Rom. cap. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Vide fol. 1. usque ad fol. 5. epilogum cape: Cùm mors itaque tantâ polleat virtute, eja Christiani memoria illius continuò in mente nostra retineatur. Quoniam cùm non sit vitio diversorium, in quo versatur mente sepulchrum, eam ante oculos ponendo, non peccabimus, sicque rectæ vitæ, & exactæ mandatorum Dei observantiæ justum recipiemus, quod regnum cæleste est, præmium, quod nobis det Pater, & Filius, & Spiritus S.

Pro Dominica vigesima prima post Pentecosten.

Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Matth. cap. 18.

Proëmium. Certum est, præsens Evangelium rigorosi extremi judicii indicare severitatem, & illius rationem, nimirùm immisericordiam erga proximum & actus charitatis defectum, in quo universa lex pendet & Prophetæ, ut satis innuunt illa verba: *Nonne ergo oportuit & te miserere conservi tui, sicut & ego tui misertus sum.* Verùm in dubium posset revocari, quisnam ille sit, qui tam severè tortorum traditur tormentis, *quoad usque reddat universum debitum.* Bina potest allegari opinio, una id de damnatis asseri, & repræsentari, altera de animabus in purgatorio detentis, cui ego adhæreo, motus ethymologiâ vocabuli *quoad usque*, quod innuit, debitum persolvi posse, & sic debito liberari, quod neutiquam à Catholico de damnatis dici potest; quoniam, quemadmodum sunt impeccabiles beati, ita & damnati ad pœnitentiam inconvertibiles. Illud tamen quilibet de purgantibus animabus rectè potest asserere. Quoniam illæ divinæ justitiæ omne reddere queunt debitum, non dico per se, sed mediante pœna, aut per viventium suffragia. Pro quibus ad amicos & propinquos clamant: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et ad hos clamores, & tristia lamenta quis suas non aperiet aures, & obduratum ad pietatem non converteret animum, ne & ipsi contingat, quod immisericordi erga conservum suum, & tradatur tortoribus divinæ vindictæ, ad persolvendum omne debitum, ex peccatis commissis relictum, & non sit, qui persolvat, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.

Verùm quodnam à nobis in hoc mundo superstitibus nostri fratres desiderant, & expostulant suffragium? Fateor iis suffragandi varii sunt modi. Sed efficaciorem videtur insinuare cæca gentilitas. *Hæc*, (ut commemorat Paulus Aresius) *amoris tenax, &c.* Vide fol. 272. usque ad fol. 273. ut itaque filiorum erga patres, filiarum erga matres, cognatorum erga cognatos defunctos

eradi-

radicem immisericordiam, ipsiusque inculcem signalatum charitatis in mortuis subveniendo actum, eorum demonstrabo obligationem, simulque ostendam, inter cuncta suffragia efficacissimum fore sacrosanctæ Missæ sacrificium. Ut illum scopum, in quem avidè desidero collimare, queam attingere: adeamus asylum clementiæ auditores Mariam Virginem, pro sollicitanda Spiritus S. gratiâ, dicentes, *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione arripe, *Nolo præsenti discursu, &c.* vide fol.273. in fine, usque ad fol.283. Pro epilogo utere, *jure merito &c.* ibidem in fine.

Pro Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

Cujus est hæc imago? Matth. cap.18.

Proëmium. QUI disertam de nobilitate animæ hominis, ejusque super omnes creaturas totius universi componere desideraret orationem, meo judicio à solidiori ratione, & firmiori fundamento exordiri nequiret, quàm à sedula ipsius Creatoris in ejus productione cura. Hanc nobis luculenter describit Spiritus S. cap. 1. Gen. Et psal. 32. in primo loco narrat, quòd Deus, postquam cælum & terram, bestias & animantia terræ, & volatilia cæli, cuncta elementa, è quibus componuntur mixta, in summa omnia, quæ in mundo sunt, unico verbo *Fiat* creasset: ubi ad hominem efformandum perventum est, illicò prudenti consilio opus fore censuerit. Quapropter ad tantum opus quasi tres convocans sanctissimæ Trinitatis personas, ait: *faciamus*, in plurali. Hæc Scriptura difficilior apparet, quàm forsitan aliquis arbitrabitur. Etenim quare homo, quemadmodum & aliæ creaturæ unico *Fiat* productus non est? Præterea, quandoquidem omnia opera Trinitatis ad extra sint indivisa & communia, ad quid cooperationem, ut verba sonant, interpellare trium personarum? An fortassis hoc Dei excedit potentiam? Id asserere blasphemum est. Primam objectionem dissolvit antiquissimus Doctor Tertullianus, sustinens tum actum fuisse de creatione pulcherrimæ cæli & terræ creaturæ Mariæ Virginis, ex qua humanam Verbum divinum secunda in Trinitate persona, in tempore assumere debebat naturam: ideoque consilium quasi initum, ut competens, & decens ipsi mater præpararetur. *Tractabatur*, inquit, *de homine, in quo latebat hæc Virgo, cogita itaque, totum Deum illi occupatum ac deditum, manu, sensu, consilio, sapientiâ & providentiâ, habitaculo.*

Quidquid sit de hac ratione Tertulliani, quam pro nunc nec probo, nec reprobo; hoc unum dico, eam secundam difficultatem non adeo clarè enodare. Pro illius itaque objectionis majori dilucidatione recurrendum est ad secundum locum citatum Davidis, in quo quoque de hominis tractatur productione, & dicitur: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Sed quid hoc? Ecce iste locus difficultatem jam tactam magis involvit & intricat. Quid namque significat tò *sigillatim*? Nonne ipse plasmator Deus cuncta formavit humani corporis membra? Indubiè: sine ipso factum est nihil. Quid itaque indicat tò *sigillatim*, ubi de corde effingendo fit mentio? Rabini, inter quos præcipuus Barcesas, hic ex communi Judæorum & Hebræorum opinione asserit, Deum administratoribus Angelis mandasse, ut caput, pedes, cæteraque corporis membra efformarent, & debitè ad recipiendam animam rationalem disponerent, idque ut hujus mundi capiti in productione deservirent. Noluit tamen, ut ipsi cor ejus effingerent, sed ipse specialiter & sigillatim illud voluit producere. Verùm quare? Ratio est, quia in corde, utpote primo vivente juxta medicos, & ultimo moriente, primariè debebat Deus animam rationalem ad similitudinem & imaginem suam infundere. Idcircò modò amoveri mandat Angelos, nè nobilissimum hoc opus attingant, & specialiter illam imaginem effingere desiderat, *faciamus.*

Verùm non piget curiosè indagare, cur tanto zelo, tantâque curâ Deus animam ad imaginem suam specialiter velit producere. Ah Christiani! non nisi, ut vos, quo ipsa insignita & sigillata est, sigillum perpendatis, & cujus sitis imago, nimirum ut reddatis Deo, quæ Dei sunt. Ut Christus interro-

gantibus in hodierno Evangelio Pharisæis, ut eum caperent in sermone, *Dic nobis, quid tibi videtur, licet dare censum Cæsari, an non?* inculcat, respondens: *Reddite, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo.* Hujus ut recordaretur incessanter Sponsa Cant. c. 8. rogabat Sponsus: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Ac si diceret: memor esto dilecta sponsa, anima Christiana, cujus sis imago. Cùmque hoc apprimè cognoveris, cognosce exinde debitum tuum reddendi Deo, quæ Dei sunt. Sed ô Christiane! sunt Dei opera bona, redde illi, & da gloriam, vide fol. 341. usque ad fol. 343. Dona corporis Dei sunt, sanitas, fortitudo, longæ vitas, forma, &c. ea Deo dedica, & non mundo, redde Deo, quæ Dei sunt. Dona fortunæ, divitiæ, status, honores, &c. Dei dona sunt, illis utere, ut sustentes in pauperibus Christi Domini membra, & non ad luxum, & mundi vanitates convertas. Dona Dei sunt, ut unico fiuiam verbo, omnia, quæ non possides, sed quæ tibi commodata sunt. Itaque si Deus, qui omnium Dominus est, non dico, tibi aliquid eripiat, sed accommodatum repetat, sive sanitatem, sive vultus speciem, sive divitias, sive filios, uxorem, maritum, &c. cogitate reddere Deo, quod Dei est, & tuam in cunctis, quæ etiam donum Dei est, divinæ subjice voluntatem. Ad quod in hodierno discursu vos conabor commovere. Necessarium tamen juxta consuetudinem Spiritus S. adjutorium per Deiparæ Mariæ patrocinium simul expostulemus, dicentes: *Ave gratiâ plena.*

Pro introductione exordire, ut intentum meum in proëmio propositum aggrediar ad quosdam Christianos consolandos, & confundendos, divinam unius Ethnici, nil præmii exspectantis, nec fide illuminati, non absonum erit adducere sententiam Senecæ lib. de providentia: *Quid vis à me, Deus immortalis? Vis aliquam corporis mei partem? Non magnam rem promitto. Vis spiritum? Quid ni: nullam moram facio, quò minus recipias quod dedisti. A volente feres, quidquid petieris. Maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? Accipere potuisti. Sed nec nunc quidem auferes, quia nihil eripitur, nisi renitenti. Nihil cogor, nihil patior invitus, non servio, sed assentio Deo.* Quòd si te nihil tale Gentilis commoveat animus, disce vel Deo te subjicere ex ipso rerum naturalium insensibilium innato instinctu. Vide fol. 66. & cætera ad hoc excitantia motiva usque ad finem. Et sic reddes tandem aliquando summo Cæsari & Deo, quæ Cæsaris & Dei est, animam tuam, imaginis ipsius figurâ insignitam, quam meliorem per gratiam suam redditam, ad æterna sua benignus Deus recipiat tabernacula.

Pro Dominica vigesima tertia post Pentecosten.

Princeps unus accessit & adoravit eum, dicens: Domine, filia mea defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.
Matth. cap. 9.

Proœmium. TRactavi suprà Concione pro Dominica 20. post Pentecosten occasione cujusdam reguli, veriti imminentem filii sui graviter infirmi mortem instantissimè à Christo Domino pro divino adjuvamine deprecantis, de mira supra peccatum in genere mortis reminiscentiæ potentia, reservatâ mihi aliâ congruâ opportunitate, de solido illius in peccata in specie disserere dominio. Quam modò nactus, videns principem adorantem Christum, & audiens clamantem: *Domine, filia mea defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Intentum arripere decrevi. Quod ut commodè exequi valerem, media excogitanti, in mentem incidit verum commentum, quod Poëtæ veteres virtuti affingunt herculeæ, proposito meo non adeò absonum.

Hi stultè fabulantur, Herculem gloriam suam, simul & invictas vires toti mundo demonstraturum, quodam tempore arduum contra hydram lernæam perniciosum serpentem, portantem in collo septem ignivoma capita, iniisse certamen. Armatus acuto gladio, intrepidè formidabilem aggreditur hostem, & nunc ab hac, nunc ab illa parte caput dissecat: sed ecce novo continuò renascente, & succedente,

dente, serpens acriter indefatigato ardore prælium instaurat, sic putans herculeas vires continuatis insultibus omninò enervare, eum dejicere, & palmam victoriæ obtinere. Ille tam stupendo eventu deterritus, tedam quandam accensam arripuit, & capite uno abscisso, meatus colli igne obturavit, sicque victor tandem evasit.

Ego quod de Hercule fictitiè fabulati sunt Poetæ, audeo veraciter, & in sano catholico sensu morti attribuere. Ipsa enim invictâ virtute contrà infernalem hydram diabolum strenuum aggreditur bellum. Ecce armata procedit acutâ falce, ut formidabilis hujus serpentis septem capita; nimirùm septem peccata capitalia resecet. Verùm etiam, prostrato uno alterum redire cernens, teda utitur; videlicet continuâ finis nostri memoriâ, qua peccata ista non tantùm rescinduntur, sed etiam rescissa totaliter emoriuntur. *Qui memoratur*, inquit, *sapiens novissima sua, in æternum non peccabit.* Objectum itaque, quod utilissimum est futurum (ut spero) moderni discursus erit demonstrare miram de hydra diabolo, & septem capitalibus peccatis Herculis mortis victoriam. |Quam ubi audiveritis auditores, non dubito, quin cuncti hæc arma arrepturi sitis. Progrediatur itaque ipsa ad prælium, nos verò invocemus priùs pro Spiritus S. assistentia Mariæ Virginis patrocinium angelicis verbis *Ave gratia plena.*

Pro introductione dic. Ecce dum mortis victoriam aggrederer approbare, primus insilit infestus hostis superbia. Vide fol. 7. col. 1. usque ad fol. 15. & fini. *Quod cum ita sit* ibidem.

Pro Dominica vigesima quarta post Pentecosten.

Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, stellæ de cælo cadent, virtutes cælorum movebuntur. Matth. cap. 24.

Prooemium. Divinus Plato in suis colloquiis de quodam famoso Græciæ Philosopho commemorat, eum rogatum, ut certa aliqua communitati, bonoque publico utilia promulgaret documenta, varias Athenis jussisse erigi columnas, quibus insculpi fecit pulcherrimas tùm pro incolis, tùm pro exteris instructiones, quibus admonebantur lubricosam vitii devitare viam, & rectam virtutis intrare semitam, inter cætera salutaria dogmata hoc cernebatur exaratum: *Viator aspice ad id quod justum est*: optatu dignum foret, ut in depravato hoc sæculo omni vitio & scelere pleno, per omnes civitatis Gandensis; imò totius Belgii angulos auream illam erectis columnis cuilibet intueri sententiam inscriptam: *Viator aspice ad id, quod justum est*, cum adæquata justæ admonitionis ratione, quam adfert Apostolus, adjunctâ, *Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem judicium.* Ad Hebr. cap. 9 v. 27. ô homo! ad justitiam in omnibus operibus tuis diligenter attende: Quoniam tandem falx mortis vitam tuam demetet, & pòst rigorosum te manet judicium: cogita, quod inordinatus ille honorum, atque divitiarum appetitus, effrænata carnalium voluptatum libido mundi deliciæ, & illecebræ finem capient, ac delectamenta desinent, attamen omnia illa tui tortores, & accusatores remanebunt. *Eheu*, inquit, Chrysostomus hom. 51. in Matth. *Arguet te malitia tua*, ad quod ait mellifluus Doctor lib. 2 de consideratione, *in illo judicii die stabunt omnia peccata contrà infelices, dicentia: tu nos egisti, opera tua sumus, am non te deseremus, sed tecum ad judicium.*

Sed eheu! miser peccator ad quod asylum in tanta constitutus angustia confugies? Ad eum inquies solem, de quo Malachias, *sanitas in pennis ejus.* Ah falleris! venit quidem in primo Adventu mundi advocatus, sed in ultimo judicii die adventurus est judex, de quo loquit Propheta David ps. 97. *Iudicabit orbem terrarum in judicio.* Ratio est inquit Theodoretus: *Nam quidem prior, nimirùm Adventus multam habuit misericordiam: secundus verò justitiam habebit.* Quare sol misericordiæ nubibus obvelabitur juxta Matth. *Sol obscurabitur.* Forsitan ad misericordiæ matrem, verum propitiatorium, & unicum peccatorum refugium? Ah! & in fauces miser incides justitiæ. *Luna Maria non*

dabit lumen suum, videlicet opitulationis. An ad angelum protectorem, qui tàm sedulam animæ tuæ perêgit curam Ah nec in illo salus! etenim, qui antè magna ostentavit pietatis obsequia, nunc comparebit, ut Dei judicis vindicativa exequatur judicia: Sap.c.5.v.21. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contrà insensatos. Movebuntur cælorum virtutes.* Ita ut à nulla creatura adjutorii, aut assistentiæ appareat mica, vel scintilla. Unde concludit Thomas à Villa Nova divinis hisce verbis: *Nullus ibi precandi locus, nullus vobis precator assistet, qui pro vobis verbum loquatur, non beata virgo, non angelus, non apostolus, propitiabitur pereunti.* O terror! ô pavor! quis hunc explicabit? Nullus sanè. Permittite mihi tamen auditores, ut parumper pro imbecillibus viribus de eo discurrere queam. Quas, ut corroboret gratiâ suâ Spiritus S. rogemus sponsæ ejus assistentiam, dicentes *Ave gratia plena.*

Ut insignem istius Græci sententiam jam citatam: *Viator aspice ad id, quod justum est.* Et Apostoli dictum: *Statutum est omnibus semel mori: & post hoc judicium*, intimis cordis humani inculcem penetralibus, illiusque demonstrem horrendam formidabilitatem, mihi non adeò absone deserviturum arbitror quemdam locum registratum l.4. Reg.cap.20.v.1. ubi narratur Ezechiam de morte per Prophetam Isaiam admonitum, *amarè* plorâsse. *Et venit ad eum Isaias Propheta, dixitque ei: hæc dicit Dominus Deus: præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non vives*: Hebraicus textus legit *dispone domui tuæ*, & addit: *cras enim morieris.* Ad quod tremefactus Ezechias in uberrimas erupit lachrymis: *Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Verùm hunc immensum pii regis mœrorem summoperè quàmplurimi mirantur sacræ Scripturæ interpretes. De ejus sancta vita namque ipsamet per essentiam veritas luculentum dat testimonium cap.18. v.5. *Post eum non fuit similis de cunctis regibus Juda, sed neque in his, qui antè eum fuerunt.* Deberet itaque clamare ad instar unius Simeonis in conscientia sua tàm quietus: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace*, Luc. cap.2.v.29. Et non flere. Pavescant illi & formident commune omnium fatum subire, qui sese deliciis, & voluptatibus mundanis immerserunt, & peccatis innumeris onusti lubricam alterius mundi sine offendiculo peragrare nequeunt viam. Ah Christiani! Ezechias non tàm acerbè deflebat mortem & judicium, quæ duo neutiquam sese evadere posse certò certiùs sciebat. Sed hoc dumtaxat deplorabat, quod ei unicus tantùm dies ad tàm rigorosum examen præparandum concederetur. Quapropter ne forsitan aliqua temporis motula in sæcularibus, & regni sui negotiis dilaberetur, ab omnibus sese avertit, ad parietem faciem vertens. Ex hoc urgeo ego, si testimonio divino de sanctitate laudatus, tanto perculsus sit tremore: Quanto peccatores, impiique homines deterreri non debent & concuti, dum iis intonatur *statutum est mori, & post hoc judicium.* Et si Ezechias tam exactum conscientiæ ad formidandum hoc judicium requisierit examen, ut seipsum subitò à cunctis negotiis substraxerit: quid tu ô homo peccator? Hîc ex tam pio exemplo non addisces in infirmitate priùs de anima tua, quam de familia, de computu mercaturæ &c. disponere? Sed qui infirmos assiduè visitant, amarissimè detestandam hominum deplorant dementiam, quod ipsi magis terrenorum in evidenti mortis periculo constituti, quàm æternæ salutis satagant.

Pro ulteriori terroris judicii confirmatione cape de visione Joannis. Vide fol.91. *initio.* Item de apparitione Abacuc *ibid* adde quoque augeri ex eo, quod judex supremus delegatus sit, & non absolutus. Quadrat quoque hic pavor Job vide fol.95. Et epilogum sume fol.97.col.1 in fine. *Quod si salutaria &c.*

BRE-

BREVIS SYNOPSIS

Concionum in hoc Quadragesimali contentarum, in qua assignantur earum objecta, circa quæ versantur, atque ad majorem Concionatorum facilitatem diversa tum dominicalia, tum festivalia, quibus qualibet aptè accommodari potest, indigitantur Evangelia.

C*Oncio prima* supra tò *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ait Ecclesia. Tractat de utilitate, & efficacia mortis. Ostendit eam in convertendo peccatore, etiam obdurato, verbo divino, imò etiam ipsâ memoria cruentæ Passionis Domini esse efficaciorem. Insuper probatur illam septem peccata capitalia adinstar herculis hydram lernæam debellare.

Potest appropriari Dominicæ 13. post Pentecosten supra tò *resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Luc. cap. 7. ubi mortuo jam resuscitato in præsentia Christi populo adstanti prædicandi conceditur authoritas. Quia omnem Concionatorem mors antecellit.

Item Dominicæ 20. post Pentecosten supra tò *dixit ergo Iesus ad eum, nisi signa & prodigia videritis, non creditis* Joan. cap. 4. Nimirùm prodigia (quæ tamen non prodigia, sed naturalia censeri debebant) imminentis mortis.

Item Dominicæ 23. post Pentecosten supra tò *filia mea modò defuncta est.* Matth. c. 9.

Concio secunda supra tò *accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, &c.* Matth. cap. 8. Agit de charitatis essentia, proprietatibus, & miris effectibus, inter quos præcipui sunt, quod maledictionem in benedictionem commutet, quod sententiam judicis de reo suspendat, denique, quod *cooperiat* juxta Apostolum Petrum *multitudinem peccatorum.*

Potest appropriari Dominicæ 17. post Pentecosten supra tò *diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Matth cap. 22.

Item Dominicæ primæ post Pentecosten supra tò *Samaritanus appropians alligavit vulnera ejus, fundens oleum & vinum.* Luc. cap. 10.

Item Dominicæ 3. post Epiphaniam. *Accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur.* Matth. 8.

Item Festo omnium Sanctorum supra tò: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. cap. 5.

Concio tertia pro objecto habet expressum Christi de diligendo inimico mandatum supra tò, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Matth. c. 5. Ostenditur illi, Christianum obsequi debere ob quatuor motiva. Primum est quia actus æstimandus est gloriosus condonare inimicis. Secundum, quia legislator est Christus *ego autem &c.* Tertium, quia ipsemet exactè illud observavit. Quartum, quia utile est parcere hosti, vindicare autem nocivum.

Potest applicari Dominicæ quintæ post Pentecosten supra tò *ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus est judicio* Matth. cap. 5.

Item Festo Protomartyris Stephani suprà tò: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Actor. cap. 6.

Item

Item S. Joanni Evangelistæ suprà tò, *qui non diligit, manet in morte.* Epist. 1. cap. 3. Si vis vide, unde amorem istum suxerit conc. penultimâ Marialis mei.

Concio quarta suprà tò *ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. cap. 4 Demonstrat fallacem mundi divitiarum cupiditatem. Extollit quoque summoperè invictam auri potentiam. Quod totum mundum vertat, & invertat duobus ingeniosis emblematibus apposité probat.

Applicabilis est facilè Dominicæ sexagesimæ suprà tò. *quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & deliciis, & voluptatibus vitæ suffocantur.* Luc. cap 8.

Concio quinta suprà tò *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Matth. cap. 25. Tractat de danda eleemosyna. Ejus in illa demonstratur utilitas, & imperium quoque in divinam quasi justitiam. Imò nil in extremo judicio quæri & indagari, nisi an illa fuerit ergà indigos exacte observata.

Potest accommodari Dominicæ 1. post Pentecosten suprà tò: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Lucæ cap. 16.

Concio sexta suprà tò *domus mea, domus orationis vocabitur.* Matth. cap. 21. Agit de perfecta Ecclesiæ Christi debita reverentia, illaque in ea deducitur ex gentilium, & idololatrarum ad Christianorum confusionem exemplo. Ostenditur quoque omne malum à profanatione templorum emersisse tùm ex variis historiis, tùm ex diversis scripturæ locis.

Potest appropriari Dominicæ 9 post Pentecosten suprà tò *domus mea, domus orationis vocabitur.* Luc. cap 10. Et festo cujuscumque Ecclesiæ dedicationis.

Concio septima suprà tò *Magister volumus à te signum videre.* Matth. cap. 12. Agit de eminentia virtutis perfectæ resignationis humanæ voluntatis in divina. Arguit refractarios argumento desumpto ex oratione Dominica, quam quotidie Christiani pronuntiant *fiat voluntas tua.* Consolatur afflictos, iisque patientiam in adversis inculcat. Docet insuper Deo omni tempore (juxta illud Davidicum Psal. 33. vers 2. *Benedicam Dominum in omni tempore*) tùm tribulationis, tùm prosperitatis agendas esse gratias.

Potest appropriari Dominicæ 3. post Epiphaniam supra tò *Domine si vis.* Matth. cap. 8.

Item Dominicæ 2. post Epiphaniam suprà tò *quodcumque dixerit vobis facite.* Joan, cap. 10.

Concio octava supra tò *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamabat dicens: Miserere fili David.* Matth. cap. 15. Orationis potentiam demonstrat, quam ex effectibus clarissimè deducit, & rationem genuinam quare toties illi impediantur, & orantes non exaudiantur, allegat.

Potest accommodari Dominicæ 2. post Pentecosten suprà tò *rogabat eum, ut sanaret filium ejus* Joan. cap. 4.

Item Dominicæ 5. post Pascha. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Joan. cap. 16.

Concio nona suprà tò *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Joan. cap. 5. Ostendit quàm nocivæ, ac perniciosæ sint occasiones proximæ peccandi. Reprehenduntur in ea acriter concubinarii, & prava consortia frequentantes &c.

Potest applicari Dominicæ 4. post Pentecosten supra tò *& subductis navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.* Luc. cap. 5.

Item festo Divi Andreæ Apostoli suprà tò *& illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Matth. cap. 4.

Item Dominicæ 23. post Pentecosten suprà tò *cum vidisset tubicines, & turbam tumultuantem, dixit recedite.* Matth. cap. 9.

Item

Item solemnitati Epiphaniæ suprà tò *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Matth. cap.2.

Concio decima suprà tò *discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Matth. cap.17. Horrorem formidabilis extremi judicii Christianis ob oculos ponit. Justas istius rationes, & efficacia motiva in abundantia adducit: tùm ex immutatione agni in leonem, tùm ex apparitione Abacuc, & Joannis, ac ipsiusmet Christi judicis conditione. Insuper illius terrorem adauget anatomia Job.

Applicari potest Dominicæ 1. Adventus suprà tò *erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Luc. cap.21. Et suprà tò *Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna, & majestate.* Luc. cap.21.

Item Dominicæ ultimæ post Pentecosten suprà tò *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, stellæ de cœlo cadent, virtutes cœlorum movebuntur.* Matth. cap.24.

Item Dominicæ octavæ post Pentecosten suprà tò *redde rationem villicationis tuæ.* Luc. cap.16.

Item Dominicæ 4. Adventus suprà tò *canite tuba in Sion, quia propè est dies Domini.* Joel. cap.2.1.

Item Dominicæ 4. post Pascha suprà tò *arguet mundum de peccato.* Joan. cap.16.

Concio undecima suprà tò *ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini.* Joan. cap 8. Tractat de vitæ melioratione non differenda, ejusque evidentissimum ad oculum demonstrat periculum. Declarat, quam nociva, & damnosa nobis sit Christi Domini absentia. Ostendit quoque quantâ efficaciâ intuitus divinus potiatur. Prætereà peccati inveterati enormitatem enodat. Et summam difficultatem ex eo resurgendi perstringit.

Potest appropriari Dominicæ 4. post Pascha suprà tò *Vado ad eum, qui misit me, & nemo interrogat me, quo vadis.* Joan. cap.16.

Item Dominicæ 11. post Pentecosten suprà tò *& suspiciens Iesus in cœlum ingemuit.* Marc. cap.7.

Item Dominicæ 4 Adventus suprà tò *Canite tuba in Sion, quia propè est dies Domini.* Joel cap.2.v.1.

Item Dominicæ 1 post Pascha suprà tò *gavisi sunt discipuli viso Domino.* Joan. cap.20.

Item Dominicæ 9. post Pentecosten suprà tò *non relinquent lapidem super lapidem, eo quod cognoverit tempus visitationis tuæ.* Luc. cap.19.

Concio duodecima suprà tò *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Matth. cap.23. Scopum habet Ecclesiasticis ostendere, quantum damnum ipsi pravâ sua vita, & publicis peccatis indoctæ plebi inferant. Demonstrat namque ignaros ex operibus superiorum, Pastorum, rectorum &c. ansam arripere similia perpetrandi. In ea quoque extollitur gravitas hujus delicti, & perniciosi scandali.

Potest appropriari Dominicæ 20. post Pentecosten *credidit ipse, & domus ejus tota.* Joan. cap.10.

Item feriæ tertiæ Pentecostes. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium* Joan. cap.10.

Item Dominicæ 2. post Pascha suprà tò *Ego sum pastor bonus* Joan. cap.10.

Item Festo S. Bartholomæi suprà tò *elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit.* Luc. cap. 6.

Concio decima tertia suprà tò *ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò.* Matth cap.20. De infami detractionis tractat iniquitate, quæ per se grave peccatum est; Ecclesiasticorum & Sacerdotum honori detrahere detestabile esse scelus, Deoque maximè odibile è diversis scripturis & SS.PP. probatur. Prætereà demonstrat abominandam sæcularium ad famam eorum absor-

absorbendam promptitudinem, quapropter in eorum quoque intolerandam acriter insurgit ingratitudinem.

Potest applicari Dominicæ 3. post Epiphaniam supra tò *vade ostende te sacerdoti.* Matth. cap. 8.

Item Dominicæ infra octavam Nativitatis supra tò *& benedixit eis Simeon.* Luc.c.2.

Concio decima quarta supra tò *mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Avaris, & mundi bonis inhiantibus luculenter demonstrat divitias, etiam in hoc mundo esse nocivas, damnosas, molestas, vanas, & nullas, quod dispar luctuosus divitis epulonis, & felix Lazari comprobat exitus.

Potest accommodari Dominicæ 19. post Pentecosten supra tò *& misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Matth.c.22.

Item Dominicæ 14. post Pentecosten supra tò *non potestis servire Deo & Mammonæ.* Matth. cap. 6.

Item Dominicæ Sexagesimæ supra tò *aliud cecidit inter spinas.* Luc.c.8.

Concio decima quinta agit supra tò *malos male perdet.* Matth.cap.21. de modò, quo nos tractat Deus nimirum secundùm opera nostra.

Potest appropriari Dominicæ 21. post Pentecosten supra tò *serve nequam omne debitum dimisi tibi, &c. & tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum, &c.* Matth.c.18.

Item Festo Matthiæ Apostoli *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* Matth. cap.11.

Concio decima sexta supra tò *erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Lucæ cap.11. Tractat de necessitate Confessionis Sacramentalis & quomodo sit facienda. Efficaciter quoque in ea ostenditur inanem esse dolorem peccati commissi ob pœnas inferni, aut honoris, aut cujuscumque boni terreni omissionem.

Potest appropriari Dominicæ 18. post Pentecosten supra tò *ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* Matth.cap.9.

Item Dominicæ Palmarum supra tò *solvite & adducite mihi.* Matth.c.21.

Item in quantum de pœnitentia agit, festo Petri & Pauli supra tò *Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth.c.17.

Concio decima septima supra tò *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Luc.cap.4. Invidiæ contra proximum summoperè extollit peccatum. Ostendit quomodo verum sit hoc dictum: *Invidia æquissima & iniquissima* mirabiliter torquet invidum. Malitia est, quasi sine bonitatis, aut delectationis motivo.

Potest appropriari Dominicæ 5. post Epiphaniam supra tò *Inimicus homo hoc fecit.* Matth. cap. 13.

Concio decima octava supra tò *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Matth.cap.18. Correctionem fraternam demonstrat omninò fore necessariam, obligatoriam, utilem, & meritoriam. Ostendit eam non solummodò Superioribus, Rectoribus, &c. competere verùm etiam cuilibet Christiano.

Potest accommodari Dominicæ 12. post Pentecosten supra tò *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc.cap.10.

Item Dominicæ 17. supra tò *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Matth.c.5. Quod observat, qui proximum debitè corrigit.

Item Dominicæ 11. post Pentecosten supra tò. *Curam illius habe.* Luc.c.10.

Item Dominicæ 3. Adventus supra tò *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Joan cap.1.

Item

Item Dominicæ 16. post Pentecosten supra tò *Cùm intraret Iesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbatho manducare panem & ipsi observabant eum.* Luc. cap. 14.

Item Dominicæ 4. Adventus *Ego vox clamantis in deserto.* Joan. 1. Quia quilibet debet esse vox corrigens.

Concio decima nona supra tò *Honora patrem, & matrem tuam.* Matth. cap. 15. debitam filiorum erga parentes inculcat reverentiam, & honorem. Ostendit actus illius præmium, & irreverentiæ è contra punitionem.

Potest applicari Dominicæ 3. post Epiphaniam supra tò *Vinum non habent.* Joan. cap. 20.

Item Dominicæ 1. post Epiphaniam supra tò *Et erat subditus illis.* Luc. cap 20.

Item Dominicæ 12 post Pentecosten supra tò *Curam illius habe.* Sustenta fili patrem, & ei suffragare post mortem.

Concio vigesima supra tò *Et surgens Iesus de Synagoga, introivit in domum Simonis: socrus autem Petri tenebatur magnis febribus.* Luc. cap 4.

Potest applicari Dominicæ 3. post Pentecosten supra tò *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Luc c. 15.

Item Dominicæ 13. post Pentecosten supra tò *Vnus autem ex illis, ut vidit, quòd mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Luc. c. 17.

Item solemnitati Nativitatis Domini supra tò *Et Verbum caro factum est.* Joan. c. 1.

Item festo Circumcisionis Christi supra tò *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Luc. c. 2.

Item festo 2. Pentecostes supra tò, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret* Joan. c. 5.

Item Dominicæ 6. post Ephiphaniam supra tò *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Matth. c. 13.

Item festo Matthæi supra tò *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. c. 9.

Item conversioni Apostoli Pauli supra tò *Vas electionis est mihi iste.* Act. c. 9.

Item festo Ascensionis supra tò *Si non abiero Paraclitus non veniet.* Joan. c. 16.

Concio vigesima prima supra tò *Mulier da mihi bibere.* Tractat de mira lachrymarum efficacia. Ostendit non quascumque Deo esse gratas (pro temporalibus namque rebus effusas odit) sed eas dumtaxat, quæ pro culpa, & animæ salute ex contrito corde promanant.

Potest accommodari Dominicæ 9. post Pentecosten supra tò *Cùm appropinquaret Iesus Ierusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Luc. c. 19.

Concio vigesima secunda supra tò *Cùm sublevasset Iesus oculos, dixit ad Philippum: Misereor supra turbam.* Joan. cap. 6. demonstrat Deum præ cæteris attributis suam æstimare misericordiam. Ejus magnitudinem examinat secundùm omnem quantitatis dimensionem. Ostendit nulla peccata tam uberem posse obturare fontem. Ideoque nec magno peccatori desperandum, nec etiam nimiùm præsumendum.

Potest appropriari Dominicæ post Pentecosten supra tò *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum & debitum dimisit ei.* Matth. c. 18.

Item Dominicæ 6. post Pentecosten supra tò *Misereor supra turbam.* Marc. c. 8.

Item Dominicæ 4. Quadragesimæ supra tò *Cùm sublevasset oculos, dixit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi.* Joan. c. 6.

Concio vigesima tertia supra tò *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Joan. cap. 2. agit de zelotypia Dei nostri erga cor humanum. Quod ipse à suis proprio sanguine redemp-

redemptis indivisum, & integrum petit. In illa acriter arguuntur ingrati, & contumaces Christiani, qui mundo, carni, deliciis, &c. cordis sui partem consecrant, ostenditurque in simili corde non requiescere spiritum Dei.

Potest applicari Dominicæ Pentecostes supra tò *Paraclitus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* Joan cap. 14.

Item Dominicæ 2. post Pentecosten supra tò *Curam illius habe.* Luc c. 10.

Item Dominicæ 17. post Pentecosten supra tò *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth. c. 22.

Concio vigesima quarta supra tò, *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit.* Joan. cap. 7. malitiam declarat judicii temerarii, multò magis, ubi externè judicatur & accedit detractio. Demonstrat quàm cæcus sit homo, ut de alienis vitiis judicet, ubi minimâ propria videndi, & judicandi pollet potestate. Fallacitas humani judicii etiam externis sensibus innixi examinatur juxta sacram Scripturam & ad oculum refellitur.

Potest accommodari Dominicæ 17. post Pentecosten supra tò *Quid vobis videtur de Christo.* Matth. cap. 22.

Item Dominicæ 3. post Pentecosten supra tò *Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. cap. 15.

Item Dominicæ Septuagesimæ supra tò *Murmurabant adversus patrem familias.* Matth. cap. 20.

Item Dominicæ 3. Quadragesimæ supra tò *In Beezlebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Luc. cap. 11.

Item Dominicæ Passionis supra tò *Dæmonium habes.* Joan. cap. 8.

Concio vigesima quinta supra tò *& procidens adoravit eum* Joan. cap. 9. Stupendos adducit tribulationis effectus. Nimirum quod hominem ad Deum trahat, quod amoris divini sit evidens signum, ac proinde sustinet Christiano esse agendas de iis Deo gratias. Ostendit eam fore cœlestis regni portam, & illam, quam Christus ad illud transivit semitam.

Potest applicari Dominicæ 3. Adventus supra tò *Confessus est, & non negavit, quia non sum ego Christus.* Joan. c. 1.

Item Dominicæ 6. post Pascha supra tò *absque Synagoga facient vos.* Joan. c. 16.

Item Dominicæ 4. post Epiphaniam supra tò *& ecce terræ motus factus est magnus.* Matth. cap. 8.

Concio vigesima sexta supra tò *mulier noli flere.* Lucæ cap. 9. tractat de inutilitate lachrymarum, quæ pro alia quacumque re, quàm pro amissa Dei gratia, aut deperdita anima effunduntur. Hinc acriter stomachatur contra imprudentes parentes, qui natorum corpus sedulo curant, & animam miserè negligunt.

Potest applicari Dominicæ 15. post Pentecosten supra tò *Mulier noli flere.* Luc. c. 7.

Item Dominicæ 1. post Epiphaniam supra tò *Remansit puer Iesus in Ierusalem.* Luc. c. 2.

Item Dominicæ 2. post Pascha supra tò: *Ego sum Pastor bonus.* Joan. c. 10.

Item Dominicæ 12. post Pentecosten supra tò *Curam illius habe.* Luc. c. 10.

Concio vigesima septima supra tò *Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: ecce quem amas infirmatur* Joan. c. 11. adhortatur Christianos, ut subveniant animabus purgantibus. Specialiter quoque tractat de summa obligatione filiorum suffragandi parentibus defunctis. Ostendit omnium suffragiorum efficacissimum esse sacrosanctum Missæ sacrificium.

Potest accommodari Dominicæ 1. post Pentecosten supra tò *Estote misericordes.* Luc. cap. 6.

Item Dominicæ 6. post Pentecosten supra tò *Misereor supra turbam.* Marc. c. 8.

Item

Item Dominicæ 21. post Pentecosten supra tò *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.* Matth. cap. 18.

Item Dominicæ 17. post Pentecosten supra tò *Diliges Dominum Deum tuum, sicut te ipsum.* Matth. cap. 22.

Item festo Omnium Defunctorum supra tò *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job cap. 19.

Concio vigesima octava suprà tò *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Joan. cap. 8. Veritatis universale deplorat exilium, & amplum falsitatis imperium. Veritatem odium parere, in ea latè probatur, ostenditurque illam in uno dumtaxat loco fore tutam.

Potest appropriari Dominicæ 2. Adventus suprà tò *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Matth. cap. 15.

Item Dominicæ 22. post Pentecosten suprà tò *Magister scimus, quia verax es.* Matth. cap. 22.

Item festo Joannis Baptistæ supra tò *Quis putas puer iste erit?* Luc. cap. 1. quia nimirum vix invenitur, qui veritatem colit.

Concio vigesima nona supra tò *Miserunt Principes & Pharisæi, ut apprehenderent Iesum.* Joan. cap 7. tractat de admirabili Verbi divini efficacia. Ostendit necesse esse, ut Christianus ad verbum Dei attendat. Illius contemptoribus graviter comminatur Deus. Estque signum reprobationis. Ratio additur, quamvis tantæ sit efficaciæ, cur paucos tamen effectus producat.

Potest appropriari Dominicæ sexagesimæ suprà tò *Qui habet aures audiendi, audiat.* Luc. cap. 18.

Item Dominicæ 6. post Epiphaniam supra tò *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Intelligendo per illud verbum Dei. Matth. cap. 13.

Item Dominicæ 3. Quadragesimæ suprà tò *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc cap. 11.

Item Dominicæ Passionis, *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joan. cap. 8.

Concio trigesima suprà tò *Ambulabat Iesus in Galilæam, nolebat in Iudæam ambulare.* Joan. cap. 7. de malo tractat consortio fugiendo. Ostendit malitiam tanti veneni. Docet insuper parentes, ut perspicaciter advigilent, quocum filius, filia, &c. conversetur. Admonet eos, ne suos ad partes hæreticas mittant.

Potest applicari Dominicæ Sexagesimæ supra tò *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Luc. cap. 8.

Item Dominicæ 7. post Pentecosten, *Attendite à falsis Prophetis.* Matth. cap. 7.

Concio trigesima prima supra tò *Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palàm.* Joan. cap. 10. malitiam Judæorum retundit, eò quòd ipsi damnationem suam Christo improperarent. Quare luculenter ostendit ipsius erga animam hominis amorem, ex quo divinum sese effecit Protheum, diversas assumens figuras, ut illam ad se traheret.

Potest appropriari Dominicæ post Pentecosten supra tò *dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore, &c.* Luc. cap. 15.

Item Dominicæ Septuagesimæ supra tò *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. c. 20.

Concio trigesima secunda supra tò *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.* Luc. cap. 7. virtutem exaltat humilitatis, ostenditque stupendas illas prærogativas. Pudorem à pœnitente removet. Peccatorem excitat ad celerem conversionem. Pharisaicum culpat judicium.

Potest appropriari Dominicæ 10. post Pentecosten supra tò *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. cap. 18.

Item Dominicæ 23. post Pentecosten supra tò *Cùm vidisset tubicines, & turbam tumultuantem, dixit, recedite.* Matth. cap. 9.

Item Dominicæ 13. post Pentecosten supra tò *Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo.* Luc. cap. 17.

Item Dominicæ 3. Adventus supra tò *Cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Joan. cap. 1.

Concio trigesima tertia supra tò *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Joan. cap. 11. venenosi cujusdam animalculi nomine dipsadis demonstrat essentiam, & proprietatem, ambitioni eam comparat. Ex S. Bern. docet, quàm fallax sit, & quàm suaviter alliciens, attamen quàm nequiter ambitiosum tractet, adducens secum malam servitutem, insupportabile onus, & continuum martyrium.

Potest accommodari Dominicæ 3. supra tò *Tu quis es? Confessus est, quia non sum ego Christus.* Luc. cap. 1.

Item Dominicæ 3. post Epiphaniam supra tò *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Matth. cap. 8.

Item Festo Jacobi Apostoli supra tò *Nescitis quid petatis.* Matth. cap. 20.

Item Festo Innocentium supra tò *Et mittens occidit multos pueros.* Matth. cap. 2.

Concio trigesima quarta supra tò *Dicite filiæ Sion. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Matth. cap. 21. admiratur gloriosum Christi in civitatem Jerosolymitanam ingressum tam citò conversum esse in luctuosam Catastrophen. Ex quo deducitur mundi, & fortunæ inconstantia, ac proinde ipsi non esse fidendum. Passio Christi memoratur, & ejus memoriæ utilitas demonstratur.

Potest appropriari Dominicæ Quinquagesimæ supra tò *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Luc. cap. 18.

Concio trigesima quinta supra tò *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Luc. cap. 23. tractat de stupenda boni latronis conversione. Ostendit Christum in ea maximè triumphasse supra diabolum. Et misericordiam, omnipotentiam, atque sapientiam divinam in illa eluxisse. Latronis ad Christianorum confusionem miram demonstrat fidem, firmam spem, & ardentem charitatem.

Potest accommodari Dominicæ 3. post Pentecosten supra tò *Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat.* Lucæ cap. 15.

Item Dominicæ 2. post Pascha supra tò *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. cap. 10.

Concio trigesima sexta supra tò *Ego ero merces tua magna nimis.* Gen. cap. 15. Eminentiam beatitudinis extollit, ut si non amore ita attrahantur erga justitiam Christiani, saltem alliceantur tantæ gloriæ fruitione.

Potest applicari Dominicæ Septuagesimæ supra tò *Quid statis hic totâ die otiosi?* Matth. cap. 20. contra eos. Qui desides sunt, & incurii, ut tantum præmium assequantur.

Potest applicari Dominicæ Quinquagesimæ supra tò *Ecce ascendimus Ierosolymam, &c.* Luc. cap. 18 Quod cogitare debemus, ut omni labore, conatu, & vigilantiâ promereamur æterna gaudere beatitudine.

Item Dominicæ 2. Quadragesimæ supra tò *Bonum est nos hic esse.* Matth. cap. 17.

Concio trigesima septima supra tò *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Cor. cap. 11. exponit, quæ dispositio, ut homo vilis creatura Creatori suo, mediante Venerabili

bili Eucharistiæ Sacramento incorporetur, sit necessaria. Insuper ostendit, quantum scelus à Deo reputetur indispositis ad tantum Sacramentum accedentibus.

Potest appropriari Dominicæ 19. post Pentecosten supra tò *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.* Matth. cap. 22.

Concio trigesima octava suprà tò *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos,* Joan. cap. 11. Curiosam proponit inter tria divina attributa, sapientiam, potentiam, & amorem, litem, in qua disputatur, quodnam illorum in institutione sacræ Synaxis palmam ferat. Adducuntur pro singulis variæ rationes. Tridentinum Concilium controversiam videtur dirimere, quòd amori præeminentiam attribuit. Cujus sententiam fusè approbat.

Appropriari potest Dominicæ 4. Quadragesimæ supra tò *Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Joan. cap. 6.

Item festo Corporis Christi supra tò *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Joan. 6.

Concio trigesima nona, quæ est Passio DOMINI nostri Jesu Christi, tractat de intolerabilibus tormentis, quæ in luctuosa illa tragœdia pius passus est Dominus. Iis variæ morales intermiscentur materiæ, quas hìc recensere nimis longum foret. Quare hanc Lectori perlegendam relinquo.

Concio Quadragesima supra tò *Surrexit, non est hìc.* Marci cap. 16. De gloriosa Christi Domini agit Resurrectione, & illius mirificum supra mortem, dæmonem, & infernum declarat triumphum. Nobisque ostendit modum, in hac vitæ militia contra inimicos nostros belligerandi, docet insuper Christianos, quomodo cum Christo sit resurgendum.

Potest applicari Dominicæ 18. post pentecosten supra tò *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Matth. cap. 9.

Concio Quadragesima prima suprà tò *ô stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ: nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.* Lucæ cap. 25. tractat de tribulationis utilitate. Demonstrat illam esse veram portam cæli, & neminem ad illud posse pertingere, nisi mediante eâ. Quare concludit, in afflictione & in omni tempore Deum esse benedicendum.

Appropriari potest Dominicæ 1. Quadragesimæ supra tò *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Matth. cap 4.

Item Dominicæ 2. Quadragesimæ supra tò *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth. cap. 17.

Item Dominicæ 3. post pascha supra tò *Nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem gaudebit cor vestrum.* Joan. cap. 16.

Item Dominicæ 6. post Pascha supra tò *Absque synagoga facient vos.* Joan. cap. 16.

Item festo S. Laurentii supra tò *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Joan. cap. 14

Concio quadragesima secunda supra tò *Pax vobis.* Luc cap. 24. pacem & testamentum Christi summoperè commendat. Ejus ostendit utilitatem & necessitatem. Absque ea impossibile est placere Deo, & regnum obtinere cæleste. In illa sibi summopere complacet Deus.

Potest accommodari Dominicæ 3. post Epiphaniam suprà tò *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, nam & ego homo sum, habens sub me milites.* Matth cap. 8. Quia ipsi non pacem, sed bellum amant.

Item Dominicæ 1. post Pascha suprà tò *Stetit Iesus in medio discipulorum, & ait, Pax vobis.* Joan. cap. 20.

Item festo Omnium SS. supra tò *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. cap. 5.

Pro-

Pro Festivitatibus Divæ Virginis sufficientem materiam, imò abundantem subministravi in Tractatu meo Mariali. Quòd si quis diebus Sabbathinalibus concionari teneatur, ibidem etiam ad manum habet materiam supra occurrentia Evangelia.

Pro Sabbatho primo supra tò *Cùm serò esset, & ipse Iesus solus in terra.* Marc. cap. 6. Ostende Mariam Virginem veram esse terram, de qua ait Propheta David: *Benedixisti Domine terram tuam.* Psal 84. v. 2. Et tracta de immaculata conceptione. Quia verè Deus in ea solus fuit specialiter per gratiæ assistentiam, illam solam inter natos mulierum à communi peccati originalis noxa præservans. Vide Conc. c. 11. & 12. Marialis.

Pro Sabbatho secundo supra tò *Ne dixeris visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth. cap. 17. Agit de profunda Deiparæ Virginis humilitate. Vide Conc. 16. in qua etiam virtute similis fuit Christo. Unde & in has ei appropriari potest illud Isaiæ cap. 30. *Erit lux Lunæ, sicut lux Solis.* Vide Conc. 8.

Pro Sabbatho tertio supra tò *Filia, omnia mea tua sunt.* Lucæ cap. 15. Tracta de admirabili Mariæ potentia, quâ potitur in cælo & in terra. Vid. Conc. 19. supra tò *Data est mihi potestas in cælo & in terra.* Matth. cap. 8. Aut Conc. 10. supra tò *Mirabilis est potentia ipsius.* Eccl. cap. 13. Vel cape Conc. supra tò *Voluntas Domini in manibus ejus dirigetur.* Isaiæ cap. 5. Vid. Conc. 14.

Pro Sabbatho quarto supra tò *Perrexit Iesus in montem Oliveti.* Joan. cap. 8. Age de misericordia divæ Virginis. Ascendit enim Christus Oliveti montem, qui misericordiæ mons est, (oliva namque pietatis est symbolum) ut Christus misericordiam ob oculos semper haberet, quam in uterum Deiparæ descendens, & novem mensibus in eo requiescens, didicerat. Ipsa namque pariens Christum, peperit misericordiam mundo. Hinc cantant Angeli: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et de ea Ecclesia *Mater misericordiæ.* Quam quoque lacte suo virginali fovit, & radicavit. Unde clamat Christus: *Mel ora sunt ubera tua vino.* Cant. cap. 1. & si vis 1. & 2.

Pro Sabbatho quinto supra tò *Ego sum lux mundi.* Joan. cap. 8. Ostende Mariam esse verum lumen errantibus, & in tenebris sedentibus peccatoribus, quo eos deducit ad lumen æternum. Vide Conc. 9. supra tò *Orietur vobis lumen indeficiens.* Eccl. cap. 24.

Pro Sabbatho sexto supra tò *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet.* Joan. cap. 12. Maximum propone Mariæ Virginis martyrium. Vide Conc. 5. supra tò *Stabat Mater Iesu juxta crucem.*



INDEX RERUM

PRÆ CÆTERIS MAGIS NOTABILIUM, contentarum in hoc Tractu Quadragesimali. Cujus prior numerus folium innuit, secundus columnam.

A

 tii,

D

Deus

E

F.

L.

M.

N.


O.

P.

Saræ

Vindi-

FINIS.



HORN
Concion

absorbet eos.
Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: * manus suas lauabit in sanguine peccatoris.
Et dicet homo, Si vtique est fructus iusto: * vtique est Deus iudicans eos in terra.

PSALMVS LVIII.

De oratione Christi vel Ecclesiæ, & cuiuslibet fidelis in tribulatione, pro sua liberatione, ac de Gentium, & Iudæorum conuersione: & gratiarum pro ijs omnibus actione.

ERipe me de inimicis meis, Deus meus: * & ab insurgentibus in me libera me.
Eripe me de operantibus iniquitatem: * & de viris sanguinum salua me.
Quia ecce ceperunt animam meam: * irruerunt in me fortes.
Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: * sine iniquitate cucurri, & direxi.
Exurge in occursum meum, & vide: * & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel;
Intende ad visitãdas oẽs Gẽtes: * nõ mi-

ſereatis omnibus, qui operantur iniquitatem.
Conuertentur ad veſperam, & famē patiētur vt canes: *& circuibunt ciuitatē.
Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum: *quoniam quis audiuit?
Et tu, Domine, deridebis eos: * ad nihilum deduces omnes Gentes.
Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es: * Deus meus, miſericordia eius præueniet me.
Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos: *ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei.
Diſperge illos in virtute tua: *& depone eos protector meus, Domine.
Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum: *& comprehendantur in ſuperbia ſua.
Et de execratione, & mendacio annunciabuntur in conſummatione: * in ira conſummationis, & non erunt.
Et ſcient, quia Deus dominabitur Iacob; * & finium terræ.
Conuertentur ad veſperam, & famē patientur vt canes: *& circuibunt ciuitatē.